DE BLEGNY
ZODIACUS
MEDICO-
GALLICUS
1680

69161/B

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

BIEGNY, N. de

John Coakley Lettsom, M.D.F.R.S. & S.A.
London


Inuentum Medicina meum eſt
I. L. Durant fecit

ZODIACUS MEDICO-GALLICUS,

SIVE

MISCELLANEORUM

Medico Phyſicorum Gallicorum,

TITULO

RECENS IN RE MEDICA EXPLORATORUM,

Unoquoque menſe Pariſiis Latinè prodeuntium

ANNUS PRIMUS

Sçilicet M. DC. LXXIX.

Authore NICOLAO DE BLEGNY R. G. C. O.

Acceſſere ejuſdem Tractatus duo utiliſſimi, Prior de *Herniis*, Poſterior Obſervationes circa *Luem Veneream* continens.



N.Y. MEDICAL SOCIETY OF

GENEVÆ,

Sumptibus LEONARDI CHOUËT.

M. DC. LXXX.

X3

Viro Præclariſsimo

Domino

NICOLAO DE BLEGNY.

S. P.

QVOD lubricæ juventuti, conceſſam à parentibus peregrinandi licentiam extra præſcriptos limites extendenti, id ingenii Tui proli accidit, Vir Excellentiſsime, quam enim intra Galliæ pomoeria coercitam voluiſti jam non è confiniis modo elapſam vides, ſed euagantem, ſed palantem, & terras alio calentes ſole mutantem. A te emiſſam non revocaveris, quæ non nonmodo vela pandit, ſed jam altum ſulcat mare, toto diviſos òrbe Britannos aditura, quam gens ſeptem ſubjecta trioni, vel etiam vltima Thule ambabus vlnis exceptura ſit: Lepor & forma vniverſo orbi terrarum exponendam ſuadebat, ſed habitu & amictu vbicumque accepto, quem illi incultum aſſui, elegantiori & comptiori dignæ: Expoſtulaturus necne ſis mecum neſcio, qui Te inconſulto eam Patria ſubduxerim, culpæ tamen veniam non deprecor, qui pluribus prodeſſe quam vni diſplicere ſatius duxi: Tam grata proles non ſibi ſoli, & parentibus, nata eſſe debuit, omnibus æque ſpectaculum debet & officia; Tuiſne ingratiis id oneris ſuſceperim, altero Zodiaco (inditi Libro tituli ratio Tibi

n̄on obſcura eſt) Sol mihi ſigna dabit: Gratiam tamen Tuam mihi ſpondeo, nec minori meo merito quam Medicus ille Anglus, qui Obſervationes Tuas circa Luem Veneream in linguam patriam transtulit: Ex voto ſi res ſucceſſerit, auctarium erit remunerationis à cunctis eruditis mihi expectandæ, nec inſudaſſe operi pœnituerit, cui ſucciſivas horas, furtivas potius impendi, importunius per literas flagitanti Bibliopolæ morem geſturus. Interim quis facinus (ſi facinus) admiſerit, aut gratiam demeruerit, anxius ne diſquire, nomen latere mea intereſt, vel inprimis ne quibuſdam in partes gloriæ Tibi debitæ leviculo hoc labore venire velle videar, quanquam amicitiam & benevolentiam ambiam, eáque potiri geſtiam. Id unum dixero profeſſione me eſſe Medicum, natione Gallum, finitimi Galliæ loci incolam, Fac vero ne ſuſcepti laboris pœniteat, & Tui cultorem viciſſim excole: Vale, & quo pede jam cœpiſti rem Medicam juva, Dabam Metropoli Vallis Equeſtrium, Calendis Martiis anni M. DC. LXXX.

Præfatio.

Præfatio.

Authoꝛ hujus Operis compoſitionem molitus, Explorato-rum, Experimentorum, Obſervationum in re Medica, quotquot nanciſci dabitur, collectionem inſtituit, quæ curioſis arrideant, novitate placeant & ſimul utilia ſint.

Primaria propoſiti ratio eſt publicum commodum, emolumentum ſcilicet ex accurato experimentorum ac exploratorum, à quibuſdam emiſſorum, examine expectandum.

Hoc vero medio rem ad optatum finem deducere ſatagit, invitando nempe Medicos, Chirurgos, Pharmacopoeos, tum Galenicos tum Chimicos, tam indigenas quam exteros, ac rogando tranſmittere velint Bibliopolæ, cujus munus erit diſpenſare, Adverſaria exacte & fideliter digeſta, recens ſive meditando, ſive manum operi admovendo, producta: Illis invicem, remunerationis ergo ob curas & ſtudia promovendæ rei Medicæ, reponendo fauſta illorum vota in quos beneficium redundarit; nominiſque celebritatem ex genii & ingenii promulgatione comparandam, publici juris faciendo, facili ac expedita via, proprias diſquiſitiones.

Quo his Exploratis ſuccedat ſperata utilitas, plauſúque excipiantur, curæ erit ut in publicum prodeant priuſquam novitatis gratia decedat: Eapropter eorum, exeunte unoquoque menſe, futura eſt diſtributio, duobus quaternionibus, vel quatuor & viginti foliis comprehenſorum, quibus concludentur quicquid menſtruo ſpatio collectum fuerit: Ut vero facilius hi codicilli circumferantur, forma libelli in duodecimo donandi ſunt, quo tandem emenſo anni curriculo, è ſimul omnibus compactis exurgat juſtæ molis liber.

Quapropter quaternionum primus, Januario menſi aſſignatus, libri titulum perpetuo exhibiturus eſt, Epiſtolam dedicatoriam, Privilegii diploma, Operis approbationem, cum admonitionibus requiſitis. Quaternio autem alter, cæterique ex

menſium ſerie, nihil præter recens Explorata tradituri ſunt, totius anni curriculo collecta; Excepto tamen menſe ultimo, ſcilicet Decembri, Indicem ſingulorum producturo.

Si Tabulas adjiciendi, (quo res dilucidior evadat) ingruat neceſſitas, nec illæ operi defuturæ ſunt, æri inſculptæ, quam exactiſſime licuerit.

Commodum nec non viſum eſt Codicillos deſinente potius quam ineunte anno luci dare, accuratioris & expeditioris ordinis gratia, Alias, e.g. menſis Decembris, præſentis anni, Explorata recentia inveſtigaturo, neceſſe eſſet ſubſequente Janvario prodituros evolvere. Idem de cæteris eſto judicium, unde confuſionis origo immineret & perturbationis ab authoris ſcopo alienæ, cui in animo eſt unoquoque volumine ea tantummodo colligere quæ unius anni decurſu congeſſerit.

Cum porro nihil præter bonum publicum ſibi propoſitum habeat, compenſationis ergo ſumptuum, in editionem operis neceſſariorum, quinq; aſſium pretio, nunc & in poſterum, unumquemque libellum, uno quoque menſe prodituram, venalem conceſſurus eſt. Id vero viciſſim ab exteris, Adverſaria tranſmiſſuris, expoſcit, vecturæ pretio ea liberare velint.

Quo modo, quinque ſolum aſſium expenſo, quilibet Medicæ artis cultor, ſive illam faciat, ſive curioſitatis tantum gratia ſectetur, id beneficii conſequuturus eſt ut quovis tempore, quicquid rarum & eximium in ea ſcientia proditurum eſt comparare queat; ac quolibet anno exeunte volumen juſtæ molis, ſed diſſutum, coronati argentei pretio, compactum vero, & aluta vitulina amictum, ſuperadditis octo aſſibus, cum ejuſmodi compactiones ſeptem aut octo aſſibus væniant.

Nec hoc prætermittendum eſt Authorem commercium literarium cum Medico provinciali fingere, cui quicquid collectum eſt inſcribit: Epiſtolica enim diſpoſitio inſtituto ſuo magis quadrare viſa eſt quam quæ per capita fit diſtributio: Veriſimile quoque eos ſolummodo qui Medicinæ praxi addicti ſunt, aut quomodo

quomodocunque illam excolunt, ex collatis obſervationibus fructum poſſe capeſſere.

Recentia autem Explorata eodem perpetuo tenore proditura ſunt quo adverſaria tranſmittentur, Eo pacto futurum ut nullo Inventorum habito reſpectu, aut rerum præſtantiæ diſcrimine, opus præſens proditurum ſit: Hanc vero diſpoſitionem obſervandi cum incumbat neceſſitas, hinc omnis prærogativæ abſcindetur occaſio: atque curioſa obſervatio epiſtolæ fini adpoſita, non minus æſtimanda veniet quam ſi ejus initium obtineret.

Quandoquidem imitatæ editiones ob preli feſtinationem plerumque erroribus ſcatent, in remediorum autem exſcriptione vel minimus error, in exceſſu aut defectu, exitus funeſtos accerſere valet, aut ſaltem ut inutiliter exhibeantur, monitos volumus quotquot Explorata hæc comparaturi ſunt, eos tantum codicillos adſumant quos charta alba amiciet, cui author verba ſequentia, *Ab authore reviſus* adſcripta ſint, addita ſignatura (aut parapho) propria, facile in ſequentibus diſcriminanda, nec non ſcriptura. Viginti autem aureos nummos, Ludovici Regis effigie ſignatos, illi ſpondemus qui Bibliopolas, Typographos, alios item à quibus ſuppoſitii exituri ſunt, indicio dato proditurus eſt.

Porro ſi obſervationes amplo tenore deductæ forte occurrant, earum editio ſeorſim tradenda eſt, exempli gratia, Infantis Toloſani hiſtoria. Sin lubet eas cum cæteris compingere, dematur primum folium, collocando immediate ab epiſtola in qua earum mentio.

Approbato Domini Dacquin, Primarii Regis Medici.

LA recherche des *Nouvelles Découvertes ſur toutes les parties de la Medecine*, eſt un deſſein loüable & tres-avantageux pour le public: L'ordre que l'Autheur s'eſt propoſé pour en faire la diſtribution, donnera toute l'étenduë poſſible à l'vtilité qu'on en peut attendre, Et la maniere dont il les décrira, en rendra ſans doute l a lecture agréable. C'eſt dequoi nous avons creu devoir rendre ce témoignage, A Paris le 21. jour de Janvier 1679.

INDEX
OBSERVATIONVM.

FEBRIFVGA ex Quinquina pag.2
Elixir Vulnerarium 2
Medicamentum Vulnerarium 4
Vulnus capitis, Ubi de ſalutari duræ meningis apertione ad puris exitum 5
Vulnus vmbilici 6
Furor vterinus ibid.
Muſculi abdominis infra umbilicum omnino membranei 7
Foetus mortuus in vtero relictus, poſt alterum felici partu excluſum, 8
Hiſtoria Anotomica fœtus totis viginti quinque annis in utero deliteſcētis 9
Animadverſiones in præcipuas dictæ hiſtoriæ circumſtantias 11
Circa Tubas vteri obſervatio 13
In eandem hiſtoriam Clar. F. Bayle *Diſquiſitiones* 18
Quomodo fœtus adhæreat, Quomodo ab eodem divellatur, Quomodo exeat, & Quas ob cauſas 21
Quæ cauſa fœtum ad egreſſum ex vtero impellat 24
De reſpirationis neceſſitate 25
Quomodo dictus fœtus vteri fundum perforaverit 33
An dictus infans extra vterum vitam habuerit, & Quomodo Epiploo alligatus fuerit 34
Quæ cauſa illum à putredine vendicarit 37
Hernia rara 43
Ventriculi prolapſus 44
Vomitus ob pylorum gypſea materia intus & extra obductum 46
Penna anſerina integra deglutita 47
Hæmorrhoiduu dolor ibid.
Muſci terreſtris efficacia in ſiſtenda Hæmorrhagia, Virilium omnimoda abſciſſio. 49
Epilepſiæ cauſa in conformatione capitis reperta 50
Graviditas xxv. annorum ibid.
Syrupus emeticus 51

Num

Num infans (cujus hiſtoria habetur pag.9.) in utero conceptus fuerit? hocque ſuppoſito. An potius fundum quam ejus partem aliquam perforaturus fuerit? 52
Quomodo contigerit ventrem matris ultra morem ſolitum expanſum non fuiſſe, quanquam à 25. annis vtero gereret? Ac quomodo eandem amplitudinem ſervaverit? 53
Cur dictus fœtus Omento colligatus putredinis expers fuerit, cum ejus caput ulceri adnexum fuerit? 54
Bronchocele 56
Vulnera duo ſummo abdomini inflicta, in cavitatem penetrantia 57
Foetus putridi oſſa per abdominis abſceſſum cum pure excluſa ibid.
Monſtrorum generatio 60
Vires imaginationis in gravida 61
De viribus generationis in alia 62
Carunculæ in urethra curatio extraordinaria ibid.
Lacrymæ petrificatæ 63
Remedium contra colicam nephriticam 68
Remedium contra hæmorrhoides coecas ibid.
Luis Venereæ in muliere curatio 70
Anguis per penem excretus 71
Vermis per nares excretus poſt diuturnum capitis dolorem 73
Ad Bronchocelen remedia. ibid.
De natura corporum mixtorum Diſquiſitio 1. 74
Genu tumor 77
Emulgens ſiniſtra bifida, cujus ramus venæ ſine pari inſertus erat 78
Calculus in cyſtide fellea inſignis ibid.
Vulnus capitis inſigne non lethale ibid.
Foetus ſine ſexus diſcrimine ibid.
Membrana hymen in puella ibid.
Partus impeditus 79
Febrigum 99
De lacrymis petrificatis (*vide pag.63.*) 79
Capitis dolor & coecitas à lapide in nervis opticis 81
Calculi citra dolorem per penem excreti 82
Abſceſſus in inguibus vermibus ſcatens 84
Abſurda deglutiens 86
Tabellæ menſtrua provocantes 89
De natura corporum mixtorum Diſquiſitio 2. 90
Gonorrhoea ſimplex 94
Lapides in cyſtide fellea 98

Vermis ex vena aperta exiens ibid.
Ictenus à lapide pellucido in veſica fellea ibid.
Aſthma cum tuſſi, Scrofuloſi in pede tumores 96
Fraus in lacrymis petrificatis (*vide p.63. & 79.*) 97
Vermis in renis canis parenchymate 98
Vermes ex umbilico egreſſi ibid.
Vermes ex inguinibus prodeuntes 99
Lapides in veſica fellis ibid.
Lapides é juncturis arthriticorum eruti ibid.
Abſceſſus ſub lingua ibid.
Febris continua, citra ſanguinis miſſionem ope refrigerantium extincta 100
Hydrops vteri tubarum 102
Vulnus capitis 105
Podagricus dolor 106
Pica Virginum 107
Ulcera in capite venerea 108
Vulnus pectoris è quo vermes excluſi 111
Nova explicatio mechanica Febrium 113
Lapides ex abſceſſu inguinis erumpentes 118
Scirrhus in regione Umbilicali in gravida 119
Fungi ſuper apparatum Chirurgicum enati ibid.
Tabes à pulmonis vomica, ope purgantis ſanata 120
Gonorrhoea in puero ſeptenni 122
Vermes in renibus geniti ibid.
Ulcus cum tuberculo in pollice pedit cacoethes, euporiſto remedio ſanatum 124
Ad omnes morbos melancholicos remedium expertum 125
Hydropicæ mulieris hiſtoria anatomica 127
Hectici anatome poſt verbera mortui 128
Aſcites febri continuæ ſuccedens ibid.
Humor viſcidus & niger cum lapillis in cyſti fellea 128
Vermes cum ſanguine è vena emiſſi 129
Monſtrum bicorporeum ibid.
Vulnera citra ſuppurationem curandi ratio 130
Extremus digitus contritus 132
Morſus ſimiæ ibid.
Impetigo fera 133
Vermis inſignis in rene canis repertus 134
Septum cordis pervium ibid.
Veſicæ lapis medicamentis diſſolutus 135

Gypſea

Explicatio Tabulæ hæmatoſeos depurationes exhibentis 138
Gypſea materia ex angulo oculi ægylope affecti educta 140
Febrifuga varia ibid.
Vitriolum vomitivum, aut Gilla vitrioli 141
Pilulæ antifebriles emeticæ ibid.
Pulvis catharticus & febrifugus 142
Pectoris abſceſſus pleuritidem ſequutus, per urinas juducatus 142
Menſtruus fluxus in puella trienni 143
Explicatio mechanica cauſarum primitivarum Febrium 144
Generatio ex ovo 147
Cachexiæ cum febre fortuita curatio 151
Hiſtoria monſtroſi infantis 152
Aurum ex arena maris eductum 155
Ab hydrargyro, luis venereæ cauſa, nimia copia aſſumpto & admoto mors 156
Hiſtoria antipathiæ vxoris cum viro 157
Humeri luxati reſtituendi ratio nova 159
Vertigo ptyaliſmo critico deſinens 160
De natura corporum mixtorum Diſquiſitio iij. 161
Excreſcentia carnea ex labio vulvæ feliciter amputata 164
Explicatio difficultatis circa monſtrum, de quo pag. 152. 165
Satyra in Medicos quoſdam de trivio 168
Medicorum Pedariorũ, ſive Ulmerenſium ſchola, per aphoriſmos digeſta 169
Dialogus vitæ & mortis 171
Gemelli ejuſdem ſexus, unica ſecundina obvoluti 173
Actus venereus impeditus ob orificium externum vulvæ obturatum ibid.
Arthritis nodoſa ſingularis ibid.
Puteus lethifer 174
De diſſolutione lapidis veſicæ 175
Emplaſtrum contra Herniam 177
Partus conceptionem Tubariam ſequutus 178
Vulnus Pectoris inſigne, cui acceſſit fiſtula & phthiſis, feliciter curatum 179
Capitis vulnus, è quo ſubſtantia cerebri ſæpe exiliit 182
Tibiæ vulnus, cui ſucceſſit genu dolor, oſſis caries, Ejuſque felix curatio 183
Catarrhus anno 1679. Epidemius 184
Vermis è ſecta veua eductus. ibid.

Index Capitum Tractatus de Herniarum curatione.

Partis I. Sect. I.

Cap. 1. DE Principiis artis Herniarum curatricis 187
2. De Corpore hnmano in genere, & in ſpecie de Regionibus & partibus continentibus imi ventris 189
3. De diviſione in genere partium abdomine comprehenſarum, & de natura particulari earum quæ nutritioni famulantur 193
4. De partibus virilibus & muliebribus Generationi inſervientibus 197
5. Ad quid utilis conſideratio Anatomica partium imi ventris, in arte Herniarum curatrice 199

Sect. II. Continens definitionem, cauſas, differentias, accidentia, ſigna & prognoſin Herniarum.

Cap. 1. DE Herniarum natura in genere 202
2. De cauſis Herniarum 205
3. Diviſio Herniarum generica, & ſingulares ſpecierum earum differentiæ 207
4. De accidentibus aliiſque ſignis per quæ Herniæ dignoſci queunt 209
5. Herniarum ſigna prognoſtica 211

Partis II. Sect. I.

In qua modi partes è ſede egreſſas reſtituendi adducuntur.

Media per quæ imo ventri redditur amiſſa naturalis diſpoſitio, ob partium illius è ſede egreſſum in genere, & in ſpecie, Reductio ordinaria earum quæ pariunt Enterocelen, Epiplocelen, & Enteropiplocelen.

Cap. 1. TRaditur ea ſpecies Diæreſis quæ in uſum quandoque ad reductionem Epiploi & Inteſtini in genere ducitur, & in ſpecie quid antequam manus operi admoveatur præſtandum 217
2. Ratio feliciter operationis, quam Bubonocelen vocant, inſtituendæ 222
3. Uteri prolapſi aut inverſi curatio 222
4. Reductio inteſtini recti extra podicem egreſſi 224

Secundæ partis Sectio ſecunda.

In qua certiſſimæ rationes in ſitu naturali continendi partes reductas, ad ſanationem ejuſmodi affectuum, Additis quibuſdam circumſtantiis obſervandis in curatione juniorum & infantium.

Cap. 1.

OBSERVATIONVM.

Cap. 1. REmedia in genere omni Herniæ ſpeciei congrua, partium reductione, eas procreantium, facta 226
2. Media particularia, quorum ope loco debito contineri poſſunt partes in inguina aut ſcrotum prolapſæ, poſtquam media Taxi redactæ fuerint 229
3. De Perizomatis in genere, & in ſpecie de ſubligaculis, uſitatis ad cobendas in abdomine partes, quarum egreſſus Hernias inguinum & ſcroti effecere 232
4. De ſubligaculis ab authore inventis 235
5. Ratio in ſede propria continendi partes Exomphalon inducentes 240
6. Quibus modis in ventre continendæ partes reductæ in Bubonoceles operatione 242
7. Media per quæ uterus ſedi priſtinæ reſtitutus in ea contineri debet 244
8. Qua arte inteſtinum rectum loco naturali reſtitutum continendum 249
9. Cautiones ſingulares in curatione Infantium obſervandæ 252

INDEX

Capitum Libri Obſervationum circa Luem Veneream.

Sectio Prima.

Animadverſiones quaſdam continens, nonnullas item Obſervationes utiles circa nomen, definitionem, originem, cauſas, differentias, ſigna & prognoſin Luis Venereæ.

Cap. 1. DE Lue Venerea in genere, ejus nomen, definitio, & origo 256
2. De cauſis Luis 259
3. De Luis differentiis prognoſin ſpectantibus 264
4. De ſignis.

Sectio II.

Obſervationes neceſſarias ad curationem continens, cum ea partes tantum aliquas obſidet. Item circa motus naturales & criticos ſolutionem illius afferentes ſi univerſalis eſt, Atque circa medicamenta uſurpari ſolita cum criſes artificiales procurandæ.

Cap. 1. DE ſpeciebus Luis particularis, quas vocant ulcera & cancros venereos 273
2. De cæteris particularibus Luis ſpeciebus, quas vocant Urinæ ardorem & Gonorrhoeam virulentam 278
3. De criſibus naturalibus Luis univerſalis 284
4. De plantis ad Luem per ſudores excludendam decantatis

5. Obſervationes circa mercurium neceſſariæ, Cur ejus applicationem varii effectus conſequantur 292

Sectio III.

Exhibens veram methodum artificio excitandi criſes Luis univerſalis.

Cap. 1. De criſibus vi remediorum communium excitatis, Et de tempeſtatibus ad inunctionem mercurialem tempeſtivis 298
2. De præparatione corporum quibus mercurius admovendus. 300
3. De variis rationibus Mercurium Lue infectorum corporibus adhibendi. 304
4. De motibus criticis à mercurii uſu excitatis 309
5. De regimine ægrorum qui criſes artificiales Luis experiuntur
6. De particularibus circumſtantiis obſervandis ad ritam curationem mulierum & infantium
7. De ſiniſtris ſucceſſibus ineptam mercurii adplicationem conſequi ſolitis

ZODIACI

ZODIACI MEDICO GALLICI

SIVE

Exploratorum recentium in Re Medica.

IANVARIVS.

EPISTOLA PRIMA.

REVERA accola ſum ſcaturiginis rerum elegantium, Lutetia quippe Pariſiorum locus eſt omnium opportuniſſimus mutuis commerciis longe latéque diffundendis: Exinde tamen aſſerenda non eſt facilitas à Te inſinuata; illud namque mihi ratum eſt, quo fruaris recentibus Exploratis à te expetitis, requiri omnino quicquid reſiduum mihi erit temporis ab occupationibus ſolitis: quandoquidem hac parte vix tibi ex voto ſatisfactum iri puto quin plurimos in commercium ſociem; Sin tibi aliquid quod palato arrideat offerendum, non minus mihi curæ incumbet in ſtylo diſponendo quam in materia eligenda.

Interim iniquus ſim ſi quidpiam tibi abnegem, adſtrictum enim me habes officiorum eorúmque inſignium multitudine; cum vero tua res agitur, removenda ſunt impedimenta præſtandorum obſequiorum quantacunque ſint, quod pro virili præſtiturus ſum, te ſic jubente: Deinceps ergo nullum præterire patiar menſem, quantum in me erit, quin à me epiſtolam accepturus ſis. Anſam vero cnm mihi ſuppedites, in id incumbam ut ab iis abſint quæcunque artem ſervandorum hominum promovere non valent.

Observatio I. Authoris.

Febrifuga ex Quinquina.

INſtitutum ut aggrediar, id ſcias velim ex quo invaluit uſus Febrifugi Medico Anglo familiaris, artis peritiſſimos inter noſtrates, ex colore, ſapore atque effectibus, baſin illius Quinquinam eſſe pro comperto habere, ſin eventus melius ex voto ipſi quam cæteris proceſſit, qui infuſionem ordinariam vſurpaverunt, id vel ſingulari ejus præparationi, efficaciam augenti, vel multiplicatis dozibus adſcribendum eſſe, certiſſimæ rationi paroxyſmos recidivos febrium intermittentium, (quarum cauſa id remedii genus in uſum ducitur) præcavendi: Revera, hoc explorato plurimi in arte exercitati id feliciſſimo eventu exhibuerunt, vel medicamentis quibuſdam aliis remixtum, vel eo modo comparatum ut in plures dozes dividuum ſit: Hinc à me occaſio captata eſt compoſitionem ſequentem excogitandi, cujus te participem volo: hujus experimentum in ſeptem ægris felici eventu factum.

Accipe ſeminis urticæ uncias duas, florum centaurii minoris ſemunciam, ſalis abſynthi drachmas duas, vini albi ſextarium minorem, fiat omnium infuſio ſupra cineres calidos, per horas duodecim; Seorſim infundantur æquali temporis ſpatio, & loco calido, unciæ tres *Quinquinæ* pulveriſatæ, cryſtalli mineralis dragmæ duæ; unciæ item quatuor aquæ vitæ optimæ; demũ commiſceantur binæ illæ infuſiones, quæ iterum ſupra cineres calidos impoſitæ, ſinantur in digeſtione ad minimum horis ſex, poſtea per linteum mediocriter denſum trajiciantur, de quibus pro dozi exhibendæ unciæ duæ; initio uſus ducto die paroxyſmi, primam porrigendo quatuor aut quinque horis ante adventum illius, alteram protinus invadente rigore febrili; tertiam intervallo inter rigorem & incaleſcentiam medio: Diebus intermiſſionis, paroxyſmum ſubſequentibus, iterum præberi poterit mane & veſperi; Redeunte iterum paroxyſmi die, idem obſervandum venit quod indicatum in diem quo curatio incepta eſt; purgatio interim ſemel aut pluries inſtituenda eſt, plenitudinis majoris aut minoris habita ratione.

At vero cum in arte Medica certum quidem ſit quod fiat, non vero ſemper certum quod eveniat, & ſępe eveniat ut idẽ remedium pluribus ægris cum ſucceſſu exhibitum, in quibuſdam eo careat, credo me Tibi rem gratam facturum ſi alterum Febrifugum, Londino ad me nuperrime tranſmiſſum communicem, neutiquam, ut ajunt, ab eo diſcrepans, quo utitur Medicus Anglus: quia autem periclitari nondum conceſſum fuit, vadem me de eventus certitudine non præſto. Mitto vero ut illud pro innata ſagacitate experiaris.

Accipe Quinquinæ uncias tres, & corticum fraxini pulveriſatorum æquale pondus; matracio committantur, ſuperaffuſis ſpiritus vini rectificatiſſimi

Tabula Prima Anni Primi Pag: II.

Fig. II.





Fig. I.



Fig. III.





tiſſimi unciis quatuor, atque uncia una ſpiritus ſalis, poſtea collocentur in balneo aquæ tepidæ quadrihorii ad minimum ſpatio, at ſæpius materias exagitando; adde inſuper ſeſqui-heminam ſpiritus vini minus revificati, poſtea inde vaſi terreo cineribus modice calidis circumſepto; exactis autem ſeptem vel octo horis trajiciatur liquor per chartam emporeticam, aſſervetúrque lagena incluſus optime obturata: dozis ad ſummum quindecim aut viginti guttæ, remixtæ duobus cochlearibus vini rubri, ipſo tempore exhibitionis; ferunt vini rubedinem in cereviſiæ colorem commutari.

Observatio II

D. RABEL.

Elixir Vulnerarium.

HInc diſcedamus, verbo dicturi de *Elixirio D. Rabel* anno poſtremo adeo decantato, de quo quæ mea eſſet ſententia toties me interpellaſti: Notum Tibi maximum ejus uſum eſſe in vulneribus: atque ut prætermittam funeſtum experimentum ab ipſo in Invalidis tentatum, omnibus notum, prodeat hoc, cujus ego oculatus ſum teſtis.

Quidam viginti quinque circiter annos natus, robuſtus, firmiſſima valetudine uſus, gladio læſus eſt in parte ſuperna & exteriori brachii dextri, à quo cum ſolum diviſa eſſet cutis, ac fibræ alterutrius muſculorum cubiti extenſorum divulſæ, vulnus hinc ſimplex excitatum eſt, in longitudinem exporrectum, latitudinem obtinens duorum tranſverſorum digitorum: Ille ſanitatis citiſſimæ avidus, impellente Chirurgo quodam, dicti *Rabel* familiari & collega, conſenſit in ejuſmodi curandi rationem inſolitam, eapropter advocari curavit in ſuum domicilium, in vico Veterum Auguſtinorum dicto ſitum, ad inſigne quatuor anni tempeſtatum, ubi forruito tunc aderam: Empiricus ille vulnus exploravit quantum libuit, ſanitatis reſtitutionem intra triduum pollicitus, Labra adduxit & conjunxit ope ſuturæ, bis ducta acu ope collegæ, poſtmodum linteo vino rubro madido ſuperimpoſito contentus, cui Elixirii ſui guttas aliquot indiderat, nihil præterea ægro præcipiens quam ut multo vino dicto uteretur; idem linteum mane & veſperi vino prædicto immergeret, vulneri citra ulteriorem apparatum admovendo, ſicut initio factum fuerat, hoc eſt nulla præcautione adjuncta: nulla pene dies præteriit quin ægrum, impellente eventus diſcendi curioſitate, inviſerim: Vulnus à ſecunda die ſerum quoddam acre effundere cœpit & multum, continuis doloribus ægro moleſtum, ad viceſimam uſque quartam fluens, Ante triceſmam autem & ſecundam ſanitatem non conſecutus eſt.

Ex ſuperius dictis tria poriſmata elicere liceat, meo iudicio dubitationis

aleæ non obnoxia; primum eſt, ſeri, è vulnere exudantis, acrimoniæ cauſam aſſignandam eſſe acidis, quæ elixir illud, intro aſſumptum, intra ſe continet, ſumma, quod te non latet, corrodendi vi præditum. Secundum, efficaciam arcan' dicti *Rabel* in vulneribus ſanandis, aliunde non deducendam, quam quod aëri ambienti, ut futura arceatur ſuppuratio, patere debeant: Tertium tandem hoc eſt, tantum abeſſe ut methodus hæc ordinariæ & tritæ præpolleat, quin potius certum eſſe vulnus prædictum multo breviori tempore curationem adepturum fuiſſe, citra ſuppurationem, & minori dolore, per ſolam faſciæ bicipitis opem labiorum mutuam conjunctionem, nullo etiam admoto extrinſecus medicamento.

Observatio III.

D. BOVCHER.

Medicamentum Traumaticum.

POrro cum ſermo inciderit de remediis vulnera prompte, nulla interveniente ſuppuratione curantibus, non idem, credo, erit judicium de medicamento à D. *Boucher*, Magiſtro Chirurgo Camberiacenſi ad me transmiſſo; vir enim ille notiſſimæ probitatis, remedium obtinuit ab Illuſtriſſ. Domino primario Senatus loci dicti Præſide, deſcriptionem tradente Chimiſta quodam, qui mira coram dicto Dom. Præſide præſtitit experimenta, inſignémque ideo ab eo remunerationem reportavit, En deſcriptionem.

Accipe vitriolum Romanum viridiſſimum, ad albedinem calcina more ſolito; conjice in amplam Retortam, uſque dum duæ ejus partes impleantur, collocetur in furno reverberii clauſo, poſtea rite coaptato illi amplo Recipiente, accendatur parvus ignis, eliciendi phlegmatis inutilis gratia, collocetur demum Recipiens loco debito, commiſſuras luto exactiſſime obducendo; augeatur gradatim ignis: cum vero Retorta nubibus referta apparuerit, perge in eodem caloris gradu quouſque refrixerit; ab eo tempore ad extremum urgeatur ignis violentia: ſic continuetur diſtillatio duplicis nycthemeri ſpatio; quo exacto vaſa refrigerari permittito, aſſervando id quod ſuperſtes futurum eſt ſpiritus vitrioli in uſum ordinarium; exime poſtea reſiduum ex Retorta, tere in marmore, digere addito æquali pondere ſpiritus vini rectificati, id obſervando ut accuratiſſime ſigilletur ampulla; demum impone alteri retortæ luto obductæ, in eadem fornace collocandæ, quam ubi paulatim & ſenſim calefeceris, poſtea igne violento urgebis ſpatio quatuor dierum totidémque noctium, quo una eliciantur ſpiritus vini & oleum vocatum vitrioli: poſtmodum ubi vaſa refrixerint, vini ſpiritus à dicto oleo ſeparandus, ope diſtillationis in balneo maris.

At vero

At vero cum ejuſmodi eſſentia, corroſionis nimiæ particeps, impune vix poſſit intro aſſumi, iterata diſtillatione per retortam dulceſcet, cui antea impoſueris ſemivnciam limaturæ chalybis, eadem ſervata proportione ſi major adſit quantitas.

Id oleum vim obtinet cohibendi hæmorrhagias vulnerum, eadémque recentia bidui, aut ad ſummum tridui, ſpatio perſanat, ſi quotidie ex juſculo duæ aut tres guttæ exhibeantur, aut vini ſemicyatho; vel ſi vulnera eodem irrigatur, aut penna, cum ſunt ſuperficiaria: aut inſtrumento idoneo, ſi profunda: vtile eſt & ad antiqua ulcera, & ad membra paralytica, eadem methodo in uſum ducendo.

Observalio IV.

D. TRIBOVLEAV.

Vulnus capitis, Vbi de ſalutari duræ meningis apertione ad puris exitum.

A Vulneribus nondum receſſurus, ad rem erit Tibi communicare curioſum experimentum Dom. *Triboulean* Mag. Chirurgi Jurati Pariſienſis, cujus dotes Tibi ſunt perſpectæ. Famulus à cubiculo Illuſtr. Marchionis *De la Popliniere*, Caſtrenſis præfecti vicarii, læſus fuit in obſidione Ypreſi dum agger perrumperetur, ſclopeti globulo in capite, à quo fracta pars ſuperior oſſis parietalis dextri, cum ejuſdem depreſſione. Triduo poſt admotum trypanon, eximendis aliquot oſſium fragmentis, apertio facta exitum conceſſit copiæ ſanguinis ſub cranium effuſæ, deſinentibus hinc ſymptomatis, Triceſimo autem quinto exacto die, invaſit ægrum cum ſopore febris & anorexia, intumuit dura mater, extuberantibus fungoſis carnibus copioſis; unde orta ſuſpicio dicto Dom. *Triboulean* infra tumorem collectionem adeſſe cujuſdam materiæ purulentæ; revera quarta die, intumeſcentiam illam ſubſequente, triceſima nona à vulnere inflicto, urgente ſymtomatum vehementia, nec ulla alia ſalutis via conſpicua, inciſione facta duræ matris ſecundum totam vulneris longitudinem, effluxit puris viridantis inſignis copia, nigricantis & fœtidi, cujus eductionem accidentium remiſſio ſequuta, ægrique ſalus breviſſimo tempore.

Ex eo experimento dicto D. *Triboulean* colligere licuit duas obſervationes ſingulares; quarum prima eſt, pus inter duram & piam meninges ſenſim ac pene inſenſibiliter formari, ſævaque ſymptomata tum demum emergere cum poſt diutinam moram corroſivam indolem & cacoethiam induit, quod non ſufficiat quatriduum inducendæ & ſaniei formæ & ſimul depravationi notatæ: Altera eſt, Duræ matris inciſionem non adeo verendam, ut pleri-

que tradunt, præſertim ſi à pia diſtet & à cerebri ſubſtantia, ob collectionem materiæ alteram ab altera divellentis.

Observatio V.

D. ROBERDEAV.

Vulnus Vmbilici.

NOn è caſtris ſolum utiles circa vulnera obſervationes depromuntur: D. *Roberdeau*, Chirurgus ordinarius Sereniſſimi Principis defuncti, Profeſſionis ſedulus cultor, & peritia conſpicuus, nuper curandum habuit Pariſiis Vigilum Tribuni ſatellitem, cui in regione umbilicali enſe vulnus inflictum eſt, in capacitatem abdominis penetrans, hiante inteſtino Jejuno ad longitudinem tranſverſi digiti: Exterſa parte extra vulnus prominente, ſuperaſperſóque terebinthinæ coctæ pulvere, ſitui naturali reſtituit, eáque demum leviter cohibita molliſſimæ ope turundæ, non ultra partes continentes pervadentis, vulneris illius, quaſi tantummodo ſimplex eſſet, curam habuit, cicatricémque intra viginti cum duobus diebus induxit; nullo, præter ſanguinis miſſionem, uſurpato remedio univerſali, nulláque alia adhibita cura ſingulari quam accurato victus regimine; ægro concedens ſolum in potum aquæ hordei mundati ſextarium minorem, ac duo exigua gelatinæ vaſcula, in ſolidum alimentum novem primis diebus, quibus exactis minus rigida fuit diæta.

Sat multa circa vulnera, Cenſeo enim à rerum varietate gratiorem Tibi fore mearum literarum lectionem; Quare tranſeo ad obſervationem à Dom. *le Duc* factam in Noſodochio generali, in Domo Nitrata dicta, cum ibi adhuc Chirurgus eſſet: Non tibi forſan ignotum illum à pluribus annis Magiſtri munere fungi, ideóque rem à ſe novam non eſſe, ſed Tibi perſpectum ſcio parum intereſſe quo quævis res Explorata tempore acciderit, ac unamquamque novam cenſendam eſſe, dummodo publici juris pridem facta non fuerit: quamobrem earum participem Te in poſterum facturus ſum quæ pauciſſimis tantum innotuerint, quocunque demum tempore contigerint, ſi modo curioſitati tuæ arrideant, Quam jam exhibeo rarioribus accenſe.

Observatio VI.

D. LE DVC.

Furor Vterinus.

VIrgo clauſtralis dictæ Domus Nitrariæ, quæ ſæpius, diverſiſque temporibus in furorem Vterinū inciderat, tandem tam violento ejuſmodi maniæ

niæ paroxyſmo corripitur, ut catenis, cohibendæ enormis & effrænatæ laſciviæ libidiniſq; cauſa, vincienda fuerit : inter conatus varios ſe extricandi, & à vinculis liberandi, ſuffocata derepente interiit : D. *le Duc* cadaver horas poſt aliquot aperuit, ac deprehendit nunquam eam Lucinæ expertam eſſe labores, ſimúlque teſticulum ſiniſtrum pugni magnitudinem circiter adæquantem, craſſo ſpermate turgentem : vas autem à teſticulo ad uterum protenſum (quod ex Anatomicorum ſententia ejaculationi ſeminis deſtinatum non eſt, quia manifeſta cavitas illi deeſt) non modo mediaparte vaſe dextri teſtis majus eſſe, ſed præterea duriſſimum & calloſum; cæteras autem partes conformationem naturalem adeptas eſſe.

Ex hoc phænomeno duæ, me judice, elici poſſunt conſequentiæ, probabilitati innixæ, Prima eſt Affectum prędictum originem duxiſſe, quod ſtatis temporibus ſemen ad uterum vergeret & inclinaret, commotum ab objectis realibus aut phantaſticis, Id autem, via dicta intercluſa, à commotione præcedente fermentationem extraordinariam in teſticulo excitaſſe, ſpiritibus inducere aptam natam exagitationem, paroxyſmorum illorum comitem. Altera eſt, cum ſemen teſticulo concluſum, non potuerit vas id permeare, veriſimile eſſe vaſa, hactenus credita ejaculatoria, aliis uſibus dicata eſſe.

Observatio VII.

D. TRIBOVLEAV.

Muſculi abdominis infra umbilicum omnino membranei.

RAtum illud in iis quæ artem Medicam ſpectant, ſingularem effectũ axioma univerſale non conſtituere, iis præſertim quæ hominis ſtructuræ ſunt, in quibus natura ludere ſæpius & aberrare viſa eſt : Revera D. *Tribouleau*, de quo paulo ſupra, obſervavit anno 1665. in cadavere apud D. *Coſmum* diſſecto, muſculos abdominis omnes infra umbilicum, & ad os pubis uſque, membraneos fuiſſe, nullâ manifeſta fibra carnea; dextrum præſertim, duabus tantum interſectionibus nervoſis eo in ſpatio præditum, unius vero tantum medietate in reliqua ſua longitudine.

Sed ſi prodigia, cum in hominis ſtructuram incumbit natura, contingant, non minus miranda accidunt priuſquam in lucem exeat : Hiſtoria infantis Toloſani, à me typis edita, quam ſeorſum editam ad te mitto, palam id evincit; indubiæ enim veritatis eſt in utero matris ipſum totis viginti quinque annis concluſum fuiſſe.

Observatio VIII. Authoris.

Foetus mortuus in utero relictus, poſt alterum felici partu excluſum, admodum attenuatus.

ALiam interim hiſtoriam Tibi narraturus ſum, quæ quanquam priori raritate inferior ſit, in obſervationem tamen venire, ſi quæ alia meretur: Muliera quadrimeſtri gravida, timore inſigni perculſa ob caſum leviti ſui, ex quo ea præſente tibia effracta ipſi fuerat, non diu poſt inſignes dolores in regione renum imóque ventre perpeſſa eſt, ſeptem aut octo diebus urgentes: Præcavendi ergo abortus ſanguinis miſſio facta, imperata ad aliquot dies quies; quibus exactis ad exercitia ſolita rediit, nihilque ſiniſtri interim contigit, uterus ſolummodo ad inferiora devolvi videbatur, ſuſcitatis inde ex intervallis vaporibus putridis, os etiamnum attingentibus, ad exitum vſque noni menſis moleſtis, quo tempore puellam enixa eſt vivam beneque habitam. D. *Amiens*, Chirurgus Regius, tempore partus accitus eſt, qui ſecundinas perluſtrans fœtu edito, in iis latentem deprehendit fœtum marem, manus longitudine, membranis propriis adhuc obvolutum, adeo tota ſua longitudine compreſſum, ut vix craſſitie quartam pollicis partem adæquaret: Ipſa etiamnum cranii oſſa, ſuturarum ratione, eandem conſtitutionem adepta erant: Cuti & carni eadem propemodum inerat ſoliditas, quæ in fœtu diutius ſpiritui vini immerſo deprehenditur, vix in membranis ipſis ulla alteratio animadverſa. Non difficile eſt conjectura aſſequi fœtus hujus attenuationem illam contigiſſe compreſſione facta dum alter incremento augeretur; A continua illa compreſſione factam eſſe omnimodam humoris contenti expreſſionem, quam conſequuta ſit ſiccitas inducendæ putredini inepta: Quod vero in diſquiſitionem adduci, meo judicio, meretur, illud eſt, Quæ cauſa ſcil. abortum in muliere avertere valuerit? Et hæ ſunt ea de re meæ conjecturæ, quæ ſi rationi conſonæ Tibi videantur, eſt quod gaudeam, nec pœniteat tranſmiſiſſe; ſin cenſuram tuam ſubituræ ſint, illi lubenter acquieſcam.

Ex mea ſententia Abortus nequaquam contingit, niſi uteri orificium internum humore ſuperfluo madidum extiterit, modóque inſolito: exacte enim ſemper clauſum, præterquam eo in ſtatu, permanet, quantumvis gravia ſint quæ ejus ſinu continentur: His ſuppoſitis, nemini dubium eſſe debet abortum aliter fieri non poſſe quam ſecundinæ divulſione, hincque ſequente ſanguinis effluvio: Aut cum accedente putredine membranarum ſecundinæ; ipſiuſve fœtus, aquæ, aliæve humiditates toto utero diffunduntur: alteruter enim modus concurrat neceſſe eſt ad ſufficientem orificii interni relaxationem, quo concedatur exitus fœtui in utero contento: Cum autem tunc temporis ſecundinæ divulſio facta non fuerit, nec proinde ſanguinis neceſſario

ceſſario conſequens effluxus acciderit; embryonis autem attenuatio, ejuſque membranarum, putredini imminenti obſtiterit, nil mirum ſi uſque ad tempus partus alterius fœtus utero concluſus permanſerit.

Hæc pro tempore, Domine, à me accepturus es; limites à Te mihi præſcripti ulterius evagari Epiſtolam non ſinunt; ad menſem proximum congeſturus ſum nova quædam mihi communicata. Si interim grata Tibi fuiſſe, quæ ad te mitto *Nova explorata*, compertum habuerim, laborum meorum fructum percepiſſe credidero, In id operam navaturus ut undique rara & curioſa ad me comment. Vale.

Pariſiis 28. *Ianuarii* 1679.

Observatio IX.

HISTORIA ANATOMICA FOETVS TOTIS VIGINTI quinque annis in Vtero deliteſcentis, Addito examine phænomenωn omnium concomitantium. Conſcripta à D. Nicolao de Blegny, *Chirurgo Regio, Magiſtro & Iurato Pariſienſi. Typis Edita Anno* 1679.

VLtimis menſibus anni 1652. *Margareta Mathieu*, uxor *Iohannis Pugetii* Pannorum Tonſoris Tholoſani, decem ante liberis felici partu excluſis, undecimam graviditatem patitur: Sub finem ultimi imprægnationis menſis, partus dolores experitur, pre quorum vehementia lectulo ſe committit: Quæſitus eſt Chirurgus obſtetricans, qui exploratione manuum præmiſſa, naturam ad partum nequaquam ſe accingere aſſeruit; urgent tamen vehementiſſimi dolores, toto bimeſtri crudeliter pertinaces, Interim Medici duo celebres accerſuntur, à quibus plurima remedia præſcripta hyſterica & aperientia, at inani ſucceſſus, grumis tantum aliquot ſanguinis ex utero ſecedentibus.

Exacto primo illo tempore, trium fere menſium curriculum elapſum eſt cum moleſtis torminibus, prioribus licet minus infeſtis, comite tamen continuo materici purulentæ effluxu: exinde collapſæ reſurgunt vires, uterus effundere deſinit, at ſola ſupini decubitus neceſſitas dolorum inſigne levamen afferebat; oneris enim pondus, quemcunque alium ſervaret ſitum, maxime illi erat moleſtum, quod de loco in locum provolvi obſervabat, quoties in alterutrum latus commoveretur. Sic conſtituta ſpatium octodecim aut novemdecim annorum exegit: In totius hujus ſtadii decurſu adnotatum, poſt plurium menſium intermiſſionem, ipſam torminibus adeo vehementibus affectam fuiſſe, ut ſæpe Chirurgum in auxilium advocaverit, qui ventris

apertione facta, cauſam adeo vehementis doloris eximeret.

A primis illis annis uſque ad 1675. maſſa illa magnitudine & pondere adeo infeſta, eo minus moleſtiæ intulit, quod in ventre immota maneret, quodammodo ſuſpenſa, ne minimum agitationis indicium præbens: Tandem xvii. Junii ejuſdem anni, prægnantem invadit febris continua, vitæ & ærumnis ſimul finem imponens, ſexageſimum ſecundum ætatis annum agentem.

Poſtridie corpus novaculæ exponitur; deprehenſúmque corpus lapideæ duritiei, uteri univerſo fundo coextenſum, concavum qua parte fundum illud reſpiciebat, longum quatuor circiter tranſverſos digitos, ulcus ejuſdem ferme magnitudinis cooperiens, cujus figuram exprimit numerus 1. Cætero matricis corpus conformationem naturalem obtinebat, necnon reliquæ imi ventris partes, excepto Epiploo, cujus craſſities erat duorum tranſverſorum digitorum, quod ſcirrhoſum & aliquomodo carneum evaſerat.

His perpenſis, inverſo Epiploo, & ſuper adducto cadaveris pectori, maſſa informis, illi admodum cohærens in conſpectum venit, undecim circiter pollicum longitudinis, octo librarum civilium ponderis, h. e. unciarum centum viginti octo: Qua parte maſſa illa Epiploo adnata erat, cum ab eo divulſa eſt, talem ſe obtulit, qualem refert numerus ii. vniverſa ſuperficies nihil aliud erat quam cruſta pollicis craſſitiem æquans, imo majorem quibuſdam in locis: cruſta illa cartilagineam duritiem fere adepta erat, ex pallido leviter flaveſcens, præterquam juxta cohæſionis latus, ubi minus quidem dura ſed rubicundior: Qui curioſitatis gratia igni expoſuere, obſervarunt adipis inſtar colliquatam fuiſſe, ita tamen ut à fuſione membraneum quid ſupereſſet, & cruſtacea quædam tubercula, diverſa ejus corporis loca occupantia.

Interim, cum ex attenta hujus membranæ inſpectione aliqua fœtus concluſi indicia ſe proderent, diſſecta ea & extricata quam leniter fieri potuit, tandem is in conſpectum ſe dedit, maſculini ſexus notas oſtendẽs, penis indicio, intra carnes inguinum latitantis: Situm hunc obtinebat, ut caput fundo uteri accumberet, nec non manus dextra ad occipitis ſuperiorem partem, contracto pugno collocata: corporis anteriora ſpinam dorſi matris ſpectabant, poſteriora epiploon: pedes recurvi erant ad ſuperiora vergentes; partim regionem umbilicalem occupabat, partim hypogaſtricam, ad ſiniſtram leniter declinans.

Palpebræ ciliis adhuc veſtitæ repertæ ſunt, oculi concavi, eorum membranæ flaccidæ, naſus depreſſus apparebat, labia tegebat materia durior corpus ambiente tegumento: Inciſis autem gingivis, in infima parte apparuerunt dentes, quales adultorum eſſe ſolent. Sub brachio dextro, ac juxta aurem ejuſdem lateris, exiguus capillorum fulvorum, eorúmque admodum brevium, glomus conſpectus eſt: Ungues manuum & pedum longi, duri, ſcabri;

bri;

bri : caro in collo, inguinibus, partibúſque proximis ſanguine ſuffuſa : Diſparata erant oſſa capitis, cerebrum admodum depreſſum, colore & conſiſtentia, unguentum roſaceum propemodum referens : Partes pectore & abdomine comprehenſæ ſiccæ nigricabant, muſculis, extremitatúmque tendinibus de mole aut conformatione fere nihil deceſſerat, hoc uno dempto quod fibræ carneæ albicarent, flaveſcerent, aut lividæ eſſent : Genua ab invicem aliquantiſper diſſidebant, pes ſiniſter quodammodo contortus, dextrum contingens, manus ſiniſtra contracta, mentóq; appreſſa, genu ad idem latus deflectente. Tandem, excepto brachio dextro, cæteræ partes eandem pene obtinebant conformationem ac cæterorum infantium utero adhuc concluſorum id quod apprime tertia Figura deſignat.

Extenſione & dimenſione illius facta, quatuordecim circiter pollicum longitudinem exæquavit, quanquam corrigi & expandi incurva ſpina dorſi non potuerit, tum quia exterius convexa eſſet, quam quod parte ſiniſtra introrſum ad dextram deflecteret.

Cuncta hæc publice Toloſæ demonſtrata ſunt, atque inquiſitione facta, ex edicto Curiæ Toloſanæ, de rei certitudine abunde conſtitit, adductis plurimis probatiſſimæ fidei teſtibus : Cæterum hiſtoria hæc à me tradita conſona eſt adverſariis inde ad me tranſmiſſis, & relationi factæ à *Iohanne Franciſco Puzetio* defunctæ filio natu majore, eoque filio unico è tribus liberis quos peperit *Margareta Mathieu*, vita adhuc fruentibus, prodigii illius narratoribus in ſpectaculum publicum. Supereſt demum ut inquiramus in cauſas naturales tot tantorûmque extraordinariorum caſuum.

ANIMADVERSIONES

In præcipuas hujus hiſtoriæ circumſtantias.

AB inſtituto non receſſurus, immoraturus non ſum cauſis partus naturalibus inquirendis, forte alias locus opportunior his explanandis ſe oblaturus eſt : Id ſolum conſtituendum eſt à prædictis cauſis determinatum fuiſſe hujus infantis ex utero exitum, quandoquidem legitimi partus tempora attigerat, antecedentéſque illum labores de more ordinario contigerant: Hoc ſuppoſito prior hæc occurrit difficultas, Cur orificium uteri internum conatibus tum matris tum infantis obſtiterit, hoc eſt, cur non ut par eſt expanſum fuerit ad concedendum liberum infanti illi exitum, vel ſaltem ad vi factam illius eductionem, quod parturientibus omnibus familiare eſſe ſolet, quocunque demum modo aut ſitu exitum infans affectet ; ac omnes Margaretæ primogeniti iſtius partis naturalem & probam conformationem arguant.

Nec tamen dubium illud ſolvere arduum. Illud notum eſſe debet parti

cuipiam, quodam tempore, innaſci poſſe affectum quo antea non laboraverit; atque orificium interius uteri obnoxium eſſe inflammationi, ſcirrho, convulſioni, omnibúſque aliis morbis quibus patent cæteræ partes, tum carnoſæ tum membraneæ, vi quarum labefactari aut depravari poſſunt functiones, caſus autem qui Margarethæ parturitionis tempore accidit, hunc illúmve dictorum affectuum inducere valuit, quandoquidem incolæ Toloſani tunc temporis contagii peſtilentis recens ſuborti metu conſternabantur; in mulieribus autem vehementia quævis animi pathemata in uterum ut plurimum deſinunt in eoque firmantur.

Oſtium vero interius dilatationis incapax cum fuerit, quæ ratio eſt cur fœtus iſte utero non inhæſerit, quod plurimis aliis, diutiſſime & ultra aſſuetas geſtationis metas detentis, contigiſſe compertum eſt? Quomodo iterum latebras illas evaſit, alvi cavitatem ſubingreſſurus? Sed & hoc admiratione dignum, cujus tamen cauſæ naturales obviæ ſunt: proculdubio infans hic demiſſo capite exitum affectabat, ſic enim collocatus apparuit ideóque aquarum uis eo vergere non potuit, ob inſuperabilem reſiſtentiam: Interim partus comites dolores graviter urgebant; id vero notum quo acrius ii inſtant, eo vehementius ſerum fœtum ambiens agitari, ac determinari ad membranas in acumen expandendas, (ut fœtui iis diſruptis pateat exitus) unde ſequatur diſpoſitio quam vocant *Aquas formatas*: Liceat ergo ex præjudicio colligere, ad quamlibet doloris inſtantiam ſerum verſus orificium internum confluxiſſe, atque admodum veriſimile potuiſſe poſtmodum verſus partem oppoſitam, repercuſſus motu, deferri & reſilire, eundémque illic effectum parere, maximè quod Margareta decumberet, ac proculdubio eo ſitu collocata, ut iſtud orificium uteri fundum, in eadem altitudinis dimenſione, ſpectaret; Chirurgis enim obſtetricantibus, ipſiſque Obſtetricibus fere in more eſt ut parturientibus, in lecto decumbentibus, clunes ſublevent, faciliòris exitus fœtus gratia.

Dicere nihilominus liceat Aquas dicto modo congeri ſolummodo in appulſu orificii interni, ideóque quo in adverſa parte id contingat, neceſſarium illis fuiſſe occurſum circumferentiæ cujuſpiam ſpatii, hoc eſt alicujus ſolutionis continui: *Margaretæ* autem uteri fundum nullum obſidebat ulcus, quandoquidem ante partus labores nihil inſolitum perpeſſa fuerat; ac neque Aquarum iterata impulſio, imo nec partium fœtus, ibi vulnus ſatis amplum efficere potuerunt ad concedendum illi exitum, cum univerſum fundi ambitum ex naturæ lege cooperiat Placenta, cujus ſi ſufficiens portio, ut inde adeo inſignis emergeret diviſio, divulſa fuiſſet, ex Margaretæ vulva prodiiſſet ſanguis, aut ano, quamdiu partus dolores experta eſt, quod tamen non contigit.

Situs autem Tubarum oteri nobis palàm facit, etſi quodammodo ab hujus

jus fundum pertingant, fieri tamen poſſe ut earum orificia non ſemper à Placenta cooperiantur, quæ mediam ejus partem duntaxat occupat: Experientia quippe duce nobis notum inſignis illas dilatationis capaces eſſe, toto ſuo ambitu, cum ibi genitos fuiſſe infantes conſtet, quibus vitali aura inibi frui conceſſum fuit, quinimo augeri quatuor aut quinque menſium intervallo. Si quis objecerit ſeminis maſculini copiam, ad generationem neceſſariam, eas ſubire poſſe, etſi introitus illarum naturaliter admodum non pateat, imo diſtenſionem neceſſariam admittere nequeant? Illi epono rationem hanc, nec aliam quamvis, experientiæ opponendam; hiſtoria enim mox adducenda certiſſime evincit orificia dicta non minus extenſionis capacia eſſe quam orificium internum.

Circa Tubas vteri Obſervatio.

Pridie Calandas Maii anni 1676. Domina Langlois, Obſtetrix peritiſſima, advocari me curavit quo parturientem uxorem cujuſdam Bourguignon *dicti juvarem, militis invalidi, invico* Du Bac *commorantis: Deprehendi caput infantis in cervicem uteri multum provectum, At cum partus dolores jam ab horis viginti quatuor deſiiſſent. mórſque imminens extrahendi neceſſitatem nobis indicarent, id ſine mora feliciterque perectum, ſecundináque more ſolito educta. Interim, etſi nihil excludendum ſeſe offerret, illa tamen aliquos iterum dolores perpeſſa eſt, Ventrem vero contrectando circa regionem umbilicalem, paululum ad hepar accedendo, deprehendere licuit corpus quoddam rotundum mobile, durum, infantis capiti perſimile, quod & meo indicio ab Obſtetrice adnotatum: At vero quia exinde colligere licuit mulierem hanc non omnino onere levatam eſſe, intruſa iterum in uterum manu, perluſtratáque ſedulo univerſa ejus cavitate, Tubæ orificium reperi parte dextra leviter adapertum, proinde inſerendi digitum indicem occaſio data eſt, demum proximum, ac tandem integram manum, exinde ultra libras duas coagulati ſanguinis eduxi, quodammodo indurati: Cum autem nulla aliæ materia illam infarciret, rotunditas illa, de qua modo, poſtmodum intantum obvia fuit, quantum partus dilatatio & intumeſcentia conceſſerunt.*

Ex hoc ergo experimento colligitur introitum Tubarum uteri in immenſum prope expandi poſſe, Duo vero hac de re amovenda ſuperſunt dubia, quorum primum eſt, ſi hujus partis introitus admodum patens fuiſſet, quo tempore exitum moliebatur infans, ab eo excitatum non fuiſſe ulcus in matrice repertum. Alterum eſt, Id ulcus univerſum omnino occupaſſe fundum iſtius partis, quoad integram illius circumferentiam; Introitum autem modo dictum, latus iſtius fundi ſemper reſpicere: Solutio utriúſque difficultatis facilis eſt, Chirurgis obſtetricantibus, ipſiſque obſtetricibus notum eſt, in omni partu naturali infantes ſemper prodire priuſquam circumferentia

interni orificii magnitudine æqualis ſit illorum capiti; atque ab ipſis viam illam dilatari ipſo in tranſitu: Fortaſſe ergo contigit infantem Tubæ dictæ intruſum fuiſſe, priuſquam aquarum impetus dilatationem inſignem dictis in locis pepererit, indéque dum ea pertranſiret excitaſſe ſolutionem continui, à qua potuit ulcus nominatum originem trahere, eámque potius factam fuiſſe qua parte Placenta adhæret utero quam alia quapiam, quandoquidem ſemper magis ibidem madet ac proinde mollior eſt quam aliis locis.

Corporis lapidei, fundo uteri adhærentis, generationis cauſas prætermittam, experientia quippe notum in ulcerum minime deterſorum, & à ſanie non expurgatorum labiis pus adhærens, ſucceſſu temporis in duritiem lapideam concreſcere: Dubium vero ſupereſt, quomodo pedes hujus infantis, qui ex veriſimilitudine primi prodibant, eo modo conſtitui potuerint, ut æqualiter ambo impetum aquarum ſequuti ſint, eodémque tempore Tubam ſubingredi, quandoquidem in utero naturaliter recurvi jacent, ab invicem ſatis diſſiti? Ad id conferre valuerunt variæ infantis agitationes & motus, unde fortuitum illum ſitum nacti ſint; ſed præterea genua (quæ ut plurimum fere ſe contingunt) forte priora exitum invenerunt, adeo ut pedes ad nates reflexi reliquo corporis obſtaculo eſſe nequierint. Quocunque vero modo res contigerit, admodum veriſimile eſt fœtus caput ultimo proceſſiſſe, quandoquidem uteri fundo incumbebat, atque ex ſitu brachii illius dextri colligere ſit id fuiſſe impedimento ne caput in via moraretur, quæ circumſtantia, (ex plurimorum authorum mente) neceſſaria eſt eo in partu quo infans agrippa exit in lucem, vel pedibus apprehenſis educitur.

Infantis exitus, ut reor, extra uterum nitide eſt explicatus, videndum ſupereſt quid poſtmodum ſubſequutum ſit toto eo tempore quo moram in vtero matris traxit, ac præſertim quomodo imminentem corruptionem evaſerit? Cauſa ut innoteſcat, primo id fundamenti loco ponendum, animalium corpora à putredine vindicari, aut ope alimentorum vitam ſuſtinentium, aut rerum quarundam earum poſt mortem diſſolutionem impedientium: Poſſibilis autem fuit binarum ejuſmodi cauſarum concurſus ad conſervationem prædicti infantis, nam primo multa inducunt ut credamus, ope vaſorum umbilicarium ad aliquod temporis ſpatium confluxum non deſiiſſe alimenti, ſeu ſanguinis ad ſubſiſtentiam neceſſarii; Experientia quotidiana atteſtante in tam variis partuum terminis, Placentam utero adeo arcte affixam reperiri, ut digitis avellenda ſit & fruſtatim: Obſervatio hæc nulli contradictioni obnoxia eſt, ab omnibus accipienda.

Sin vero ejuſmodi maſſa utero pertinaciter adhærere poteſt, etiam excluſo fœtu; ſufficit id *Margaretæ* contegiſſe, ad ſtatuendum fœtui quem geſtabat, continuatum fuiſſe affluxum alimenti ſoliti, quandoquidem ambiens aër funem umbilicalem attingere non poterat, nec proinde

ullo

ullo modo inhibere fluxum ſanguinis per eum decurrentis, Atque certiſſimum eſt eo pacto conſervatum fuiſſe, ſaltem ad tempus, quandoquidem *Margareta* nullum effudit ſanguinem eo momento quo ex utero fœtus in ventris cavitatem viam ſibi fecit, imo nec diebus ſubſequentibus, quinimo grumos aliquot expulit, cum exactis aliquot hebdomadis exhibita illi remedia hyſterica & aperientia, quorum vi proculdubio divulſio contigit portionis placentæ, nam poſtmodum brevi incepit effluxus de quo ſuperius, qui aliam non agnoſcebat cauſam quam illius partis ſuppurationem, funis umbilicalis & membranarum; quandoquidem propria eorum ſubſtantia ejecta nunquam conſpecta eſt, atque aperto cadavere ne veſtigia quidem deprehenſa.

Ex ſupra allatis inferre liceat Infantem iſtum bimeſtri circiter ſpatio extra uterum alimentum capeſſere potuiſſe, non ſecus ac cum uteri cavitate continebatur: nec difficile cognitu eſt cruſtam inveſtientem, ipſum à putredine uindicaſſe poſt interitum, cum aëris penetrationi obſiſtere valuerit, humorum aliarúmq; cauſarum corruptionis parentum. Dubitandi autem adeſt occaſio, an eo momento mors invaſerit cum affluere deſiit ſanguis, per funem umbilicalem attrahi ſolitus, an vero alimentum quapiam alia via poſtmodum admiſerit? At cum dubii hujus ſolutio non adeo ſit facilis & in promptu, ſufficiat mihi in medium attuliſſe contrarias hinc & inde rationes, utramque partem firmantes, Lectori arbitrium huic illíve adhærendi permittentes.

Contrarietas illa primo ſpectat cruſtæ, de qua ſupra, generationem; niſi enim aſſerere licet ante Placentæ divulſionem eam ſufficientem adeptam eſſe craſſitiem quæ infantem præſervare valuerit, ſaltem dixeris nihil hic impoſſibile adfuiſſe; quandoquidem aquis in partu effuſis, & ſecundina in utero reſtitante, quod membraneum in ea cruſta repertum eſt, aliud eſſe non potuit quam tuba, quam infans ſubingreſſus eſt; Hæc autem pars ſufficientem denſitatem obtinuit ad cohibitionem exhalationum è corpore infantis abeuntium, interea dum ariditas illi inducebatur: nec deerant illi vaſa fibræque carneæ ut inæqualis fieret, atque exinde ſuppeditarentur pinguedini vincula; Glandulæ autem teſticulum conſtituentes, tantummodo per ejus complicationes, ſibi invicem cohærentes, ſatis ab invicem disiungi potuerunt dum extenderetur, ad formanda tubercula ſparſim in ea cruſta reperta; adeo ut omnia concurrerent ad ejus denſitatem pauciſſimo tempore efficiendam, ac proinde inhabilem ſuſceptioni cauſarum corpus contentum corrumpere valentium.

Porro, quanquam ex plurium teſtimonio, Inquiſitione facta infans motus manifeſti ultra annos octodecim ſigna ediderit, iiſdem tamen confitentibus id ſolummodo annotatum, cum *Margareta* de latere in latus convol-

vebatur; unde conſtat non alium illi motum aſſignandum quam concidentiæ totius molis, qualis aſſignatur molis.

Objiciet quis *Margaretam* ſingulo nonimeſtri dolores illis ſimiles qui parturientes vexant, perpeſſam eſſe, quod ſane concedendum teſtibus fide digniſſimis id aſſerentibus, inde tamen nemini inferre licet ejuſmodi dolores cauſam habuiſſe conatus infantis exitum affectantis: adnotatum enim ipſum non alio vinculo cohibitum fuiſſe quam matris epiploo, Satiſque erat partem hanc certis temporibus humectari & relaxari potuiſſe, ut ideo in fundum uteri concideret, atque ſi inferret dolores imi ventris, eum ad ima deprimendo, Eoſque qui in lumbis percipiebantur, facta extenſione ligamentorum latorum illic annexorum.

Nec tandem id abnegandum, vitam illum trahere potuiſſe etiam abſque ſubſidio vaſorum umbilicalium: nam primo, cum epiploo conjungeretur, ſola adpoſitione alimento frui potuit, molarum ritu, aliarumque falſarum conceptionum, Secundo, quia qua parte conjunctus erat, membranæ & carnes ſubſtratæ cum madidæ eſſent, & ſanguine tinctæ, veriſimile eſt adfuiſſe connexionem mutuam, & per anaſtomoſes conjunctionem illarum & epiploï, Tertio, cum tunc temporis communi cum matre vita frueretur, cujus pars erat, alia quam illius reſpiratione non indiguit: Quarto tandem, quandoquidem Epiploo ſummam craſſitiem & duritiem acquiſiverat, veriſile eſt tunc temporis hoc vices Placentæ propemodum obtinuiſſe.

Circumſtantiis autem omnibus prædictis aliæ quædam opponi poſſunt: *Infans* dictus non adeo arcte Epiploo adhærebat, ac molæ utero adnaſcuntur, interjacebat quippe cruſta ſpiſſa inter vtrumque: Anaſtomoſes autem, quarum modo conſtitui poſſibilitatem, non aperte ab iis quibus diſſecandi cadaveris *Margaretæ* facultas data eſt, animadverſæ ſunt: Infans, qui in uteri latebrit reſpiratione nondum utitur, tranſpiratione ſaltem arteriarum matris ope frui debet; Manifeſtum præterea eſt ſanguinis diſtributionem factam non fuiſſe per ejuſmodi vaſa ad ſingulas iſtius infantis partes, quandoquidem denegatum illi augmentum alimenti appulſum conſequens: Sique exceperis latus epiploo connexum, in reliquo corpore neque rubor neque humiditas conſpicua aderat, quicquid autem alterutrius ea in parte conſpicuum fuit, originem habere potuit ab exudatione continua humorum iis in vaſis contentorum: Paucis, in id Epiploon confluxus fieri potuit redundantis in reliquo corpore humiditatis, utpote in partem maxime affectam: atque eo pacto, citra aliarum cauſarum concurſum, craſſitiem adnotatam adipiſci. Id enim omnibus notum, humores, quibus motus naturalis denegatus eſt, ac quavis corporis parte collectos, fermentatione quadam extraordinaria accedente, vel in ſuppuratum abire, vel ea privatos indurari.

Quiquid ſit, ſi prædictus infans ſuppurationi ſecundinæ ſuperuixit, conditio &

tio & ſtatus partium interiorum & nobilium ſatis oſtendit jampridem illum fuiſſe extinctum, ejuſque immunitatem à corruptione tantummodo pendere à cruſta membranea illum obvolvente, Omitto dentium magnitudinem, ut & vnguium; nemo neſcit illas partes etiam poſt fata creſcere; cæteræ autem hiſtoriæ circumſtantiæ vix amplam dilucidationem merentur: Si enim, exempli gratiâ, totum caput infantis capillitio tectum non fuit, in cauſa fuit vicinitas ulceris uteri dum id ſuppurabat, cutis autem id cooperiens lacerata fuit, ac ex parte ea de cauſa conſumpta: Si in viſceribus aliiſque partibus internis flacciditas major quam in extremis artubus deprehenſa eſt, cauſa fuit abundantior humiditas, minórque quam cæteris in partibus ſoliditas: Materia autem labia incruſtans, duritie cruſtam citatam ſuperans, ortũ habuit ex craſſo illo phlegmate, ab ore infantium ex utero excluſorum, tum vivorum tum mortuorũ eructari ſolito, materiæ dictæ forte commiſto, unde temporis tractu conſiſtentiam glutinis ad ſummum exſiccati nactum ſit. Tandem circa ultimos graviditatis annos, *Margareta* non amplius fœtus motum percepit, tunc enim temporis Epiploon ſufficientem obtinebat duritiem, craſſitiem & ſtabilitatem ad fœtum immobilem continendum: Miſſa ergo circumſtantiarum illarum ulteriore diſquiſitione, pergo ad concluſiones ex præcedentibus obſervationibus eliciendas.

Prima occurrens obſervatio hæc eſt, Chirurgiam cæſaream abſolute rejiciendam non eſſe, etiam in gravidis viventibus, quod recentiores quidam contendunt; Quandoquidem molæ, necnon infantes in Tubis generari poſſunt: quas etiamnum qui in vtero concepti ſunt, ſub-ingredi poſſunt: neutris autem nec cito nec ſecure alia, præter hanc, via inde egredi licet.

Secunda eſt, ſi prædicta operatio debite & tempeſtive in Margareta inſtituta fuiſſet, fœtum ejus vivum eximi potuiſſe, eóque pacto ægram liberari ab immanibus doloribus quos tot annorum decurſu perpeſſa eſt.

Tertia, cum maximum in operatione periculum immineat ab inciſione uteri, minus illud futurum cum de fœtu in Tubis latitante certitudo aderit.

Quarta tandem eſt, Si poſt graviditatem indubiam & dolores ſtato tempore accedentes, quales partum antecedere ſolent, aquarúmque ex utero eodem tempore effluxum, orificium nihilominus ejus internum exacte clauſum adhuc occurrat, infansque in latere dextro aut ſiniſtro collocatus, altiorique quam antea ſitu, cum motu decidentiæ, Tunc certiſſime ſtatuere licere in alterutra Tubarum ipſum conceptum eſſe, ac proinde operationem ſupra dictam inſtitui poſſe, diſpoſitione ſubjecti ſimul concurrente.

In eandem hiſtoriam Clariſſimi D. D. F. Bayle *Medici Toloſatis*

Diſſertationes.

QUorundam opinio fuit quicquid ſtupendum hæc hiſtoria continet meri ſortilegii effectum eſſe : Nec dubium extare Sortilegos & Sagas, ſortilegia edi, atque productum iri, quamdiu ſummo Deo libuerit hominum caſtigare ſpontaneam cœcitatem, dum hoſti habenas laxat ad illorum deceptionem, id quod in Pharaone obſervatum : Aut piorum & proborum patientiam exercere, quos à maligno illo ſpiritu traduci & vexari permittit, id quod Jobi exemplum teſtatur : Nec indubium quoque multa occurrere extraordinaria quæ meri naturæ effectus, æque ac ſortilegii ſoboles eſſe queunt ; ac impoſſibile eſſe à quo principio pendeant diſcriminare, ubi non omnes in apertum veniunt quæ comites fuere circumſtantiæ. Quoad facinorum à ſortilegis admiſſorum emiſſam confeſſionem, Inquiſitiones judiciales in plurimos inſtitutæ, crimen ultro annuentes, evidenti argumento ſunt nullius eam eſſe momenti, aliiſque iiſque fortioribus opus eſſe indiciis ad eos criminis arguendos : Ideóque miſſis factis ejuſmodi de ſortilegio rumoribus. Phyſicis licitum erit hujus hiſtoriæ examen aggredi, ac in cauſas eorum quæ maxime ibi ſunt memorabilia inquirere : Liberum cujuſque erit arbitrium in partes ſecedere, idve quod magis ſuo judicio & genio quadrabit amplecti: Me quod ſpectat, circa rem præſentem ſequentia indagaturus ſum.

1°. An res hæc adeò rara ut ſtuporem illico parere debuerit?

2°. Quomodo infans utero matris adhæreſcit? quomodo ab eo divellitur? quomodo & qua vi inde ſecedit? Unde principium omnium illorum motuum?

3°. Quomodo dictus infans utero egreſſus eſt, ulterius in alvum matris ſe intruſurus?

4°. Quo pacto Omento adhæſerit?

5°. An vitam habuerit? Et an reverà potuerit extra uterum ea frui?

6. Quæ cauſa putredinem ab hoc corpore arcuerit, in loco conſtituto putredini obnoxio, magis alia quavis corporis parte?

Margaretæ Matthieu Graviditas qui à cæteris differat?

Primum caput quod ſpectat, Graviditatem hanc quoad omnes circumſtantias perpendere animus non eſt, ex quarum congerie ſingulare quippiam procul dubio exſurgit, cum naturalis hiſtoria ſimile quid nil unquam exhibuerit : Id tamen nequaquam extraordinarium, quandoquidem inter res, vel minimum compoſitas, h. e. ex rebus variis conflatas, qualiſcunque earum

ſit

ſit numerus,vix duas reperire eſt inter ſe omnino ſimiles : ea autem quæ plane inter ſe ſunt diſſimiles, nullo numero poſſunt comprehendi: Quæque ergo res ſeorſim examini ſubjicienda, atque diſquirendum an forte quid unquam ſimile traditum, id ipſúmque ſæpius occurrerit.

Quod primo in admirationem pertrahit, inter plurima rariſſima, inſignis eſt fœtus totis viginti quinque annis, aliquot inſuper menſibus, geſtatio. Ex *Ariſtotelis* obſervatione animalia cuncta, præter hominem, intra ſtatutum tempus fœtus ſuos pariunt, nunquam cum terminum geſtationis excedunt, quem Naturæ Author cuique aſſignavit ſpeciei, neque eos unquam excludunt ante completam geſtationis periodum: Philoſophorum principis obſervationi conſona eſt experientia,atque cum ea plerumque quadrat : ſin aliquando eveniat brutorum fœtus terminum illum prævertere aut tranſgredi, anticipatio aut poſtpoſitio brevis eſt : canum fœtura quam breviſſima eſt ſexaginta dierum, longiſſima ad ſexagexiſmum tertium excurrit.

Differentia inter mulieres communiter obſervata maxima eſt, cum feliciter eniti contingat & ſeptimo & decimo imprægnationis menſe, atque toto quod ea extrema dividit ſpatio, dempto tamen menſe octavo, qui, Ægypto excepta & quibuſdam aliis locis ſingularibus,infantibus tunc editis funeſtus eſſe conſuevit.

Inſignis illa differentia periodorum in graviditate, eáque adeo frequens, argumentum eſt certiſſimum admodum à ſe invicem diſſidere mulierum temperamenta, aut uteri earum conſtitutionem, Quæ varietas Philoſophis perpendendum objicit quam varia & ſtupenda vel minimas anomalias conſequantur, contingentes aut in œconomia univerſa corporis gravidarum, aut partium generationi deſtinatarum : Vehementia animi pathematum, mulie-bres animos quatientium, caſus varii quibus patent & obnoxiæ ſunt, earum animum diverſimode concutientes, varia in diæta errata, ejuſmodi agitationes conſequi ſolita,ut mittam curas & animi ſollicitudines mulieribus omnibus communes, varias alterationes illis etiamnum inducentes quibus animus temperatiſſimus eſt, quæ conditioni præſenti & fortunæ acquieſcunt. Ab his inquam omnibus tam inſignis mutatio in motu & diſtributione humorum accidere poteſt, ut fœtus vel alimenti penuria, vel pravi appulſu; vel utero ab acrimonia ſanguinis laceſſito, aut anomalia motuum incitato, fœtus ſtatutum geſtationis tempus prævertere cogatur uteróque egredi, aut præter ſolitum in eo detineri, vi quarundam aliarum cauſarum : Horum ubi examen factum eſt, atque ea quæ in partu contingunt majori quam ante ſtudio acriúſque penſitata ſunt, non amplius in admirationem pertrahunt graviditates decimum tertium aut decimum quartum annum attingentes : Non exiguum enim ſimilium hiſtoriæ ſuppeditant numerum, ſed earum etiamnum quæ dictum terminum prætergreſſæ ſunt, Quales apud *Plinium* proſtant,

Cardanum, Amatum Luſitanum, Maſſam, Mercurialem, Sennertum, Bartholinum, Licetum, qui farraginem ejuſmodi adducunt: Producta graviditas *Columbæ Caritat* Senonenſis, cujus hiſtoriam plurimi Medici & alii tradunt, magis ſtupenda ea quam nunc præ manibus habemus; illa enim viginti octo annis fœtum geſtavit: uteri geſtatio per novemdecim menſes in *Antonetta Giraud*, Dioceſis Anicienſis inter admiratione dignas collocanda eſt, quanquam minore circumſcribatur termino: Partus dolores mulieri illi ſub finem noni menſis ſuperveniunt, quæ conatus omnes ad excluſionem ſarcinæ dum adhibet, ex vi & contentione muſculorum abdominis, umbilici conſequuta eſt dilatatio & expanſio, in quam uterus cum fœtu delatus eſt: Mulier hæc monſtrum alvo ſe gerere rata, plurima eáque vehementiſſima in uſum duxit remedia illi expellendo dicata, ſed inani ſucceſſu, ad decimum nonum vſque gravitatis menſem, quo tempore, ope remediorum à D. *Sitlero* exhibitorum, filiam enixa eſt Anicii undecima Septembris 1669.

Ex geſtationibus ab authoribus dictis adductis, ſola *Columbæ* temporis ſpatio ſuperavit *Margaretæ Matthieu* graviditatem: Cunctas hoc unum interſtinguit, quod infans in corpore *Margaretæ Matthieu* repertus, utero egreſſus eſſet, indurationem lapideam non adeptus, citra putredinem, quanquam mors jampridem occupaſſet: Infantis autem *Columbæ* totum corpus in duritiem lapideam abierat: Aliis quibuſdam vita ſuperfuit, ut fœtui *Antonettæ Giraud*: Quorundam exſiccata ſunt, ſola cute ſuperſtite oſſa integente, quod accidit infanti de quo *Bartholinus* hiſtoria XII. Centuriæ primæ: Quidam etiamnum fœtus putrefacti ſunt, oſſibus tandem, facto tranſitu per excitatum foramen in fundo uteri & muſculis abdominis, excretis; Alii per uteri collum & inteſtina exitum invenerunt: Adeo ut graviditas *Margaretæ Matthieu*, durationis cauſa, admodum extraordinariis accenſenda ſit, cùm unicum ſupperat exemplum ulterius progreſſæ, cæteris anguſtiori termino concluſis. Hoc vero omnino ſingulare eſt, quod infans magnitudinem ſuam ſervarit, carniúmque mollitiem, longiſſimo temporis intervallo, loco promovendę putredini opportuniſſimo, cujus præterea caput matricis ulceri incumbebat, citra tamen corruptelæ contagium, nullo præterea fœtore accedente. In Diſſertationis progreſſu cauſas iſtius conſervationis indagaturi ſumus.

Hoc iterum inter rara habendum, fœtum *Margaretæ Matthieu* extra uterum collocatum fuiſſe: id vero ſingulare non eſt, non pauca enim in ſcriptis Medicorum ejuſmodi occurrunt exempla. In Ephemeridibus Medicorum Germanorum, Uratiſlaviæ typis editis affertur exemplum infantis rite conformati, in alvo matris extra uterum reperti, inter inteſtinum rectum & uterum, quanquam in hoc neque ulcus neque cicatrix animadverſa ſit: Id revera admirationem parit, atque impoſſibilibus videtur adnumerandum, niſi

niſi nobis ex teſtimoniis conſtaret fœtus in Tubis uteri repertos fuiſſe à *Riolano, Harvéo* & aliis. Non paucis cognita hiſtoria fœtus in Tuba uterina deliteſcentis, ante aliquot annos inventi. Hoc poſito, quibus cura fuit ſtructuram Tubarum uteri indagare, atque obſervare licuit per longitudinem cavitatis uteri exterius excurrere canalem, fibris muſculoſis circumſeptum, eo modo diſpoſitis ut iis mediantibus canalis ille diſtendi & contrahi valeat, Qui præterea adnotarunt graviditatis tempore alterationem magnam partes dictas ſubire, non ſecus ac uterum; Ac vaſa ſanguinem deferentia, extra id tempus viſum pene effugientia, præter ſolitum ampliari (vidi in muliere, aliquot à partu diebus mortua, maximam horum vaſorum partem minimum digitum craſſitie æquaſſe,) Quibus inquam, hæc perſpecta, non difficile iis erit in animum inducere Tubas dictas conceptionis loca eſſe poſſe: Fœtus inibi formatus, ubi in eam excrevit magnitudinem ut pars amplius illum continere non poſſit, aut ubi à cauſis partus ordinariis exitum ille molitur, ex partis ſtructura nemo non colliget faciliorem illi fore exitum per Tubæ extremitatem in lacinias deſinentem, quam per eam quæ utero conjungitur, in qua remoram majorem inventurus eſt. Eædem Ephemerides, eadem obſervatione, memorant puellam, optime conformatam, in alvo matris extra uterum repertam, abſente quovis ulcere aut cicatrice ea in parte; caſus accidit Dolæ 28. Menſis Junii anno *1661*. Fœtus vero illi nullo nexu partibus vicinis cohærebant, *Margaretæ* autem Omento ante adnexus erat: Atque iterum ob hanc cohæſionem graviditas iſta ſingularis eſt, quandoquidem hactenus nihil ſimile obſervare licuit: Transeamus jam ad ſecundam Quæſtionem.

Quomodo fœtus utero adhæreat? Quomodo ab illo divellatur? Quomodo exeat & Quas ob cauſas?

IN omni animalium ſpecie, quamdiu Fœtus utero concluſi ſunt, illi non æquali adhæſu affixi ſunt; aliquorum namque pertinaciſſimus ille nexus eſt, ſicut hominum, canum, felum: quidam nullatenus alligati, aut pauciſſimis vinculis, ut equorum: Eorum cohæſio qui utero valide connectuntur, non ſemper æqualis eſt; debilis eſt in quibuſdam animalibus paulo poſt fœtus formationem, In ovibus omnino nulla reperitur, vel ſaltem imperceptibilis eſt: validitatem acquirit ad fœtus augmentum, donec maturationi ſit proximus: Tunc temporis adeo fit debilis, ut cum fœtus exitui proximus eſt, nihil quod conatui exiturientis obnitatur ea ex parte adſit, quin potius abſq; vi illata excutiatur, vel ad minimam matris agitationem, aut exiguam uteri contractionem, non ſecus ac cum fructus maturitatem adeptus eſt, ſponte ex arbore procidit, minima accedente concuſſione, aut ſola ponderis inclinatione.

Connexio illa in hominibus, canibus, felibus, &c. contingit mediante carne quadam glanduloſa, altera ex parte cum utero cohærente, ex altera cum ovo, vel membranis fœtum ambientibus, quæ, una cum liquoribus in iis comprehenſis, figura admodum accedunt ad ovum teſta deſtitutum, quamobrem compages hæc Ovi nomine apprime donari poteſt: Membrana exterior, cui caro hæc glandulosa colligata eſt, Chorium vocatur. Dicta caro glandulosa in fœminis figuram obtinet rotundam, placentæ ſimilem, qua de cauſa tota partem vel ov ivel chorii reſpicit: In canibus vel felibus zonæ inſtar fœtum cingit: In quacunque vero animalium ſpecie caro hæc glandulosa reperitur, duabus diſtincta eſt partibus, quarum altera ovum reſpicit, chorio adhæret, accipítq; à fœtu vaſa ſanguifera, cum alimento: altera utero adnexa eſt, à quo etiamnum vaſa ſanguifera cum alimento mutuatur. Vaſa unius harum partium, cum vaſis alterius nulla communicatione junguntur: Videntúrque ſimplici contactu, aut ope pauciſſimæ cujuſdam materiæ, glutinis vices tenentis, ſimul cohærere: adeo ut utraque harum partium ab invicem citra laborem divelli queat, aut vaſis cujuſpiam divulſionem, aut vel minimæ ſanguinis guttæ effuſionem.

Hujus carnis ſtructuram attenta mente dum perpendo, debilitatémque conjunctionis, cogitatio incidit Naturam, quæ ſemper uniformis, atque in omnibus actionibus qualitatem aliquam aut analogiam obſervat quantum finis, cujus gratia agit, concedit; eodem propemodum actionum regimine, eodémque tenore in Plantarum & animalium generatione uti: In conſiderationem etiam adduxi pedunculum, quo medio fructus arbori annectitur, cui generationem debet: atque mihi viſa eſt inſignis illius analogia cum ea parte carnis glandulosæ quæ chorion attinet, unúmque cum fœtu corpus conſtituit, quandoquidem vaſa in illum ſanguinem devehentia, nihil aliud ſunt quam fœtus arteriarum rami: Fructus pedunculus, pomi exempli gratia, in pomum fibras emittit, quarum ope validiſſime illi adnectitur, adeo ut unicum cum illo corpus efformare videatur: Has preterea pedunculi fibras non male totidem radices dixeris, quarum interventu ex pomo viciſſim alimenti partem repetit, in ipſum collati, non ſecus ac caro chorii glandulosa per quam quaſi per filtrum fœtus alimentum transfertur, ab eodem fœtu alimentum reſumit mediantibus arteriis, de quibus ſupra: Demum fibræ illæ pomi pedunculi, admodum ab illis diſcrepant quæ in mali ramorum extremitatibus reperiuntur, quibus fructus adhæret: nulla inter illas adeſt continuitas, per ſimplicem attactum ſimul conjunguntur, aut mediante paucula materia, tranſitum puriſſimæ ſucci nutritii parti concedente, quæ tranſcolatione & filtratione illa ultimam purificationem conſequitur in tranſitu per fibras pedunculi: Quamdiu fructus adhuc eſt immaturus, & arbor ſucco redundat, ac plurimam continet, aut ſuppeditat ejuſmodi materiam, pedun-

culi

culi fructum cum arbore connectentem, pedunculus illi tenaciter adnectitur, ac non niſi per vim inde divellitur, quin portiuncula illius adhæreat, imo etiam quidpiam ex ipſa arbore, cui connectitur, abſcedat.

Sin contingat ſuccum arboris minus abundare humore ille ſuperfluo, ob quem extremitates ramorum turgebant, paulatim in halitus abſumpto, exſiccantur illæ, ac fibræ partim contractione, partim unius ad alteram approximatione, divelluntur ab eo quod earum motum conſequi non valet: Ab exterioribus, quæ primum alterationes illas ſubeunt, prior quoque fructus pedunculus abſcedit: ad id quoque conferente conſumptione, aut exſiccatione illius materiæ, cujus interventu conjungebantur, quibus cauſis tandem ulterius provectis, quod reliquum eſt fibrarum in ligno paulatim divellitur, atque ſeriatim, donec pauco, quod reliquum eſt, impotente fructum cohibere, hic ad minimum impulſum concidit, aut ſolo pondere detrahente: Imminutio illa, aut ſuppreſſio ſucci ad fructum confluentis, cum tempeſtates tempeſtive accidunt, definite fiunt ubi fructus ſufficienter maturuerit, & cum vlteriore alimenti appulſus, impedimento foret gratæ illæ fermentationi prioris qui antea influxit (quo mediante acerbitatem innatam ingratam exuit) aut cutem diffindi cogeret, aut ſemen inundaret, aut toti fructui putredinem induceret.

Ab Obſervata hac Naturæ in plantis providentia, pro comperto habui in animalibus ſimile quidpiam accidere: atque ut de re certo mihi conſtaret, diſſecui canes gravidas diverſo geſtationis tempore, ac deprehendi circa medium temporis carnes glanduloſas, tum eam quæ uterum ſpectat, tum quæ fœtum, admodum carneas eſſe: Partes illas validiſſimo nexu ſimul conjungi, ita ut vix citra lacerationem ab invicem divellantur, vel citra ſanguinis effuſionem: Quum canes partus tempus prope attigerunt, glanduloſæ carnis pars, qua ad chorion vergit, non ſolum nihil de craſſitia ſua remiſit, ſed præterea majorem adepta eſt, Ex oppoſito parti utero vicinæ, magna accidit mutatio, admodum enim tenuis eſt & flaccida; Eo tempore partes illæ ab invicem nulla vi ſejunguntur ac citra minimam ſanguinis ejectionem, harum vero ultima utero quam laxiſſime adhæret; ipſaque vaſa, quorum ope illi colligatur, ad minimum attractum abrumpuntur, nullo fere ex iis prodeunte ſanguine, nulloque metu ne dum vi avelluntur vel leviter dilaceretur uterus: Tunc temporis liquor amnio contentus, cui fœtus innatat, multo minori reperitur copia quam toto geſtationis tempore, proportione habita fœtus magnitudinis: Tunc inquam fœtus alimento carere poteſt ab utero accepto, ſolidiore enim illi opus eſt, cujus quærendi cauſa ad exitum ex utero matris ſe accingit: videtúrque natura, quo ad illum quærendum impellatur, ſolitum alimentum illi denegare; aut potius id ab utero ad mammas divertere, quo ipſum illius cauſa videtur ablegare.

Analogia illa inter fœtum, utero connexum ope carnis illius glanduloſæ, à me obſervata, ac fructum, medio pedunculo ab arbore pendentem, inter fœtum quoque reperitur, immediate ope ovi, aut chorii, utero connexi, aut mammi-formibus illis proceſſibus, inibi poſt conceptionem efformatis, & fructum immediate arbori cohærentem: Uterque divellitur exſiccata parte qua cum connectuntur. Iſtius exemplum habemus in cucurbita citrina, alterius tradit Ariſtoteles, ut teſtatur lib.2. cap.7. de animal. generat. & lib.2. cap.7.Hiſtor. animal. ubi ait Proceſſus iſtos mammi formes imminui ſi proximum ſit tempus quo fœtus ab utero diſceſſurus eſt. Eos tandem omnino viſum effugere cum ab illis ſejungitur.

His omnibus rite perpenſis, nulli negotium faceſſet modus vel ratio, ob quam levi negotio fœtus ab utero divelli poteſt, videndum jam quæ exitum ejus præcedant, quóve impellente exitum molitur libertatiſque vias quærit. Non abſolute in id neceſſe eſt ut conatus ejus interveniat;quos adhibet mater ſatis eſſequeunt; ſæpius enim evenire nobis compertum eſt mulieres fœtus mortuos parere nullo accedente auxilio, citra artis ſubſidium.

Non negaverim interim fœtum vi propria poſſe ſe liberare ac è carceribus evadere, matre conatus ejus non ſecundante, nec opem illi ferente, quod multitudine exemplorum probare licet, à *Bartholino* hiſtor.99.cent.2. allatorum, de plurimis infantibus, qui mortua matre viam ordinariam ſibi fecerunt, etiam eo tempore quo frigus ſanguinis & partiū omnino obſtaculo futurum erat: Nec id adeo ſtupendum ei cui notæ obſervationes 64. & 67. cent. 1. *Fabritii Hildani*, in quibus narrat duos infantes à valida contentione in exitu ex utero, ipſius fundum perforaſſe.

Solius fœtus conatus, aut matris, ratione circumſtantiarum prædictarum ſatis eſſe queunt, ubi fœtus perfectam perfectionem adeptus eſt, &c. dum modo orificium internum, matricis collum, &c. dilatationem neceſſariam admittere queant, horum enim vitio, quanquam mater admodum enitatur, fœtus, conatus adjutura, huic facilius erit exitum ſibi utero perrupto, per fundum moliri, quam via ordinaria prodire, quod accidit infantibus de quibus *Hildanus* in obſervationibus allatis.

Quæ cauſa fœtum ad egreſſum ex utero impellat.

Priuſquam vero attingam cauſas ejuſmodi partium diſpoſitionis, inquirendum eſt in eas ob quas fœtus à vinculis ſe expedire, carceribúſque ſe eximere annititur. Diviſæ ſunt hac in re authorum ſententiæ, nec in eandem coincidunt. Quidam, cum *Galeno*, ajunt fœtum immotum in utero matris quieſcere, nec exitum moliri donec certum tenorem virium conſequutus ſit, atque alimentum

alimentum ore ſugere poſſit, tum temporis ſummo conatu eniti in alterius alimenti inquiſitionem extra matris uterum.

Hæc opinio iis quæ quotidie obſervare licet conſona non eſt,nec veritati, Si enim natura omnes illos motus, qui in partu contingunt, aliter non ederet quàm à cauſa prædicta ſollicitata, fœtus debiles maleque conſtituti,graviditatis tempus producerent ultra terminum aſſignatum iis quibus bonum obtigit temperamentum cum corporis robore: Illis enim ampliore temporis ſpatio opus eſt ad virium comparationem, alimenti fortioris concoctionem, ejuſque extra matris uterum conquiſitionem: Falſitatem hypotheſis illorum Doctorum non attingo, ex quorum mente fœtus in utero materno per os alimentum non aſſumit, quam alio loco repuli: Sentiunt alii fœtum non ante ad exitum ſe accingere, neque matrem ad illius excuſſionem, quouſque eam magnitudinem attigerit ut loco tam arcto citra compreſſionem concludi nequeat, aut violentam partium circumjacentium diſtenſionem, aut præ pondere moleſtiam: Hæc opinio ex eodem fundamento quo prior concidit; futurum enim hinc ut fœtus unius geſtatio diuturnior ſit quam gemellorum; macilentorum & parvulorum quam bene habitorum & pinguium, quod ordinariæ repugnat experientiæ.

De reſpirationis neceſſitate.

ALiis viſum Fœtum non alia quam reſpirationis cauſa aërem quærere, qua diutius carere nequeat abſque ſuffocationis periculo: Certum id hominem, ac in genere animalia quæcunque reſpiratione gaudentia, quæ non ſunt amphibia, à quo tempore reſpirationis actum exerere illis datum eſt,diu hujus auxilio deſtituta ſupereſſe non poſſe: At non eadem eſt ratio ante partum, quantumvis tempus in utero matris extra terminum ſolitum producant.

Filia *Antoniæ Giraud*, quanquam menſes novendecim in utero manſerit,non ideo ſuffocata fuit. Ab iſtius opinionis autoribus non ſatis rite expenſum qua de cauſa reſpiratio adeo neceſſaria ſit, ut nullatenus ejus uſura carere liceat: Non locus, in quo animal hoſpitatur,neceſſitatem ejus vel ſecus invehit: libertas utero utrumvis efficiendi conceſſa non eſt, fœtui enim extra eum ſat longo tempore vita frui citra reſpirationem licet; Infantes qui amicti naſcuntur, membranis non divulſis in lucem prodeuntes, non tamen ſuffocantur,quanquam utero excluſi aliquantiſper jaceant,aëris uſura privati. Eadem ſors fuit plurimorum infantium qui mediante partu cæſareo alvo matris exempti ſunt: Facta à me canum fœmellarum diſſectione, ſæpius obſervare licuit catulos, utero excluſos, aliquot horis intra membranas eos ambientes citra reſpirationem vivere: Si poſtquam animalia illa aërem intra

pulmones exceperunt, membranis recondere liceret, atque utero iterum, eodem quo ante fuerant ſtatu includere, proculdubio illis inibi, reſpirationis defectu, moriendum eſſet: Inquirendum ergo quamobrem reſpiratio alias iiſdem animalibus neceſſaria eſt, alias non; Jam ante dictum reſpirationis incidere neceſſitatem, quia fœtus reſpiravit, quia in pulmones aërem adduxit: Ut illius immutationis cauſa pateat, adnotandum quamdiu fœtus utero concluſus eſt, antequam reſpiratione functus ſit, totius maſſæ ſanguineæ circulationem per pulmones non fieri eodem modo ac in reſpirantibus, in quibus univerſus ſanguis ex vena cava in ventriculum cordis dextrum infunditur, atque inde effuſus in venam, quam vocant arterioſam, in quoſcunque ejus ramos diffunditur, per ſubſtantiam pulmonum diſperſos, à quibus in ramos capillares arteriæ venoſæ tranſilit, demum ſiniſtrum cordis ventriculum ſubingreſſurus, qui contractione ſua illum in cunctas corporis partes propellit, Sanguis, inquam, intra inſignia illa pulmonum vaſa in fœtu circulatione ante reſpirationem non fruitur, Neque alium excipit id viſcus præter eum quem ſuppeditat parva arteria pulmonaris, à qua ſola nutrimentum haurit: Magnum ſanguinis fluentum, quod vena cava in cor invehit, inde per arterias diffundendum, à quo corpus irroretur, ex vena cava partim tranſit in ventriculum dextrum cordis, partim in arteriam venoſam, mediante canali ſingulari, per quem communicant duo hæc vaſa; exinde ventriculum cordis ſiniſtrum ſubit, qui in magnam arteriam illum infundit, Id quod ejus ventriculum dextrum ingreditur, corde ſe conſtringente, impellitur in truncum venæ arterioſæ, neque ulterius ejus ramos prætergreſſus, per ſingularem canalem magnam arteriam adit, atque conjunctus ſuperiori à me dicto, à ventriculo cordis ſiniſtro in eandem arteriam exporrecto, una ad ſingulas corporis partes confluunt, calorem illis & alimentum importaturi

Arteria venoſa, Vena arterioſa; atque vaſa ſeu canales, dicti communicationis gratia facti, venæ cavæ cum arteria venoſa, atque venæ arterioſæ cum arteria magna, eo modo conſtituta ſunt, ut ſtatim ac aër in pulmones allectus eſt, is repleat, in longum & latum ramos trachæeæ arteriæ diſtendat, atque veſiculas, ex quibus ſubſtantia pulmonum conflata eſt, intumefaciat, Sed duæ aliæ immutationes notatu dignæ ſequuntur, Una in arteria venoſa, & vena arterioſa contingit, ob quam vaſa illa, quæ antea à ſubſidentia & compreſſione pulmonum depreſſa & flaccida erant, adeo ut ſanguini tranſitus per illorum cavitatem negatus eſſet, longiora fiunt ac latiora, ut non modo liberum ſanguini excurſum per pulmones concedant, ſed præterea, ut ſic dicam, ipſum alliciant, atque iter illud inſtituere cogant: Altera immutatio accidit in canalibus illis, communicationis dictis, Nam quia rami trachææ arteriæ ac veſiculæ pulmonum aëre replentur, ideóque intumeſcunt, ſequitur dictorum canalium compreſſio, conſtitutionis alteratio, ac oſculo-

rum

rum, per quæ ſanguini tranſitus, occluſio : qui in tranſitu per venam arterioſam, & arteriam venoſam,illas in tumorem attollendo ipſe ſibi priorem viam ex parte præcludit, aucta ductuum illorum compreſſione à veſiculis facta: hæc depreſſio adeo inſignis, ut latera dictorum canalium intra paucas horas ſimul coaleſcant; arctéque adeo intra diem unum aut alterum coaleſcant, ut ſejuncta fuerint necne dubitare liceat.

Ex tradita & expoſita ſtructura dictorum organorum, oſtenſiſque immutationibus in illis contingentibus, arduum non erit palam facere cur Reſpiratio hominibus, atque aliis quibuſdam animalibus neceſſaria ſit, à quo tempore illius uſura frui conceſſum eſt,ſuppoſito neceſſe eſſe ut ſanguis citra ullam interruptionem motum ſuum circularem abſolvat : Si enim pectus coarctetur, non poteſt non eodem tempore Pulmo anguſtiori ſpatio contineri ; ejuſmodi conſtrictionem venæ arterioſæ & arteriæ venoſæ conſequi concidentia & corrugatio, ideoque ſanguinis curſus inhiberi: cujus priores canales cum obſtructi ſint, hicque affatim ex vena cava irrumpat, illico ex neceſſitate exſurgit oppreſſio atque violenta diſtentio in auricula & ventriculo cordis dextris : Sin viceverſa pectus expandatur, diúque expanſus maneat, ideóque aër qui prius pulmones ſubiit, exitu prohibeatur, recentíque ingreſſus non concedatur, aër ille à concepto calore rareſcet, venæ arterioſæ ramos capillares comprimet, atque etiamnum arteriæ venoſæ; ſanguiníſque motum cohibiturus eſt, aut ſaltem ne tam facili & expedito curſu feratur impediet, eadémque copia quam ſuppeditat vena cava, Unde proculdubio ventriculi dextri cordis oppreſſio, quam modo attigimus, ſuboritura eſt.

Addamus his reciprocum illum contractionis & dilationis motum in muſculis & pulmonibus, cauſam eſſe celerioris ex arteriis in venas ſanguinis excurſus, inde in cor &c. Et ſanguini, cum rapidiſſimo impetu circulum abſolvit, neceſſarium eſſe pulmonis motum extraordinarium, magnam aut crebram reſpirationem, quo facile à ventriculo dextro in ſiniſtrum permeet per prædicta vaſa : Hácque de cauſa in currentibus facilius quam in quieſcentibus ſanguinis circulatio abſolvitur, ea propter iiſdem reſpiratione crebriori & majori uti incumbit : Idem in febricitantibus obſervare eſt, in quibus cum ob crebriorem cordis pulſationem ſanguis celeriore quam ante impetu feratur, reſpiratio & major eſt & frequentior, quam ægri citra ſuffocationis diſcrimen moderari nequeunt : Quibus ad tempus cohibita fuit reſpiratio,ut delirantibus,alicui objecto plurimum intentis,amore irretitis,aut iis quos profunda triſtitia detinet, illis inquam magnum cordis gravamen familiare, quo ut ſe liberent violentam reſpirationem ciere coguntur, imo emiſſis ſuſpiriis. Apoplectici, cum ſanguis in pulmonibus concreſcens, aut in corde, vaſa pulmonum eadem celeritate & copia qua per venam cavam

defertur, permeare nequit, eadem oppreſſione detinentur, magnóſque adhibere coguntur conatus ad pectoris clauſtra expandenda, quo ſanguis libero commeatu feratur, auxiliante magna reſpiratione: Prædictæ obſervationes aperte oſtendunt Reſpirationem, eo nomine præſertim neceſſariam, ut facili tramite per pulmones excurrat ſanguis, Eámque majorem aut minorem futuram, vel frequentiorem aut rariorem, pro ratione majoris aut minoris celeritatis ſanguinis tranſitus, adeo ut minima reſpiratio ſufficiat in lentiſſimo ſanguinis decurſu. Inde eſt quod in hyſtericis mulieribus abeſſe poſſit, aut minima, vel ſenſibus non obvia ſatis illis faciat: Inhibito enim ſanguinis curſu, vel ſi motus ejus admodum ſit ſegnis vixque perceptibilis, pauxillum id quod vena cava in dextrum ventriculum cordis transfundit, Pulmones ſubire poteſt non concurrente reſpirationis auxilio; aut ſaltem eum in finem alia quam minima víxque conſpicua illi opus eſt: Subeſt & altera cauſa reſpirationis neceſſitatem inferens, de qua inferius verba facturi ſumus.

Porro ut apertius conſtet ſuffocationis periculum imminens ab inhibita reſpiratione, potiſſimam aliam cauſam non agnoſcere quam interceptionem ſanguinis è vena cava in pulmonis irruentis, inde in aortam arteriam tranſituri, Id adnotandum venit quod in amphibiis animalibus animadvertitur, cum enim in illis ſanguis alteram viam ineat quam per vaſa pulmonis, ut à vena cava in magnam arteriam commeet, ideo carere poſſunt reſpiratione, ſaltem ad inſigne temporis intervallum, nullo inde imminente vitæ diſcrimine: Cum illis animalibus diuturnioris moræ ſub aquis incumbat neceſſitas, ideóque abſentiæ reſpirationis, Naturæ Author illorum conſervationi ſtuduit, conditis ſupra memoratis communicationis canalibus, quos ſtructura ſingulari donavit, cujus ope revera conſtringuntur dum Pulmones agitati, & ab aëre expanſi, ſanguini per venam arterioſam & arteriam venoſam tranſeunti viam concedunt: at ductuum illorum latera mutuo non cohærent, ſed ſtatim ac Pulmones contrahuntur, aerémque omnino excludunt, mediante pectoris conſtrictione, arteria autem illa & vena occluduntur, tum ductus communicationis hiant, ſanguini commeatum ut prius concedentes: quæ cauſa eſt diuturnæ ſub aquis in illis animalibus commorationis.

Non ſolius ſuffocationis à ſanguine, ſinum dextrum cordis inundante, ſi reſpirationis actus diutius cohibeatur, periculum hujus neceſſitatem inducit, Tranſpiratio quæ per Pulmones peragitur, cum non ea minor ſit quæ in reliquo & toto corpore contingit, nec citra reſpirationem perfici poſſit, diutius illa carere omnino impoſſibile eſt, deficiente reſpiratione, quin aliud incidat ſuffocationis periculum, minus tamen priori, de quo ſupra, urgens, Ea propter amphibia omnia animalia, imo ii piſces quibus reſpiratio cóceſſa eſt, ejus cauſa ex intervallis caput undis efferre tenentur, adeo ut delphini ſomnum capite extra aquas exerto capere cogantur, inter dormiendum ſtertentes:

tes:

tes: Reſpirationis autem illa neceſſitas eandem non ſecus ac prior cauſam agnoſcit, quod ſcilicet reſpiratio in actum deduci inceperit, antea enim fœtuis inutilis fuit illa tranſpiratio : unde palam fit tantum abeſſe ut ſanguini à reſpiratione accedat refrigerium, quin potius inde illius calor & efferveſcentia augeantur, imo in cauſa ſit ut præter tranſpirationem, in toto corporis habitu contingentem, acceſſione præterea indigeat illius quæ per pulmones fit : quapropter cum in affectionibus hyſtericis ſanguinis efferveſcentia pene deſinat, ideo mulieribus tranſpiratio, quę per pulmones perficitur, non admodum neceſſaria eſt, nec proinde ipſa reſpiratio : Ex iis omnibus inducor ut credam efferveſcentiam ſanguinis, quæ in fœtu peragitur, quamdiu in alvo materna concluditur, & antequam reſpirationis munia obierit, puſillam eſſe & languidam, illi propemodum ſimilem quæ in animalibus uno tantum ventriculo cordis donatis peragitur, aut pulmonibus deſtitutis : Alios reſpirationis uſus prætereo, præterea cauſas cur quibuſdam animalibus pulmones natura conceſſerit, ideoque binos in corde ventriculos ; Leviter alibi rationes attuli, nec locus hic poſtulat ut hac de re fuſius agatur, ſufficiunt hæc ad demonſtrandum non ob neceſſitatem reſpirationis fœtum ex utero materno egreſſum moliri; ſi hæc potiſſima fuiſſet cauſa primi ad exitum conatus in filia *Antonettæ Giraud*, hæc non totis decem ſupervixiſſet menſibus intra matris alvum.

Eorum opinio qui cenſent inopiam alimenti fœtum ad exitum impellere, ejúſque gratia uterum deſerere, firmioribus fulcitur rationibus & argumentis quam ut poſſit convelli, ſi eorũ pondus perpẽdatur, Deſinente enim geſtatione, fœtus uberiori indiget alimento, quia grandior eſt : Tunc tamen temporis minor illi copia ab utero accedit, ejus ſcaturigo pene eſt exhauſta, canales ſunt obſerati, alimentum alio curſum ſuum inflectit, quo fœtus illius gratia tendere debet : Virium illi ſatis ſuppetit quo ſe liberet, urget fames, quæ ut conatus omnes in exitum afferat, impellit : Hæc eſt abſoluta neceſſitas evadendi è carceribus, quos revera egreditur, niſi ex parte matris obſtaculum adſit : Videndum jam quid ex utraque parte peragatur.

Canalibus, per quos alimentum ad fœtum defertur, obſtructis, corporibus autem glanduloſis, utero connexis, idque tranſcolantibus, extenuatis, & quaſi arefactis ac victis in mulieribus redditis, convertit ſe infans, capite in exitum priore, ſeſéque protendens, pedibus fundo uteri adnititur, foras viam affectans : Eodem tempore uterus, conatus illos juvaturus, contrahitur. Imi ventris muſculi & diaphragma motu tonico agunt illum inferius deprimentes, quo ex eo exprimatur infans, Veriſimile eſt ligamenta lata & rotunda, quæ revera corpora ſunt muſculoſa, tunc temporis non otiari; atque ex eorundem ſtructura & inſertione colligere facile eſt illos in eandem actionem concurrere, Partes omnes corporis contenduntur, agunt pene

omnes muſculi, cunctorúmque videtur adeſſe unanimis in actionem pro cujuſque modulo conſenſus. Inutiles autem omnes illi nixus futuri eſſent, niſi orificium uteri internum mollius redditum laxaretur, adeo ut extenſile fiat atque quantum licet laxetur ad facilem fœtus tranſitum : Eadem eſt colli uteri ratio, aliarúmque partium quæ viam anguſtiorem efficere queunt : Si in mulieribus omnia ſimul concurrant, citra dolorem inſignem pariunt, infans abſque multo labore exit in lucem, ſique nullum occurrat obſtaculum, ſecum detrahit ambientes membranas illaceras, quod felicis quibuſdam augurii eſt: Revera eo modo naſci non minimæ eſt felicitatis, optimam quippe conſtitutionem certiſſime denotat, quandoquidem cuncta hæc vix ſimul concurrunt quam cum mater integra fruatur valetudine, optimum fœtui ſuppeditavit nutrimentum, nulla vis externa præternaturalis hunc ad exitum impulit, qui non alia de cauſa ab utero receſſerit quam quod in eo adeptus ſit quam ſperare erat omnimodam perfectionem; Partus ejuſmodi omnium maxime eſt ſecundum naturam, Diſquiramus jam immutationis omnium cauſas, quidve uterum, &c. ad tot motus determinet.

Secunda & tertia Diſceptationum mearum medicarum, atque tertia Phyſicarum, palam feci diſtributionem alimenti & humorum, præſertim cum leges naturæ inſequitur, à nervis pendere, eos ſcilicet laxare aut moderari effluxus quorundam ſuccorum, eorundem augere aut minuere curſum pro neceſſitate corporis, Nervorum & muſculorum functio & motus, ſpirituum animalium beneficio peragitur, in canales ſuos tum demum influentium, ubi à cerebro impulſi & ab eo determiniati fuerint, Determinatio illa varias agnoſcit cauſas, aliquando ab humoribus pendet, qui copia aut qualitatibus varias alterationes inferunt, quo vias vi ad confluxum ſibi parent, ſicut urina : vel ut aliis liquoribus effluxus procuretur, quibus cum commiſceri debent : ſic contingit chylum, dum inteſtina pertranſit, efficere ut bilis & ſuccus pancreaticus largius effluant, ipſi permiſcenda, Aliquando humores, quaſdam partes vellicantes, ad certos motus totum corpus determinant: Acidum, dum ventriculum acriter vellicat, animal in omnes partes commovet alimenti quærendi gratia : In objectis externis poteſt etiamnum latere cauſa variarum determinationum ſpirituum, ac proinde diverſorum corporis motuum: Quædam præterea phantaſmata eoſdem effectus ciere valent.

Ad rem propoſitam reditu facto, ſanguis ſpeciatim unoquoque menſe in utero mulierum fermenteſcens, eo modo ſpiritus ad influxum in hunc determinat, ut fibræ laxentur, uteri corpus ideo mollius evadat, ſanguis uberius in ſubſtantiam influat, indéque acquirat diſpoſitiones ad conceptionem neceſſarias: Ubi concepit mulier, ſpiritus ſemini inſiti ſanguini intenſiorem efferveſcentiam conciliant, qui conjunctim ſpiritus animales determinant ad

ejuſmodi

ejuſmodi in uterum influxum, ut hujus fibræ inde relaxentur & turgeant præter ſolitum, à ſucco eas pervadente. Sanguis eo per arterias delatus, vix majores venas pertranſit, quamobrem vaſa ſanguifera, quæ ab iiſdem cauſis ad relaxationem diſpoſita ſunt, ſicut uteri ſubſtantia, paulatim à copia ſanguis expanduntur, atque craſſitiem ſtupendam induunt: Interim ſucci portio ad embryonem influens, per exiguos canales in interiora uteri deſinentes materia fit portionis carnis glanduloſæ ex ea parte formandæ, ejúſque vaſorum: altera, per eam carnem tranſcolata, in ovum tranſit, embryoni alimentum ſuppeditatura: Puriſſima ea eſt, ac maxime ſubtilis portio ſucci alimentaris ad embryonem confluentis, id quod ex variis trajectionibus & tranſcolationibus, ejus defæcationi deſtinatis colligere eſt: Quapropter neceſſe eſt ſanguinem, in vaſis uteri ſuperfluum, in dies minus purum evadere, craſſiorémque, ac tandem ab ejuſmodi craſſitie paulatim poros illos, vel meatus uteri, quibus vaſa carnis glanduloſæ adnexa ſunt, obſtruere, ac ne ſuccus alimentaris ingrediatur impedire, unde carnium illatum paulatinus marcor ſequitur; Ipſorum vaſorum caudices, dum ampliores fiunt, meatus illos obturare poſſunt.

Inſignem illam & inſolitam vaſorum uteri expanſionem ſanguinis, ut ſic dicam, quædam deſidia conſequitur, ob inſignem ipſius in motu ſegnitiem, idemque, quod aquis ſtagnantibus contigit, ad fermentationem paulatim diſponitur. Id quod contingere neceſſe eſt cum ſuccus nutritius in fœtum non amplius ut ante influens in vaſis uteri commoratur, ſanguinem ibi craſſefactum diluit atque agitationem aliquam illi inducit: Accedit demum proculdubio quædam irritatio à diſpoſitione ſanguini ſtagnanti impreſſa, quæ mediantibus uteri motibus, fermentationem auget, imo etiamnum inchoat, atque ab ipſa etiamnum augmentum ſuſcipit.

Neque in dubium revocare licet fermentationem illam ſanguinem inducere: ex accidentibus ſatis innoteſcit, partum earum mulierum conſequentibus quibus lochia parcius effunduntur: Simile quid contingit animalibus, pro proportione dilatationis vaſorũ Sanguiferorum uteri quo concepta ſunt. Fermentatio illa definite exeunte nono gravidítatis menſe accidit, in fœminis ſcilicet bona temperie præditis, quarum regimen rectũ fuit, ac in quibus cauſæ omnes, à quibus poſſunt affici, naturalem ordinem obſervarunt, Effervеſcentia illa ſanguinis, ac tenſio ab hoc vaſorum inducta, ſpiritus diſponunt ad iſtiuſmodi influxum, ut ab iis uterus contrahatur, abdominis muſculi & diaphragma illum comprimant, ac totum corpus quodammodo eundem in ſcopum cooperetur. In eundem finem infans quoque quod ſuarum eſt partium agit, neceſſitate ſuperius jam adducta impellente: Quamdiu muſculi illi omnes & membranæ contenduntur ac contrahuntur, orificium interius, uterique collum relaxantur, in partibus vicinis idem quoque

accidit: adeo ut ſubſtantia nervea uteri orificium ejuſque corpus conſtituens, perpendenda veniat tanquam duo muſculi antagoniſtæ, quandoquidem illa dura eſt &.contracta, dum hoc molle eſt & laxatum; atque interim dum hoc contrahit ſe & conſtringitur, altera relaxatur & expanditur.

Inſignis illa uterini orificii dilatatio illico admirationem accerſit, ſed multo majorem meretur, proportione ſervata, quod vaſis uteri accidit: Quod in muſculis aliiſque quibuſdam partibus corporis contingit ob ſubitam ſanguinis & ſpirituum irruptionem, eorundémque ſubitaneum retroceſſum, in ſtuporem majorem adduceret ſi eſſet de raro contingentibus, aut ſi attenta mente conſideraretur: Perpendenda eſt vis corpuſculorum quorundam, ubi cum impetu & affatim ſubeunt cavitates etiam minimas. Alibi à me declaratum quomodo lac mammarum conceptacula adeat in eáque influat, eáque plus aut minus intumeſcere cogat, mediantibus alterationibus quibuſdam ab utero inductis, ac prout illæ validiores plus aut minus fuerint, præſertim accedente partus tempore. Ejuſmodi alterationes, aut illis contrariæ, ſi præter rationem fiunt, nec ſtato tempore, ſuntque admodum inſignes, accidit aliquando ut fœtus ſubito alimento neceſſario fraudetur, unde debilis fit; aut majori copia affluat, unde ſuffocetur.

Inſtituto jam accurato éxamine connexionis fœtus cum utero, quomodo illa ſolvatur, ac ſingulorum quæ toto geſtationis tempore geruntur, ſimúlque fœtus in lucem exitus, Arduum non erit in cauſarum, immutationem aliquam inducere aptarum, notitiam pervenire, tum ex parte matris tum fœtus; Quid hujus exitum vrgere & impellere poteſt, quid eundem cohibere, impedire, aut quomodocunque legitimum naturæ curſum pervertere valet: Fœtui, cum exitum molitur, obſtant aliquando quædam impedimenta inſuperabilia: Hæc inter unum occurrit, cui tamen medelam afferre licet, ſi modo non obſtarent mulierculæ, quibus remedium terrori eſt, à plenitudine pendens, orificii uteri debitam expanſionem prohibente, ſicut eadem muſculorum relaxationi aliquando impedimento eſt: hoc alia ratione quam venæ ſectione amoveri non poteſt: *Hippocrates* libro de morbis mulierum in inferioribus partibus illam fieri jubet: *Menſe Auguſto anni præſentis* 1678. *hujus remedii fauſtum ſucceſſum animadverti in Noſodochio S. Iacobi Tholoſani: Iuvenis mulier plethorica, bidui ſpatio intenſiſſimos dolores patiebatur, partu non ſuccedente: illi bis ſanguinem educi curavi, primo è brachio, ob plethoram inſignem, ſecundo è pede; quo remedio celebrato, illico mulier illa puellam bene valentem & vividiſſimam edidit. Sanguinis illa miſſio à Dom. Martino Chirurgo Iurato Tholoſano peracta eſt, tunc temporis Artis magiſterium ambiente, eóque nomine pauperibus dicti Noſodochii auxiliatrices manus porrigente.*

Ex his inferre liceat quibus cautionibus remedia in uſum ducenda ſint

partum

partum accelerantia, periculi ſemper plena, ſi partes fœtui tranſeunti viam ſternentes inique ſint diſpoſitæ.

Hæc paulo fuſius diducenda fuerunt, quo pateſiant aliqui errores crebro contingentes, ob prætermiſſas obſervationes neceſſarias, ac minime expenſas hanc rem ſpectantes: Quinetiam ad conſtitutionem principiorum ex quibus pendet ſolutio præcipuarum difficultatem quæ, dum reliqua indagaturi ſumus, occurrere queunt.

Quomodo infans Margaretæ Matthieu *uteri fundum perforaverit?*

Ad tertium Caput accedamus, dubitationi nullus locus ſitne Margaretæ infans utero conceptus, Aquæ è matre, ubi primum invaſere partus dolores excluſæ, id manifeſte evincunt, Effuſio enim illa impoſſibilis fuiſſet ſi infans extra uterum collocatus fuiſſet, niſi ulcus in eo excitatum, fundum autem apertum, at neutrius aliquod indicium priuſquam hoc contigiſſet: Ex hiſtoriis à me adductis partuum contra leges naturæ contingentium, facile cuivis erit colligere quomodo ab hoc infante pertuſum fuerit uteri fundum. Solus terror Urbi inductus à peſte immaniter graſſante, ſatis eſt ad agitationem ſanguini inducendam, ad vitioſum fœtui ſuppeditandum alimentum, hincque irritamenta tam utero quam fœtui inducenda, ac proinde abortum procurandum: Porro, cum matris fœtúſque conatus intempeſtivi & præmaturi fuerint, concurrente cauſa violenta, ſpirituum determinatio, ad relaxationem orificii uteri partiúmque adjacentium, irregulariter contigit, aut omnino non, imo veriſimile eſt à plenitudine acceſſiſſe aliquod impedimentum, Proculdubio ob contractionem orrificii uteri credidit Doctor *Corrade* infantem nondum maturum extitiſſe: Hic vero quod robuſtus eſſet, ſitúmque ad exitum maxime convenientem nactus eſſet, conatúſque demum hinc extraordinarios adhibens; inde utero, vi magna allata ſe contrahente, in muliere robuſta, nemini mirum ſit uteri fundum dilaceratum fuiſſe, ac infantem, retrorſum foramine facto, verſus pectus proceſſiſſe; Mollities membranarum uterinarum per graviditatem contingens, eas in lacerationem proclives reddit; neque res exemplis caret, ut conſtat ex hiſtoriis ab *Hildano* adductis, ſuperius citatis, aliíſque innumeris: Prædictis admiranda magis contingunt circa conatus à fœta & fœtu conjunctim editos: ſimile quid ab *Hurvéo* affertur de Equa Reginæ Angliæ, cujus cutam ſingularem ratione pulchritudinis & candoris eximii, juſſerat haberi: Infibulata fuerat ne equos admiſſarios pateretur, Impedimenta tamen obſtare non potuerunt quin utero conciperet; hinnulo tandem exitum inde moliente, occluſis autem viis ſolitis, collum uteri ille perterebravit, foraménque ſibi ad labiorum vulvæ ma-

tris latera ſibi paravit, adeo ut cum ſtupore viſa ſit equa infibulata hinnulum extra alvum emiſiſſe.

Ex omnibus à me allatis, quo ad motus dictis infantis, nihil eſt quod negotiũ faceſſere queat iis qui cognitione anatomica vel leviter imbuti fuerint, atque ad prius à me adducta animum appulerint. At vero non adeo facile eſt determinare quid de infante factum fuerit poſtquam uterum perforavit, cujus rei cum exacta certitudo haberi nequeat, acquieſcendum erit inquiſitioni poſſibilitatis eventus.

An infanti Margaretæ *extra uterum vita frui licuerit, Et quomodo Epiploo alligatus fuerit.*

Quartum ergo & quintum caput in examen conjunctim adducturus, ob utriuſque affinitatem, Adnotandum volo cum *Margareta* graviditatis terminum nondum attigiſſet, aut tempus quo partus ex naturæ lege accidit, carnes glanduloſas arcto nexu invicem ac cum utero collegatas fuiſſe, ac proinde connexionem illam conſervare potuiſſe, ſaltem maxima ex parte: atque id eo potiori jure aſſerere licet, quod ex utero tantillum aquarum chorio contentarum prodierit, cum primum dolores partus ingruere cœperunt; quod aliquando mulieribus uno aut altero ante partem menſe familiare eſt, ubi vi cujuſpiam cauſæ externæ in utero irritatio aliqua contingit, in fœtu, vel utroque: vel maxime, iterum, quod ab effuſis aquis Margareta neque carneas particulas, neque fibras, at ſaniem pauculam ſolum effuderit, ab uteri ulcere forte manantem. His ſic ſtantibus, ex ante à me dictis conſtat potuiſſe vita frui infantem ibi loci ubi ſe collocaverat, extra uterum, quandoquidem alimentum illi ſuppeditari poterat à carnibus glanduloſis, non ſecus ac ante loci mutationem. Quanti autem temporis fuerit hæc cum utero cohæſio, conſtituere impoſſibile eſt, nec enim uteri diſpoſitiones, iſtius cohæſionis autores, quiſquam explicaverit, Novem & decem menſium fuit in *Antonetta Giraud*, quanquam nono deſinente admirãdis conatibus illum nexum perrumpere tentaſſet fœtus: Forte hi uteri conatus ad connexionis dictæ ſtabilimen conferunt, uberiúſque alimentum alliciendum ubi irriti fuerint, nec carnes glanduloſæ adhucdum vietæ & flaccidæ factæ, non ſecus ac videre eſt nondum depulſos à matribus vitulos roſtri impulſu & impetu in ubera, uberius lac allicere: Certi tamen nihil conſtituere licet, præter hoc, citra miraculum colligantiam iſtam ad tempus potuiſſe indiviſam permanere: ſi tamen primum uteri *Margaretæ* enixum in contractionem perpendamus, videtur in eo debuiſſe pergere, ea præſertim de cauſa quod ſanies ab ulcere decidua in contractionem uterum impelleret, per vellicationes continuas, ac proinde ad paulatinam à carnibus glanduloſis abſtractionem.

Quocun-

Quocunque autem modo dicta ſejunctio contigerit, ſubito,aut inſenſibiliter ac per morem, fœtus interim omento Spatio temporis adhæreſcere potuit, ac prout ab utero ſecedebat : Antequam vero novam hanc cohæſionem attingam,de Epiploo quædam præmittenda,ac de ejus conſtitutione in *Margaretæ* corpore,quo eluceſcat quomodo illa contigerit : *Margareta*,ut ante innui, Omentum totumplane cooperiebat infantem,amplitudo ejus inſignis,extraordinaria autem craſſities,duos enim tranſverſos digitos adæquabat, durities præterea erat ſcirrhoſa : Neque id me in admirationem rapuit, ante enim aliquot retro annos partem illam ejuſdem craſſitiei, imo majoris, ſoliditatis pene qualis in cortice ſuberis, idque in duabus puellis, atque in muliere, in Noſodochio Tholoſano extinctis : Ad extremam maciem omnes deductæ fuerant, ob febrem lentam maraſmum ſenſim inducentem. Præter illam Epiploi incraſſationem, in inteſtinis puellarum dictarum pinguedinis globuli à me reperti, hac illac ſparſi piſi magnitudine, aut fabæ, membrana ſinguli tecti,quaſi totidem cyſtibus obvoluti. Incraſſationis ejuſmodi ac indurationis Epiploi cauſas rimaturus, indagandas illas credidi in humore, ſcirrhorum in aliis partibus parente, Is eſt melancholicus, qui aciditatis vi pinguium concretionem promovet, ſaliáque alkalia, tum volatilia tum fixa extinguit, ac proinde humores, qui ab his ſalibus fluiditatem ſummã adiſpiſcuntur, condenſat, eorum in vaſa influxum more ſolito prohibet, efficítque ut partium ſubſtantiæ, quas alluunt, adhæreant, iis craſſitiem inducant, ſive duritiem aliquando pene lapideam.

Aciditatis ratione melancholia ab aliis corporis humoribus diſtinctionem ſortitur, ab hoc humore eam qualitatem cæteri mutuantur, aut ſaltem hujus ratione aliquã ad melãcholiæ ſpeciem reduci queunt:aciditatis dictæ vi, varia vitia contrahentis, melancholia tantos tumultus in corpore excitat adeo diverſos & admirandos, apoplexiæ ſtupenda ſymptomata,melancholiæ morbi, febris quartanæ : Sanguinis inſpiſſatio, humorúmque fixatio, affectuum illorum omnium adeo diſcrepantium comites acidi, copia peccantis, aut nimium exaltati ſunt ſoboles : Coagulationes ope acidi contingentes nimis in aperto ſunt ut probatione ulteriori indigeant : Ab illis liquoribus non modo promovetur coagulatio ſanguinis, extra vaſa effuſi, ſed etiamnum intra conceptacula venáſque ipſas,etiam in corde concreſcit : Abſque acidi cujuſdam ſubſidio butyrum nec ſegregatur nec concreſcit : at contra Alkalia fluiditatem concreto impertiunt, lactíque coagulato. Ab illorum efficacia arcetur ſanguinis in corpore condenſatio.

Vi cujuſpiam acidi butyrum à lacte ſecedit, craſſeſcit, coit : A quapiam etiamnum acidi ſpecie pars ſanguinis pinguiſſima, quibuſdam in locis, ad id deſtinatis, in adipem concreſcit, in quibus partium illarum pinguium ſecretio fit : Nec acido carent olea & adipes, quanquam guſtu imperceptibili,qua

de cauſa minus penetrant, quouſque temporis decurſu, aut artificio adhibito, diſſipetur id aut extinguatur: Acidum illud, partibus iis inſitum, in quibus gignitur adeps adhærétque, ac proinde Omento, exaltatum & acrius redditum, vi pollet uberiorem partium ſanguinis pinguium copiam Siſtendi, in illis tranſcolandi, majorámque conſiſtentiam illi impertiendi. Adhæc, ſi hujus acidi vis, undecumque accedat, intenſior ſit, dictam coagulationem affatim inducat, ſanguinis particulas quaſdam in pinguedine cohibiturum eſt, ipſiúſque ſucci alimentarii: ſanguini in ramis capillaribus venarum membranarum, adipem involventium incluſo, craſſitiem inducet, qui debita fluxilitate privatus, ac inter fibrarum ſpatia diffuſus, illis adhærens, ab hoc carneam ſubſtantiam adipiſcentur. Eo pacto, cum in venis capillaribus membranæ carneæ concreſcit, ejus qui per arterias influit excurſu inhibito, illas ultra modum expandit, atque intra illius membranæ fibras effuſus, inibi phlegmonen parit, quam aliquando carnea excreſcentia ſubſequitur. Ex his aperte oſtenditur quomodo *Margareta* Epiploon tontam craſſitiem acquiſierit, durúmque & carneum evaſerit: Ab eodem principio, horum omnium effectuum authore, diſpoſitio parti inducta eſt, vi cujus membranis, fœtum in alvo mulieris illius ambientibus, tanta facilitate adhæſit: Vaſis enim ſanguiferis ſanguine nimium diſtentis, laxantur eorum membranæ, atque aliquid ſanguinis neceſſario exſudat, ſuccíque alimentarii, cujus ope partes facile à mutuo contractu cohærent & connectuntur: Eapropter pleura & pulmo, prægreſſa alterutrius inflammatione, facillime adinvicem colligantur. Illa capillarium arteriarum dilatatio, venarúmque obſtructio, cauſa ſunt facilis ſanguinis excurſus à vaſis patris affectæ, in vaſa vicinæ illíque cohærentis.

Eodem plane pacto, atque à cauſis memoratis, imi ventris partes mutua adhæſione connectuntur. Non alia ratione mulieris Venetæ Epiploon utero connexum repertum eſt, referente *Bartholino* in Inſtitutionibus Anotamicis; Proclivior multo erat in *Margareta* partis illius cohæſio cum chorio in alvo; infans enim viam vi ſibi cum quæreret, carnéſq; glanduloſa per anguſtum foramen intruderet, fieri vix potuit quin aliquomodo laceræ extra uterum prodirent, ac proinde cohæſioni cum epiploo, & ſanguini ſuccóque alimentario admittendo, ex ejus vaſis exiliente, aptiores fierent, eóq; pacto aliquid alimenti fœtui accedere potuit, partim per ſolitas vias nondum adhuc compertas, partim per venas umbilicales: Infanti ergo illi nutricatus non defuit, etiam extra uterum collocato, ac carnibus glanduloſis ac hoc divulſis; ac proinde vita frui licuit in eo, quem occupabat loco imo ſcilicet ventre, extra locum naturalem, ac citra reſpirationem, ob rationes adductas. Nemo ſtricte definierit, aut determinaverit, vitæ illius terminum, id vero certius aſſerere liceat jampridem illum vita functum, quandoquidem conſtat ejus

ejus cerebrum functiones animales edere non potuiſſe, ut nec cor aliáque viſcera, quæ ad illa pertinent, exſequi: alterationes quippe in illis adnotatas, ſpatio temporis diuturniore inductas fuiſſe certiſſimum eſt.

Quibuſdam forſan in mentem venerit infantem illum, in alvo matris per vicennium circiter vixiſſe; motúſque à quibuſdam obſervatii, (de quibus in graviditatis hiſtoria à me actum) certa indicia vitæ fœtus præbebunt, tum vero exceſſiſſe vita cum prædicti motus deſierunt: Nullus vero dubito fictitios non fuiſſe ejuſmodi motus, imo validos, quibuſdam aſſerentibus; quanquam ab iis, ad quos judicium maxime ſincerum pertinebat, nunquam illi fuerint obſervati: Vix tamen crediderim ab illis motibus de vita infantis certi quid ſtabiliendum eſſe, atque ab illo editos fuiſſe: Uterus propria indole tot motibus concutitur enormibus, irritationes in illa parte contingentes tot perturbationes in imo ventre cient, tot ſpaſmos, tantas viſcerum commotiones, ut peritiſſimis veram cauſam indagantibus imponant: In dignoſcenda vera graviditate etiam Medici & Obſtetrices laborant, cum ſępe prægnantes multæ mulieres vacuæ creditæ ſint. Error in proclivi fuit circa eam mulierem, in qua ſanies ex ulcere uteri manans varios motus in imo ventre excitare potuit, adeo ut quamvis ex ante à me allatis cuipiam inferre licuerit fœtum, de quo agitur, extra uterum ad tempus vitam trahere potuiſſe, nullus tamen certo ſciat quanto tempore ibi vixerit: Tranſeamus ad ſextum caput.

Quæ cauſa fœtum Margaretæ Matthieu *à putredine vindicarit.*

EX dictis in præcedentibus duabus Diſquiſitionibus, non difficile erit cauſas cur prædictum infantem putredo non invaſerit elicere: Ne vero quicquam veritati cognoſcendæ obſtet, Diſquiſitionis hujus initium à correctione aliquot errorum, impedimento futurorum, ducendum erit. Color carnium in hoc infante, quæ conſiſtentiam ſatis ſolidam obtinebant quibuſdam in locis, potuit illico ideam carnium ſale conditarum exhibere, hinc opinio enaſci ſalſedinis quadam ſpecie & vi, aut muriæ, illas à putredine vindicatas fuiſſe, quandoquidem hoc pacto hæc à corruptione ſeſe tuetur temporis ſpatio non exiguo: Quibus non ignotum ex omnibus mixtis ſalis aliquam ſpeciem educi, hi forte in animum induxerunt à cauſa quapiam abdita in corpore hujus infantis inſignem copiam ſalis fuiſſe productam, effectus iſtius inſoliti productricem: Sal volatile quidem in animalibus præſertim abundat, fixum pauciſſimum in iis reperitur, quocunque demum labore is inquiratur: A priori autem effectus iſte deduci nequit, cujus cauſas rimamur: omnino enim contrarius ſemper ab illo prodit, Sal volatile mobilitate & ſubtilitate ſua omnia permeat, humores exagitat, eorum fluiditatem tuetur,

tranſpirationis liberæ cauſa eſt præcipua,ſudorum aliarúmque vacuationum. Inſignem ejus ſalis copiam continet urina, ſudor, eáque pars tranſpirationis inſenſibilis quæ linteis aut aliis rebus corpus noſtrum amicientibus adhæret. Si quapiam de cauſa ſudor in effluvium paratus ſupprimitur; ſi tranſpiratio impeditur; in ſanguine, à cohibito ſale volatili,extraordinaria excitatur effervescentia, cui putredo demum ſuccedit, hinc ſymptomata conſequi ſolita, omnibus nota: Si ergo ſalis volatilis indoles perpendatur, ſi ejus effectuum examen inſtituatur, nemo diffitebitur putredinis illud præcipuam cauſam eſſe & authorem, nedum ipſi adverſari,qua de cauſa ſi à carnibus animalium mortuorum corruptionem arcere animus eſt, ea in uſum neceſſario ducenda ſunt quæ frænum adhibent ſali volatili, quæ illud doment, ſiſtant & ad motum,inhabile reddant, ac ejuſmodi agitationes in carnibus inducere prohibeant. Sal commune ad condituram illarum in uſu eſt.

Sali communi acidum fixum uberius cum inſit, alkali quodvis obtudere valet,fixa reddere quæ volatilia ſunt,id quod quotidiana experientia oſtendit in carnibus ſale conditis; ſi enim muria ex carnibus illis ſtillans accipiatur, in eáque ſal Tartari diſſolvatur (in quo plus virium quam in ullo quopiam alkali) acidis conjungendum, quod in iis abſorbet cum jam eo ſunt imbuta, ſal carnium volatile (quod obtuſum fuerat & fixatum ope acidi ſalis communis) vinculis liberatur, mobilitate ſuæ reſtituitur, atque à muria ſeparari poteſt ope caloris mediocris, Inde conſpicuum eſt ſal commune eatenus carnes animalium à putredine vindicare,; quatenus ſal volatile extinguit.

Alkali fixum ad præſervandas carnes animalium à putredine ſale volatili aptius non eſt, quin potius citius illas in putredinem deducit: quod ab experientia quotidie eluceſcit in uſu lapidum cauſticorum, Alkali Tartari cauſticum eſt & corrodens, cætera omnia aliquid ſimule præſtant, majore vel minore vi ac celeritate,provt particulæ illorum plus aut minus rigidæ ſunt, provt cuſpis,aut acies magis aut minus aculeatæ ſunt.

Quod in carnibus, ſale conditis obſervatum, ſicut opinioni anſam præbere præbuit infantem dictum muriæ cujuſdam beneficio conſervatum fuiſſe, id quod & alicubi occurrit, cum carnes à putredine præſervantur, idem quoque inſinuare videtur in alvo *Margaretæ* ſimilem quampiam cauſam latuiſſe, quæ mirabilem illum in corpuſculo dicto effectum ediderit. Locus extat in Eccleſia Cucullatorum Tholoſanorum,in quo ſepulta corpora à putredine immunia ſervantur: Idem ibidem loci obſervare eſt in particula cœmeterii Parochiæ Sancti Nicolai, atque juxta Eccleſiam in ſuburbio Sancti Cypriani: In dictis duobus locis multa proſtant cadavera ſenſim reſiccata: Opinio plurimorum eſt quo tempore illarum Eccleſiarum ædificia conſtructa ſunt, cæmeatum ibi loci præparatum fuiſſe atque calcem terræ remiſtam ſuperſtitem eas vires huic impertiri, exſiccandi ſcil. corpora illi mandanda

Si color,

Si color conſiſtentia, aliæque ejuſmodi terræ proprietates perpendantur, admodum veriſimile apparebit mixturam calcis adeſſe, atque inde facultatem cadavera exſiccandi illam mutuari: At carnes, iis in locis exſiccatæ, à putredine modo omnino diſſimili vindicantur, ab eo quem adduxi de carnibus ſale maceratis, Hæ putredinem eluctantur, eo quod ſal earum volatile obtuſum fuerit & fixatum ab acido ſalis communis: In illis ſenſim exſiccatio accidit, facta inſenſibili diſſipatione ſalium volatilium, id quod proculdubio ſequenti modo contingit.

Corpora in dicta terra areſcunt, initio actionis ducto ab exſiccatione cutis, expirante eo quod in ea eſt humidum, mollius & tenerius, ac proinde incluſo inibi ſale volatili. Cutis illa arefactio, atque fibrarum, ex quibus conſtat, extenuatio, accidere nequeunt abſque evidenti pororum relaxatione, cujus ratione terræ exhalationes ulterius corpora illa pervadere poſſunt, atque id quod in motu eſt in corpore tranſpiratione facile excludi valet; ac proinde ſalibus volatibus liberum patet effugium, quibuſcum paulatim evadit quicquid motum eorum ſequi habile eſt, quicquid interius adeſt humidum, molle & rarum non ſecus ac quod cuti ineſt, diſſipatur; adeo ut in corporibus ſolæ fibræ ſuperſtites ſint, ſoliditate & denſitate quadam pollentes; quæ ſolæ reſiduæ putredini non admodum patent: Modo jam à me adducta comprobat corporum extenuatio, in quibus nihil reſiduum fere oculis objicitur præter cutem & oſſa: quorum muſculi admodum extenuati, ob intenſam fibrarum, ad inſtar filorum exilium, ſiccitatem, cum quicquid illis molle inerat plane abſumitur. Nec dubito, ſi ſal volatile ex corporibus illis, eo modo exſiccatis, quiſpiam elicere tentaret, nullum omnino in illis repertum iri, non ſecus ac nullum reperire eſt ſal lixivioſum, aut quam pauciſſimum in lignis diuturnitate temporis exſiccatis, è quibus per tranſpirationem partes mollitie aliqua donatæ excluſæ, & copia illa ſalis, quam reperire eſt cum viride lignum comburitur. Ad examen ſi modo à me dicta adducantur, vix credam in eam opinionem quempiam adduci poſſe in corpore *Margaretæ* quidpiam adfuiſſe quod ejuſmodi effectum edere valuerit, illi conformem quem terra dicta profert: corpus enim infantis neque exſiccatum neque marcore confectum erat, ſimile cadaveribus, in comerteriis illis Eccleſiarum Cucullatorum Monachorum, ac Sancti Nicolai occurrentibus.

Unde ergo deducenda dicti infantis conſervatio, in loco humiditatibus circumfluo, in quo vapores ab ulcere uteri manantes perquam apti videbantur ad ejuſmodi partium inſenſibilium agitationem, atque efferveſcentiam illam putredinis parentem, inducendam? Quid partibus illis ſoliditatem & robur adverſus injurias illas conciliavit? Qud frænum ſalibus volatilibus injecit, illáque vi nativa ſpoliavit? Nulla alia mihi cauſa obvia præ-

ter eam à qua Epiploon obduruit, ea ſola ſatis eſt, quandoquidem in illa requiſita neceſſaria ad ejuſmodi effectus inducendos reperire eſt: matris enim Omentum chorio annexum cum eſſet, fœtum obvolvens, alimenti partem huic, initio cohæſionis ſubminiſtrans, ac tandem totum, Quid aliud præſtare poterat ſanguis in ejuſmodi corpuſculo, alimentum, ope acidi exaltati epiploi, quam ſalia volatilia obtundere, eadem fixare, ac proinde toti corpori ſufficientem ſoliditatem inducere, quæ agentium vim obtundere valeat, à quibus diſſolutio connexionis partium emergere potuiſſet? Adeo ut ille ſanguis, vel id alimentum, non tam in augmentum maſſæ illius corpuſculi, quam ad robur partium conduxerit, atque ut eo in eo ſtatu, quem nactum erat, citra alimentum conſervari poſſet, aut ut pauciſſimum in id ſufficeret.

Aciditas dicta viribus non æquiparanda fuit illi quam obtinet ſpiritus Salis, hinc abſimiles prodiere effectus ab iis quos muria inducit: Neceſſe fuit ad conſervationem mollitiei illius moderatæ carnium, atque ut ejus actio partium etiam interiora pervaderet, aciditatem modicam eſſe: alias modum excedens, ſanguinis in epiploi venis capillaribus exiſtentis coagulationem induxiſſet, ejúſque ad fœtum influxum prohibuiſſet, imo etiam ejus in ſingulas corpuſculi partes diſtributionem: Quod in quibuſdam temperamento melancholico donatis contingit, aſſertorum veritatem confirmat: Aciditas in illorum ſanguine exſuperans, ob fermentationis ſufficientis defectum, in cauſa eſt ut nulla fere accedat diſſipatio neque humorum, neque partium carnis maxime fluxarum & mollium: qua de cauſa pauciſſimo alimento ſe ſuſtinent, citra carnium imminutionem, aut carnium corporis manifeſtam extenuationem: Imo quoſdam hebdomadas & menſes integros, imo annos, ſine alimento tranſegiſſe fama eſt.

Materia illa gypſo ſimilis, reperta in cavitatibus efformatis ex partium rotundarum mutua vicinia, aut artuum cum trunco corporis, quarum fundum membranæ fœtum ambientes ſubire non potuerant, à compreſſione partium vicinarum, ſicut cavitatem capiti, collo & humeris interjacentem, eas quæ longitudini brachiorum adjacebant, materia inquam illa, comprobatura eſt modo à me dicta; liquor enim amnio contentus lacti quodammodo affinis cum ſit, qui non ſecus ac illud ab acidorum occurſu concreſcit, qui reſiduus in amnio, in illis cavitatibus, quarum ratione ad os fœtus impelli non potuit per partium vicinarum compreſſionem, efficacia ſucci acidi coagulata fuit, è vaſis epiploi expreſſi, cámque adepta eſt conſiſtentiam quæ gypſo duritie affinis fuit: Eo pacto ſuccus, à ſanguine in pelvi ſecretus, ad admiſtis acidis concreſcit, atque accedente mediocri calore induratur.

Materia lapidis inſtar dura, ulcus uteri obducens, non adeo admirationi

eſſe debet : etſi enim carnes, quibus ſuppuratio accidit, in ſaniem valde fluidam colliquentur, fermentationi idoneam quouſque acria, effervеſcentiæ illius cauſa, temperentur, pus ex ea materia exiliens conſiſtentiam nihilominus quandam obtinet, quod aliquando induruiſſe obſervatum. Eo pacto pauxillum pus, conſiſtentiam quandam & ſoliditatem nactum eſt circa ulceris illius labia, quod ex recentis continuo appulſu & adhæſu, teſtæ cochleæ temporis decurſu formam adeptum eſt, Atque illa puris induratio eo facilior fuit, quod ſerum, à quo dilui poterat, in cavitatem uteri effluxum habuit, at tandem paulatim, via ſolita, per purgationes menſtruas vacuatum fuit.

Ulterius circa materiam hanc non provehar, ne dicendorum limites mihi præſcriptos ab initio tranſgrediar. Accuratius horum examen illis relinquo quibus plus otii aut quibus animus id perſequi: Rem gratam feciſſe me credo iis quibus rerum naturalium & medicarum cognitio curæ eſt, ab obſervationum harum communicatione, atque inde ſpero illis in ſcientiarum incrementum & ornamentum emolumenti aliquid acceſſurum. Vtinam nullæ prætermitterentur occaſiones ea adnotandi quæ ſimilibus in caſibus accidunt. Niſi neglectæ à præcedentium ævorum Medicis fuiſſent circa ejuſmodi caſus obſervationes, accuratior foret notitia eorum quæ animalium generationem ſpectant, adeoque locupletari Medicina potuiſſet remediis contra plurima ſymptomata muliebrem ſextum fatigantia, Medicis etiam peritiſſimis negotium faceſſentia.

Neque id ſatis rite animadverſum, quicquid Ariſtoteles circa ſcientiam rerum naturalium poſteris reliquit, fundamentum habere in accuratis obſervationibus; ſicut videre eſt in libris quos conſcripſit de Animalium Hiſtoria, De Generatione eorundem, in Problematis, &c. Si Philoſophi poſteriores eidem inſtitiſſent viæ, eodémque labore res tractaſſent, ſyſtemata nobis ſuppeterent majoris utilitatis Phyſicis futura, & Medicis amplius iis quæ nobis proſtant profutura, vel nobis meliora præſtandi anſa porrigeretur: ſed neſcio quo facto opinio irrepſit doctrinam citra laborem inſignem comparari; hinc quibuſdam id tantum curæ fuit memoriam antiquorum commentariis & opinionibus onerare, nulla vero ad examen ea revocandi aut propagandi. Ii inquam rationem propriam authoritati Philoſophorum celebrium manciparunt, Aut ut opinionibus propriis firmamentum conciliarint, in id incubuerunt quo Ariſtotelis authoritas inviolata & illibata ſtaret, ipſarum authorem illum conſtituentes, eum in finem loca quædam obſcura & implicata ad ſuam ſententiam detrahentes : Ideóque Reverendus *P. Rapin* Jeſuita, eo libro, in quo Ariſtotelis & Platonis inſtituit comparationem, merito conqueritur grandem illum numerum *Philoſophicorum curſuum*,

F

ſpecioſo titulo commentariorum in univerſam Ariſtotelis Philoſophiam turgentium, vix quicquam continere doctrinæ Philoſophi illius.

Alii, eximium quid affectantes, omnes conatus adhibuerunt quo à trita ſemita aberrarent, admirationémque quorundam ingeniorum, id ſolum probantium quod incomprehenſibile eſt, ſibi comparaturi, gloriam & in opinionibus abſurdis & à ſenſu communi deflectentibus quæſiverunt. Illi multum ſe contuliſſe in ſcientiarum ornamentum arbitrati ſunt fictione vocum nihil ſignificantium, publici juris eas faciendo, ideáſque chimæricas illis aſſignando: At ejuſmodi genia nemo probaturus eſt, niſi qui fumo paſcitur: Sæculo vivimus illuſtrato, ſoliditatis ſcientiarum cupido, ſinceritatis in Phyſica & Medicina ſectatore, cui deſpectui ludibria & phantaſmata: Ut jam ſpes affulgeat ſcientias ad perfectionis culmen deductum iri, ac Galliam non minus armorum ſplendore quam literarum alias nationes ſuperaturam, favente Principe, cui non minor cura ſubditos ſecuritati reddendi, hoſtes profligando, quam eoſdem felicitate donandi, omnia ad vitam commoda ipſis conciliando, Academiarum inſtitutione ad ſcientiarum & Artium incrementum, & remuneratione virorum Illuſtrium in id operam navantium.

ZODIACI MEDICO GALLICI

SIVE

Recens in Re Medica Exploratorum.

Februarius.

EPISTOLA SECUNDA.

MAXIMO quidem loco Tua mihi eſt de rebus ſententia, applauſus tamen quo primam meam comprobas ſententiam, etſi oraculi inſtar ſit, inſtitutum meum confirmantis, non excepio: Tua autem intereſt ut propoſiti tenax ſis, me vero non fugit de me Te immoderatius ſentire, qua de cauſa judicium tuum pro tempore abnuo, à ſuffragiis publicis famam ſecundam aut adverſam præſtolans.

Interim promiſſis ſtandum, ac qualiſcunque ſucceſſus maneat commercium noſtrum, fortunæ aleæ omnia committo; grave alias foret ſi vel minima quærimoniæ anſa à me Tibi præberetur: Unicus ergo eſto mihi ſcopus tuam demereri gratiam, quem dum attingere ſatago, ſi ſcopuli inevitabiles objiciuntur, imminentia diſcrimina ſubire ſum paratus, dummodo animi in obſequia parati indicia ediderim.

Ideo nullum deinceps futurum eſt impedimentum quin in inſtituto commercio literario pergam, participémque faciam rariorum obſervationum quæ hujus menſis decurſu obvenerint.

Observatio I. D. MERY.

Hernia rara.

COmmunicatarum rerum prima eſto Obſervatio à *D. Mery* facta, Chirurgo Noſodochii, *Hoſtel Dieu* dicti, Anatomico peritiſſimo, *Hernia*

completa in viro qui lxv. attingerat annum: hæc quindecim dierum ſpatio ſcroto, latere ſiniſtro, tumorem induxerat ægri capite majorem: In Noſodochium ſic affectus æger menſe Julio ultimo admiſſus eſt, decimo ſexto aut ſeptimo die ſequenti ibi vita functus. D. *Mery* cadavere diſſecuit, ægritudiniſque ſtatum exploraturus, ſtatim ſcrotum, darton, membranamque primo aſpectu peritonæi productionis ſpecie imponentem, inſtar ſacci tumorem inveſtientem aperuit: In cavitatem vero alvi digito intromiſſo per interiora iſtius membranæ, ubi annulum muſculi obliqui externi attigit, ab eo animadverſum dictam membranam nihil aliud fuiſſe quam aponeuroſin illius muſculi productiorem: Inciſa vero demum alia, priori ſubſtrata, membrana, illius originem quoque deprehendit in muſculo obliquo interno: Hujus tandem inciſio tertiam quoque detexit, productionem etiamnum muſculi tranſverſi, quam diſſecare neceſſe habuit priuſquam ſe proderet peritonæum.

Inſolita partium dictarum conſtitutio in admirationem dictum D. *Mery* rapuit, majorem vero intulit diſpoſitio inteſtinorum cæterarúmque imi ventris partium: Ad Tumoris enim productionem concurrebant Cœcum integrum, Coli portio, ac pene univerſa inteſtina gracilia, omento cooperta, paucæ aquæ innatantia; Depreſſum admodum erat ſeptum tranſverſum, Jecoris pars ſumma medium regionis epigaſtricæ occupabat, infima autem infra umbilicalem abierat: Ventriculus mediam pene cavitatem Ventris illius occupabat. Pylorus vero detractus, & productior ab inteſtinis redditus, ad inferiora adeo devolutus erat, ut in illa capacitate aliud fere nihil præter Duodeni longitudinem ſupereſſet, ſic tamen ut reliqua ſcroti cavitatem ſubierint, integra nihilominus exteriore peritonæi membrana, ſed præter modum tantum expanſa.

Hinc conſequentiæ non parvi faciendæ deduci poſſunt, *primo* enim nobis inſinuavit in Bubonoceles Chirurgia accurate & caute procedendum eſſe, ut præcaveantur errores plurimis Chirurgis familiares ob ignotam partium inſolitam conformationem. *Secundo*, in magis Herniis & completis Peritonæum non ſemper abrumpi; quod alias antiquis acceptum eſt; *Tertio*, Ligamenta præcipuarum imi ventris partium adeo produci & in longitudinem abire poſſe, ut inde earum deſcenſus & prolapſus contingat, ac proinde Ventriculi deſcenſum ſæpius opinione accidere.

Observatio II. Authoris.

Ventriculi Prolapſus.

REvera Domicella regionis Plateæ Maubertianæ habitatrix, *D. des Roſiers*, Chirurgum ſuum ordinarium, vicinum habens, cujus gratia toto biennii

biennii ſpatio plurimæ inſtitutæ conſultationes, Medicorum, Chirurgorum & Obſtetricum, me tandem ſolitarium ad examen ægritudinis ſuæ accitum voluit: animadverti abdomen, parte ſiniſtra & ſuperiore regionis hypogaſtricæ, elatius quam toto reliquo ſpatio: narravit mihi eorum quos in conſilium adhibuit ſententiam variam fuiſſe, dictúmque meteoriſmum alios abſceſſui interno adſcripſiſſe, alios tumori hydropis prodromo, ſæpius obſtructioni & lienis inflationi, Quoſdam uteri plenitudinem & intumefactionem accuſaſſe, ac tandem alios phlegmonen vel extraordinariam veſicæ extenſionem: Varia autem ego perquirens, aſſequuturus cauſas ægritudinis illius, ſymptomatumque inde exſurgentium ab initio ad eum uſque ſtatum quo ſe mihi obtulit, ex ſequentibus circumſtantiis à *ventriculi* prolapſu illam originem duxiſſe deprehendi.

Prima circumſtantiarum hæc eſt, quod elevatio in dicta regione conſpicua nullam duritiem præ ſe ferret, nullam fluctuationem; paucis, omnia abeſſent collectionis humorum aut interrupti illorum curſus naturalis indicia.

Secunda eſt, affectum illum uſum pulveris ptarmici, ex helleboro præparati, conſequutum fuiſſe, octennii ſpatio uſurpati; dum ex eo ſolatium cephalalgiæ perpetuo fere moleſtæ quæreret, unde crebra ciebatur ſternutatio, concuſſioneſque ſequutæ manifeſte ventrem infra deprimebant.

Tertia eſt, poſtremis duobus octennii annis ægram, ad unemque ſternutamenti impetum, percepiſſe è partibus vẽtris maxime concuſſam & depreſſam ad umbilicum ſitam fuiſſe, ac cum gutture continuitatem habere viſam fuiſſe, Unde facile colligere eſt ventriculum laboraſſe ob ligamenta illius relaxata, qui œſophagum, quo tempore vehementer ad infra tendebat, ſecum una detraheret.

Quarta eſt, Prolapſum ventriculi, quo laboravit vir ille de quo *Fabritius Hildanus*, à concuſſionibus multiplicibus etiamnum excitatum fuiſſe, quandoquidem ſequutus ſit vomitum ab aſſumpto antimonio provocatum.

Quinta eſt, magnum intuliſſe ægræ incommodum alimenti deſcenſum, quod ad infernam uſque tumoris partem pergere animadvertebat, in qua totos ſex aut octo dies commorabatur. Unde colligere eſt fibrarum ventriculi relaxationem ejus functioni manifeſto impedimento fuiſſe, cum alimenti in chylum tranſmutationi tantum temporis inſumeretur.

Sexta, præcedentis neceſſaria ſequela, eſt ægram fæces tantummodo alvo excluſiſſe poſtquam ipſa perceperat tranſitum alimenti à parte, quæ ipſum exceperat, in aliam: Unde ſequitur quandoquidem id impleret locum in quo tumor animadvertebatur, alibi quam in ventriculo quærendam non fuiſſe, atque tum demum id inteſtina ſubingredi cum concoctio deſignato tempore, eóque longiſſimo, peracta eſſet.

F 3

Septima tandem eſt, ægrum levamentum tantum ex decubitu percepiſſe: Stanti enim venter mappæ ſubtenſæ beneficio ſuſtinebatur, quam ſuſpenſorii in morem ad ſuperiora retrahebat: unde liquet eo in ſtatu ventriculi fibras, ejuſque ligamenta, tantam extenſionem perpeſſas non eſſe.

Cæterum quanquam affectus ejuſmodi incurabilium numero accenſeri debeat, exemplum à me productum infrugiferum forſan futurum non eſt, quandoquidem obſervationes à me traditæ ejus præcautionem inſinuant, vitanda ſcilicet eſſe quæcunque ventriculum vehementi concuſſione agitant: Initio affectus, ne ulterius progrediatur, decubitum capite demiſſo, clunibúſque elevatis, ſitus depravati partis corrigendi gratia, ad tempus requiri; utque fibris ligamentorum relaxatis contractionis nativæ recuperandæ concedatur ſpatium: ac tandem ſi ad terminum ſupra dictum devenerit, poſſe incommodum inde emergens faſciæ convenientis applicatione declinari.

Observatio III. Authoris.

Vomitus ob Pylorum gypſea materia intus & extra obductum.

Cum ſermo inciderit de ventriculi affectibus, memorandus Tibi ſequens, lethalis Domino *le Iay*, in Curia Pariſienſi Juriſconſulto: Primis anni præcedentis menſibus, ob aſſiduam nimis & vehementem negotiorum tractationem, temperamentúmque ejus melancholicum, inſignis obtigit humorum conturbatio, quam non modo anorexia ſequuta eſt, ſed & præterea nauſeæ frequentes comites fuere, toto fere trimeſtri moleſtæ, irritis omnibus quæ ad earum ſedationem adhibita fuere, remediis: Invaletudinis pertinacia omni robore ægrum ſpoliavit, exactíſque in inſigni languore quatuor aut quinque menſibus, quicquid alimentorum & remediorum ingeſtum eſt, vomitu excluſit, præter pauculum potum, eadem copia qua aſſumptum non redditum: Exacto tandem lugubri illo in ſtatu circiter menſe, factis ceſſit, annum ætatis triceſimum quintum agens.

Dom. *Amiens*, Chirurgus ejus ordinarius, cadaver diſſecuit, à quo reperta tota Pylori circumferentia exterius materia dura, gypſea, digiti tranſverſi craſſitiem excedente, ad medium fere uſque duodenum protenſa, corticis inſtar durioris, adhærens. Aperta demum illa ipſa pars, interius ſimili materia obducta & incruſtata apparuit, cavitatem ejus adeo occupante, vix ut ſtylo tenui pervia eſſet, quæ porro ad fundum uſque ventriculi pertingebat, in quo ejuſdem materiæ, minus autem duræ & craſſæ, portio quædam deprehenſa.

Observ.

Observatio IV. Authoris.

Penna anſerina integra deglutita.

REvocant prædicta mihi in memoriam rem admiratione dignam, quæ accidit Dom. *Collichon* Phonaſco. Jampridem impedimento illi erant phlegmata quædam craſſa, quotidie circa guttur collecta, quibus educendis aut deturbandis auxilio ipſi erat penna ſcriptoria intruſa, qua parte villoſa eſt: longiſſima illi ad uſum accommodatiſſima, quam intruſam quam profundiſſime inſerebat, adeo ut ſummis digitis extremo tubulo apprehenſam teneret: hæc illos aliquando evadens, œſophagum tota ſubiit, quam educere, adhibito quanquam omni molimine, nunquam licuit: hæc quanquam nullam inciſuram paſſa eſſet, moleſtiam nihilominus multam ferebat, quamobrem me ut educerem rogavit: idoneo vero inſtrumento deſtitutus, aliter ſatisfacere illi non potui quam ſpe facta alia in officina me reperturum, aut ut accommodatum cuderetur curaturum: Ipſe vero moræ & tædii impatiens, alium adit Chirurgum, qui cum alicubi didiciſſet modum ſpinas gutturi infixas, deglutito carnis crudæ fruſtulo, filo craſſiori adalligato, eoque ſurſum retracto, extrahendi, ratum habuit eadem arte quodvis corpus extraneum ſe educturum eſſe: opus, provt in mentem venerat, exequi conatus, non ſatis illi fuit dictum Dom. *Collichon* in nixus ad deglutiendum ejuſmodi fruſtum ſollicitare, quin & ipſe ad fundum œſophagi impellere intruſo porro conatus eſt, adeo ut pennam in ventriculum præcipitem dederit, nedum eduxerit: in quem illapſa quinq; aut ſex menſium ſpatio ægro multum injuriæ intulit, pungitivo enim dolore, qua parte tubuli extremum vergebat, urgebatur: nihilominus tamen ab exacto circiter biennio moleſtia illa omnino deſiit, neque per inferiora quicquam pennæ ſecretum fuiſſe animadverſum: Evidenti certe indicio validum diſſolvens in ventriculo latitare: ſi enim integra in eo penna ſubſtitiſſet, tantundem læſionis, quantum per ſemeſtre integrum intulerat, percepturus fuiſſet: nec porro per inteſtina tranſitus illi liber patuiſſet citra magni doloris acceſſionem, eo quod eximio ſenſu donata ſint, anfractibúſque variis.

Observatio V. Authoris.

Hæmorrhoidum dolor.

CUm Obſervationes proprias Tibi tradere in animo habuerim, participem Te fieri æquum eſt curioſi experimenti à me nuperrime facti: Vidua defuncti D. *Navarretii* Trapezitę Pariſienſis, poſt diuturnas ob obitum conjugis lacrimas, hæmorrhoidum dolore acerrimo infeſtata eſt: auxiliis

cauſa meam imploravit opem, adhibitáque quæcunque eam in rem uſurpari ſolent: Imperata & obſervata quies; diæta quoque accurata, irrita tamen omnia, dolor enim & inflammatio increſcunt, ac tandem ſanguis melancholicus ea copia in venis hæmorrhoidalibus collectus repertus eſt, ut tumor in manus contractæ molem excreverit: Ægra dolorum pertæſa, quendam nomine *Plumetium*, miniſtrum Chirurgum, probatiſſimum adverſus ejuſmodi morbum remedium jactantem, advocari curat in ſubſidium, remunerationem quantamcunque popoſciſſet ſpondens. Ab admoto decantato remedio illico immanes dolores excitati, quorum tamen pertinaciter patiens fuit, quod eorum ſedationem ab uſu unguenti intra ſex horas medicaſter pollicitus eſſet: promiſſis autem eventus defuit, remotis enim admotis medicamentis, tumor tertia parte auctior deprehenſus eſt, cui ſe commite adjunxerat inflammatio adeo inſignis, ut noctis unius ſpatio gangræna ſuperveniens morticinium parti ad denarii magnitudinem intulerit: Eo in ſtatu ægra conſtituta me revocandum curat, cujus votis, & ex officio annuens, quæ mearum erant partium non ſegniter exequutus ſum, ſanitatem tamen accerſere magnæ molis erat: A putredinem arcentium remediorum uſu exaſperationis mali impendebat metus; Gangrænæ progreſſum inhibere non poterant anodyna; Inutilia fuiſſent adſtringentia, & reſolventia debilia: Avalidioribus proculdubio dolor immanior extitiſſet, cum certo ſymptomatum ſubſequi ſolitorum augmento; Digeſtiva & ſuppurantia, ad ſeparationem partis ſphacelo affectæ neceſſaria, hæmorrhagiam lethalem ciere apta erant: Singulis tamen illis indicationibus ſatisfaciendum erat, at uſurpato remedio à quo nullum memoratorum ſymptomatum immineret.

Ex medicamentis ordinariis nullum duos illos ſcopos attingere poterat, ſagaci ergo ingenio neceſſario opus fuit; quocunque autem fundamento innitantur recens excogitata, ſucceſſus ſæpenumero non ad eſt, urgebat tamen mali vehementia, neque inducias concedebat ad diverſarum rerum periculum faciendum. Ex his eluceſcit ſimilibus in caſibus fortunæ non minus quam ingenio locum eſſe: Utrum hoc in caſu primas tenuerit ambigo, id tamen ſcias velim ex unica applicatione unguenti, à me ſola miſtura parati, ex unica uncia olei ovorum, ſemiuncia balſami ſulphuris, & æquali copia olei lateritii, etiam prima die phlegmonem pene extinctam apparuiſſe, tumorem ſubſediſſe, gangrænæque progreſſum inhibitum, atque intra dies paucos affectum de ſævitie tam aperte remiſiſſe, ut ægra liberationem omnino hebdomadæ ſpatio conſequuta ſit, ac particula gangræna infecta à vicinis abſceſſerit, prout fibræ ipſam ambientes ad invicem acceſſere, in modum formandæ cicatrici convenientem.

Observalio VI. Authoris.

Muſci terreſtris efficacia in ſiſtenda Hæmorrhagia.

EX præcedenti Obſervatione liquet caſuum urgentiam cauſis inventionis remediorum accenſendam eſſe : Argumentum ſtupendum dabit caſus admirandus, ultimo Septembri contingens, *Antonius Changenay* miniſter Chirurgus Lutetiæ Pariſiorum valedixit, Angliam petiturus; viceſima autem ſecunda ejuſdem menſis, medio inter pagos *Bougevilay* & *Talmonterium* intervallo, prope *Giſorium*, dum ſub arbore recumberet, circa ſextam veſpertinam ſomno tam alto premitur, ut ad ingruentem uſque noctem ibi moram traxerit: ſolvitur ſopor ab occurſu quatuor latronum, qui crumenam extorquent, tres ille nummos aureos *Ludovici* Regis effigie ſignatos depromit, cum aliqua moneta, totali nummorum quos pene ſe habebat ſumma; hæc vero illorum aviditatem cum non expleret, loculos & perulas explorant, quas cum vacuas reperiſſent, nec præterea aliud quid quod in commodum cederet, indignabundi illi virilia illi omnino, penem cum ſcroto, vaſiſque teſticulorum ſuſpenſoribus præciſe novacula thecæ inſerta abſtulerunt, adeo ut ne minima partium genitalium, quæ extra eminent portio ſuperſtes fuerit, Miſellum ſaucium mortis timor illico adoritur, inſignis copia ſanguinis effunditur, à frequentia exolutionum animi atteruntur vires, ac tandem ſalutis omnino ſpes concidit: Interea paululum recreatus, ſatis virium in ſe animadvertens, manipulum muſci arboris trunco, ſub qua jacebat, inhærentis digitis avellit vulnerique admovet. Ejuſmodi remedii apparatus exiguæ veriſimiliter erat efficaciæ, eo quod præſertim cohibendus eſſet ſanguis ex arteriis ſpermaticis effluens, quæ, ut notum, immediate ex aortæ trunco ortum ducunt; quandoquidem, ex confeſſo omnium rerum naturalium peritorum, muſcus exigua pollet adſtrictione, qui decoctione ſolum accedente efficax eſt : interea eventus alius omnino fuit, deſiit enim hæmorrhagia ab admoto muſco, ac ſaucio ſat ſuperfuit virium ad adeundum, ſed reptando, pagum proximum, quarta horæ parte à loco ſibi adeo infauſto diſſitum, quo cum perveniſſet ex Chriſtiani officio, animæ primo conſultum voluit, poſtmodum Chirurgo paganico curam ſui commiſit; vulnere ad cicatricem perfectiſſimam poſtmodum deducto ſpatio trimeſtri, ſolo digeſtivorum mundificantium beneficio, adſtringentibus ordinariis nequaquam in uſum duſtis; hæmorrhagia ſemel tantum recurrente, ſanguinis vaſculis quatuor aut quinque ad ſummum effluentibue, ac ſolummodo decima ab inflicto vulnere die. Primarius Regis Chirurgus oculatum me teſtem eſſe voluit, qui ex ore proprio patientis rei geſtæ hiſtoriam diſcerem, Ab eo cum percontatus eſſem num à valetudine reſtituta ulla veneris irritamenta imaginationi obverſata

ſint, hoc eſt, num eo modo quo invalidi, ac ij quibus partes per quas homines ſunt, amputatæ ſunt, aliquando afficiuntur, affectus fuerit? Id conſtanter negavit, atque à tempore læſionis ne minimum ad venerem incitamentum perſenſiſſe aſſeruit, etſi tum vigilanti tum dormienti ſæpius occurrerit recordatio earum quarum per ſanitatem etiam libidinoſe amaſius fuerat.

Observatio VII.

D. LE DVC.

Epilepſiæ cauſæ in conformatione capitis repertæ.

IGnotum tibi non eſſe exiſtimo quod tertiæ hujus anni Ephemerides tradunt, liberatum fuiſſe hominem ab Epilepſia, tranſlatione mali in canem facta: Sin vero morborum tranſplantatio aliquando poſſibilis, inde tamen ne colligas perpetuæ illam veritatis eſſe; ſæpe enim originem illi trahunt à partium, quas occupant, inſolenti conformatione. Revera id quod à Domino *le Duc* adnotatum ab obitu plurimorum Epilepticorum, quorum cadavera diſſecuit, quandiu Noſodochio Generali præfuit, abunde id probat: Ipſi enim compertum in omnibus, quotquot aperire licuit, cranium capacitate juſto majore naturali donatum fuiſſe, proportione habita partium quas continebat: idque craſſum ſemper fuiſſe & denſum, aliquando ex unico oſſe conflatum, at ſæpius duobus, tribus aut quatuor conſtaſſe, arcta præterea quarundam ſuturarum compage, ac duræ meningis à ſubſtantia cerebri, interventu aquarum collectarum ſeparatione: in iis uberius reduntantium quibus paroxyſmi vehementiſſimi fuiſſent.

Ex adnotatis his ſequentia colligere locuit, Primum eſt, vapores caput perpetuo affectantes, in aquas neceſſario faceſſere in iis qui eo modo conſtituti ſunt, à denegata facili exitui via: Secundum eſt, cranii amplitudinem ejuſmodi aquarum collectionis eſſe cauſam: Tertiam, paroxyſmos Epilepticos crebrius aut rarius accidere prout corpus majori aut minori vaporum copia abundat, hoc eſt, proportione habita ſpatii temporis ad capacitatis cranii repletionem requiſiti: Quartum tandem, ex præcedente neceſſario conſequens, eſt paroxyſmorum adventum, aut crebritatem differri poſſe, vel ſaltem violentiam retundi, in uſum ducendo remedio quorum efficacia copia illarum aquarum accidatur.

Quicquid ſit, ultimæ hujus obſervationis veritatis confirmationem ſi ulterius requiris, præbe Epileptico Luna inclinante, & quam proxime paroxyſmi invaſionem licuerit, unciam, vel ſeſquivnciam ſyrupi emetici, cujus deſcriptionem (quæ Domini *le Duc* inventum) Tibi tranſmitto, in aqua artemiſiæ

miſiæ aut meliſſæ, tunc ejus ope plurimam aquam ex ore parienis educi videbis, unde ægro magnum emolumentum acceſſurum eſt.

Syrupus Emeticus.

Accipe folia rubiæ tinctorum & betonicæ cujuſque manipulum unum, contere in mortario marmoreo, poſtea ebullant ſemihorulæ ſpatio in quatuor heminis & ſemis aquæ communis: trajiciatur hæc decoctio, ac calentem adhuc affunde unciæ uni Tabaci Braſiliani, ſemivnciæ Ellebori nigri, ac tantundem Ellebori albi, prius inciſorum, contritorum, ac vaſi terreo aut lapideo immiſſorum: macerentur omnia cineribus calidis impoſita, bini nycthimeri ſpatio, demum facta leviſſima ebullitione, trajiciatur infuſio, decoquenda cum media parte ponderis mellis Narbonenſis ad ſyrupi conſiſtentiam, in unaquaque libra diſſolvendo ſalis abſynthii unciam unam.

Proculdubio autem Tibi perſpectum me non ſolum operam navaſſe elucidandæ hiſtoriæ Infantis Tholoſani. Id vero quoque ſcio Te ſatis rerum rararum avidum ut ignota non ſint quæ de eo infante D. *Bayle* conſcripſit, Ad manus vero Tuas nondum pervenisse exiſtimo Diſſertationem ea de re factam à Medico Burdegalenſi, cujus cum pauciſſima exemplaria typis mandata ſint, amicis deſtinata, exiſtimo iſtud eo acceptius Tibi futurum, quo gratius eſt eadem de re diverſas & varias habere explicationes à pluribus ſuſceptas.

Vide finem menſis proxime præteriti.

Observatio VIII.

Sive Diſſertatio de Graviditate xxv. annorum D. Gulielmi Subercaſaux *Iunioris, Medicinæ Doctoris.*

SI naturam ſuſpicimus, miróſque ejus effectus qnoad hominum ægritudines, non minori admiratione excipienda à nobis quæ circa generationem eorum molitur: Aliquando nobis occurrunt infantes parentum ideam & characterem gerentes, aliquando his omnino diſſimiles, imo monſtra ex utero prodeuntia, bufonis forma, ſicut legere eſt in Centuriiis *Dom. Riverii,* aliquando pumiliones aut gigantes.

Si diſquiſitio fiat authorum quibus varii illi naturæ luſus perſpecti fuere, occurrent nobis exempla graviditatum ordinaria ſpatio temporis excedentium: *Avicenna* quorundam infantium decimo quarto menſe natorum meminit: *Incubus Fontanus* alia exempla adducit ex Schola Monſpelienſi eruta, natorum decimo, decimo ſexto & viceſimo quarto menſibus: Ab hac

ſententia non recedit Dominus *Harvéus*, qui aſſerit à ſe viſam fœminam à ſexdecim menſibus utero gerentem.

Miræ illæ naturæ enormitates his quæ hodie accidunt æquiparandæ non ſunt, quandoquidem valet illa infantes in matris alvo per annorum viginti quinque curriculum cohibere, extra uterum vitam illis conſervare, imo etiam incorruptos poſt mortem inibi continere, quod à Domino *Bayle*, viro genii tota Europa incomparabilis, obſervandum nobis traditur in hiſtoria mulieris Tholoſanæ, cui nomen *Margareta Matthieu*: Quæ huc à me adducenda ſunt ſententiam ejus non impugnabunt, duntaxat examinis gratia tria capita, hac in hiſtoria dilucidationis egentia, attingam.

Prima fronte cuipiam videbitur, dum ſermo incidit de effectibus naturæ circa hominis generationem, mihi protinus diſquiſitionis onus incumbere num Alkali & Acidum duo ſunt Elementa ex quibus cuncta corpora conſtant: at vero cum forte crabrones in me concitaturus ſim illi materiæ manum admovendo, ea ſilentio prætereo, concordiæ & pacis cupidus: Interim litis illius deciſionem Dominis Chimiſtis concedens, ſatis mihi ſit de graviditate hac viginti quinque annorum verba facere, ac circa eam tria perpendere.

Primo, num infans iſte extra uterum repertus, Epiploo annexus, in utero ipſo conceptionem nactus ſit? atque hoc ſuppoſito, num potius fundum quam aliam quampiam partem perforaturus fuerit? ſecundo, Qui fieri potuerit *Margareta Matthieu* abdomen eandem ſemper amplitudinem obtinuiſſe, quanquam totos viginti quinque annos utero geſtarit? Tertio tandem cur prædictus infans, extra uterum collocatus, putredinem evaſerit, cum caput ulceri accumberet?

Num infans Margaretæ Matthieu *in utero conceptus fuerit, hocque ſuppoſito, An potius fundum quam ejus partem aliquam perforaturus fuerit.*

Propoſitionem primam quod ſpectat, id in anteceſſum dicam, aſſerendo infantis hujus conceptionem in utero factam fuiſſe: accedente violenta quapiam agitatione ipſius fundum perforaſſe, ac tandem verſus inteſtina irrepſiſſe, & Epiploo adhæſiſſe, dubitationis tamen anſam illis porrigi qui uteri conſtitutionem expendunt, ſubſtantiámque illius nerveam ac prætereà circa fundum multo craſſiorem quam alia parte eſſe animadvertunt, quia ſcilicet arteriæ hypogaſtricæ copiam ſanguinis illuc invehunt.

Anatome cum dicta veritatis eſſe indubiæ demonſtret, infanti facilius fuiſſe videtur uterum alia in parte quam in fundum diſrumpere, quandoquidem, experientia teſte, cæteræ partes ad proportionem incrementi infantis, extenuantur

extenuantur, fundum autem craſſeſcit: Id quod nuper à me adnotatum in muliere pariendo mortuæ in Noſodochio Pariſienſi, *l'Hoſtel Dieu* dicto: Præterea, ſupponamus dictam lacerationem infanti adſcribendam, ſicut connexio & colligatio illius cum omento palam facit jampridem uterum diſruptum fuiſſe, difficile captu eſt quomodo mater eo in ſtatu vitam trahere potuerit: Ideoque alia quæpiam cauſa primaria inquirenda quæ talem dilacerationem induxerit, qualis forte fuit ulcus ibi repertum.

Ex Galeno diſcere eſt generationem habere ulcus ex affluxu & copia vitioſorum humorum. *Vlcus*, ait, *fit ex vitioſorum humorum influentia:* Uterus autem cum ſit cloaca illuvei muliebris, forte dilacerationis uteri cauſa primaria extiterēt vitioſi illi humores ea in parte ſtagnantes, à quorum aciditate corroſum fuerit uteri fundum, atque inductum ulcus ibi repertum, quod demum cauſa eſt febrium, ex ſententia *Hippocratis*, *Quibus ulcus*, ait, *in utero exiſtit, iis febres obveniunt.* Ideo facile contingere potuit matrem, dum eniteretur fœtum extrudere, à tam longo tempore moleſtum, conatum vehementia uterum dilatatum fuiſſe, fundumque ejus ante ab influxu humorum acrium corroſum, dilacerationem tandem paſſum eſſe inde eodem tempore obitum *Margaretæ Matthieu* maturatum.

Supra à me adducta eò me impellere videntur ut aſſeram dictum infantem in utero forſan conceptum non eſſe: Revera, an non illud obtendi poteſt, quandoquidem generatio mediantibus ovis contingit, in teſtibus muliebribus obviis, aliquod forte ex iis in *Margareta Matthieu*, inibi vivificatum fuiſſe à ſpiritu virili ſemini inſito, quod à Tubis aberrans, ex iis in uterum deſcenſurum, à cauſa quapiam extraordinaria in inteſtina illapſum ſit, ob eorum motum ſub omentum ſe inſinuarit, ejúſque ſubſtantiæ quaſi agglutinatum fuerit, hinc tandem ibi loci illius factus fuerit incubatus fœtúſque conceptio?

A me adducta abſurda non videbuntur illis qui Tubas & Teſticulos obſervaverint; Diſſectio rem planam & apertam facit: Mulieres autem gallinarum inſtar Ova gerere intrepide aſſero, experientiæ enim refragari non audeo, Id tantum indagandum ſupereſt, quo pacto in dicto infante vita conſervari potuit, extra uterum concepto atque epiploo alligato, quod ut credamus nihil vetat; Cum illi parti arctiſſime adhæſerit, nutricatum à vena Porta haurire potuit, quandoquidem eo ſuas propagines diffundit.

Quomodo contigerit ventrem Margaretæ Matthieu *ultra morem ſolitum expanſum non fuiſſe, quanquam à viginti quinque annis utero gereret? Ac quomodo eandem amplitudinem ſervaverit.*

Cum corpora noſtra alimento deſtituta emacientur & extabeſcant, vide-

tur prima fronte nulla alia ad illorum augmentum ſupereſſe ratio præter ſufficiens alimentum, Si tamen omnia ad examen revocemus, aliæ ſeſe offerent ob quas fœtus in alvo materna incremento prohiberi poteſt, quæ etiamnum ut mulieris hujus venter eundem perpetuo magnitudinis tenorem conſervarit cauſa fuerint: quarum propoſitionum alteram tanquam paradoxam tueri conatus ſum, quo tempore ambire auſus ſum Profeſſoris provinciam in Academia Burdegalenſi, nunc demandatam Dom. *Tartaſio*, quam illi aſſignarunt inſignes dotes, intimáque eruditio.

Conſtans eſt Anatomicorum ſententia uterum muſculis imi ventris ſuppoſitum eſſe, Medium inter inteſtina & veſicam: Rationem ſi quærimus ex Domino de *Grvaf*, ab eo proculdubio docebimur Authorem Naturæ hanc illi aſſignaſſe ſedem, ut ſi homini aliquando contingat animos altius efferre, ſuperbiam hic deponeret locum nativitatis in memoriam revocans: *Voluit Deus hominem inter fœtidas illas partes naſci, ut cum ſit ſuæ vilis & abjectæ conditionis memor, ſuperbiæ ſuæ alas dimitteret.*

Ab experientia necnon diſcimus muſculis imum ventrem donatum eſſe, è quibus quidam Obliqui vocantur, alii Tranſverſi, alii vero Recti: Hac de re cum certo conſtet, Quæſtionem facile erit ſolvere, ſi perpendamus pluribus corporis noſtri partibus hyperſarcoſes adnaſci poſſe, exempli gratia parti internæ muſculi recti in os pubis deſinentis: Ex his facile colligere licet ab excreſcentia ejuſmodi adeo poſſe comprimi fœtum in mulieribus, utero adhuc conceptum, ut ſufficiens ſpatium ipſi ſufficere nequeat ad membrorum dilatationem, & aliquale eorum augmentum: Opinio hæc magno ſubſidio futura eſt ad cauſam venandam æqualis amplitudinis ventris in *Margareta Matthieu*, ſicut refert ejuſdem hiſtoria: Nec illam colligere arduum erit, ſi enim advertamus Epiploon omnino ſcirrhoſum repertum fuiſſe, id quod ſat eſt ad prohibendum fœtus augmentum: quandoquidem à comprimente hoc tumore denegatum eſt ſufficiens incremento ſpatium; eáque de cauſa iſtrus mulieris venter eodem ſemper magnitudinis tenore perſtitit.

Cur Margaretæ Matthieu *infans omento colligatus putredinem expertus non eſt, cum caput, ex relatione, vlceri adnexum fuerit?*

Galenus libro de Temperamentis, ait omnia à calido & humido putreſieri, contra à frigido præſervari: *Putreſiunt omnia à calido & humido, ſervantur incorrupta à frigido.* Cum hoc effatum magni ſit ponderis, hinc videtur inferendum fœtui *Margaretæ Matthieu* inevitabiles fuiſſe corruptionis cauſas, ab humiditatibus corruptis ex ulcere, cui caput incumbebat, manantibus, niſi aliæ ſuppeterent mihi cauſæ corruptionem arcere potentes.

Ex

Ex Anatome didici, atque hoc ipſum non ita pridem obvium mihi factum eſt, Epiploon (cujus uſus ſunt inſignes) magno numero parvularum glandularum obſideri, intra ſe ſuccum acidum continentium : Veritatem quandoquidem diſſectio adſtruit, Infans autem iſte cum utero alligatus repertus ſit, nullus non in eam opinionem deveniet ipſum naturæ iſtarum glandularum factum fuiſſe participem, illi quippe jam ante arcte unitus erat, atque ejus membra in ſe ſuccum illum acidum cum ſuſceperint, ejus ope à putredine vindicata eſſe : Inficias ire audebit nemo, qui in memoriam revocaverit in opere practico obſervari ab Acidis magnum auxilium contra putrefactionem expectari : nam ex Chimiſtarum ſententia, veritati conſona, partes ex quibus conſtant, vi porros reſerandi pollent ac facilem efficiendi diaphoreſin; quæ prohibita putredinis parens eſt, juxta Galeni effatum, *Tranſpirationis prohibitio eſt occaſio putredinis :* Quare inferre liceat, vi ſucci acidi glandularum Omenti, infantis *Margaretæ Matthieu* impeditam eſſe corruptionem.

Et hæc de præſenti hiſtoria dicenda habui, ad cujus dilucidationem ſagacioribus ingeniis opus eſt : Interim veriſimile eſt naturam ex intervallis extraordinarios effectus edere quo nos ad arcana ejus rimanda ſollicitet, atque omnino in rerum elegantium cognitione occupatos detineat.

FINIS.

Diſſertationis hujus finis, epiſtolæ quoque meæ limites imponet, quandoquidem hic mihi præſcripti. Ideo bona Tua cum venia, Domine, menſe demum proximo à me hiſtoriam rariorem, mihi modo communicatam, expectaturus es. Vale, &c,

Pariſiis 29. Februarii 1679.

ZODIACI MEDICO GALLICI

SIVE

Recens in Re Medica Exploratorum.

MARTIVS.

EPISTOLA TERTIA.

QUod tardius ultimam meam ad te mittam non inique feres, Domine: Minus fateor accuratus fui in promiſſi exſolutione, negligentiæ tamen reus non ſum, neque cenſuræ ideo obnoxius, ſtare pollicitis animus fuit; Niſi rigiditas hyemis Typographeis noſtris perturbationem aliquam induxiſſet, ad Te proculdubio ſcripturus eram ante exitum menſis præteriti; ſed patienter ferenda quibus reluctari nefas; impedimentum autem adnotatum culpa me abſolvit: Declinabo in poſterum ejuſmodi exprobrationis cauſas, qui Te in poſterum diligentiæ meæ præconem habiturus ſum.

OBSERVATIO I.

D. BOVCHERII.

Bronchocele.

DOm. *Boucherius* Camberiacenſis, cui debes remedium Traumaticum à me Tibi tranſmiſſum, alterius jam me participem facit, probatiſſimi, ipſo aſſerente, effectus contra tumorem Gutturis, *Bronchocelen* dictum. Non Tibi ignotum morbum illum in Sabaudia endemium eſſe, qua propter veriſimile eſt Chirurgis patriis nota eſſe remedia experimento confirmata; ideóque rem tibi non ingratam facturum credidi ſi mitterem, En compoſitionem.

Accipe

Accipe ſpongiam puram, pugno paulo majorem, affunde ſpiritus vini optimi quantum imbibere poterit, colloca in medio ſtribitariæ coquullæ cupreæ, ſtanno obductæ, circumda manipulo radicum porri; ſuperpoſitóque cooperculo, ſupra & infra admoveatur ignis validus, qui urgendus quouſque contenta in carbones redigantur; demum in cacabum conjice, additis duabus pintis & aquæ fluviatilis cotyla, ſulphuris communis unciis duabus; ebulliant, non igni imponendo; ſed ope decem aut duodecim grandiorum ſilicum, in ripa fluminis collectorum, nunquam alias in uſum ductorum: illos probe ignitos conjice in cacabum, relinquendos quouſque deſinat ebullitio: his exemptis tranſcoletur decoctum per chartam emporeticam, aſſervandum in lagena rite obturata.

Uſus hic eſt; Tempore lunæ declinantis, mane jejuno ventriculo aſſumantur duo cochlearia, & totidem quatuor à paſtu horis, Eodem remedio eadem methodo menſe ſubſequenti iterato, ſi tumor priori uſurpationi non ceſſerit.

Observatio II.

D. ROBERDEAV.

Vulnera duo ſummo abdomini inflicta, in cavitatem penetrantia.

Dom. *Roberdeau*, jam ante Tibi notus, ab aliquot menſibus experimento ſingulari me donavit: Acceſſitus fuit ad curationem cujuſdam læſi, cui vulnus ſuperficiarium ſupra cartilaginem Xiphoidem inflictum: Item aliud infra coſtas nothas, cavitatem ſubiens: In ægro deprehendit alvum admodum cum dolore tumidam, ne leviſſimum attactum ferentem, cum reſpiratione aliquanto citatiore: Ex dictis ſymptomatis agnovit ſanguinem infra partes abdominis continentes effuſum fuiſſe: hinc deliberatio capta circa inguina diſſectionem inſtituendi, quo loco maxime eminebat tumor: quamobrem ope cauſticorum potentialium eſcharam induxit; qua inciſa, quo facilius interiora ſubirent dicta cauſtica, ea denuo admovit, à quibus altera eſchara excitata, cujus ope ferrum illi adigere licuit in cavitatem uſque, indeque educere extravaſati ſanguinis diſcum integrum: Hac operatione facta illico deſiere omnia ſymptomata, atque æger breviſſimo tempore remediis ordinariis ſanitatem conſequutus eſt.

Observatio III. Authoris.

Fœtus putridi oſſa per abſceſſum abdominis cum pure excluſa.

Ad alia diverto, narraturus Tibi hiſtoriam in qua multa notatu digna: Ab aliquot annis uxor Tritici Dimenſoris, ad Sanctum Euſtachium

domicilium habens, quarto fit gravida: Circa quintum aut ſextum graviditatis menſem in via publica cecidit, unde poſtmodum ſuborti leves quidam dolores in lumborum regione ac imo ventre, à quibus abortus imminebat: *D. Blondinus* Chirurgus Reginæ cohortis, advocatus fuit, ſanguinem ille è brachio miſit, requiem in lecto ſpatio octo aut decem dierum imperavit; quo tempore elapſo, nullo ſuperveniente ſymptomate quod alias præcautiones innueret, reditum illi ad ſolita officia domeſtica conceſſit. Eo in ſtatu circiter octo aut novem menſes cum tranſegiſſet, partus doloribus non accedentibus, neque ullis effuſis aquis, dubitatio incidit num revera gravida eſſet: Dolorum quidem immunis fuit, non item aliorum affectuum æque gravium, paulo poſt enim exactum partus naturalis terminum, invaſere eam oppreſſiones menſtruorum ſuppreſſionem conſequi ſolitæ: ſupervenit enim totius abdominis tenſio dolorifica, unde elati continuo putridi vapores, nauſeam parientes, anorexiam, capitis dolorem cum febre: Hæc ſymptomatum ſyndrome ad iteratam ſanguinis miſſionem D. *Blondinum* impulit, imo ad uſum aliquot remediorum hyſtericorum & purgantium, immota nihilominus perſtitit cauſa, nec enim uterus hiavit, humorumque ad iliacam regionem, latere dextro, decubitu facto, inibi genitus abſceſſus phlegmonoſus, inſignem circumſcriptionem gerens: D. *Blondinus* non minus ſagax quam peritus Chirurgus, aliquid extraordinarium in eo abſceſſu ſuboſfaciens, conſultationem inſtituendam propoſuit: Ad eam convocatus defunctus Dom. *Balancé*, atque inter eos de apertione tumoris convenit, ſed admoto potius lapide cauſtico quam ope ſcalpelli: Ad operationem deliberatio illico deducta, cui eſchara pollicis latitudine, ſex tranſverſorum digitorum longitudinis inducta: Alte penetraverat, quo enim momento remota emplaſtra, eum cohibens, pars eſcharæ ſeceſſit, exilientibus illico materiæ purulentæ pluſquam quatuor vaſculis, cujus conſiſtentia admodum inæqualis, odor autem adeo inſuavis ut nullus eſſet ferendo. At hoc vero admodũ D. *Blondino* admirationi fuit, coſtę ſcilicet, die ab apertione tertia, cum pure aliquótq; manus oſſiculis excluſio, fœtus, eo judice, quinquemeſtris aut ſemeſtris, quæ poſtmodum alia ſubſequentibus diebus magno numero conſequuta ſunt, ut cenſebat, ex iis quæ maxime corruptioni reluctantur, Abſceſſus curationem more ſolito proſequutus eſt. Uterus quicquid cavitate ſua continebat extraneum expulit: Ulcus ab oſſiculis inductum ad conſolidationem deductum, Ægra autem intra trimeſtre integram valetudinem adepta eſt.

Hiſtoria adducta proculdubio plurimis circumſtantiis, accurato examini ſubjiciendis, prædita eſt: Primo enim id mirum videtur caſum mulieris, mortis fœtus cauſam procatarcticam fuiſſe, potius quam abortus: Revera, cũ raro contingat ab ejuſmodi caſibus infantes immediate lædi, vice verſa id familiare eſt ut ea ratione tantum lethales ſint, quod ſecundinæ diſtractionem

pariant;

pariant; cui ſimul & ſemel & fœtus obitus, ob denegatum alimentum, ſuccedit: & abortus, à relaxatione orificii interni vteri ob ſanguinis effluvium: Præſenti vero in caſu ab utero ſecundinæ divulſio non contigit, nulla quippe ſanguinis effuſio facta, attamen fœtus vita functus eſt, quanquam matris caſus in ventrem non contigerit: vt eventus dicti ratio eluceſcat, id adduxiſſe ſatis ſit, mulierem quo tempore utero gerit, conſiderandam eſſe tanquam compoſitum quid ex duobus corporibus duabúſque animabus, adeo tamen ut illæ animæ, illáque corpora, duo individua conſtituant, quorum utrique id commune eſt ut ab impetum facientibus varie afficiantur: Hoc præſuppoſito, facile quis intellecturus eſt quomodo fœtus ob caſum necari queat, quanquam illæſus, nec alimento deſtitutus, terror enim ab illo inductus impetuoſe ciet ſpiritus animales in utroque corpore vagantes: ſpiritibus illis non modo ſubita ſuffocatio imminet in fœtu, ſed & ab illis ruptio cujuſpiam organi ad vitam neceſſarii induci poteſt, quod in tantillo corpore valide reluctari nequit.

Hoc iterum in admirationem pertrahit, quod mortuus fœtus exitum verſus ordinariam viam non affectarit, ſcilicet orificium internum, idque ſtatuto tempore: docet enim experientia fœtus, quamquam jampridem in utero vita privati ſint, partus tamen dolores non aliter ciere quam ſi vita fruerentur, modo illaceri perſtiterint: probabile autem iſtum nono menſe, nedum ſeptimo corruptum fuiſſe, quandoquidem paulo tantum antea mater læſa fuerat; abſceſſus autem, à putredine inductus, ſexto demum menſe ab ultimo partus tempore ortum habuit: Interim in cauſas naturales iſtius eventus penetrare licet, A me adnotatum infantes ſeptimo menſe prodire ſi eo temporis ſpatio juſtum accretionis terminum adepti ſunt, adeo ut totum uteri ſpatium, pro extenſionis ratione, cujus capax eſt, adimpleant: ſicut autem infans dictus vita paulo poſt quintum menſem exutus fuerat, magnitudinis cauſa ad exitum ante nonum impelli non potuit: Sin ſpatium temporis, quod diem læſionis ídque tempus interceſſit, ad corruptionem fœtus inducendam ſufficiens non fuit, illud concedendum erit in eo temporis intervallo aquas, ac proinde membranas eas ambientes, putredine inquinari potuiſſe, cóque pacto privatas illas fuiſſe diſpoſitione neceſſaria ad partus dolores ciendos, atque orificii interni relaxationem, quibus abſentibus partus non contingit: Unde inferre mihi liceat ab ejuſmodi corruptione inductam fuiſſe fœtus in utero retentionem.

Sed & illud diſquiſitionem meretur, cur fœtus eo modo cohibitus putrefactus potius quam exſiccatus fuerit? Suppoſitis autem mox allatis, difficultatis ſolutio facilis erit, cum enim loco calido & humido concluſus eſſet, aquæ autem ſtagnantes, ac membranæ corruptæ ipſum ambirent, inevitabilis erat ejus putredo.

H 2

Hoc vero vix quiſpiam explicet, cur ſcilicet fœtus, aliáve corpora corrupta, ac in utero detenta, per ejus fundum potius exitum quam orificium internum affectent? Ratio tamen inveſtigari poterit ſi iſtius orificii ſtructura percipiatur, quod ex complicatione omnium fibrarum uteri fundum conſtituentium conſtat, quo loco etiamnum majore craſſitie, validioréque vi reſiſtendi pollet, cujus actio cum ex voluntatis arbitrio non pendeat, ideo tantum vi quadam impellente reſeratur; aut à motu ſanguinis menſtrua conſtituentis, aut ab ejaculatione materiæ ſpermaticæ generationi deſtinatæ, aut ab impulſu aquarum ad partem concurrentium: Hujus autem dilatatio à fluxu menſtruo expectanda non erat, quandoquidem hic graviditatis tempore ſupprimitur; nec quoque à ſeminis exitu, cum hoc conceptione facta ad vaginam per vaſa, uterum non ſubeuntia, impellatur, nedum juvante membranarum aquas continentium actione, cum eo tempore veriſimile ſit eas putredine affectus fuiſſe. Itaque cum uteri oſtium via eſſet omnium minime commoda fœtui exiturienti, mirúmne erit ſi carnibus ejus in tabum ſolutis, oſſa cum pure verſus ejus fundum deducta fuerint, unde tandem emerſerit abſceſſus hujus hiſtoriæ circumſtantia præcipua?

Perſpectum jam Tibi ſit Domine, maximam rerum extraordinariarum, quæ conceptionem conſequuntur, partem, cauſas habere intellectui non omnino impervias, ſi modo accuratum ſtudium in earum inveſtigatione adhibeatur.

Observatio IV. Authoris.

Monſtrorum Generatio.

MOnſtrorum autem generationis cauſæ non adeo facile innoteſcunt, nota Tibi Theologorum ſententia, illam ſoli Dei voluntati immediate adſcribentium, malitiæ Dæmonum, aut magorum incantamentis; Doctores vero noſtri cauſarum naturalium non parvam ſeriem adducunt: At cum de ejuſmodi prodigiis ſermo plurimus deinceps futurus ſit, non abſonum credo ſi meas ſuper hac re conjecturas propoſuero.

A te proculdubio idem quod à me adnotatum, maxime & evidentem & communem ejuſmodi cauſam eſſe fortium idearum conceptionem, mentem autem ſic explico, Omne animal vivens ex ſubſtantia ſpirituoſa, id animante, & materiali animata conſtat: ambæ ergo hæ ſubſtantiæ ipſius ſunt principia conſtitutiva, quorum ad generationem æqualis concurſus eſſe debet: Eo ergo momento quo mulier concepit, pro rato habendum utero illius animam contineri informatice vi præditam, & materiam formæ capacem. Hæc porro anima cum quodam modo uniatur, ſimúlque ad generationem cum mulieris anima concurrat, nemini dubium eſſe debet illam earundem perceptionum

ceptionum capacem eſſe; Revera ab objectis, vehementer ipſam commoventibus, quodammodo modificata aut determinata, intra propria clauſtra aut conceptacula, organa cognitioni formandæ idonea non nanciſcitur, inde tamen non impeditur quominus propemodum ad inſtar animæ mulieris gravidæ agat, quandoquidem ſi altera cerebro, idearum ſedi, conceptarum imagines imprimit, altera in utero idem circa materiam ſubjectam præſtat, Atque inde eſt, quod ſi primis conceptionis diebus, quorundam objectorum monſtroſorum fortes impreſſiones mulieres admittant, ſive realia ſint, ſive phantaſiæ producta, monſtra ſine dubio edituræ ſint; porro ſi non procul à fœtus conformatione avide concupiſcant quæ illico conſequi non detur, veſtigia impreſſa, eáque indelebilia remaneant.

Observatio V. Authoris.

Vires imaginationis in gravida.

HOc ratiocinium confirmaturus aliquot exemplis, paucis Tibi enarrabo quid cõtigerit mulieri, cui anno poſtremo fœtũ marem ex utero eduxi: Quindecim circiter à conceptione diebus capitis vitulini edendi avido deſiderio tenetur. Appetitum marito cõmunicavit, qui ut uxori quamprimũ ſatisfieret ſatagit; at quamdiu hoc ollę impoſitum excoquitur, ideam rei expetitæ tam fortater animo inſculpſit, ut fœtus cuncta cranii oſſa carne ſpongioſa inveſtita apparuerint, quæ amfractus, membranas, quæcunque tandem capitis vitulini cocti forma præ ſe fert, intuentibus exhibebat: cujus item oris interiora, rugas & circumſcriptiones, quæ in illo animali animadvertuntur, obtinebat: Partus tamen à naturæ legibus non admodum receſſit: caput vero cum prius in exitum procederet, nec D. *Fratin* obſtetrix, id dignoſcere valeret, me conſilii cauſa accivit: conſtitutione autem inſolita à me animadverſa, ad extractionem animum appuli, veritus ne facili exitui impedimento foret vitioſa illa conformatio in cervicis uteri pertranſitu, cujus operationis hic fuit ſucceſſus, ut bihorio integro ſupervixerit fœtus, illæſa & incoluma ſuperſtite matre.

Colligere ex prædicta hiſtoria liceat, ſi mulieris iſtius phantaſtica idea valuit, etiam peracta conformatione, ejuſque tempore exacto, cuti capitis ſatis fortem efficere impreſſionem, ac membranis palati fœtus, quæ inde formas ſupradictas contraxerint, imaginum characteres validius inſculpi debere materiæ nondum informatæ, cujuſmodi eſt ſemen utero concluſum, intra ſex aut octo primos conformationis dies: Obſervationis veritatem confirmaturæ ſunt plurimæ hiſtoriæ ab authoribus allatæ, ſequens vero apertius idem conteſtatura eſt.

Observatio VI. Authoris.

De viribus imaginationis in prægnante, aliud exemplum.

PUellam, ſub regimine matris conſtitutam, effrænata licentia eo perduxit, ut viri cujuſdam irretita amoribus, in ejus amplexus ruerit; nec ſemel ſed iterato; Ex condicto loco, quarto aut quinto à primo concubitu die, redeunti occurrit carnificina facinoroſi poſt ſtrangulationem confractis artubus totæ impoſiti: Non eo momento ſolum terror inductus ab horriferi ſpectaculi aſpectu, ſed & metum incuſſit proprium crimen admiſſum, ac pœnæ à matre expectandæ, à natura digitis in manibus & pedibus deſtituta: Ad hæc animi pathemata, non abortus, ab ejuſmodi cauſis induci ſolitus, ſed effectus multo magis prodigioſus conſequutus eſt: puella enim illa cum legitimo tempore enixa eſſet, menſe Janvario anni 1678. obſtetricante D. *Bourdillon* longa artis peritia celebri, conſpectus eſt infans pedibus & manibus aviæ ſuæ perſimilis; oſſibus qua parte confracta fuerant in nocente dicto, matre præſente, diviſis; cute iiſdem locis lacera; collo autem, extremis brachiis & tibiis vibicum funis quadam ſpecie circumdatis, adeoque conſtrictis, ut quibuſdam in locis contuſionis notæ adeſſent, in aliis cutis ipſas ambientis diſruptio, non abſimili fere modo quo à funibus illis exilibus quibus furciferorum colla conſtringuntur.

Observatio VII. Authoris.

Caruncula in urethra curatio extraordinaria.

VT à tragicis ad gratiora tranſeam, traditurus ſum inexpectatam curationem, proculdubio Tibi admirandam; Oenemporo à quadriennio moleſta fuerat urethræ caruncula, gonorrhoeæ virulentæ perperam curatæ ſoboles: illa adeo importune virum exercebat, ut non minus quam quartam horæ partem uni emiſſioni lotii impenderet; quo prodeunte, necnon dum ſeminis ejaculatio fieret, acerbo dolore afficiebatur. Interim, quanquam urgentia continua negotia curationem tamdiu differre impulerint, genio tamen aliquando indulgebat, nec quæ laſcivia pepererat damna à periculi novi metu deterrere valuerunt, adeo ut ſubſequuta ſit venerea gonorrhoea: Supervenientia tunc temporis gravia quædam negotia curationem pro traxere: Inflammatio manifeſte aucta eſt, materiaque purulenta tantæ corroſionis particeps fuit, ut caruncula ab ea avulſa ſit, quæ lotium emittenti ſupra coxam procidit: figura hæc rotunda donata erat, minimæ fabæ magnitudine, duritie mediocri: Eventus ille non expectatus ſi admirationi

fuerit,

fuerit, non minus gaudium conſequutum eſt à facili & inoffenſo lotii exitu, ab eo enim momento tam facilis ejus fuit excurſus quam ante mali invaſionem, paucíſque exactis diebus meam operam requiſivit, Omnia gonorrhoeæ ſymptomata parvo temporis intervallo deſierunt: at pene menſtruum ſpatium inſumptum in uſu injectionum detergentium & exſiccantium, quo relicto ulceri ab excreta caruncula perfecta induceretur cicatrix: Teſtem veritatis hiſtoriæ produco Dom. *Roberdeau*: Qui in dubium revocant Urethræ carunculæ innaſcantur necne, ab exemplo hoc errore ſolventur: ut vero in uſum practicum hæc adducantur, adnotandum has carunculas non omnem ulcerum, quibus adnaſcuntur, circumferentiam occupare, quandoquidem à pure potius corroſa & conſumpta fuiſſet iſta, quam radicitus ablata, niſi viam ulceris fundo ſe inſinuandi nactum eſſet.

Observatio VIII.

Dom. D. EMERI.

Lacrymæ petrefactæ.

OBſervationis cujuſdam, rarioribus annumerandæ, mentionem Tibi feci, quam promiſſis ſtans tranſmitto: Domino primario Regis Medico primo communicata eſt, ob novitatem rei: Viro Illuſtri vulgaria omnia probe perſpecta eſſe notum eſt: id vero quoque notiſſimum rariorum cognoſcendorum inexplebilem eſſe illi animum: quotquot vero benevolentiæ ſuæ participes facit, id certo ſciant bene de illis mereri qui prodigium ſapientia illi ignota eſſe nolunt, quæque naturæ ordinem tanto ſuperant quanto ejus ingenium nobilitate aliis præcellit.

Binæ Epiſtolæ ad Dominum Primarium Regis Medicum, à D. d'*Emeri* Medico Burdegalenſi miſſæ ſecunda die, & viceſima prima Decembris 1678.

Ruſticæ puellæ, annos decem natæ, cum quibuſdam coætaneis in pago colludenti, ſocia arenæ manipulum in oculos conjicit: Graviter inde primis diebus afflicta fuit, trimeſtrique abſoluto moleſtiorem dolorem in oculi ſiniſtri cantho majore percepit, cujus cauſa manum illi admovit, imo partes circumſitas digitis compreſſit: calculos binos aut ternos duriſſimos, piſis magnitudine æquales, inde expreſſit illa compreſſio; Eventus teſtes procul omni dubio ratum habuerunt lapides hos aliud nihil eſſe quam reſidua aliquot arenarum grana in oculos projecta, ſed effluvio illa ad plures dies producto, prodigium famam excitavit: Curioſitate quidam permoti de veritate indaganda

*fuere ſolliciti : Matrona Illuſtris, in cujus ædibus commorabatur dicta puella, ad miliaris diſtantiam ab Opido Caſtello jalovio, in Ducatu Albretenſi, de re certiorem facit Dominum d'*Emery : *Novitas rei veritatem ſuſpectam reddebat, at vero ſinceritas ſcribentis nimis nota erat quamvt ſuſpicionem falſitatis moveret : Epiſtolæ præterea circumſtantiæ omnem dubitandi, aut figmentum necne adeſſet, occaſionem removebant : Inter cæteras enim monebat puellam dictam, ſe jubente cubiculo concluſam ad aliquod tempus fuiſſe, omnia circa eam accurate examinata fuiſſe, ſequemetipſam ex eodem oculo ſiniſtro quatuor lacrymas petrefactas eruiſſe, quas ſedulo aſſervaret, è quibus unam fabæ magnitudine tranſmiſit ſilicea duritie donatam, triangularem, albam, ſplendidi quippiam obtinentem : Imo ſpem feciſſe curaturam ſe ut admiranda illa ploratrix ad ipſum mearet ; quin & certiſſime aſſerebat ad Sereniſſimum Principem Condæum quatuor ejuſmodi lapides miſſos fuiſſe.*

Ex his liquet, Domine, poſtremam hanc circumſtantiam veritatis hiſtoriæ indubium eſſe argumentum; quandoquidem impoſtura prodigium eſſet, millies ſuperans id quod Lacrymæ petrificatæ exhibent, ſi quis eo inſaniæ deveniret, ut imponere auderet Principi orbi univerſo venerando, ſublimi genio & ingenio ubique terrarum notiſſimo : Dominus à *Morin*, Nobilis inclytus, Sereniſſ. Principem primus monuit, à Nob. Filio ſuo edoctus, ſatellitio S. P. adſcripto. Adſtipulatur is à Dom. dicto d'*Emery* ad Illuſtrem Primarium Regis Medicum ſcriptis, addítque dictæ puellæ oculum uno die aliquando tres, imo quatuor lapillos excludere : excluſiones ejuſmodi ex improviſo fere accidere, neque multo ante tempore illas prævidere : paulo tamen ante dolorem lancinantem præcedaneum eſſe, quamobrem lapidis exitum intumefactio oculi ſequatur, & rubedo cum lacrymis : Veritatem ulterius ex mora dictæ puellæ per bimeſtre in ſuis ædibus comprobat, quæ Nobiles ſuas puellas, alióſque domeſticos, adſtites puellæ eſſe voluit. Dominos *Scorbiac & Van Elmont*, celebres Medicos, ſecum prodigii oculatos teſtes fuiſſe, accuratúmque adhibitum examen dubitationis omnem aleam excludere.

Ad nos perſcriptum imminente ſævitia hyemis deſtitiſſe in puella ejuſmodi excretiones lapideas : A Medicis autem Burdegalenſibus cum ſtudio obſervatum iri quid exactis frigoribus deinceps futurum ſit : Obſervationum ab illis tranſmittendarum particeps futurus es, æque ac examinis ab Illuſtribus eruditis inſtituendi. Interim, cum Illuſtris Primarius Regis Medicus, pro ſua benevolentia, binos ejuſmodi lapillos ad ſe tranſmiſſos exhibuerit, eorum nativam magnitudinem à chalcographo delineari juſſi, figuras ad te pervenire curaui, tatum habens gratam tibi fore effigiem rei adeo raræ.

Figuris



Figuris his ambabus examinatis, ſequentis Epiſtolæ, quæ Domini Abbatis *Bourdelotii* eſt, Medici Sereniſſimi Principis *Condæi*, lectio curioſitatem tuam expletura eſt: Ad eum cum tranſmiſſæ eſſent literæ Domini A. *Morin*, perdoctus *Bourdelotius* accurato judicio excogitatas ratiocinationes, quæ phænomeni illius veritatem dubiam reddunt, ſcripto conſignatas ad Illuſtriſſ. primarium Regis Medicum tranſmiſit, ſatisfacturus petitioni Sereniſſimi Principis circa rem propoſitam.

Epiſtola Domini Abbatis Bourdelotii *ad Dominum d'Acquin, Primarium Regis Medicum.*

DOMINE,

Ex mandato Sereniſſimi Domini Principis heſterno, ad te hæc ſcribo, lapidum quorundam cauſa, ut fama eſt, ex oculis puellæ cujuſdam Vaſconicæ erumpentium; gratulabundus oblata occaſione fruor, de officiorum meorum Tibi devotorum promptitudine certum facturus, ab hujus anni auſpiciis; Gratius quippe mihi nihil accidere poteſt quam ab acceptis eruditorum ſententiis, circa quæſtiones doctrinæ promotrices ac naturæ extraordinarios effectus: Ego vero præſertim ambio cum doctis commercium, qui rebus dubiis illico aſſenſum non præbent; qui item artificiis & ambitione quorundam fraudulentorum prætermiſſis, nihil niſi examini & coti ante ſubjectum admittunt, nihil probaturi ſunt non ante mature ſubactum: Ad Te mitto apographa epiſtolarum Sereniſſimi *Condæi* Principis, ac Domini A. *Morin*, Nobilis Illuſtris, ſagaci judicio præditi, utpote oculati teſtis ſcribentis. Jam ante ſcripto monitum volueram S. P. durante juſtitio conventum in ædibus meis nullum futurum.

In proximo vero diſceptationem ea de re inſtitui, Unuſquiſque vero ſententiæ meæ, in epiſtola ad S. P. ſcriptæ acquievit; nec quiſquam fingere ſibi potuit ſilicem membranas penetrare poſſe, quia dolorifica ſuperſint veſtigia, emanet ſanguis, ſubſequatúrque ſuppuratio, etiamſi lapis tranſitum ſibi per fiſtulam lacrymalem moliretur, anguſti vt plurimum orificii: fiſtulæ vero in puella nulla mentio, nec præterea ulla vis imaginationis finxerit quomodo liquor concreſcere, duritiemque ſiliceam induere intra vigintiquatuor hora-

rum ſpatium, inter oculum & palpebram valeat. Quod in partibus quibuſdam citra putredinem aut fermentationem includitur, indolenter plerumque fertur, ſicuti globulus plumbeus carnibus inſinuatus, lapides autem iſti in loco pruritum, imo dolorem excitant, relicta in oculo & palpebra inflammatione, quare & ibi inductos fuiſſe ratio ſuadet: Inficias ire nequimus in corpore humano calculos latere poſſe, lapides enim omnis generis in veſica urinaria reperti, durities autem ejuſmodi nycthimeri non ſunt producta: Limus in fiſſura, vel rima in uno dictorum lapidum microſcopio animadverſus, fucum ſubeſſe arguit. Jubente S. P. puella camera ad menſtruum ſpatium concluſa fuit, veſtibus alienis induta, adhibita longa pectinatione, atque diligent, inum alicubi laterent lapilli inquiſitione, quo deinceps innoteſcat num oculi lapides ſint eructaturi: Puellæ populares de veritate rei conteſtantur, meo judicio falſæ; quis vero mendacii fuerit arguendus tempus apertum faciet: Id penſi nobis incumbit, ut inanes & falſas quantum licet abrogemus opiniones: Poetæ quidam finxerunt Auroram lacrymas liquidas fundere, ad Meduſæ conſpectum lapideſcentes. *Duretus*, vir loquax, lenoninia in verbis quærens, propoſitiones æque rediculas, famæ gratia invexit: Eloquentiam in rebus Phyſicis flocci facimus, ad veritatem ſtatim collimamus, nullius addicti juramus in verba magiſtri. Experimenta, etiam coram nobis facta, iterum atque iterum oculis exhiberi jubemus, præſertim remediorum effectus, quæ, prout leges, *ita proſunt ut obſint*: Medicamenta quædam ſalutifera ſunt, quæ tamen periculoſi effectus ſubſequuntur: Multos ab adepta valetudine in morbis periculi expertibus vita functos eſſe ſcio, Exemplo ſit manifeſto Pater *Anatius*, Pronuper *Charaſius* quendam à febre quartana liberavit, hunc poſtmodum aſthma inſuperabile invaſit: A remediis quibuſdam magni nominis abſtineremus ſi rectum eorum examen inſtituererumus, Alexiteria & Antidota celebria adverſus peſtem remedia omnibus probantur: Nobilis Genuenſis, à Senatu præpoſitus, peſte Rempublicam vaſtante, aſſeruit mihi quotquot præſervationis cauſa illis uſi erant, ad unum omnes lue infectos fuiſſe, illos autem invaſionem declinaſſe qui ab iis abſtinuiſſent: Liquet hinc quomodo plurimi regantur opinionibus: In id inſtituti ſunt noſtri conventus, quo à genere humano exulent errores à vanæ gloriæ cupidis inducti, atque à quorundam inſcitia ac ſupina negligentia: Si ad oblatas occaſiones non reſpuas officia noſtra, dubia noſtra & animi umbages propoſituri ſumus, quæ ſolvere & dilucidare non dedignaberis: Ad unum omnes Te colimus, Ego præſertim ſubmiſſe veneror, &c. Vale.

Pariſiis 2. Ianuarii 1679.

Ex his

Ex his patet Domine quot errores in apertum producantur, cum veritatis eodem ſtudio diſquiſitio fit, quo eam venatur & proſequitur Illuſtris Abbas Epiſtolæ author. Sin illi perſpectum qua parte homines erroribus pateant, multo minus illum latet quomodo iidem evincẽdi. Idem pro innata ingenuitate demonſtrationum efficaciæ ceſſurus eſt, ubi eædem firmis argumentis innixæ fuerint. Scribentium & narrantium probitas ad fidei conciliationem alicujus eſt momenti, at vero illud in confeſſo eſt etiam ſagacibus poſſe imponere doloſos, & multa fidem ſuperantia ab iis edi poſſe, quæ diffidentiæ anſam præbeant.

Si tamen res in diſquiſitionem adducta dubitationem movet, poſſibilitatem tamen non excludit. Ex iiſdem elementis conflata ſunt omnia mixta, formæ autem diſcrimen à partium varia diſpoſitione tantum emergit: eorum quibuſdam nulla peculiaris matrix aſſignata eſt ad generationem: ea in ſerie collocandi lapides: Poſtremæ Medicorum Germanorum Ephemerides memorant duorum, ætate & ſexu differentium, vrinam, hora una poſt emiſſionem, lapideam conſiſtentiam adeptam eſſe: Experientia autem teſte, in corporibus animalium eodem modo ac in terræ viſceribus generationem habere queunt, imo diverſam configurationem nanciſci à copia & principiorum conſtitutivorum varia collocatione: quinimo compertum ſæpenumero in omnibus præcipuis humani corporis partibus delituiſſe, ut veroſimile ſit ſub membranis oculi poſſe concreſcere. *Hiopocrates* enim per uteri cervicem lapidem ejectum vidit: *Ant. Muſa* per anum & ſputa, *Ambr. Paréus* per anum quoque, *Antonius Benivenius* per os expectoratos ait. *Iacobus Hollerius* in ſubſtantia cordis repertos tradit: *Amb. Pareus* in genu articulo, & ſub lingua, *Ludovicus Guyon* in capite, in meſenterio & articulis: Tandem libri omnes Medici ejuſmodi exemplis ſcatent, nec Philoſophis noſtris ad phænomeni iſtius explicationem, ſi modo de re certo conſtiterit, rationes defuturæ ſunt.

Quandoquidem vero meæ Epiſtolæ non in Tui modo, ſed in multorum quoque eruditorum oculos incurſuræ ſunt, inſtitutum meum Tibi probatum iri ſpero, In poſterum ſcilicet Quæſtiones & Dubia ſum propoſiturus quorum ſolutio & dilucidatio profutura ſit; Nec Tibi ingratum, ſi reſponſionum acceptarum participem fecero: Litteris à RR. P.P. Cucullatis, in Regia commorantibus, *Mercurio Amœno* inſertis, primæ meæ propoſitionis ſubjecta erunt materia, Sui enim *Febrifugi* proprietates evecturi, aſſerunt id ventriculo exceptum, illico ad corporis ſuperficiem properare, partis illius poros ſubiendo, illibatis viis diſtributioni alimentorum, aliorúmque pharmacorum deſtinatis, unde locus datus inquirendi.

Vtrum Hidrotica interius aſſumpta, irradiationis in modum ſingulas corporis partes pervadant, Eludantq; aut ſubterfugiant alterationes facultatum naturalium?

Observatio IX.

D. LEMERY.

Remedium contra colicam Nephriticam.

FAſciculum hunc literarium obſignaturus, prius Tibi deſcriptionem traditurus ſum remedii adverſus colicam nephriticam, cujus author D. *Lemery*, Pharmacopœus Regius, Chymicus inclytus, certi, ipſo aſſerente, vixque fallacis effectus.

Recipe olei amygdalarum dulcium uncias duas, aquæ raphani uncias duas, vini albi, aquæ parietariæ cujuſque uncias tres, ſpiritus ſalis & terebinthinæ, cujuſque guttas quatuor, cum ſucco mali citrii mediocris miſce fiant duæ doſes, interjecto triborio aſſumendæ, ſi à prima edomitum malum non fuerit, quod tamen plerumque contingit.

Observatio X. Authoris.

Ad Hæmorrhoides cæcas remedium.

EN Tibi iterum remedium contra hæmorrhoides mirandi effectus, ſed hic finis eſto.

In ſex unciis aquæ roſarum diſſolve amyli unciam ſemis, mixturam hanc ad glutinis conſiſtentiam excoque; demum adde unguenti ceruſſæ unciam, croci drachmam ſemis, ovorum recentium albumina tria: Compoſitum hoc cataplaſmatis forma admoveatur, tribus exactis horis innovandum.

Id vero notandum remedii uſum tantum eſſe adverſus Hæmorrhoidas cæcas, aut eas quæ amplius ſanguinem non fundunt, periculoſum alias futuram, ratione adſtrictionis, dum eum eructant uſurpatum.

Spes mihi facta in menſem proximum obtinendarum plurimarum obſervationum, earumque elegantium: Niſi decipiar, lectionis earum Te non tædebit aut jacturæ temporis: Utut vero erit in id enitar ut meæ Tibi arrideant. Vale

Pariſiis Martii 28. 1679.

ZODIACI

ZODIACI MEDICO GALLICI
SIVE
Recens in Re Medica Exploratorum.
Aprilis.
EPISTOLA QVARTA.

NON lenius & gratius blandiri poteras, Domine, quam aſſertione data ab amicis Tuis probari quæ ad Te ſcripſi: Quo eos condecoras titulus, indubium eſt argumentum illorum præſtantiæ, ideóque eorum ſuffragia dubia mea diſcutere valent, jamque ex republica literaria fauſta omnia mihi ſpondeo. Interim cum illorũ deſiderium explere arduum eſſe ſciam, quicquid beneficii ex labore à me ſuſcepto, Tibi dicato, emanaturum eſt, id totum incentivum erit ad alacriori animo curas ſuſceptas ſubeundas, quapropter nec tempori, labori aut ſumptibus parcam, illorum benevolentiam & æſtimationem mihi conciliaturus.

Tertium, ſimúlque ultimum volumen Artis morbi Venerei curatricis, tantopere à Te exoptatum, tandem vænale à paucis diebus factum eſt. Complectitur id explicationem criſium naturalium fœdi illius affectus, Rationes abſque hydrargyri ope illum ſuperandi; Deſcriptiones præterea & uſum remediorum, recens ad iſtius expugnationem excogitatorum, cum plurimis curioſis obſervationibus circa methodum curandi vulgarem & tritam: Fructum ex libri lectione percipiendum ſileo, necnon methodum in ſcribendo obſervatam, Tuum erit penes rem judicium, materia quam præ manibus habeo in memoriam mihi revocat curationem à pauco tempore peractam, cujus hiſtoriam Tibi tradere inutile non erit.

Observatio I. Authoris.

Luis venereæ in muliere curatio.

Ægrota mihi mulier ante ſeptem aut octo menſes me convenit, conſilium petitura adverſus uteri prolapſum. Locorum examen inſtituendum fuit ut in morbi notitiam devenirem: Madidas partes materia, qualis in gonorrhoea effunditur, obſervavi, ac ſimul Excreſcentiam carneam, circa radicem gracilem, polypo non abſimilem, à labio dextro orificii interni, ubi ejus origo, ad exteriora vulvæ exporrectam, magnitudinem nucis mediocris adæquantem, Facile inde mihi conſtabat primam mali ſcaturiginem à lue Venerea eſſe deducendam, quod, ipſa referente, conjux ante biennium objiſſet, extinctus morbo, quem ignotum latere voluit quamdiu ſub cura fuit Medicorum: ab eo tempore ſemper moleſtum fuiſſe fluorem muliebrem ajebat; Interim, cum nullus præterea alius affectus urgeret, in eam opinionem propendere facile fuit, luis eam Venereæ immunem eſſe, ideoque ratus ſum remedia particularia ſanitati inducendæ ſatis eſſe futura: quamobrem ad gonorrhoeam remedia vulgaria præſcripſi, ſarcomatis autem ablationem ope fili ſericei duplicati meditatus ſum, quod circumductum radici quam proxime conſtrinxi: Cuncta hæc videbantur votis reſpondere, exactis enim diebus viginti quinque integræ valetudini reſtituta videbatur, at poſt tertiam hebdomadam gonorrhoea rediviva fuit, recénſque ſuboritur ſarcoma, eodem plane loco pullulans quo prius exſtirpatum: Affectus ille redivivus proles proculdubio fuit fermenti cujuſdam intus latitantis, remediis generoſioribus, antea in uſum ductis, debellandi: opinari tamen fas erat illud extra uterum quærendum non eſſe, ideóque curationem priori ſimilem inſtituendam, prætermiſſis validioribus præſidiis: Periculum facere libuit, nec inani ſucceſſu; octodecim enim dierum curriculo in curationem inſumpto, methodum deſcribendam ſequutus, ægræ ſanitatem reſtitui; veriſimiliter ſecuram, quod quanquam à ſemeſtri remediis omnibus valedixerit, inculpata tamen ſanitate fruitur, admirationem omnium ciente.

Ptizana illi pro potu ordinario parata fuit ex ligno juniperino, radice taraxici, foliis agrimoniæ: Purgatio inſtituta bis in hebdomada per pilulas, ex æquis partibus colocynthidis, ſcammonii & aloës concinnatas, addita ſalis abſynthii quarta parte: ſingulis diebus interjectis, mane jejuno ventriculo, & quinque à prandio horis, uncias octo aquæ alkekingi hauriebat, antimonii diaphoretici drachmam unam, cum drachma ſemis aluminis rupei, ſimul omnia commixta. Injectiones paratæ fuerunt injectis unciis duabus ſpiritus vini camphorati, atque uncia una aceti ſaturno imbuti, in cotylam decocti ariſtolochiæ rotundæ: Sarcoma tandem ſicut prius ope fili ſerice,

ſericei abſciſſum, hoc tamen diſcrimine, quod radicis ſedi deinceps, mane & ſero, admotum fuerit oleum ebeni, reliquo curationis decurſu.

Hoc ex experimento liquet affectum venereum, etiam inveteratum, neglectum, imo peracta jam curatione redivivum, præſentem luem non ſemper atteſtari: Atque evulſo ſarcomate ex parte, cui corrodentia innoxie admoveri non licuit, ejus radicem ope duntaxat olei cujuſpiam, penetrandi vi præditi & exſiccantis, deteri poſſe.

At vero cum probatum à Te fuerit meum inſtitutum, quicquid nondum evulgatum non fuit congerendi, nullo habito temporis quo acciderit diſcrimine, exiſtimo te abſonum non judicaturum ſi noſtro idiomate veſtitum prodeat, quod ſub alienis exiit. Anſam id mihi porrecturum eſt in poſterum ad Te tranſmittendi Obſervationes rariores, quæ forſan cognitionem eluderent, (rei ipſius ratione aut circumſtantiarum) plurimæ partis eorum quibus literarum mearum ſit copia: Hinc, quamvis Eruditorum ephemerides doceant nos prodigium, quod Piſauri contigit in R. Patre Cucullato, veriſimile eſt paucis ſingularia eventus innotuiſſe; quandoquidem earum Collectori è re viſum non fuit ea referre, deſcriptáque tantum extant in Relatione Italica, paucis admodum communicata: Quæ ratio me impulit ut ejus verſionem procurarem, quo ex Tibi tranſmiſſa fructus ejus etiam in publicum emanaret.

Observatio II.


Sive Relatio Piſauri typis edita, in Ducatu Hetruriæ, De Patre Cucullato qui 4. *Aprilis* 1677. *anguem per penem excrevit.*

Rev. Pater *Camerinus*, Concionator Cucullatus, mictione Sanguinea correptus eſt inſigni, in Urbe Fanenſi, tredecim menſium ſpatio durante, per ductus urinarios ſanguine aliquando liquido exeunte, aliquando in grumos concreto: In conſilium adhibitus periti ſſimus in urbe Medicus, medicamenta ad ejuſmodi affectus congrua præſcripſit, at quia ſperatus ſucceſſus ex parte illis defuit, Æger Piſaurum delatus eſt, curæ Primarii Sereniſſimi Ducis Hetruriæ Medici committendus: Sagaciſſimus ille ex dolore, in lumborum regione fixo, aliiſque ſymptomatis affectus illius comitibus, ſobolem illum eſſe cenſuit ulceris partes illas obſidentis: quo fundamento innixus non (cohibendi gratia) adſtringentia in uſum duxit, ſed potius detergentia, ipſo judice ad mundificationem ulceris, utque promoveretur conſolidatio, neceſſaria: Detergentium uſurpatorum effectus à prima die conſpicuus fuit, lotia enim turbida prodiere, cruenta, filamentis conſperſa: uſus medicaminum in ſequentibus diebus non intermiſſus, ac tertio, horum efficacia, ad minimum libra & ſemis ſanguinis in thrombos concreti prodiit,

quibus intermixta erat copia glomorum vermium rotundorum, ſpadicei coloris, duorum aut trium tranſverſorum digitorum longitudinem æquantium. Ægro certis intervallis ſenſus aderat quaſi divulſionis alicujus rei ex rene dextro, exitum per ureteres ad veſicam affectantis; deinceps tamen urinæ ſat limpidæ effundi cœpere, ac per totam diem quartam dolores leviſſimi urgebant, at quinta effuſe ſanguis prodibat. Iterum lumbricorum flocci ejecti, doloréſque percepti, qui ureteris violentam expanſionem referebant, tanta vehementia ut vitæ exitium minitari crederet, Interim viribus paululum recreatis, par fuit ſuſtinendo iterato ſed violentiori paroxyſmo, poſtridie enim ſanguinis fluor uberior fuit, ac trihorii ſpatio dolores, cum micturitione irrita adeo immanes perpeſſus eſt, ut ad extrema fata deductus eſſe videretur: conceſſis tamen aliquibus induciis, iterum recruduerunt, eodémque ipſo momento, in urethræ extremo canali, animadverſum corpus, cujus forma rite deſcribi non potuit, à quo inducta lotii ſuppreſſio, obturato illo ductu: Poſt inanes ægri conatus, manu adhibita, ad eductionem illius corporis, horæ ſpatio in agone verſatus eſt, mortis imaginem tanquam malorum ineluctabilem terminum ipſi referente. At iterum inſurgente natura, contra ſpem, à torminibus liberationem accepit, expulſa copia ſanguinis, ac ſimul reliquo corpori, quod extra urethram eminebat, ſpithamæ longitudine, ponderis unciarum duarum Romanarum. Quid rei eſſet illico ſtatui non potuit, ſanguis enim concretus aliæque immunditiæ id involuebant; aqua vero pura elotum, exhibuit animal capite donatum, colore, paucis, forma externa parvæ viperæ, quale exprimit figura ſequens, omnes illius dimenſiones oſtendens.

Partes interiores quod ſpectat, eas diſcernere non licuit, antequam enim de aperiendo cogitatio inciderit, aquæ immerſus aliquot diebus relictus eſt, è qua putris exemptus. A quibuſdam tamen aſſertum ope microſcopii inteſtina deprehenſa exiguis filamentis ſimilia, ſi quid præterea ſingulare animadverſum, relatio id ſilentio involvit, unde in conjecturam adducor animal illud ad vermium potius quam viperarum naturam accedere: Si quis enim obtrudat fieri potuiſſe à Cucullato illo hauſtum fuiſſe quodpiam ovum viperinum, acetario immixtum, aut oleribus aliis, quod poſtmodum germinarit in corpore, id poſſibilitatem ſolum phyſicam inducit, non rei exiſtentiam probat: ad id vero quod affertur, cura diſſectio ejus inſtituenda fuit, putredinem impedimento fuiſſe quo minus præcipuæ partes accurate à ſe invicem ſecernerentur, inde colligendum fœturam vermium fuiſſe potius quam anguium, quandoquidem viperarum oſſa, capitis & ſpinæ, ſatis ſoliditatis obtinent ad putredinem diu declinandam, ac demum dentes, etiam in minimis, imo præcedente corruptione, conſpicui ſint.

Inficias tamen non ierim varias animalium ſpecies corporibus noſtris innaſci



Tabula 2ª Anni Primi Pag: 73.

innaſci poſſe: crebrę experientiæ obluctari nefas quæ microſcopii beneficio in aceto, urina, aquis pluvialibus diutius aſſervatis, alia atque alia donata figura deteguntur: id tamen certum ea quæ revera ex alimentorum & excrementorum corruptione originem trahunt, in vermium genere reponenda eſſe, ac forte animalcula illa, modo à me adducta, in liquoribus animadverſa, dum augeſcunt vermis formam induunt, ſicut bombyces in papiliones poſt ſericam depromptum abeunt: ut ut ſit, æque familiaris in cunctis hominis partibus vermium generatio, omníque ætate; ac rara eſt aliorum animalium.

Observalio III. Authoris.

Vermis per nares excretus poſt diuturnum capitis dolorem.

Imo pronuper matrona Illuſtris, cujus nomen ſilentio mihi involvendum, poſtquam diutiſſime animalis cujuſdam motitationem in capite animadvertit, à quo corrodi cerebrum exiſtimabat, dolorum tandem liberationem excreto per nares verme obtinuit.

Observatio IV.
D. Galletii.

Ad Bronchocelen remedia.

Remedium ad Bronchocelen à me Tibi communicatum, ex ſpongiis præparatis compoſitum, non unicum eſt illi affectui deſtinatum. Dominus Abbas *Galletius*, Præpoſitus S. Symphoriani Avenioni, alterius me participem nuperrime fecit, à ſe excogitati, ac crebris experimentis confirmati. Probitatis notis inſignis Vir ille eſt, nec minoris in rebus Phyſicis peritiæ quam in Aſtronomicis obſervationibus celebritatis: cum illi in illius remedii diſquiſitione alius ſcopus non fuerit quam erga amicos obſequium, & afflictorum ſolatium, publicúmque commodum, remedium primo in Nob. Sorore ſua expertus eſt, quæ perfectam inde ſanationem conſequuta eſt, poſtmodum egenis multis idem elargitum eſt: nuperrime autem Domina *de Bataillon* certiſſimæ medicamenti, in ſe tentati, efficaciæ teſtimonium præbuit. Idem ſucceſſus in alia matrona Illuſtri expectatur, quæ remedium ab aliquot diebus in uſum ducit: Si par fuerit eventus illi qui in Domina *de Bataillon*, nec Te eam rem celabimus; Præparationem interim & uſus rationem à me accipe.

Recipe foliorum ſalviæ manipulos duos, ebulliant in pintis duabus, (vel heminis tribus) aquæ communis, ad conſumptionem mediæ partis; trajicia-

tur poſtea decoctum, cum mellis Narbonenſis libra integra miſcendum, ac in ſyrupi conſiſtentiam excoquendum: aſſervetur in uſum infra dicendum. Demum, Accipe Spongias molliſſimas & tenuiſſimas, binas aut ternas, calcinentur in crucibulo cooperto, adeo ut in carbonem tantum abeant non in cineres redigantur: carbonem relictum ſubtiliter tere, trajectúmque per ſericeum cribrum, ad conſiſtentiam Pilularum reduc, ſyrupo præſcripto commixtum: dozis illarum ſcrupuli duo, aut ad ſummum drachma una, hora ſomni exhibendarum, ea tamen lege ut linguæ ſupponantur ſenſim eliquandæ, ac ex intervallis, ſemel ſaltem in hebdomada, purgantia quædam ægrorum conſtitutioni accommodata præbeantur, pilularum vim incitatura.

Vaſorum ſalivalium cognitio inditio fuit Domino Abbati *Gallatio*, id remedii genus linguæ ſubdendum fuiſſe: Ad ejus exemplum, è re eſſet quotquot medicinam faciunt animum attendere recens in medicina exploratis: Via hæc omnium ſecuriſſima eſt artem ad perfectionis ſummum culmen deducendi: Doctrinam autem ambitio non parit, aſſiduo ſtudio opus eſt in ejus adeptionem, dimiſſis omnibus aliis curis & impedimentis: Proborum conatus in eruditionem comparandam, invidiæ & zelotypiæ ſunt ſuſcitabula, quarum injurias concoquere tenentur: Tanta item apud vulgus hominum eſt imperitia, ut probos & doctos poſthabeant, gregatim ſectaturi empiricos, agyrtas, veneficos.

A Domino Abbate *Bourdelotio* modo habeo, ſuberis cineres, jejuno ventriculo ex aquæ hauſtu, plurimis diebus aſſumptos, pondere ſemidrachmæ, aut ad ſummum integræ, Bronchoceles præſtantiſſimum eſſe remedium. Id ne vilipende ubi ſe occaſio obtulerit.

Id vero prævideo futurum ut mihi exprobes me remedia in medium adducere, non explicatis & ſuppreſſis cauſis effectuum quos pariunt: at vero cum vix hac parte Tibi ſatisfieri queat, non prius ſtatutis certis principiis, boni te conſulturum ſpero, ſi ex intervallis ad Te tranſmiſero examen à me ſuſceptum Naturæ corporum Terreſtrium; quo ex generica illorum conſtitutionis definitione, facilior ſit ratio explicandi ſingularia unumquodque mixtum conſtituentia. Exempli gratia hominem, præcipuum Medicinæ objectum, ac quicquid ejus conſervationem aut deſtructionem ſpectat.

Observatio IV.

Sive novæ Diſquiſitiones de natura corporum Mixtorum.

Authoris; *Diſquiſitio prima.*

PRincipia Entium corporeorum, à mundo creato variationis expertium, quæque veriſimiliter priſtinam eſſentiam ad finem ejus conſervatura ſunt, tam

tam varie tamen à Philoſophii explicata fuere, ut nullus error patronum aliquem aut defenſorem habiturus non ſit, Inde præſertim originem ducens, quod à pleriſque animadverſum non ſit Entia producta ſeu effectus eſſe, quibus alia, præter cauſas proprias, principia aſſignanda ſint, Neque à pluri- mis accurata diſtinctio adhibita ſit cauſarum univerſalium à particularibus, quæ illarum ſunt effectus: Revera, ſi Peripatetici prioris iſtarum circumſtantiarum examen inſtituere tentaſſent, Privatio numero Principiorum corporum ab illis adſcripta non eſſet, cum ad eorum productionem concurrere nequeat; atq; vis alicujus effectus productrix Entis ſolum propria eſſe poſſit, Privatio autem cum rerum tantum abſentia, aut non Ens ſtatuenda ſit, hæc cauſa, nec proinde principium cujuſquam rei fieri poteſt: Sin ii à quibus materiam ſpiritus & lumen principia Entium univerſalia conſtituta ſunt, æquam inſtituiſſent agentis & patientis diſtinctionem, in aliam proculdubio abiiſſent ſententiam; Nam præterquam quod primum illis principium, ultimum ſub ſe complecti poteſt, quod aliud veriſimiliter non eſt quam *materia*, cui forma particularis indita, quocunque demum ſenſu nomen *Spiritus* veniat, Enti tantum cuipiam deſignando inſerviet, quod ulterius principium activum præſupponit, ac proinde univerſalius: Illorum Philoſophorum opiniones qui Punctum immobile agnoverunt, partes ſimilares, aquam, aërem aliáque ſimilia tanquam principia ſubjectorum phyſicorum, errores ſunt omnium oculis obvii; Etſi vero Philoſophici Hermetici aliquid propinquius aſſequuti videantur, non feliciores tamen fuerunt in principijs conſtituendis, quandoquidem variæ ſubſtantiæ in corporum diſſolutione ab iis compertæ, Principiorum nomine deſignatæ, analyſes ulteriores pati queunt, quarum unaquæque iterum in partes heterogeneas dividi poteſt, quamdiu nondum deſtructa, eáque quantitate quæ vi ignis par eſſe queat.

Principiorum falſitas & conſequentiarum abſurditas pari paſſu cum ambulent, facile quivis colligat ex prædictis, quanta, maxima pars Tractatuum Phyſicorum imperfectione laboret: at vero unicuique non adeo facile eſt ideas ſibi certiſſimas rerum in ſenſus non incurrentium conſtituere, cujuſmodi ſunt prima & maxime univerſalia mixtorum principia; illud namque in confeſſo eſt hac in re vel maxime acuta ingenia falli poſſe; Interim ſi quis vellet ſupponere impoſſibilitatem fingendi definite & diſtincte eſſentiam & formam particularem cujuſque dictorum principiorum, nemo inficiabitur fieri non poſſe ut eorum realitas mente concipiatur, ac poſtmodum earũ proprietates ab effectibus cognitis deducantur: Id vero ſatis eſſe poteſt ad conſtitutionem ſtabilis fundamenti judiciorum de rebus à nobis ferendorum, necnon ad errorem declinandum, diſſenſionem & confuſionem in explicatione phænomenon, in quibus ſita eſt ratiociniorum veritas.

Hinc cum univerſa rerum natura nobis inſinuet Nullum abſque cauſa

exiſtere effectum, arduum non erit mente concipere dari primum Ens, quod cauſa ſi, ac proinde univerſale principium eorum omnium quæ oculis noſtris ſubjiciuntur, Ubi poſtmodum nomen Dei illi aſſignavimus (quanquam tamen veram Ejus eſſentiam aſſequuti non ſimus) ratiocinio æquiſſimo utimur quoties Deo mundi creationem aſſignamus, eorúmque omnium quæ in hujus compoſitione maxime univerſalia ſunt.

Rurſus, ſicuti nobis compertum in omnium Entium viſibilium generatione, principium agens poſſe diſtingui à re in quam actionem exſerit, ipſo actionis ejus momento: nullumque effectum ex ejuſmodi actione emanaturum, niſi ſubjecto modificationis cujuſdam capaci adplicetur, facile hinc inferre licet, præter principium efficiens aliquid præterea ad productionem Entium realium concurrere, idipſum vero cauſæ aut principii eſſentialis, ac compoſitionis nomen mereri.

Horum ergo amborum principiorum realitas in dubium cum adduci nequeat, eorum notitiam ſufficientem aſſequuturi ſumus ad ratiocinandum, ſi de eorum ſubordinatione judicare valemus ex relatione ad univerſalitatem & ſpecialitatem entium: Quapropter hæc ſuppoſuiſſe ſatis ſit. I. Spiritum ex Entium realium numero eſſe, quandoquidem in notitiam venit. II. Ex Entium numero illum maxime univerſale eſſe. III. Eundem merum eſſe effectum actionis principii efficientis, ac paſſionis principii eſſentialis, quandoquidem actualiter & realiter in mundo exiſtit. IV. Ipſum principium eſſe agens in generatione principiorum corporeorum, is quippe principium eſt motuum à quibus generatio pondet. His enim præſuppoſitis, inferendum eſt Deum principium efficiens eſſe Spiritus: Subſtantiam ex qua ipſum conflari voluit, qualiſcunque illa ſit, principium conſtituere ejus eſſentiale; at Spiritum illum, quatenus agens eſt univerſale, ſecundum eſſe principium efficiens corporum, quæ reſpectu ad ipſum habito, Entia ſunt particularia.

Ex his realitas, ac gradus ſubordinationis hujus principii innoteſcit; atque aliunde facile colligere eſt quid omnes Philoſophi Naturæ nomine indigitent, aut etiam Intellectus, Ignis & Spiritus univerſalis, ſed illi amplius nihil te docuerint, nam, exempli gratia, cum in ſcholis diſcimus Naturam eſſe cauſam motûs & quietis, non tamen inde illius cauſæ eſſentia eluceſcit. Fateor equidem recentiores Philoſophos explicationem adgreſſos eſſe, ac Dominum *Gaſſendi* pro comperto adſtruere ipſam eſſe ſubſtantiam mere corpoream, quæ tanquam materia conſiderari poſſit, quatenus entium materialium compoſitionem ingreditur, Ac tanquam cauſa, quatenus in iis effectus nobis obvios parit: id ipſum vero demonſtrare conatur aſſerendo actiones Phyſicas, cum ſint corporeæ, ens incorporum corpori adplicari non poſſe ut ad actionem id impellat, eo quod qua tale nec tangere nec tangi queat. At quis non videat Naturæ notionem ab ipſo non clarius quam

à cæteris

à cæteris traditam; nam præterquam quod, ex ejus ſententia, informantis & informati vices teneret in unoquoque ſubjecto ſingulari, nemo, exempli gratia, dubitaverit Animam rationalem eſſe incorpoream, ipſam nihilominus omnium motuum in homine obſervabilium cauſam eſſe, aut ſaltem eorum qui voluntatis imperio ſubjacent.

Satius ergo ſit ingenue infirmitatem confiteri noſtram circa ea quæ nobis incomprehenſibilia ſunt, atque intra limites ingenio noſtro à Deo conſtitutos ſubſiſtere, quam judicia aut falſa aut dubia ferre; Porro hac in re ſufficiat dixiſſe, Naturam, qualiſcunque ſit in ſe, pro comperto nos habere immediate, poſt Deum, Entium corporeorum principium eſſe efficiens, Id ſcilicet quod ea informat, motum illorum partibus largiendo, quietem, magnitudinem, figuram, ac ſitum convenientem, quo corpora talia ſint qualia in noſtram notitiam veniunt.

Quandoquidem vero, ubi Naturam tanquam Ens reale perpendo, ſupponendum mihi fuit Deum (illius principium efficiens) Ipſam mediante aliqua ſubſtantia produxiſſe, quæ ejus principium eſſentiale fuerit ac compoſitionis, Entium corporeorum generatio aliter explicari nequit, quam ex ſuppoſito eam intermedio aliquo ſubjecto fieri, omnium modificationum in corporibus obſervabilium capaci, aut ſaltem in minus compoſitis, Sed circa hanc rem altera Diſquiſitio neceſſaria eſt, *Vide menſem ſequentem.*

En Tibi aliquas obſervationes ex muſæo celebris Anatomici erutas quas congeſſiſſe non inutile fuerit; etſi enim ad praxin non ſemper conferant, ſaltem curioſorum animis ſatisfaciunt, ac admirationem in quibuſdam rebus removent.

Obſervationes quædam rariores ex adverſariis defuncti D. Tamponnet, *Chirurgi Regis ordinarii.*

Observatio V.

Genu Tumor.

Notat I. APerto tumore genu in cadavere, deprehendiſſe ſe ipſum à congeſto ſero ruſo ortum duxiſſe, ac duobus corporibus carneis, è quibus alterum, minimi digiti longitudine, aſelli piſcis figuram referebat: alterum, media parte minus, galli gallinacei, in quo caput, roſtrum, collum, cauda, omnes tandem partes exteriores diſtincte conſpici poterant.

Observatio VI. Ejuſdem.

Emulgens ſiniſtra duplici ramo conſtans, quorum alteri azygos vena inſerta erat.

2. IN diſſectione cadaveris reperiſſe ſe venam Emulgentem ſiniſtram, duplici ramo inſigni conſpicuam, è quorum altero prodiret vena azygos, quæ perforato diaphragmate perreptabat cavæ aſcendentis, parte poſteriore truncum, demum inſertioni naturali reddita.

Observatio VII. Ejuſdem.

Calculus in cyſtide fellea inſignis.

3. ALiud cadaver aperiendo à ſe in cyſtide fellea lapidem ovi columbini magnitudine animadverſum, gummi inſtar concreti lucidum & mollem.

Observatio VIII. Ejuſdem.

Vulnus capitis inſigne non lethale.

4. IN puero trienni, qui capite priore in ignem deciderat, alterum ex parietalibus oſſibus integrum, cum duabus integris alterius ſquammis, à cæteris cranii oſſibus ſeceſſiſſe, quandiu ulceris ſuppuratio facta eſt, inducta tamen bimeſtri poſt cicatrice, nullóque moleſto ſubſequente ſymptomate.

Observatio IX. Ejuſdem.

Fœtus ſine ſexus diſcrimine.

5. VIdiſſe ſe nonimeſtrem fœtum, neutrius ſexus genitalium notas præ ſe ferentem, eminentiam tantum exiguam in regione penis, clitoridem promemodum referentem; eo tamen diſcrimine quod in medio perforata eſſet; quanquam nullo nexu veſicæ cohæreret, collo etiamnum deſtitutæ.

Observatio X. Ejuſdem.

Membrana Hymen.

6. MEmbranam ſe Hymen dictam in fœtu fœminino obſervaſſe, adeo accurate formatam, ut foramen ab antiquis adnotatum in ejus medio evidenter conſpicuum eſſet.

OBSERV.

Observatio XI. Ejuſdem.

Partus impeditus.

7. APerta muliere in partu extincta, repertam à ſe ſolutionem continui in parte uteri exteriore & inferiore; cujus cauſa fœtum in cavitate ſua contentum extra pellere non potuerat; etiamſi caput orificium internum jam prætergreſſum eſſet.

Observatio XII. Ejuſdem.

Febrifugum.

NIhil novum Te docuero ſi dixerim Febrem ſanari poſſe, Aut ope remediorum ſanguinis motum nimium coercentium, cauſæ febrilis effectum, Qualia ſunt ſanguinis miſſio, potiones refrigerantes, &c. Aut ejuſmodi cauſam extra corpus pellentium, qualia ſunt purgantia, emetica, &c. aut tandem actionem ejus cohibentium, exempli gratia ſint infuſio Quinquinæ, ſuccus herbarum adſtringentium, &c. Id vero Tibi admirationi proculdubio futurum eſt, ſi aſſeruero à mixtione trium ſimplicium, modo infra dicendo exhibendorum hæc tria ſimul & ſemel (quamtumvis à ſe invicem diſcrepent,) expleri poſſe, Attamen res extra aleam contentionis eſt, experimentis quippe confirmata à Medico acutiſſimi ingenii, ſimúlque celeberrimo. Myſterium hic jacet, Injiciantur quatuor guttæ olei camphoræ, grana quatuor ſalis volatilis viperarum in aquæ meliſſæ uncias duas: mixtura hæc initio paroxyſmi exhibeatur: remedii hujus dozis in initio paroxyſmi ſubſequuturi duplicetur.Si tertiæ incumbat neceſſitas,ſimilis hæc ſit ſecundæ,purgatione humorum tandem facta,reſpectu habito conſtitutionis præſentis.

Observatio XIII. Vide Obſervat. VIII. menſis Martii.

De Lacrymis petrificatis.

NOſtrates Medicos admirabundos Lacrymarum prodigium excepiſſe audio, maxima tamen eorum pars vix aſſenſum præbet: Interim Dom. à *S. Romano*, cui rem minutatim deſcripſit Dom. Primarius Regis Medicus, ab eorum hæſitantia diſcedit: Hujus phænomeni dilucidatio, quam affert, acuminis gratia prætermittenda non eſt,concludit eam epiſtola ad me ab ipſo perſcripta, Genium viri ex apographo quod ad Te tranſmitto æſtimare licebit.

Epiſtola à Nobili Domino à S. Romano, *Doctore Medico ad Novorum Exploratorum Collectorem tranſmiſſa.*

Eorum ſententiæ non accedo qui cœtum Academiæ Domini *Bourdelotii* componunt, quoad lacrymas petrificatas, quas in *Novis Exploratis* menſis præteriti enarraſti: Eventum omnino impoſſibilem ſtatuunt, ac dolum in lacrymabunda ſuſpicantur, aut illuſum fuiſſe hiſtoriam conſcribentibus, etiamſi de poſſibilitate non conſtaret, à tot teſtibus confirmatem eſſe ſcio ut omnino in dubium revocare non liceat.

Lacrymarum ergo illarum veritas jam à me ſtatuatur; earum enim generationis poſſibilitatem, collatio ad ea facta quæ alias in rerum natura contingunt, ſatis evincit, cum aëris lacrymas ac rorem in cryſtallum abire in antris locíſque ſubterraneis ſciamus. Conſpicuum nobis quoque ſit exigua arenæ grana juxta fontes calculorum, decurſu temporis grandeſcentium, formam inducere, atque inde lapides generari, analogia quadam cum iis qui ex oculis ploratricis illius prodierunt, conferendos. Ideoque ſupponendum lapidibus principium ſeminale ineſſe, vitæ actiones in actum deducens, roris iſtius attractione, ac ejúſdem concoctione per quandam homoioſis, aut aſſimilationis ſpeciem, cum in ſubſtantiam propriam appoſitione facta tranſmutat; ſicut id à me Libro de Scientia naturali explicatum: cum coſmopolita addens Naturam nihil agere, nihilque in hoc mundo producere quam media ſpermatis determinatione, ac ſeminis inviſibilis hoc involucro incluſi, Hoc pacto aqua illa cryſtallina, in venis terræ filtrata, inſignem illam plantarum florúmque diverſitatem nobis exhibet, pro varietate ſpermatis & ſeminum ſibi obviorum: Eadem aqua materia eſt univerſalis ex qua metalla, pura vel impura, generationem nanciſcuntur, ratione puritatis aut impuritatis locorum & matricum: omnium enim prorſus unum idemque ſemen, in quibuſdam nævo quodam nativo comminatum, quod aquæ illi nequaquam imputandum, (metalli formam, ubi id excipit ſperma metallicum, induentis, lapidis autem ſi ſemen lapidificans nanciſcatur) Neque illi ſemini, quod idem in omnibus metallis. Ex Doctrina hac (quoad rem propoſitam) ſupponit in cantho oculi ploratricis iſtius ſemen petrificans latitaſſe, latuiſſe item aquam cryſtallinam, lapidis formæ & definitioni recipiendæ idoneam, mediante hujus ſeminis vi, hanc determinantis & congelantis, id quod nobis videre datum in lapidibus ad Dominum Primarium Regis Medicum tranſmiſſis.

Ex hiſtoria didicimus ſuperius, arenam in oculum iſtius puellæ projectam, Proculdubio vero quædam atomi, aut corpuſcula illius arenæ hæſerunt; aqua autem cryſtallina ex glãdula oculi exiens, à cerebro manans, ad formam & lapideam naturam determinationem habuit ad occurſum corpuſculorum, ſpiritui

illorum lapidoſorum, ſpiritui petrificanti hoſpitium praebentium.

Hinc inferendum judico, ſi arena in ploratricis oculum conjecta, ejuſdem fuit indolis cum ea quam in conchas variæ magnitudinis abjiſſe vidi, non lapides ad nos ſed conchas tranſmittendas fuiſſe: Nec tandem apud me dubium quin aqua limpida è cerebro ſtillans, microcoſmi cœlo, aptitudinem habeat ut determinetur ad naturam arenæ craſſioris ac lapillorum induendami; corpuſcula item ex arena reſidua facultate donata ſint aquam iſtam ad congelationem lapideam determinandi: Nec tandem abſurdum cenſebitur, ſi ſtatuerim oculi canthum intra capacitatem ſuam, hoſpitium & matricem præbuiſſe ad horum lapidum formationem, quos inter admodum rara reponimus.

En meam, Domine, de his lapidibus ſententiam, Perge quæſo in inſtituto, ac boni publici gratia elegantia Tua Explorata evulga, at ſimul epiſtolas ſententiæ meæ emiſſitias boni conſule; Deſtino Tibi hiſtoriam priori non minus mirandam, &c.

Observatio XIV.

Authoris.

Lapis in nervis opticis Capitis dolorem & coecitatem inducens.

EX his collige, Domine, non deeſſe validas rationes per quas prodigiis etiam maxime ſtupendis fides adhibeatur, dummodo veriſimilitudini aliquomodo accedant; ac forte ingens exemplorum numerus ſuppeteret rariorum, ſi ab omni ævo tentatum quod hoc inchoavi: Revera lacrymæ iſtæ petrificatæ majorem admirationis anſam porrexiſſent ſi nobis ignotus fuiſſet aperto cadavere Illuſtris Dominæ *de la Loupe*, ſororis natu majoris Dominæ Comitiſſæ *d'Olonne* ac Dominæ *de la Ferté*, Caſtrorum Præfecti uxoris, repertus lapis phaſeoli magnitudine in origine atque in ipſa nervorum opticorum ſubſtantia, unde illico dolores capitis atroces exorti, poſtmodum febris ardens, cæcitas, imo mors ipſa, luminis extinctioni triduo poſt ſuccedens: Teſtes adduco Dominos *Vieillard de Dreux:* & *Hubertum de Nogent*, Medicos celebres, oculatos teſtes.

Observatio XV.

Authoris.

Calculi citra dolorem per virgam excreti.

Etiamnum dubito num filiolus Sculptoris illius ad S. Roch commorantis, tam acuti eſſet ingenii ut perhibent, & in dolum proni, At pleriſque Chirurgis notum ſæpe per penem calculos excerni, etiam in prima pueritia; Aſſeruit mihi artifex quidam advena, domicilium inter nos qui quæſiit ab officiis olim defuncti Domini *Tiraco de Caudé*, S. Martini Antiſtitis, hunc per lotium, ac citra dolorem, ſæpe lapides fabæ Romanæ magnitudinis excreviſſe, imo majoris.

Quicquid vero ſit, quoties anceps quippiam in rebus quas Tibi communicaturus ſum, occurret, id adhibita diligenti cura notaturus ſum, ne in dubium revocandi quod aſſerturus ſum occaſio incidat.

Vale.

Pariſiis 28. *Aprilis* 1679.

ZODIACI MEDICO GALLICI

SIVE

Recens in Re Medica Exploratorum.

MAIVS.

EPISTOLA QVINTA.

SI gratiſſimum mihi feceris, Domine, aſſerens commercium noſtrum literarium in Provincia veſtra applauſu excipi, æquitas poſtulat ut ſtatis temporibus per me ſcias quantos progreſſus aliis in locis fecerit: Quaſcunque epiſtolas ad te ſcripſi, & ſcripturus ſum, quemcumque demum locum incoluerit, ad ſe pervenire juſſit Sereniſſimus Princeps: Illuſtris *Dux Rupefoucautius*, eo quod in domo Ill. matronæ de *la Fayette* æquo judicio inſtitutum noſtrum probatum fuerit, comparare ſibi voluit quæ hactenus proſtant. Plurimi alii, etiam melioris notæ, eas quæ toto anno prodituræ ſunt anticipando coëmerunt. Nullus hic eruditorum coetus, nullum Phyſicorum colloquium, in quo non ſtatim ac prælum evaſerint perlegantur, Maxima porro pars eorum qui cum exteris commercium literarium fovent, ex horum mandato uno quoque menſe, in præcipuas Europæ urbes, eas non interrupte miſſuri ſunt: Tam felicibus auſpiciis res inchota ſperatum conſequutura eſt finem. Obſervationes ſuas, Explorata & commenta ad nos qui tranſmiſſuri ſunt, famam eo pacto adeo inſignem latéque diffuſam ſibi comparaturi ſunt, ut vel maxime inertes ad arcanorum inquiſitionem excitatura ſit: hinc concurrente vigilantia Artificum, bono publico (cui invigilamus) incumbentium, emerſurus eſt cumulus gratiarum à nobis expectatarum, cæterum cum pauciſſimi huic rerum novarum cougeſtioni nobiſcum operam collaturi ſint, vereor ne diutius his exaggerandis commmorer, ſi quid ſpei

affulgeat connotem, Nobis Deus hæc otia fecit ſub ævo vel auſpicio feliciſſimi Regum, qui pace parta, qua univerſa fruitur Europa, artium & ſcientiarum triumphum meditatur: Tranſeo jam ad ſolitas noſtras occupationes, initio ducto à narratione circumſtantiis plurimis notatu dignis inſignis.

Observatio I. Authoris.

Abſceſſus in inguinibus verminoſus.

EXeunte menſe proxime præterito vocatus ſum à D. *de la Marche Benearne* dicta, linteorum dealbatice, in vico *Champfleury* dicto commorante, opem illi laturus contra affectum raro obvium: Adfuit D. *de la Morte* Regi & regiæ cohorti ab officiis Chirurgicis, nec non ipſi ægræ. Ex morbi relatione ab ipſo facta innotuit mihi eam laborare ulcere ad inguen latere dextro, exigua quidem circumferentia donato, tanta autem profunditate ut ad interna & inteſtina uſque pertingeret, quandoquidem manifeſte portiones quædam olerum, fructuum, aliorúmque alimentorum ab ægra aſſumptorum particulæ prodibant. In anteactam vitam inquiſitum, in antecedentes affectus, ac in genere in ea omnia quæ affectioni originem dederant: Ab hoc examine diſcere nobis licuit eventum & rariſſimum & ſtupendum, cujus hiſtoriam ſi tradiderim gratam rem me Tibi facturum exiſtimo.

Benearne dicta, annum ætatis agens nonum, dum patriam adhuc incoleret, fructibus crudis adeo & tamdiu indulſit, ut dies integras in hortis ſæpe tranſigeret, fructuum feracibus: hoc genus alimenti cum probi chyli generationi ineptum ſit, ex iis cruditates tantum congeſtæ, poſtmodum corruptioni in inteſtinis obnoxiæ, inde generationi multitudinis vermium adeo inſignis occaſio data, ut poſt vehementes imi ventri diu vexantes dolores, & circa podicem gravitatis ſenſum, à materia continuum ſed irritum teneſmium inducente, conſanguinei cujuſdam ſui opem implorare neceſſe habuerit, qui exinde glomum inſignem vermium diverſæ magnitudinis & longitudinis digitis eduxit. A teneſmo quidem hoc pacto liberata eſt, ſed graviores illico perpeſſa eſt affectus, nam paulo poſt alium vermium glomum ejuſdem molis, at non minori conatu expreſſit; accedente præterea tam immani, qua parte poſtea exortum eſt ulcus, de quo ante dictum, pruritu, ut ad continuum ſcalptum (unde omnimoda ſomni interruptio) impelleretur: At hic nondum calamitatum finis, pars enim pruritu infeſtata intumuit, è qua aliquot dierum ſpatio ſerum quoddam effluxit, ac tandem ſponte divulſa cute, à ſola ſubjectæ materiæ actione puris forma prodiit: Eodem momento accerſitus Chirurgus, deprehendit abſceſſum, ex corpore membraneo conſtantem, nigrum, fœtidum, exitui proximum; hunc volſellæ ope

abſtraxit,

abſtraxit, & à tergo projecit, lotioni deſtinans ut quid rei eſſet examinaret, ſed ab imprudente muliere temere in ignem illo inſcio conjectus fuit, ideoque ejus curioſitati ſatisfactum non fuit; ex ſola vero in flammam accenſione colligere licuit epiploi particulam fuiſſe, convenientia poſtmodùm adpoſuit remedia, nihil ſingulare præterea deprehendens; illis autem poſtridie exemptis, ſumma cum admiratione ex abſceſſu ſeptem grandiores lumbricos mortuos prodeuntes vidit, ſeſquipedalis ſingulos longitudinis, in cauda & capite admodum hirſutos: adhibita demum levi digitorum compreſſione, exprimendis impuritatum reliquiis, non modo exitum procuravit glomo inſigni lumbricorum viventium, præcedentibus & majorum & hirſutiorum, ſed & plurimorum fruſtulorum corticum pomorum, aliorúmque fructuum ab ægra pridie voratorum. Ipſa referente ejuſmodi vacuationes non exiguo dierum numero perſtiterant, nec minus quam tercentum ejuſmodi vermes excreverat. Is tamen abſceſſus ſex hebdomadarum ſpatio cicatrice obductus fuit; exactíque ab eo tempore anni triginta quinque, ne minima ſuperſtite læſione; ſi aliquot vermium, ſingulo triennio per vomitum excluſionem exceperis, at præcedentibus magnitudine inferiorum: quoties porro aliquid cum conatu peragendum fuerit, intumefactionem, quo loco abſceſſus fuerat animadvertit, quod res quæpiam ab internis, ipſo conatus momento, eo deferretur, à decubitu vero ad inferiora remearet.

Inſigne id triginta quinque annorum curriculum, ad ipſius calculum, terminum habuit ante ſemeſtre, quo tempore advenientibus aliquot curis & laboribus inſolitis, acceſſit in loco, quo diſruptus prior abſceſſus, dolor pungitivus, qui ut manum ſæpius admoveret impulit, atque ut modice comprimeret, compreſſionem vero primis diebus materiæ cujuſdam aque expreſſio ſequuta eſt, nec diu poſt alimentorum aſſumptorum portiones quædam, etſi ſolutio continui, exitum illis concedens, adeo parva eſſet ut viſum pene effugeret, cujus conſolidationem minori quam bidui ſpatio ægra ſibi procuravit, ſola emplaſtri exſiccantis admotione, à Chirurgo dati, adeo ut quinquemeſtre & ultra excurrerit ne minimo incommodo accedente: Sed rigida hyeme adveniente, ac laboribus auctis, idem affectus recruduit, occaſionémque dedit inſtituendæ conſultationi notatæ.

In affectu vero præſenti hæc maxime animadvertenda duxi. 1. Neque inteſtina, neque cæteras partes membraneas invicem coire, ſi eorum ſolutio continui rotundam formam obtineat, ſcilicet cum eorum ſubſtantiæ pars ablata eſt: ſin aliquando ejuſmodi ſolutiones reſtitutæ videantur, id ſolum accidere quia partes eas perpeſſæ vicinis connectuntur, quæ adpoſitione ſua ſubſtantiæ deperditæ vices ſupplent, veriſimile autem eſt id præſenti in caſu contigiſſe, 2. Veriſimile quoque, lumbricos, à quibus inductum præcedens unitatis divortium, muſculos imi ventris non perforaſſe, quandoqui-

dem ulcus exterius præciſe è regione fuit tertii annuli, unde colligere eſt dictos lumbricas herniarum viam trajeciſſe. 3. Lumbricos illos generationem veriſimiliter habuiſſe in cœco inteſtino, ob membri ad illos continendos aptitudinem, ſitum illius latere dextro, quod aliquando ſatis ad inferiora ſe dimittit ut herniam efficere valeat. 4. A tranſitu iſtorum lumbricorum tres annulos forte expanſos fuiſſe, indéque tumoris aliquando ſuborientis cauſam deducendam, qui non aliunde arceſſendus videtur quam à deſcenſu portionis inteſtinorum.

Eſt vero quod gaudeam artifiſſe Tibi explicationem à D. à S. *Romano* de Lacrymis petrificatis traditam. Nec te latere ſcio ipſum inſoliti cujuſdam caſus narrationis ſpem feciſſe: Literæ ab ipſo nuperrimæ acceptæ polliciti memorem eſſe oſtendunt, Nec tibi difficile cognitu futurum eſt, cur caſum hunc nullo modo variatum ad Te pervenire curem: Ubi rei cujuſpiam ſtatus apprime deſcriptus eſt, poſſibilitáſque adſtructa, necnon exacte & ſuccincte exarata, ſi quid alterationis accedat, de pretio & valore illi decedit & detrahitur; Hoc ex exemplo afferendo manifeſtum fiet,

Epiſtola Nobilis Domini à S. Romano, Doctoris Medici, ad authorem ſcripta, caſus quoſdam extraordinarios continens.

Reſcivi Domine epiſtolam à me tibi ſcriptam de Ploratrice Vaſconica, à probis omnibus ambabus ulnis fuiſſe exceptam, nec improbatam ab Eruditorum cœtu, in ædibus Domini *Bourdelotii* haberi ſolito, quanquam ab ipſius ſententia quoad lacrymas petrificatas diſcedam, quarum poſſibilitatem adſtruere enixus ſum. Promiſſa jam exolvo, admirandæ hiſtoriæ narratione, rei quæ in vicinia prope Lutetiam Pariſiorum contigit: Nec omnes ejus circumſtantias, nec diffuſe traditurus ſum, non enim per otium licet, Ecce vero paucis quicquid ad rem magis facit.

Observatio II.

Abſurda deglutiens.

PEtrus *Yvens* vinitor, commorans in pago S. Lucæ Taverny, in Valle à Montmorency, annos natus circiter ſexaginta quinque, conſtitutione robuſtus, ſed ingenio vagus, obvium forte cum habuiſſet apud ſororem lanium, porcos mactantem, huic clam ligulam, inſtrumentum ferreum exacuendis cultris deſtinatum appenſum habentem abſcidit, hócque, manubrio ſuo inſtructum integrum deglutiit, nemine aſſiſtentium animadvertente, nec

poſt

poſt deglutitum de læſione ulla conqueſtus eſt, adeo ut lanio amiſſi ferri perquiſitio inutilis fuerit, cum latebra ſimilis in ſuſpicionem non veniret; ideóque jactura patienter ferenda, pauco autem elapſo tempore reparata, cum ferri recuperandi, elapſis quinque aut ſex menſibus, poteſtatem fecerit *Petrus Yvens*, cui excitatus in hypochondrio dextro abſceſſus, quo aperto erupit inſtrumentum ferreum, at pauciſſima comite materia, adeo ut intra octiduum ſanationem receperit, juvantibus quibuſdam topicis, à Chirurgo paganico admotis.

Facinus hoc, animi male cõſtituti indicium, aliud non minus abſurdum excepit; *Petro* enim *Yvens* cum forte pes ollę ferreæ obvius factus fuiſſet, eidem uſui illum cui prædictum ferrum deſtinavit, non obſtante vel duritie, vel pedis illius inæqualitate, quæ ab inſano hoc ne minimam quærimoniam expreſſit; Natura vero non majus temporis ſpatium ad ejus expulſionem quam prioris impendente, quæ accidit mediante alio abſceſſu in hypochondrio ſiniſtro exorto, cicatrice etiamnum non majori negotio obducto.

Neque hic terminus inſaniæ in *Petro Yvens*, qui non modo cultrum, vaginæ intruſum, quales pera geſtantur, deglutiit, quem hiatu facto paulo ſupra & ad latera vertebrarum lumborum, terram ligone verſans, excluſit, ſed poſtmodum bufonem vivum, grandem abſorpſit, Unde tanta anxietas ſuborta, ut ventriculum pugnorum concuſſione ad expulſionem irritare cogeretur, id quod una demum à deglutito animali hora contigit, nulla tamen conſequuta inde læſione: Cuncta quæ narro veriſſima ſunt, vita adhuc dum fruitur qui hæc narravit, inquilinus domus cujus dominus Dom. de *Iully* levir meus. Multorum opinio fuit cauſam tot periculoſorum devitatorum accidentium referendam in votum ejus gratia emiſſum. Non quidem dubius ſum cunctos hos eventus Dei gratiæ eſſe adſcribendos, at vero Tibi conſtat apud nos rationes phyſicas inquiri eventuum qui naturæ potentiam ſuperare non videntur: atque hic multum conjecturæ Medicorum probabilitatis habere videntur, meas autem accipe, quæ vero de his tua ſit ſententia, prima data occaſione, referre ne dedigneris.

Quod præſenti in caſu hoc maxime arduum occurrit, tunicatum ventriculi tenuitatem ſpectat, atque duritiem ferri exacuendis cultris dicati, pedis ollæ coquinariæ & cultri: Ab hujuſmodi enim rebus & duris & gravibus videbatur partibus his inferri debere læſio, in iis excitari ulcera, phlegmone, gangræna, ſecunda difficultas pertinet ad alimenta.

Petrus Yvens familiaria erant caſeus, panis furfuraceus, lac coagulatum, nihilominus craſſiora hæc perfecte concoquebat, Tertia exitum horum ferramentorum ſpectat, ac quomodo tot partes innoxie, ac citra graviorum ſymptomatum exortum trajecerint. Quarta tandem, difficile captu eſſe quomodo *Petrus Yvens* bufonis veneni, ſalivæ ſcilicet & morſus, vim eluſerit.

Primam difficultatem ſolvo, ſupponendo uentriculum ejuſmodi hominum labori aſſuetorum (quorum victus ordinarius ſunt cibi craſſi, panis ater & gravis) conſuetudinem contrahere ad duriſſima, imo duritiei & gravitati ferri renitti, etſi indubium ſit gravia iſta dolorem aliquem intuliſſe, ſed ſurdo verbere, imo pene inſenſibili ipſum affeciſſe, præſertim in corpore animo male compoſito donato, cujus phantaſia laborabat; notum enim iſtud hominum genus dolorem facile perferre: Quoad ulcera, inflammationem & gangrænam, hæc omnia in corpore molliore metuenda, non item in hominis ſtomacho rebus gravibus aſſueto: Ignivorus non impune carbones ingeſſiſſet, niſi habitum ante contraxiſſet. Narant fabulæ Theſin ſingulis noctibus Achillem in ignem, quo illi aſſueſceret, conjeciſſe, *Mayerus* inter emblemata huic fabulæ alludens, atque Mercurii indoli, rerúmque volatilium, quæ ſenſim & paulatim fixæ evadunt, ait *Naturam natura docet, debellet ut ignem*, Philoſophus autem, *Conſuetudo eſt altera natura*; Bibo aquæ, Melitenſis dictus, ob conſuetudinem hujus potus, tam ſtupendam illius copiam ingerebat, atque eodem pacto *Petri Y vens* ventriculus ad dura & ſolida habitum & aſſuetudinem contraxerat.

Ad ſecundam difficultatem, alimenta ſpectantem, reſpondeo, cum ventriculus illius admodum robuſtus eſſet, illos ideo concoxiſſe, etſi non eadem facilitate ac ſi nihil extraneum in ejus vacuo fuiſſet contentum; ſed hæc minime perpendebat, neque impedimentum concoctionis ab his ferramentis inducendum.

Ad tertiam difficultatem dico, ob motum lenem & imperceptibilem dictorum ferramentorum, internas partes illæſas permanſiſſe, à ſolis enim motibus impetu factis & validis vis naturæ infertur, à ſolutione vero continui tum demum periculum imminet cum ſubito & ἀθρόως accidit. Arbor ſenſim inflectitur, quæ ad ſubitam incurvationem abrumperetur. Tibia diſtorta appoſitis ferulis paulatim dirigitur, ſi ſubito quis id tentaret, fracturæ eſſet metus. Abſque periculo inciditur polypus, excreſcentia carnea, imo natta, beneficio fili ſericei, dummodo ſenſim conſtringatur. Pedes autem à nativitate intro omnino flexos & contortos à directione imperceptibili rectitudini reſtitutos obſervavi: ſic me judice, ferrum illud, cotis vice fungens, pes ollæ coquinariæ, & culter, exitum ſibi adeo imperceptibiliter molita ſunt, ut Naturæ temporis ſpatio excitatam læſionem, prout inducebatur, emendare licuerit: Nulla ſubſequuta ſunt ſymptomata, in corporibus enim illis craſſo victu utentibus, multóſque vitioſos humores ope exercitii diſcutientibus, pauca ſuperſunt excrementa, corporibus mollioribus familiaria.

Bufonem autem quod ſpectat, cum parvam moram in ventriculo *Petri Y vens* traxerit, ideo à ſaliva & morſu illius animalis, metuendis eventibus liber

liber evaſit; adde his animal circa alimenta in ventriculo contenta occupatum fuiſſe, vivúmque prodiiſſe: Præterea, ſi dictus *Petrus* noxam aliquam levem exinde perceperit, ex ſanitate, qua in poſterum illi frui licuit, facile eſſe colligere à Natura paulatim ſuperatum & evictum fuiſſe venenum ſuperſtes.

Et hæc, Domine, de hac re dicenda habui; ſedulus in poſterum ero in tranſmittendis quæ rariora mihi occurrent: ubi vero otio abundavero, accuratiori & elegantiori ſtylo hæc ſum proſequuturus, Vale.

Observatio III. Anonymi.

Tabellæ menſtrua provocantes.

Ante trimeſtre ab amico mihi exhibita eſt deſcriptio quarundam Tabellarum, menſibus muliebribus ciendis idonearum: Ad Te citius pervenire curaſſem, niſi experimento comprobare earum vim, antequam participem facerem, è re futurum duxiſſem: Non tibi ignotum quanta in œconomiæ naturali vacuationis illius ſuppreſſio inferat conturbationem; quantum item utilitatis iis quæ male ea de cauſa habent, ex revocato illo fluxu accedat; ideoque dubius non ſum quia rem gratam tibi fecero ſi modum propoſuero quo ejuſmodi effectus iſque tutiſſimus emergat. Id vero ab hoc, experientia teſte, certiſſimo obtinueris.

Accipe foliorum ſennæ mundatorum drachmas duas, pulpæ colocynthidis ſemidrachmam, Salis armoniaci drachmam unam; imponantur cuncta vas; idoneo, deſuper affuſo aquæ ebullientis ſemiſextario, vel libra una; macerentur per horas vigintiquatuor, procul ab igne, demum percolata infuſio, addita ſacchari ſemilibra, ad ſyrupi conſiſtentiam percoquatur: addendo poſtea cinnamomi contriti unciam unam, ac croci Martiis aperientis tantundem, hanc miſturam continuo verſando quouſque vaſi nihil adhæreat, quod perfectæ coctionis indicium eſt, ac proinde temporis quo marmori affundi debet, ut inde concinnentur Tabellæ, de quibus quotidie dentur mane drachmæ duæ; pariliſque dozis quinque à prandio horis. Exhibendi initio ducto quindecim circiter, ante ſtatutum, vel expectatum, fluoris tempus diebus, in uſu pergendo non ſolum quouſque ſe prodat, ſed & toto effluxus tempore.

Quia vero ſeriem meditationum mearum circa naturam corporum miſtorum pollicitus ſum, æquitas poſtulat ut tibi ſatisfaciam; ut vero rem ex officio peragam, in menſem proximum multa rariora tibi deſtinata differam: quandoquidem enim pro tempore res eſt de principiis rerum eſſentialibus, *Materia* autem, quæ primum illorum conſtituit, maximam latitudi-

dinem obtinet, arduum eſſet rem in paucas pagellas contrahere; utcunque vero accidat, ob moram nihil tibi deceſſurum eſt, obſecundare tibi pro re natu ſemper paratus ſum.

Observatio IV.

Sive Diſquiſitionum curioſarum de Natura Corporum mixtorum.

Secunda.

HOc cum in confeſſo ſit ad generationem Entium corporeorum requiri ut agens ſubjecto, in quod agere queat admoveatur, id conſequenter colligendum eſt aliqua re uti Naturam ad corporum omnium formationem: Eam autem rem, antequam in illam natura agat, (cum neque ſit corpus, neque tale corpus) tunc temporis ſimplicem eſſe ſubſtantiam, hoc eſt, Ens independenter à quocunque quod accidentis nomen recipere poteſt ſubſiſtens.

Non difficile intellectu eſt ſubſtantiam dictam proprie illam eſſe quam Philoſophi nomine Materiæ indigitant. Nil autem æque difficile ac notionem illius definite tradere: mente equidem concipimus illam ex ſe nihil eſſe eorum quæ in ſenſus incurrunt, ac nihilominus illam omnium rerum eſſentiam ingredi mediante cauſa informante: Nemo difficulter capiat illam rem eſſe è qua corpora omnia primo conſtituta ſunt, & in quæ tandem determinatione peracta reſolvuntur; exinde tamen legitima ejus eſſentia non innoteſcit.

E Philoſophorum antiquorum numero quidam in ejus ſufficientem notitiam nos deducturos arbitrati ſunt, dicendo Eam ideſſe quod necdum corpus eſt nec ſpiritus. Alii tradita hac illius definitione, quod ſit Subſtantia incompleta; atque alii tandem, illam conſtituendo ſubjectum cujuſque rei proprium & immediatum: Mea autem ſententia, ex prædictorum omnium cognitione, magis ignoratur materiæ eſſentia quam ante illius indaginem: Nam præterquam quod prima definitio negat ſolum illam eſſe corpus aut ſpiritum, non definita illius eſſentia, Videtur præterea exinde entium corporeorum principium commune conſtitui: id vero eo abſurdius quod corpora à ſpiritibus ea tantum ratione diſtinguuntur quod materialia ſint.

Nec ſecunda, meo judicio, rem melius exprimit, nihil quippe aliud innuit quam primam materiam conſiderandam eſſe tanquam formæ nondum unitam, atque eo reſpectu ipſam ea propter tanquam incompletam non judicandam, etſi enim forma perpendi queat tanquam unum è principiis eſſentialis corporum, non inde tamen conſequitur illam debere principium ſtatui materiæ, quæ eorundem quoque eſt principium, at ſimpliciſſimum & maxime

me univerſale, quod proinde alia principia conſtitutiva, præter cauſas efficientes dictas, habere nequit.

Conſpicuum eſt tandem tertiam definitionem imperfectius cæteris deſignare quid ſit Materia; primo, quia ſubjecti vox, pro genere poſita, homonyma eſt, nihílque determinat: ſecundo, quia res corpori cuipiam propria & ſingularis, omnibus corporibus communis eſſe nequit, id quod principiis neceſſario competit.

Carteſius ſimiles errores declinaturus, credidit eorum omnium examine facto quæ ad Ens aliquod pertinere poſſunt, quatenus tantum materiale, poſſe ſe eſſentiam Materiæ cognoſcere; ac revera confitendum illum ſi ſcopum non eſt aſſequutus; non multum tamen aberraſſe: rejectis enim calore, frigore, humiditate, ſiccitate, gravitate, levitate, ſapore, ſono, odoribus, multíſque ejuſdem generis, tanquam nudis materiæ accedentibus, hoc eſt rebus abſque quibus ens materiale ſubſiſtere poteſt, contra ab ipſo compertum Extenſionem, diviſibilitatem, figuram & impenetrabilitatem, partes eſſe eſſentiales & à materia individuas ac inſeparabiles, hoc eſt, quibus abſentibus impoſſibile eſſet reperire, aut mente concipere ens materiale quantumvis exiguum.

Hoc deinceps propemodũ ratiocinio uſus eſt, Eas tantum modo res mente concipimus, quæ neceſſario ad materiam pertinere queant, Ergo una quæpiam illarum ejus eſt eſſentia: quia autem nemini licet diviſibilitatem, figuram & impenetrabilitatem, non præſuppoſita extenſione, concipere; poſtrema autem hæc proprietas primo poteſt concipi tribus reliquis non conceptis, Inferendum eſt Extenſionem materiæ eſſe eſſentiam.

Non tamen omnium eadem eſt ſententia, D. *Gaſſendi* plurimis in rebus à D. *Carteſio* diſſentit; hic ſpeciatim illi adverſatur, ac ſoliditatem materiæ eſſentiam eſſe pertinaciter tuetur; primo autem opinionem probat, eo quod materia Soliditatis tantum ratione extenſionis particeps eſt; hoc eſt, quia nulla ejus partium aliam penetrare poteſt, ideoque cum unaquaque proprium occupet locum, inde formatur Extenſio, hoc eſt, id quod longitudine, latitudine & profunditate præditum eſt, Unde colligit Extenſionem ſoliditatis neceſſariam eſſe ſequelam.

Secundo, eo quod Soliditas, aut, quod in idem recidit, Impenetrabilitas, definite materiam à ſpatio diſtinguit; contra vero ſola Extenſio æqualiter & materiæ & ſpatio convenit.

Contradictio inter ambos hos Philoſophos adnotata, exinde potiſſimum ortum ducit quod D. *Carteſius* vacuum à rerum natura omnino removet, ac proinde, ex ejus mente, Prima Materia, Spatium & Extenſio, unum idémque ſunt, materiam tanquam ſimpliciſſimam ſemper perpendit, quouſque interveniente forma, unum aut plura Entia corporea exſurgant: Ex oppoſito

D. *Gaſſendi Democriti* & *Epicuri* de vacuo ſententiam tuetur ; atque ex eorum ſententia probat Spatium abſolute à Materia diſtingui debere ; cui formam tantum tanquam accidens adjungit, aut modum entis ; illi accidentis ubi Natura ejus portionem ad conſtituendum ens unum particulare, aſſumit.

At vero quo ſciamus utrum Extenſio vel Soliditas ſint materiæ eſſentia, in id videtur præcipue incumbendum ut in examen adducatur utra opinio, de Vacuo, veritati ſit maxime conſona. At cum utramque infinitæ fulciant rationes & experimenta, quæ vix integrum volumen comprehenſurum eſſet, qui ſuæ curioſitate ſatisfactum voluerit, utrumque authorem is evolvat; Mihi vero ſatis fuerit omnium citra præjudicium examine facto, in partes *Carteſii* inclinare, una cum illo ſtatuendo mundum univerſum plenum eſſe, modo, juxta D. *Gaſſendi*, ejus plenitudo tantum conſideretur eo modo quo concipere licet modium milii ſeminibus repletum, aut quapiam re ſimili, qui nihilominus copiæ inſignis alicujus alterius materiæ capax eſſet, etſi plenior inde non evaderet, dummodo hujus materiæ particulæ ſatis exiles ſint ad pervadenda exigua ſpatia, intercepta inter puncta ſphærica, quibus mediantibus milii grana ſe contingunt : Nam tandem, niſi rationem quis habendam velit omnium experimentorum, omniúmque argumentorum Vacuum in natura exiſtere probantium, nunquid concedendum omnino impoſſibile eſſe concipere partes ipſas materiæ primæ (quas ambo illi Philoſophi figuratas eſſe fatentur) eo modo poſſe ſe contingere, ut ne minimum ſpatiolum inter ſe reliquant, quandoquidem præter differentes earum figuras, motu præterea perpetuo, ex eorum ſententia, agitari debent.

Adde iterum, ſi omnia omnino plena forent, non modo motum plane impeditum iri, ſed etiam impetum ejus præcedaneum, nam ut miſſum faciam motum tonicum huc non pertinentem, atque ut exemplo utar motus à D. *Deſcartes* adducti & allati, quem Localem vocat, illud in confeſſo eſt, cum Materia impenetrabilis ſit, ſpeciem illam motus ea ſolum ratione fieri poſſe quatenus corpus unum aliud impellit, ac prioris locum occupat, poſterioris aut lateralium, At ſi omnia plena ſint, (ipſo aſſerente) quo iturum eſt corpus ſic impulſum ? Ex neceſſitate aliud compulſurum eſt, & hoc iterum aliud, donec tandem ultimo locus concedatur vacuus in quo conſiſtat, aut ſaltem ad infinitum uſque, At vero id ipſi opinionis fautores impoſſibile eſſe concedunt.

Porro nõ eſt hic ſumma difficultas, D. enim *Carteſius* eam ſolvere videtur, dicens cum corpus movetur, cætera corpora id ambientia circumcirca in gyrum moveri, adeo ut quæ prius præcedebant jam ſequantur.

Interim illis objicio legenda quæ à D. *Gaſſendi* impugnaturo hoc argumentum proponuntur, ſi vacui exiſtentiæ cognitio certa quæratur, Ait ille: Si in

Si in aëre ſupponatur corpus motui proximum, eodem tempore concipiendum eſſe id aliter moveri non poſſe quam impulſione facta aliquarum aëris partium, id ambientium: Ad eas impellendas progreſſivum verſus illas motum requiri, niſi ad pili craſſitiem, ſaltem ad centeſimam aut milleſimam fili telæ aranei partem, qui ſpatii, quantumvis parvi, decurſus eſt, neceſſario ſtatuendi etiam omnino vacui, ſi concedatur corpora ſe invicem compellere non poſſe ad infinitum uſque. Quinimo ſi quis contenderet diſtinguendum eſſe impetum à motu, id quod cum ratione fieri nequit, eo quod conatus ſaltem cenſendus ſit motus internus; Perpetuo id adſtruendum eſſet, aut conatum illius corporis futurum inutilem, eo quod ante ipſum deeſſet ſpatiolum quod ſubire poſſit ad inchoandum motum; atque ad locum concedendum aëris partibus lateraliter ipſum ambientibus, inſinuandi ſe in locum quem à tergo relinqueret, hócque pacto nullum futurum in natura motum, quod verum non eſt: Vel conatum illum ſatis eſſe ad comprimendas aëris particulas, quæ ſpatium id occupant ad quod vergit: quod ſuppoſitum idem eſt ac ſi concederetur conatum ipſummet motum eſſe, ac partes eo modo compreſſas in ſpatiola vacua ſuccedere, quandoquidem ſeſe invicem penetrare nequeunt, adeo ut duo unum eundémque locum occupent, ex eorum etiam ſententia qui negant vacuum.

Ex mea ergo ſententia, necnon D. *Gaſſendi*, Materia à Vacuo diſtinguenda eſt, ideóque abſolute dici nequit ſolam Extenſionem eſſe eſſentiam materiæ primæ. Interim, cum illa conſequatur neceſſario ſoliditatem, meo judicio ſine diſcrimine perpendi debent tanquam proprietates eſſentiales materiæ, non ſecus ac diviſibilitas (abſque qua materia non poſſet principium rei cujuſpiam fieri,) ac figura, à diviſibilate etiamnum neceſſario pendens, hoc eſt, Eo quod materia conſtat partibus, nec dubitare licet num proprietates illæ ſubſtantiæ cuipiam aſſignandæ ſint; præterea nomen ſubſtantiæ ſatis genericum ſit, quod eodem tempore ſub ſe comprehendere valear quicquid intellectuale ſimul & materiale eſt, id genus in definitione materiæ primæ, quam tradere inſtituo, conſtiturus ſum. Ab intelligentiis autem illam diſtinguere intendo, ſpecificas deſignando proprietates ante allatas; A corporibus vero ſejungere, addendo id quod denotat eam illorum eſſe principium.

Dico ergo materiam primam eſſe Subſtantiam ſolidam, extenſam, diviſibilem & figuratam, ex qua corpora omnia primo & immediate compoſita ſunt, & in quam, determinatione eorum facta reſolvuntur.

Id notandum me per Figuram, numero partium eſſentialium materiæ adſcriptam, intelligere ſolum diſpoſitiones irregulares & interminatas extremitatum ejus partium, Ac credere diſpoſitiones illas admodum diſcrepare ab iis quæ determinatæ ſunt ad inducendam formam propriam & particularem unicuique corpori, id quod inferius demonſtratus ſum.

Id unum ergo mihi ſupereſſe videtur, ut examen inſtituam diſcrepantium Philoſophorum opinionum quoad diviſibilitatem materiæ, Num ſcilicet ad infinitum uſque diviſibilem eam cenſere debeamus? Vel num certi eſſe debeamus ipſam conſtare partibus inſectilibus & indiviſilibus?

Quæſtio vero hæc toties ab Authoribus celebribus exagitata eſt, ac diſcrepantes ſuper hac re opiniones tanta contentione ab eorum ſequacibus propugnatæ, ut temeraria videatur deciſionis ſuſceptio. Ne quid interim prætermittatur eorum quæ ad naturæ explicationem pertinent, id ſaltem dixero partes materiæ, quæ coitione ſua corpora palpabilia formant, parvitatis eſſe determinatæ, in quam tandem reſolvuntur. Hanc autem opinionem vel eo nomine exceptam iri opinor, quod ſententiæ Peripateticorum conſona ſit, qui revera aſſerunt materiam potentia diviſibilem eſſe in infinitum: Concedunt tamen actu & realiter illam infinitam non eſſe; Quod conveniat cum ſtatutis *Democriti, Epicuri, Gaſſendi*, ac in genere omnium adſtruentium Atomos, quas ajunt eſſe puncta indiviſibilia, eſſe materiam primam, ac proinde una mecum conſentiunt ipſam eſſe finitam: Tandem non recedat ab opinione *Carteſii*, indefinitam illam ſtatuentis, qua in re ab *Ariſtotele* diſſentire non videtur, cum exiſtimet illam in infinitum eſſe diviſibilem, etſi ejus diviſio revera ipſi finita videatur.

Observatio V. Authoris.

Gonorrhœa ſimplex.

Vir Illuſtris Chimiæ cultor, remedium ſequens mihi communicavit quod admirandatum eſt virium ad illas Gonorrhœas ſimplices in quibus ſperma omnino purum egreditur, hoc eſt quo momento ægri mulieres ineunt, ſive à vini paulo largiori potu inſueto, ſive tandem in conatibus ad alvi onus deponendum: Id genus affectus admodum frequens eſt, cui vix remedia uſu trita vix ſubveniunt.

Accipe aquæ roſarum Pintam unam, vel ſeſqui heminam, aquæ plantaginis tantundem: in his diſſolve ſacchari candi ſemilibram, aluminis rupei uncias duas, camphoræ drachmam unam; huic mixtura adde germina ovorum ſexcenta (quem numerum apud Piſtores dulciarios comparare facile eſt) indantur omnia cucurbitæ vitreæ, poſtea diſtillentur in maris Balneo: exhibendo poſtea quovis mane, jejuno ventriculo, ac quatuor horis à prandio, quatuor uncias aquæ ex jecipiente exceptæ: In uſu illius pergendum uſque dum optatus finis emergat; in ſubſidium veniat injectio aliqua exſiccandi vi prædita, uſurpata exempli gratia aqua Fabrorum, in cujus hemina diſſoluta ſit ſemidrachma trochiſcorum alborum Rhaſis.

OBSERV.

Observatio VI.

D. GENDROTS.

Lapides in Cyſti fellea.

D. *Gendrots* Magiſter Chirurgus, in ſuburbio S. Jacobi commorans, etiam inter primarios celebris nuperrime mihi tranſmiſit lapides duos, repertos in cyſti de fellea, diſſecando cadaver Illuſtriſſ. Matronæ Ducis Wirtembergicæ, à fluxu dyſenterico extinctæ: Lapides hi membrana ſingulari obvoluti erant, duri, longi, rotundi, inæquales, ad magnitudinem & figuram digitalis quo ad ſuendum mulieres utuntur, accedentes: extremitatibus ſe contingentes; adeo ut uniti cum cyſtide efformarent corpus longitudinis pollicaris quod cum tranſverſum in veſicula fellis ſitum obtineret, hujus extenſionem inſolitam in latitudine effecerat, unde deducenda cauſa continuæ ex veſica in inteſtina bilis eructationis, hinc morbi qui vitæ Illuſtriſſimæ Ducis finem impoſuit.

Producam hic tres alias Obſeruationes non omnino explodendas, ex communicatione D. *Manche* ſodalis & vicini D. *Gendrots*.

Observatio VII.

D. MANCHE.

Vermis ex vena aperta prodiens.

Ait hic primo, facta à ſe venæ ſectione in brachio cæmentarii, ante aliquot annos, ex vena aperta prodiiſſe vermem, craſſum & longum inſtar ferri ligulæ extremum armantis.

Observalio VIII. Ejuſdem.

Icterus à Lapide pellucido in veſica fellea.

Secundo in diſſectione cadaveris muliebris, annos vigintiquinque natæ, quam pluribus annis ante obitum Icterus fœdaverat, cum tenſione ventris extraordinaria, obvium habuiſſe in veſicula fellea lapidem pellucidum, utcunque friabilem, avellanæ magnitudinem æquantem.

Observatio IX.

Ejuſdem.

Aſthma cum tuſſi, Scrophuloſi in pede tumores.

TErtio, menſe Februario anni præſentis, aperuiſſe ſe cadaver puellæ triennis, filiæ Mag. *le Quay* artificis Tæniarii, à diuturno aſthmate mortuæ, difficillimâque per plures menſes reſpiratione, cum tuſſi ſicca indeſinentíque, plurimíſque tumoribus ſcrophuloſis pus effundentibus in pede dextro. In illo autem corpore nullum ſe pulmonis veſtigium deprehendiſſe latere ſiniſtro; in quo tantum reperta materia dura, gypſea, coſtis affixa, membrana obducta, nullius vero formæ definitæ.

Vale.

Pariſiis 28. *Maii* 1679.

ZODIACI MEDICO GALLICI

SIVE

Recens in Re Medica Exploratorum.

IVNIVS.

EPISTOLA SEXTA.

OBSERVATIO I.

Fraus in Lacrymis petrificatis.

ID Te ſcias velim Medicos Burdegalenſes, quibus curæ eſt omnia ad amuſſim rimari, Ploratricem, de qua ad Te ſæpius, accuratiori examini ſubjeciſſe: Eapropter *D. Emery* eam ad ædes D. *Pelle*, in vico *S. Remy*, deduci curavit, ubi ſedulo & perpetuo in oculis fuit. Integris ſex hebdomadis inibi commorata eſt, nullis per oculos emiſſis lapidibus, ut ante; At tandem cum D. *Pelle*, una cum integra familia ſacram concionem adiiſſet, ſemihoræ ſpatio à Burdegala haberi ſolitam, relicta unica ancilla ædium cuſtode, Ploratrix apud illam querelas effudit, ob urgentem circa zygoma latere dextro dolorem, atque præeunte ejulatu per horas duas arrepto digito ancillæ & parti dolenti admoto à puella, facta compreſſione, per majorem oculi canthum exiliit lapis piſi magnitudine, cum quibuſdam lacrymis. Temporis circumſtantiæ conſideratio, ac ſpatii per quod nulli lapides ejuſmodi emiſſi, illi conjunctæ quod poſtremum hunc excluſerit tunc temporis cum in oculum intrudere, nullo obſervante, licuit, puellam fraudis tem aperte arguebant, ut Caſtellum-jaloux, unde deducta, remeare coacta fuerit. Monitum vero Te hac de re volui, ne phænomeno huic nimiam fidem adhibeas; cal-

liditatis proculdubio & aſtutiæ effectu ; Hæc ſententia eſt Dominorum *Modery* & *Tartas*, qui prius examine facto ad me ſcripſerunt ac Domini *de l'Aſeous*, qui ea de re ad D. Filium ſuum cognominem perſcripſit : utcunque ſit, ſi Tibi deſignando quæ de hoc ſuppoſitio prodigio conſcripta ſunt, nihil certi conſtituerim, ſaltem tibi aperui novam quorundam fidei imponendi rationem, quæ pro recens Explorato haberi debeat : quandoquidem errorum correctio, & fraudium in apertam lucem eductio, non minus ad medicinæ illuſtrationem concurrunt, quam utilium inventio, ac praxis ordinariæ deviæ rectæ viæ reſtitutio.

Ex modo dictis eluceſcit è re in poſterum aliquando fore ut res alias propoſitæ retractentur, Ego vero moniturus ſum de iis quæ dubia aut ſuſpectæ erunt veritatis : Id porro prævideo neceſſitatem incumbere ut eandem rem iterum in manus reſumam, recentibus exemplis illam confirmaturus.

Observatio II.

D. BOIREL.

Vermis renis parenchyma occupans.

Revera hiſtoria vermium in renibus R.P. *Camerini* genitorum, D. *Boirel*, vicarii D. Primarii Regis Chirurgi Argentoni, memoriam refricuit, qui demóſtrationes quaſdam anatomicas in cane facturus, quem necare coegerunt perpetui illius & importuni ululatus, vice renis dextri marſupium tantùm membraneum reperit, in quod ureter inſerebatur, vermem duplo longiorem cótinens, quod capitis forma & magnitudine eum propemodum, cujus ad te tranſmiſi iconem, referebat : Adnotavit præterea magnitudinem illam ad caudam uſque productam fuiſſe, à reliquo corpore vermis hac ſolum nota diſtinguendam quod depreſſior eſſet.

Ex præſtantiſſimo tractatu de vulneribus capitis, à D. *Boirel* edito, cum conſtet acri illum eſſe præditum judicio, artis peritum, bono publico invigilantem, ſpei locus eſt multa utilia ab ipſo proditura : revera, præter obſervationes poſtmodum exhibendas, propediem nos expectare jubet hiſtoriam vulneris pectori inflicti, quod hactenus ſub cura habet, In quo multæ notatu dignæ circumſtantiæ occurrunt, Interim hæc ab illo accipe.

Observatio III. Ejuſdem.

Vermes ex umbilico egreſſi.

Primo aſſerit à D. *Eude*, ſodali ſuo, viſos erumpentes vermes ex umbilico puellæ, numero octo, illis lumbricis ſimiles qui in inteſtinis generatio-

nem

nem habent, nullis tamen abſceſſus ea in parte apparentibus iudiciis.

Observatio IV. Ejuſdem.

Vermes ex inguinibus prodeuntes.

Secundo, eundem ex inguine prodeuntes vidiſſe.

Observatio V. Ejuſdem,

Lapides in veſicula fellis.

Tertio, adaperto mulieris cadavere, lapides duos in veſica fellea repertos, illis parum abſimiles quos D. *Gendrots* in cadavere Illuſtriſſimæ Ducis Wirtembergenſis obvios habuit.

Observatio VI. Ejuſdem.

Lapides è juncturis arthriticorum eruti.

Quinto, ſe in plurimis podagricis lapides eduxiſſe, prægreſſis quibuſdam abſceſſibus frigidis in juncturis ſubortis.

Observatio VII. Ejuſdem.

Abſceſſus ſub lingua.

Quinto accerſitum ſe ad pagum *Beaurepaire* prope *Argentonum*, febricitantis inviſendi cauſa, ſub lingua illius reperiiſſe abſceſſum, tantæ magnitudinis ut occluſionem oris impediret, comite adeo inſigni inflammatione cum dolore, ut ad ptyaliſmum indeſinentem impelleretur, Cujus apertionem cum neceſſariam cenſuiſſet, inde prodiiſſe materiæ albumini ovi ſimilis copiam, hoc eſt illi ex qua efformari ſolent tumores ſub lingua, Ranulæ dicti: Præterea lapis coloris albicantis, inæqualis, magnitudinis amygdali ſaccharo incruſtati, figuræ quoque non multum diſcrepantis; quibus eductis & ſymptomatibus deſinentibus ægrum ſanitati reſtitutum quatridui ſpatio.

Collige Domine materiam mihi præberi ex dictis Obſervationibus conſequentias utiles eliciendi, nec non ex pluribus aliis, eadem ſimplicitate offerendis: Porro cum proculdubio futurum ſit ut de quibuſdam phænomenis majoris momentis uberius diſſerendum ſit, affinitate aliqua cum ſimplicioribus & ſine explanatione allatis conjunctis, quorum explicatio multis congruere queat, ſatis mihi fuerit caſus rariores quidem & extraordinarios

paucis & ſincere referre, eos vero qui prodigioſi quid ſapiunt latius explicaturus. Interim, cum multo difficilius ſit accurate & cum judicio inquirere in recens Explorata, quam eacte eorum circumſtantias referre, non defuturus officio ſum, communicando ſingulis diſſertationibus additas deſcriptiones ad me tranſmittendas, quo melius tibi innoteſcant dotes eorum à quibus manarint: Quam eximiæ ſint viri docti, qui ſequentis obſervationis participem me eſſe voluit, ex ejus lectione apertum fiet; nomen vero ſi ſubticuero non indignaberis, nec enim apponere licet quin ſimul in notitiam tuam deventurus ſit qui materiam hujus obſervationis præbruit, quod gravibus de cauſis propalare mihi non licet.

Observatio VIII. Anonymi.

Febris continua, citra ſanguinis miſſionem, ope refrigerantium extincta.

Epiſtola à celebri Medico ad Novorum Exploratorum Collectorem ſcripta.

Sanguinis miſſioni infenſi nullo fortiori argumento eam impugnare valuerunt, quam deducto ab experimento, ſæpius in primario Præſide in primariis Regni Curiis ſupremis facto, animi dotibus non minus quam ſtirpe illuſtri. Temperamenti is eſt bilioſi & ſanguinei, ætatis quæ floridam juventutem à tergo relinquit, conſtitutionis robuſtæ, injuriam nunquam paſſæ præterquam à publicis & privatis occupationibus, quibus continuo in ſubditorum Regis utilitatem, propriamque gloriam incumbit: Graves illi animi labores, deambulationis commoda, exercitiorumque valetudini conducentium ſubtrahentes, febres ardentes ſæpiſſime in illo excitant, maximas clades illaturas, niſi præſidiis ſolitis incendium incipiens ſufflaminaret. In prima ſtatim febris invaſione, vel ubi primum imminentis ſymptoma prænuntia apparent, potu qui à limonibus nomen obtinuit, ad extremum gradum refrigerato utitur, illum una die ad viginti aut triginta hauſtus ingerens; aliquando, ventriculi appetitus ductu, ſyrupum violatum aqua fontis dilutum in uſum ducit: Dum ſoli refrigerio intentus eſt, juſculorum, aut alterius alimenti indigentiæ non attendit, aſſerens tunc temporis cætera omnia eſſe inutilia; tranſactis aliquando ſex integris diebus in uſu liquorum dictorum, nullo præterea accedente alimento: Etſi æſtus perpetuus cerebrum & viſcera fatiget, conſiliis de neceſſitate ſanguinis miſſionis datis neutiquam auſcultat: id genus præſidii repudians, utpote præceps & periculi plenum faſcinum, ægrotantium vires ſenſim & inſenſibiliter atterens, falſa ſubſidii & malorum alleviationis ſpecie, ac imminuendæ plenitudinis prætextu imponens:

Eapropter

Eapropter autumno præterito febrem continuam, cujus decurſus viginti & duorum dierum fuit, cum ternis exacerbationibus quotidianis, immaníque capitis dolore, uberi potu debellare aggreſſus eſt, cum in ſcopum, viginti quatuor horarum ſpatio, malorum citriorum nonaginta ſucco conſumpto. Illi ſi fides, poſtrema hæc febris invaſio in tantum producta eſt, eo quod prioribus duobus diebus, ruri degens, mala dicta, ſummum ipſi remedium, defuerint. Si enim eorum copia ſuppetat, quamprimum febris prodromi adſunt, ab illa plerumque bidui aut tridui ſpatio liberationem obtineri, ſi ulterius procurrat, vix ſextum diem prætergreditur; imo aliquando à cibi abſtinentia viginti quatuor, aut ad ſummum quadraginta octo horarum accidiтur, dummodo potio Limonata, aut aqua fontana, modo ſimplex, modo ſyrupo violaceo diluta ubertim ſuppetat, juxta ſcilicet ventriculi appetitum: id enim obſervatione dignum ab hac parte plerumque normam non modo qualitatis & quantitatis horum remediorum ab ipſo deducendam, ſed & præterea rationis in uſum ducendi.

Ab hoc morbo quamvis gravia imminerent pericula, aut languores pertinaces, immunitatem tamen horum præſidiorum conſequutus eſt, terrificáque accidentia ſubſequentibus utilibus evacuationibus deſierunt, ad inferiora deturbata bile, partibus ſuperioribus bellum indicere paratæ: adeo ut Æger ſubito ab extremo morbo ad perfectam ſanitatem tranſitum fecerit, nullis vultui impreſſis languoris veſtigiis, nec ſuperſtite fœdo vultus cum emaciatione colore, illis familiari qui per iteratas phlebotomias valetudinem dubiam aſſequuntur, novam ſanguinis generationem, quo vigor priſtinus corpori reſtituatur, præſtolando.

Illuſtre ergo hoc eſto exemplum, confirmaturum opinionem exiſtimantium ſanguinem in arteriis & venis ea tantum de cauſa æſtu cieri, quatenus illius efferveſcentia à materia ſulphurea in viſceribus genita inducitur: Sicut enim irritus foret illorum labor qui thermis actu calentibus refrigerium tentarent inducere, fontem exhauriendo, Ex oppoſito vero illas manifeſte temperatum iri frigida in pelvim aquam excipientem infuſa, Eodem pacto ex dictis liquet à phlebotomia, quæ ſuperfluum ſanguinis demit, minus refrigerii illi accedere quam à liquoribus actu frigentibus atque acore quodam prædictis: Inſigni enim copia ingeſti impetum ignearum atomorum ſanguinem exagitantium coercent, ac inſimul fæces limúmque ſulphureum ac nitratum, aliáque extranea fermentandi vi prædita eliminant, ejuſmodi motus cauſas proculdubio vaſis ſanguiferis, dum febris urget, concepta.

Præfata oſtendunt maximos morbos facile poſſe ſuperari ſi eorum notitia præcederet, imo ipſa alimenta medicamentorum vices ſæpe ſubire: Id vero plerumque multis in exitium cedit, quod innumeræ ægritudines internæ

hominibus accidunt, quorum indoles præciſe definiri nequit, ſtante eorum vita quos affligunt: Argumento firmiſſimo erit hiſtoria mox adducenda, morbi per octodecim annorum decurſum incrementum habentis, cognitionem Medicorum ſubterfugientis, ideoque inſuperabilis.

Observatio IX.

Hydrops Vteri Tubarum.

Theſes Medicæ, Ultrajecti typis editæ, & propugnatæ à M. Mey, 20. Novembris 1678. continentes hiſtoriam Hydropis particularis, intra Tubas uteri formati.

PAupereulæ virgini Ultrajectinæ, cui nomen *Cornelia*, cum moribunda maximam anni 1660. partem traduxiſſet, probi forte alimenti inopia, abdomen tandem intumuit, paulatim adeo increſcens uſque ad annum 1678. ut ſtupendæ magnitudinis evaſerit: atque hic ultima miſeriæ & vitæ periodus fuit, viceſim enim ſeptima Junii virgo extincta eſt. Celeberrimi Medici & Chirurgi urbis convocati ad cadaveris diſſectionem, ſequentia adnotavere; Totum corpus admodum emaciatum apparuit, abdomen autem adeo tumidum, ut vix cæteræ partes in conſpectum venirent. Integumenta, & partes continentes propriæ, citra ullam aquæ effuſionem diſſecantur, ſed luſtratis partibus interioribus, deprehenſa congeries quædam in loco determinato, locus autem ille fuit latiſſima & ſumma *Tubæ uteri* portio parte dextra, præ plenitudine adeo expanſus, ut inde aquæ mediocriter ſalitæ libræ centum & duodecim prodierint, cum fontana limpiditate decertantis: Membrana *Tubam* conſtituens ſemidigiti craſſitiem adæquaverat, ubique veſiculis partim aqueis partim adipoſis conſperſa, *Tuba* partis ſiniſtræ materiam fungoſam, viſcidam & purulentam continebat, una cum pluribus veſiculis aqua refertis, conjunctim decem librarum pondus excedentibus. Partem illam ambiebat Tumor particularis, ruber, mollis, magnitudinem ambarum manuum complicatarum obtinens, in quo materia caſeo putri ſimilis incluſa. Teſticulus ejuſdem lateris ſemicorruptus fuit, uterus autem omnibus ſuis partibus naturalem conformationem ſervaverat: Tubæ ad ejus fundum adapertæ erant, ſtylus autem intruſus mediam tantum longitudinis partem attingebat: Jecoris facies exterior alterationem inſignem præ ſe ferebat, aquoſis veſiculis obſitum, variæ magnitudinis, quædam ovi gallinacei, aliæ columbini, aliæ minores: pars illius interior ſat rubicunda nil morboſi referebat: Splenis conſtitutio naturalis erat: Ventriculus naturalem magnitudinem quadruplo & amplius excedebat; Novacula (fœtore inſigni

Tabula 3.ª Anni Primi Pag: 103



inſigni prohibente) illi non admota, Iudicatum tamen in ipſo materiam partim aqueam, partim bilioſam concludi, quod, referente Medico ægræ ordinariò, paulo ante obitum non ſemel ejuſmodi materiam vomitu excluſiſſet: Cuncta inteſtina nigricabant, ſphacelo proxima: Thorace ictu ſcalpelli perfoſſo, ſeptum tranſverſum attingentis, eo ipſo momento, ac cum impetu aquæ ſubrubræ inſignis copia profluxit. Reliquæ autem partes intactæ relictæ ſunt, nec enim quiſquam odori tetro ferendo ubique diffuſo par fuit: exiſtimatum præterea nihil alibi repertum iri quod admirationem ſummam ut cætera cieret: Figura ſequens omnia ad viuum refert, cujus explicatio quicquid maxime ſingulare adfuit traditura eſt.

Figuræ Explicatio.

A. Ventriculus magnitudinem naturalem quarta parte ſuperans.
B. Splen.
c. Jecur veſiculis aqueis ubique oblitum.
DD Inteſtinum Colon.
EE Inteſtina gracilia ad latus ventris retracta.
FF Truncus majoris arteriæ.
GG Truncus venæ cavæ.
HH Venæ Emulgentes.
II Arteriæ Emulgentes.
KK Renes.
LL Ureteres.
MM Arteriæ ſpermaticæ.
NN Venæ ſpermaticæ.
OO Arteriæ Iliacæ.
PP Venæ Iliacæ.
QQ Uteri corpus ſecundum longitudinem diviſum.
RR Uteri cavitas
SS Tubarum initium in conſtitutione naturali.
T. Tubæ dextræ obſtructio, ubi Tumoris initium.
V. Eadem Tuba aqua referta.
aaaaa Vaſa ſanguifera expanſa & diſperſa per ejuſdem Tubæ ſuperficiem.
bbbb Veſiculæ aqueæ variæ magnitudinis.
cccc. Portiones adipoſæ exterius eidem Tubæ adhærentes.
W. Locus cui immiſſum ſcalpellum, per quem aquæ incluſæ exitus conceſſus.
d Teſticulus dexter.
e *Tubæ* fimbria eodem latere.

x *Tubæ* Uteri parte ſiniſtra, tumida ob incluſam congeriem materiæ fungoſæ & purulentæ.
ffff Vaſa ſanguifera per ſuperficiem tumoris ſparſa,
ggg Veſiculæ variæ magnitudinis.
h Teſticulus ſiniſter.
z Alius Tumor mollis & putridus, Tubæ ejuſdem lateris adhærens.
i Ligamenti lati portio.
kk Ligamenta rotunda.
l Uteri collum.
m Orificium internum.
n Rugæ colli Uterini.

Circa hoc phænomenon obſervat, præeunte *Tulpio*, D. *Mey*, in cadauere muliebri ab hydrope extincto centum & decem aquæ libras repertas, duabus peritonæi tunicis concluſas: Idem notat Dom. *Stratenum*, Profeſſorem Amſterodami, vidiſſe puellam ſimili ægritudine occupatam. Referente *Veſalio* in utero mulieris Auguſtanæ octoginta aquæ libras delituiſſe. Tandem *Marcellum Donatum*, *Gul. Fabritium Hildanum*, *Sennertum*, *Bartholinum*, alióſque quaſdam Hydropis ſpecies attingere, in variis abdominis partibus exortas: addit verò apud nullum authorem ſimilem illi cujus meminimus repertum iri.

Negat etiamnum idem hydropum generationem perfecte ab hydropis refrigerio deduci poſſe; nec ab intemperie calida cæterorum viſcerum, vel ab uſu alimentorum crudorum & aqueorum; aut ruptione vaſorum lymphaticorum, obſtructioneve lacteorum, uti nec ab aliis cauſis vulgo tradi ſolitis. Cenſet vero veroſimilius referendam ad ſanguinis partium diſgregationem, à cujus partibus craſſioribus obſtructiones, ſolitũ humorum curſum interrumpentes, oriantur; unde ſerum poros tranſgredi cogatur, vel per arteriarum orificia venarum evadere. Experientia ex Clar. *Louvero* deducta, ab eo in ſententiæ confirmationem adducta, ob ſingularitatem ſilentio non prætereunda, Ait is ligata canis vivi vena caua ſupra diaphragma, hunc illico in ſummum languorem adduci, imo mortem præ foribus eſſe; in abdomine autem ingentem aquæ vim deprehenſum iri, non ſecus ac ſi hydropicus fuiſſet ante tentatum experimentum.

En aliud ex Dom. *Willisi* depromptum, neque minoris ad comprobationem ſententiæ momenti: Author laudatus aſſerit animalis cujuſdam vivi cõſtrictis venis jugularibus, hócq; pacto ſanguinis ad cor inhibeatur refluxus illius originem, univerſum caput exteriori parte mirum in modum intumefactum iri, congeſto ſerum vaſa ſanguifera derelinquente: Addit idem à ſe ſæpenumero obſervatum, circa tumores quoſdam aqueos in abdomine genitos

genitos (proculdubio ob obſtructiones) verum hydropem ſubortum.

Ut aliquid addam obſervationibus Dom. *Mey*, id Te monitum velim, hydropem ab ipſo deſcriptum evidenter conjecturas meas quoad infantem Tholoſanum firmare: Exinde enim liquet Uteri Tubas maximæ expanſionis capaces eſſe: multum etiamnum materiæ intra capacitatem ſuam continere poſſe citra ruptionem; quo plures, extenſionis ratione, ad eas alliciuntur ſuperfluitates, eo magis denſeſcere, hinc pendere globulorum generationem, qui quod materia aquea & adipoſa infarciantur, ſuccedente diutina exſiccatione, conſiſtentiam eorum qui in cruſta infantis memorati reperti ſunt, adipiſci queunt.

Eapropter ſpero ſæpius futurum ut eventus reapſe contingentæ, confirmaturi ſint obſervationes conjecturales ex promiſſo ad te ſcribendas, Sed quæ maxima veriſimilitudine nitantur. Accurata iſta cura non modo in feliciorem praxin, ac certiora de rebus judicia, utilis futura eſt, ſed iis præterea quibus ſingulare quid exploratum fuerit, ad illius dilucidationem ſi quid obſcuri implicitum ſit: Revera conſequentiæ à D. *Tribouleau*, multo cum judicio ex experimento nobis ab ipſo communicato deductæ, obſervationibus curioſis inde eliciendis anſam dedere, eventui innixæ, quem ſuſpicere forſan ſatis fuiſſet, prætermiſſo examine, niſi hujus neceſſitatem ſcripto indicaſſem. Epiſtolam obſervationes illas continentem nulla alia inſcriptio notat præter quam qaatuor hæ literæ R. L. D. M. Ideóque pro tempore nomem authoris prætermittam, At vero ex ſubſequenti Epiſtola difficile tibi non erit colligere rei Medicæ illum apprime peritum eſſe, neque quic quam illum medium afferre, in quod ratio non comprobet.

Anonymi Epiſtola ad Novorum Exploratorum Collectorem.

Observatio X.

Vulnus capitis.

VUlnus capitis à te memoratum in Epiſtola menſe Januatio conſcripta in memoriam revocavit rem ſingularem tua notitia forte non indignam, Filius Dom. *Henaultii* Juriſconſulti Cenomani, annum agens circiter duodecimum, menſe Majo anni proxime præterit; ſclopeto manuali in capite læſus eſt, relicta in tubo virgula, qua pulvis & plumbum truduntur: Virgula hæc os occipitale penetrans ventriculos cerebri trajecit, exitum vero habuit per os coronale: Fatalis ille ictus neci ſubitæ inferendæ ſufficiens, ad reditum tamen in domum paternam ſat virium conceſſit, diſtantem à loco læſionis quantum conficit ſpatii ſclopeti ictus: Manum auxiliatricem illico attulit *D. Peron* Magiſter Chirurgus, obitus autem decimo demum die.

ſucceſſit: Super his vero duo hæc diſquiſitione digna credidi.

Primo, Apertevincere eventum hunc Spiritus animales generationem in ventriculis cerebri non habete, nec in iis congeri, Si enim hos corpus illud extraneum penetraverit, non modo ſpiritus tunc temporis ibi reſides, atque ii qui nervos inde deductos invaſerant, fugam cepiſſent, auras petituri: ſed præterea generatio & collectio novæ ſpirituum copiæ impoſſibilis fuiſſet, adeo ut vulneratum, eodem momento quo ictus fuit, omnibus facultatis animalis functionibus, ac proinde vita, ab his pendente, deſtitutum protinus concidere neceſſe fuiſſet: Adde à ſanguinis effuſione, portionéque cerebri veriſimiliter à reliquo eodem momento diſtracta, ac puris ſequuta in dictis ventriculis generatione, neceſſario quicquid ſpirituum in ſe continere potuiſſent, ſuffocandum fuiſſe: Cum autem prima læſionis die functionem animalium intermiſſio non acciderit, ſpiritus jam genitos diſſipatos non fuiſſe conſtat; cum itidem eædem functiones poſteris diebus illæſæ perſtiterint, proculdubio recentium ſupplementum acceſſit, quandoquidem etiam integerrima valetudine eorundem conſumptio aëris inſpiratu ac alimentorum uſu continuo reparanda venit: Unde inferre mihi liceat ventriculos cerebri, neque ad generationem, neque ad conſervationem ſpirituum animalium quicquam conferre.

Alterum ex re propoſita mihi colligendum, ſententiam quorundam antiquorum rejiciendam eſſe, aſſerentium convulſionem ad ſolutionem continui duræ & piæ meningum ſemper ſubſequi: ideóque illarum partium vulnera non adeo ex illorum ſententia verenda eſſe, quandoquidem filius dicti Dom. *Henaultii* convulſivum nullum motum à vulnere expertus eſt, Id quod præterea confirmationem accepit ex integra curatione vulneris capitis, curæ Dom. *de la Chauſsée*, *Ponbrocardii*, & *Buſnelii*, Magiſtrorum Chirurgorum Cadomenſium commiſſi, è quo cochlear & amplius ſubſtantiæ cerebri eductum eſt.

Observatio XI. Authoris.

Podagricus dolor.

Præter adverſaria ad me toto hujus menſi decurſu tranſmiſſa, Tibi communicata, æquum quoque duco his adjungi quæ à me nuper obſervata ſunt: Recordor autem à Te non ſemel quæſitum quid circa Podagram adnotaverim, Nec deſpero futurum ut aliquando à me prodeat eam radicitus curandi ratio; cum enim ſenſibilis adeo ejus imminutio ex ſolo lactis uſu, aquarum mineralium, aut aliarum rerum ſanguinem & ſerum temperantium percipiatur, veroſimile admodum videtur affectum illum curationem eate-

nus

nus tantum reſpuere, quatenus ratio ipſum debellandi nondum innotuit, quamvis impoſſibile non ſit eam nanciſci. Sed eam in rem multa animo volvenda, atque multa tentanda, quibus in præſens vacare per otium non licuit; imo vero dubitationi locus an unius hominis induſtria ſatis futura ſit; ideoque vereor ne tardius hac parte tibi ſatisfiat quam pro meis votis, niſi in auxilium veniant viri laboris patientes & bono publico ſtudentes: Interim, cum dolor ab hoc morbo inductus, eum multo atrociorem efficiat, ego emplaſtrum commentus ſum pro vehementia ejus retundenda, Quanquam hac in re dubitem an voti te compotem effecerim; id te tamen pro comperto habere velim, nemini admotum fuiſſe cui non præſentaneo ſolatio fuerit, En deſcriptionem.

Accipe Seminum papaveris albi contritorum libras quatuor, bulliant in quatuor Pintis, (ſex heminis) vini albi, ad conſumptionem uſque mediæ partis, trajiciatur hæc decoctio per linteum rarius, facta valida expreſſione ad mucilaginis eductionem, Indatur vaſi terreo, addita olei nucum ſine igne expreſſi libra una, ceræ albæ pari quantitate, olei lini unciis duabus, ac tantundem picis Burgundicæ, liquefiant omnia & ebulliant lento igni impoſita, ſpatula lignea continuo verſando, quouſque mixtura hæc ad dimidium excocta appareat; tunc adde olei palmei unciam unam, olei philoſophorum ſemiunciam, Coctio igne lentiore peragatur; Ubi mixtura perfectam pene adepta fuerit, adde iterum ſpiritus terebenthinæ drachmas tres, eandémque probæ aquæ vitæ quantitatem, quouſque tandem omnia in emplaſtri conſiſtentiam abeant.

Adminiſtrandi ratio eſt ut parti dolore obſeſſæ admoveatur, fotu ex lacte tepido diutius præmiſſo, ſi inflammationis veſtigia adparuerint, Aut ex aqua Reginæ Hungariæ, ſi nullæ caloris notæ, quod in podagra frigida dicta contingit; hoc vero obſervato ut quotidie recens emplaſtrum admoveatur, fotu ſemper præcedente.

Observatio XII. Authoris.

Pica Virginum.

INter ſymptomata menſtruorum ſuppreſſionem conſequi ſolita, Appetitus inſignis depravatio ab ea inducta perpetuo tibi admirationem induxit, At vero forte numquam in ventriculo inſolentiorem affectum peperit illo quem docuit me conſultatio ea de re inſtituta, neque narrationem tibi fore ingratam credidero: Virgo temperamenti ſicci, billioſi, utcunque melancholici, circa annum ætatis duodecimum cum ſemiſſe, dolores in lumborum regione perſenſit, illis qui inflammationis comites ſunt non diſſimiles, quanquam ejuſmodi menſtrui fluxus fere prodromi ſint, ad aliquot tamen dies citra

effluxum moleſti fuere,iiſque deſinentibus ventriculus lintei avidus apparuit; revera dum aliquando impedimenta quædam in arca componeret, fragmentum arreptum ori ingeſſit, nec à manducatione abſtinere potuit, ſumma voluptate,quaſi pergrato ſapore præditum deglutiens: poſtridie,imo inſequentibus diebus,eodem ferculo ſibi blandiebatur, donec tandem præ animi impotentia filum ipſum voraret, cujus plures glomeres repertitis vicibus ingeſſit. Nec tamen huic opſonio diutius inſtitit, lintei vere faſtidium nunquam obrepſit, cujus appetitus ad hanc uſque diem, & decimum ſeptimum ætatis annum pertinax eſt: Id autem notatu dignum toto illo temporis decurſu ne unam prętetiiſſe diem qua illius cibi abſtinens fuerit,etſi vim ſibi intulerit:ubi enim quindecim aut viginti horas,deſiderio illo enormi non ſatisfaciens exegit, ab aſcendente in caput vapore, immani illius dolore vexatur, functiones cerebri uſque adeo interturbante, ut ſenſuum omnium ſubſequatur conturbatio: Si conviviis invitata interſit, epulas etiam exquiſitiſſimas faſtidit; ſi quid ex iis delibet, id in gratiam convivatoris facit, fructibus tamen horais non parcens, quorum eſt avida: ſi latebras nanciſcatur è perula, lintea in fruſta diſcerpta depromit, quibus ad ſatietatem gratiſſime veſcitur: Fragmina illa per alvum indigeſta ſecedere adnotavit; quo tempore vero filo indulgebat, ſæpe illud fæcibus induratis remixtum egerebat, quod educere manu podici admota cogebatur. Aliquid in abdomine moveri ex intervallis animadvertit, quæ agitatio proculdubio eſt uteri, ſed neque nova Luna, vel aliam φάσιν ea exhibente, ne tantilum quid è vulva prodit: Cutis color leviter flaveſcit, alias valetudinis notas gerit: Ex mea autem ſententia, non uſpiam quam in conjugio quærendum illi affectui remedium: nec enim crediderim rebus ſic conſtitutis, à ſolis deobſtruentibus occluſa (excluſioni menſium dicata) vaſa reſerari poſſe, à quorum tamen apertione ſola ſanationis ſpes eſt: Hæc ut credam quid impellat non dico,ratio enim tibi in promptu eſt: At vero ſi quid deinceps accidat adnotatione dignum nec id celabo.]

Observatio XIII. Authoris.

Vlcera in capite Venerea.

HÆc dum chartæ committo, offertur mihi mulier, cujus caput, ad partem mediam ſuturæ coronalis, ulcera duo virulenta deturpant, utrumque denarii magnitudinem adæquat, quibus caries oſſis adjuncta: Interrogata fuiſſa eſt ſe ante trimeſtre cancrum venereum in vulva perpeſſam eſſe: manium adhibuerat Chirurgus, qui diverſis temporibus ſeptem ex mercurio pilulas exhibuerat; Unde protinus mediocris ptyaliſmus, comitibus ſolitis ſymptomatibus,exortus eſt;acceſſit febris continua, quæ exacto triduo mercurium

curſum in cerebrum tranſtulit, inde in nervos aurium, oculorum & linguæ: adeo ut auditus, viſus & ſermo perierint. In ſubſidium ſanguis è brachio, pede emiſſus eſt, injecti clyſteres, potiones laxantes exhibitæ; excitatam ſeditionem præſidia hæc aliquantiſper compeſcuerunt, febris enim imminutio manifeſta ſequuta, ſenſuum functio ægræ reſtituta, ſalivatione, quæ oboriente febre delituerat, recurrente, ſed vix peracto quinque dierum ſpatio iterum ſuppreſſa eſt, unde initium duxit dolor capitis, ad id uſque tempus quo dicta ulcera excitata pertinax: Quis futurus exitus nondum mihi liquet; ſed admodum verendum ne mercurius, acido ſero commixtus, antequam in cranio & membranis ambientibus ſedem fixerit, partibus capitis contentis labem aliquam inuſtam reliquerit; Quicquid ſit, hinc compertum eſſe debet quantum periculi impendeat ab hoc remedio in morbis à lue venerea oriundis particularibus, in quibus raro ægris imperatur diæta & regimen, requiſita in criſibus inde excitatis: quamobrem plerumque fit ut ægros talia vexent ſymptomata, ob Mercurium intus ſuperſtitem, ſærorum accidentium parentem, quibus ſola mors finem imponit: Quoſdam novi perpetuis horroribus & ſubſultibus nervorum concuſſos; quoſdam doloribus fixis attritos, cum nodis in articulis: quoſdam tendonibus contractis rigidos, brachia & crura nequaquam flectere habiles, quoſdam hæmoptyſi & puris ſputo, alios paralyſi quorundam membrorum affectos: His malis afflicti ad conſultationes ubique confugiunt: Ob primam mali ſcaturiginem ptyalyſmo ſæpe damnantur, quod lue infecti credantur, unde mali fomentum, ab aucta illius cauſa: Si qui fortuna favente hoc remedii genus non uſurpent, iis demitur ſanguis, purgatio inſtituitur lactis uſus imperatur, multáque alia præſcribuntur, at inani ſemper ſucceſſu, nec enim prædictorum quodquam obtundere, aut minerale capite conceptum (unde effectuum omnium origo) eliminare potens eſt; Saltem ad thermas relegantur aut balnea calida, abſorbendæ pituitæ, per partes ægras diffuſæ, gratia; Quid vero hæc demum conſequitur? Materia morbifica amplius commovetur, unde effectus atrocior.

Ex his patet Domine, quam ſæpe noxius in plurimis affectibus Mercurius: Id vero certo Te ſcire velim, me quanquam contra luem Veneream eum in uſum duxerim, non minori ſucceſſu, citra hujus opem, alios morbos venereos expugnaſſe; Quod ſi præterea ipſe periclitari velis, experientiam teſtem habiturus es.

Vale.

Pariſiis 28. Iunii 1679.

ZODIACI MEDICO GALLICI
SIVE
Recens in Re Medica Exploratorum.
IVLIVS.
EPISTOLA SEPTIMA.

PROCVL dubio, Domine, curas meas non deſeram quo per literas Tibi ſatisfiat: quicquid gaudii inde Tibi acceſſurum eſt voluptatis meæ erit complementum, ac vota mea tum demum explevero, ſi deſideriorum tuorum cumulum perfecerim: Ideoque rectiſſime cenſes me nihil prætermiſſurum eorum quæ ſpectant provinciam à te mihi demandatam; neque imponis amicis, ſpem illis faciens rerum oppido rariorum: At tibi id conſtare debet in tempore quærendum eſſe fundamentum commercii à nobis ſuſcepti, cum ejus tantum ſubſidio inſtitutum noſtrum diſſitas regiones pervadere queat, atque reſponſiones præſtolari epiſtolarum in Turciam & utramque Indiam tranſmiſſarum: Interim cum apud populares noſtros jam de utilitate conſtet, ſpem habeo ratam rararum obſervationum comparandarum: Galli, quorum labor improbus & acre ingenium omnia vincit, inventionis gloriam omnem ſibi præripi ab exteris non patientur: Gallia quippe prodigiorum & rerum mirandarum feracior eſt, ut admirationem cientia paritura non ſit: Ex præcedentibus meis de rei certitudine abunde tibi conſtat, quam ulterius præſens confirmatura eſt.

Nuper ſcripſi D. *Boirel*, Argentonenſem, ad nos miſſurum hiſtoriam vulnerati Pectoris; nuperrime vero hac de re epiſtolam ea de re accepi: quia vero dicta hiſtoria fuſius deſcripta, multis inutilibus circumſtantiis obſita erat,

erat, ſatis illi fuit ea tantum quæ maxime memorabilia ſunt ſcripto conſignare, quod ex apographo manifeſtum fiet.

Observatio I.

D. BOIREL.

Vulnus Pectoris è quo vermes excluſi.

MAii die 6. anni præſentis, ad curationem pectore læſi accitus ſum, cui vulnus latere dextro ad quartam coſtam inflictum eſt, initio ab inferioribus ducto, quod tranſverſim aſcendens cavitatem thoracis attingebat, inter quintam & ſextam coſtas. Ab hoc vulnere totis ſex primis diebus aquæ limpidæ, nequaquam fœtidæ copiam inſignem profudit, eo vero ſpatio elapſo, craſſior, & ingrati odoris, ad primum uſque menſis ſequentis diem prodiit; quo tempore vero exhauſtum pectus creditum, ad orificium vulneris vermis, longitudinem ſeptem aut octo tranſverſorum digitorum æquans, ſe obtulit, ad proportionem craſſus: Primum alii conſequuti quatriduo poſt, è quibus tres omnino inanes apparuere, quartus autem lumbricorum formam per anum prodeuntium referebat. Die dicti menſis nona non amplius effluxit materia purulenta, æger autem, qui hactenus fere febris immunis fuerat, tunc ejus ſævitiem expertus eſt. Eo ipſo momento vultus intenſo rubore, phlogoſeos indice, ſuffuſus apparuit, reſpiratio anxia evaſit, accedente tuſſi præ vehementia & continuitate admodum moleſta. Hæc ſymptomatum ſyndrome abſceſſus in pulmonibus imminentis ſuſpicionem injecit, eo quod *pallidus viridiſque color abſceſſus in jecinore nota eſt, viridis & niger in liene, pallidus, cum rubore genarum, in pulmone:* Judicium tamen fallax fuit, vulneratus enim conatu adhibito ad expulſionem moleſtorum, reſpirationéque cohibita, partes omnes pectoris tanta vehementia concuſſit, ut quicquid ejus cavo contineretur, unáque duo corpora membranea excuſſerit, ex quorum forma quid revera eſſent colligere non licuit; liber tamen inde ab oppreſſione evaſit, adeo ut nunc in ſtatu utcunque tranquillo verſetur, quanquam nox die quodammodo ſit moleſtior: Pus ſemper laudabile prodit, tametſi grumoſum ab aliquot diebus, Injecti liquores detergendi vi præditi facilem nanciſcuntur exitum, neque impuritates multas ſecum evehunt.

Ex obſervationibus menſe Aprili cōmunicatis apertum fit nullam reperiri corporis partem in qua vermes non generari queant: A multis traditum authoribus viſos è pulmonibus egreſſos, è muſculis item brachiorum & crurum; A me deprehenſi in medio dente cariei experte: Unum eduxi è brachio, viduæ uſufructuariæ Illuſtr. Marchionis de *Montecler*, duorum tranſverſo-

rum digitorum longitudinis, venæ diviſioni ſe offerentem: Alium ex ulcere in inguine mulieris exorto, in Noſodochio dicto *l'Hoſtel Dieu*, ad inteſtina uſque veriſimiliter pertingente. Idem Patri Dom. *Moulinetti* Medici contigit, Aſſentior tandem opinionem tuam plurimis exemplis confirmari poſſe. Id vero apud me dubium an quodpiam ſuperius à me allato æquiparandum ullibi proſtet: Vix enim quiſquam concipiat quomodo in cavitate thoracis generationem habere queant vermes, tam exacte ab ea, ad quam excrementa amandantur, ſecretam, partes motu continuo agitatas continentem. Id vero etiam notum à nullo authore id proditum, imo ne quidem in empyicis, quorum catalogo vulneratum meum accenſeo: Nec quoque vero ſimile vermes dictos in alvo natales habuiſſe, è quo, aditu ſibi parato, in pectus irrepſerint. Abſurda enim eſſet eorum opinio qui ſeptum tranſverſum penetraſſe dicerent; aut cum è ventriculo in oeſophagum perveniſſent, hunc ab iis perterebratum fuiſſe, ac demum trachæam arteriam ſubjiſſe: Hæc eo magis à veriſimilitudine diſtant, quod vulneratus ab omnibus iis affectibus immunis fuerit qui harum partium læſionem conſequi ſolent, Attamen inconcuſſæ res eſt veritatis, inveſtigatione digna & explicatione, nec abſonum duco ſi quæ in mentem veniunt adduxero; vt & rationem duorum aliorum phænomenωn à me memoratorum. Nolim tamen exiſtimes conjecturas meas tanquam deciſiones objicere, ſed ubique honorificum habiturus ſum, ſi opiniones meas eruditorum cenſuræ, quibus literæ meæ patebunt expoſuero.

Mea ſententia eſt, humorem thoracis capacitate conceptum portioni alicui chyli illic effuſæ commixtum fuiſſe, eóque pacto in generationem horum vermium concurriſſe, *ſtatuendum enim videtur non præcipue ex humoribus pituitoſis excrementitiis, ſed alimentariis, & chyli portione illis admiſta vermes generari.* Ratio ſi à me expetatur, id repoſiturus ſum quod habet Dominus de *Mingelouſeaux*, Medicus Burdegalenſis, elegantibus ſuis in Guidonem notis, compertum eſſe chylum à receptaculis vel vaſis lacteis in mammas delatum, aliquando aberrare ac in pectus effundi, in quo illius congeſtio fiat, empyematis ſpecie ut plurimum imponendo, eandem curationis methodum requirendo.

Stupendam vero aquæ copiam è vulnere prædicto effuſam quod attinet, alibi ejus originem quam in vaſis lymphaticis quærendam non exiſtimo, inſigni numero per pectus diſſeminatis, quorum diſruptioni inſignis illa aquæ colluvies adſcribenda videtur: Tandem ab Illuſtri *Bartholino* diſcendum, hydropem aſciten non ſemper in imo ventre quærendum, qui ſæpe in aliis cavitatibus ſedem habeat: Multorum quoque eſt opinio aquam è latere Chriſti egreſſam ab haſtæ ictu, de qua Sacra Scriptura, ex ipſis iſtis vaſis adapertis potius quam à pericardio exiliiſſe.

Corpora

Corpora membranea, à me ante memorata quod ſpectat, vix adducor ut credam pleuræ membranæ portiones fuiſſe, nedum tunicæ pulmones veſtientis, quandoquidem media tantum inflammatione & ſuppuratione earum partium divulſio poſſibilis eſſet; nec citra lateris dolorem, febrem continuam, omnia tandem pleuritidis ſymptomata, aut pleuropneumoniæ, ejuſmodi alterationes accidere potuiſſent: Satius eſt credamus cyſtidum, excrementa quædam continentium, particulas fuiſſe; vel ex incraſſatione, aut condenſatione portionis aquæ in pectore latitantis prodiiſſe; quandoquidem, ex ſententia *Barbati*, Profeſſoris Patavini, hydropicorum ſerum igni lento expoſitum membranæ craſſitiem adipiſcitur; cujus rei & experimentum multoties in ſero ſanguinis ſucceſſit, *Vale*.

A Te perlecta fuiſſe, exiſtimo, nova experimenta quoad pugnam ex mixtione corporum ſubortam, nec non avide te excepiſſe obſervationes circa lac & ſanguinem ope microſcopii factas; Arti quippe Medicæ eximio uſui futuras in quorundam effectuum explicationem, quorum cauſæ hactenus latent. Id vero quod oculis mox objicietur tuis, indicaturum eſt ab ejuſmodi obſervationibus admirationem ſedulitatis juniorum noſtratium Medicorum excitatum iri, quæ ſtimulo fuerunt Dom. *Landoüillette*, & fundamento ad principia novi febrium ſyſtematis ſtabilienda.

Observatio II.

Nova explicatio mechanica Febrium, à Domino Landoüillette, *Doctore Medico Academiæ Cadomenſis.*

AD particularem eſſentiæ Febris explicationem non eſt neceſſe præciſe cauſarum ejus naturam definire, quandoquidem enim affectus ille in ſola depravatione motus ſanguinis conſiſtit, depravatio autem illa à variis & infinitis agentibus originem ducere poteſt, ſequitur hinc ejuſmodi cauſarum dilucidam notionem afferri non poſſe, quin omnium pene entium phyſicorum definitio tradatur: Ideóque extra confinia explicationis motuum ſanguinis extraordinariorum, organorúmque eum includentium non evagaturus ſum, eo quod proprie cauſarum dictarum ſint effectus. Eapropter pro ſuppoſito primo habendæ obſervationes circa ſanguinem, ope microſcopii, à Dominis *Levvenhoek* Delphenſi Hollando factæ; & Domino *Hook* Societatis Regiæ Londinienſis Scriba, Gallice editæ à Domino *Meſnin*: Ex illarum ſerie ſequentes ad rem mihi propoſitam pertinent: Adnotarunt ii 1. Sanguinem ex exiguis globulis rubeis conflatum eſſe, humori cryſtallino, aquæ non diſſimili innatantibus. 2. Unumquemque illorum globulorum ex aliis porro ſex conflatum eſſe. 3. Humorem cryſtallinum, cui ſunt immerſi

iterum ex globulis exiguis conſtare. 4. Globulos rubeos ægritudinis quam ſanitatis tempore ſolidiores eſſe. 5. Tubulos exiles, quorum opera uſi ſunt in his obſervationibus comparandis, ambienti expoſitos, aëre leniter à ventis exagitato, exhibuiſſe unumquemque horum globulorum ſuper axe proprio ſe motitantem. 6. Præter globulos rubeos & cryſtallinos, ſanguinis compoſitionem præterea ingredi corpuſcula tetragona, veriſimiliter partes ſalinas.

Præterea perpendendus ſanguis, quoad totum, tanquam maſſa liquida, hoc eſt, cujus partes motu intrinſeco donatæ ſunt, perpetuo & ἀδιάφορῳ, quo fit ut non modo ſicut aqua ad aſcenſum determinari poſſit, deſcenſum, aut diverſimodam effluendi rationem pro varia ſtructura & machinarum illam evehentium, atque organorum continentium, ſed præterea ad ebullitionem, rarefactionem, condenſationem, ac omnes in genere motus quos variæ cauſæ fermentativæ excitare queunt.

Quoad ſanguinis generationem, nequaquam, meo judicio, illius generationis modus adducendus eſt, ſatis ſit ad rei mihi propoſitæ explicationem, ex ſuppoſito liquorem prædictum talem revera eſſe qualis traditur, tanquam corpus liquidum eſſe conſiderandum, à ſpiritibus animalibus exagitatum, illum immediate impellentibus, ipſum ad delationem per arterias determinantibus, à corde ejus ſcaturigine ad ſingulas & cæteras corporis partes, illi tandem ductu venarum reddendum, eadem propemodum quantitate, hæcq; impulſione juſta, qualis ordinata, quandiu ſcilicet nequaquam imminuitur, aboletur, aut à cauſis morbificis viciatur.

Inter varias autem mutationes quæ ſanguini motui naturali accidunt, hic quoque verba facturus non ſum de eodem imminuto, ob ſpirituum animalium diſſipationem, unde ſynope dicta, aut leipothymia: neque de abolito, ab eorundem ſpirituum ſuffocatione, quem Mortem dicunt, at ſolum de ejus depravatione, ab inſolita eorundem ſpirituum agitatione pendente, *Febris*, nomine donatæ. Hic ergo loci ſolummodo diſquirenda venit ejuſmodi depravationis cauſa, qui item effectus ex neceſſitate exoriri queant.

Quandoquidem Medicis motus naturalis univerſæ ſanguinis maſſæ nequaquam ignotus fuit, ideo nec anomalias ejus dignoſcere fuit arduum: At vero quod nondum illis rite innotuerit quomodo hujus maſſæ partes in corpore, dum valetudine integra fruitur, moveantur, dicere liceat hactenus illis male fuiſſe perſpectam Febris eſſentiam, hujus (quod ſupra innui) depravationem motus. Res hæc quo juxta obſervationes à me ante propoſitas dilucida fiat, id primo ſupponatur ſanguinem in vaſis eum continentibus naturaliter moveri, ad eum propemodum quo aqua ad varia loca, ope variorum canalium defertur, hoc eſt, Ejus globulos, quorum motus eſt continuus ab imis ad ſumma (cujuſmodi eſt partium aquæ, ex ſententia Dom.

Carteſii

Cartoſii) impelli ab actione ſpirituum animalium, & abripi deferrique à vaſorum diſpoſitione & valvularum, adeo ut progrediantur ſolum flexuoſe ſerpendo, pro determinationis ratione, non ſecus ac aqua canalium inclinationem ſequuta, aut antliarum, aliarúmque machinarum hydraulicarum, ad loca exceptioni dicata confluit.

Admiſſa poſtmodum obſervationum quinta, hoc eſt, globulorum ſanguinis unumquemque, quibus agitatio extraordinaria impreſſa eſt, circulariter ſupra proprium axem rotari, ubi quærenda ſit febris eſſentia comprehendere mente facillimum erit; Mollities enim & lenitas in globulis ſanguinis, hominis proſpera utentis valetudine obſervata, cujus ope minima etiam vaſa facillime permeant, capillaria dicta, cum alia de cauſa exoriri nequeat, quam quod intra ſe contineant entia mobilia, ſpiritus vocata, Inde colligendum duritiem eorundem per morbos contractam, inde ſolum ortum ducere quod præcedente valida eorum, à cauſis omnibus primitivis febris agitatione, ea ratione invicem concurrunt, ut ideo ſpiritus idonei fiant ad eorum poros trajiciendos, eorumque capacitatem egrediendum, quo fiat ut ſufficientur contrahantur, ideóque indureſcant, atque impediant ne iidem ſpiritus loca quæ deſerverunt iterum ſubeant, adeo ut eorum circumferentiam circumvolitando, ipſis axis motum communicent, à quo, facta imminutione motus totius maſſæ, exſurgit febris initium, cui aſſignanda pulſus exilitas & anomalia primo illo tempore obſervanda.

Cum certum ſit febre initiante globulorum ſanguineorum nondum magnum fuiſſe concurſum, ideo tunc temporis ſufficientem ſpirituum copiam obtinent, quamobrem motum circularem ſanguineæ maſſæ non inſigniter immutare valent, At præterea, ſicut deinceps ſpiritus hos globulos deſerere pergunt, contingit hos magis ac magis indurari, eóque pacto febris augmentum contingere.

Sin dicere liceat ſpirituum extra globulos dictos egreſſum, febris revera cauſam immediatam eſſe, illud quoque aſſertum volumus illorum regreſſum ſufficientem eſſe quo deſinat vitioſa illa diſpoſitio, At vero cum globulorum illorum conſtitutio ab uſu rerum non naturalium pendeat, hinc fit ut eadem in omnibus hominibus non ſit, imo neque in uno eodémque homine toto vitæ decurſu; quo fit ut ſatis aliquando mollitiei poſſideant per febris decurſum, hoc eſt, quamdiu axis motum (in eo ejus natura ſitu eſt) obtinent, quo ſe in minima vaſa capillaria, quaſi ſtriatim leniter inſinuent; in quibus cum non permaneant, ſpiritibus impellentibus debilius obnituntur quam ut iteratum introitum concedant, qua de cauſa febris Continuate ſtatum adipiſcitur.

At cum viceverſa alias accidat illos ea duritie eſſe præditos, ut quibuſdam tantum eadem vaſa trajicere conceſſum ſit, inde ſequitur illos qui ibi impli-

cati hærent, eos qui poſmodum ſe introitui offerunt, remorari; hos porro ſufficienter minuere eorum agitationem qui à tergo ſunt, ut axis motu illos exuant, quo fit ut à ſpiritibus facilius trajiciantur: quo pacto reſtituta toti maſſæ diſpoſitione, qua privata fuerat, *febris Intermiſſionis* cauſa evadant.

Ex ſingulis collige Febrem aliquando inducias nullas concedere, quouſq; incendium omnino extinctum fuerit; aliquando illam evaneſcere ad certa temporis intervalla, eundem fervoris vigorem poſtmodum adepturam, hoc eſt, illam quandoque Continuam, quandoque Intermittentem eſſe: Ambo illi diſcrepantes effectus cauſam agnoſcunt modi diverſitatem quo capillarium obſtructio ſoluitur: Si enim globuli (à quibus illa pendet) mediocriter tantum ad invicem comprimantur, ſpirituum, inter vacua ſpatia, ſufficienti quantitati, in eorum capacitatem regreſſuræ, patet introitus, ac proinde motus eorum naturalis reſtitutioni. Sin contra tantus eorum ſit cumulus, ut carceres nonniſi ab iteratis impulſibus cæterorum omnium globulorum, maſſam componentium, evadere queant, inde tandem uno fere impetu diſpelluntur, adeo ut confuſe & mixtim majora vaſa ſubeant, antequam à ſpiritibus trajici potuerint, qui eos tantum ambire queunt, ac proinde illis motum axis conciliare, unde novi paroxyſmi reditus.

At vero cum motus axiformis globulos illos impediat quominus à vaſe in vas tanta celeritate, quanta cæteri in maſſam ſuperſtites transferantur, quodammodo ab iis motus ſubſequentium interrumpitur, hinc fit ut curſus circulationis ſolitus lenteſcat, eóque pacto horrorem, initio febrium intermittentium contingentem pariant, qui diuturnus eſſe nequit quin Tremor accedat, illius neceſſario ſuccedaneus.

Si ex oppoſito iidem globuli motum axis, quo agitantur, communicaverint prius eos ambientibus, ac demum toti maſſæ, hujus partes tanto motu exagitantur, támque perturbate, ut illam exagitationem ubique calor inſuetus excipiat, eouſque pertinacem quouſque in vaſis capillaribus quibuſdam recentes ſubortæ ſint obſtructiones.

Sin autem globuli vaſis illis impliciti ſufficienter duri ſint, aut ad invicem coacti, ut nec paulatim urgentibus ſpiritus pervii ſint, quod contingit in febre continua declinationi proxima, quin potius uno pene impetu, modo jam à me explicato expellantur, febris de novo irrumpentis certum eſt indicium: At quia intermiſſionum tempore, impulſiones in iis factæ à totius maſſæ ſubagitatione motu ſemper regulari cientur, ſtato quodam temporis ſpatio, inde neceſſario accidit, vel paroxyſmorum reditum perpetuo eſſe æqualem, ſi omni tempore obſtructiones æqualiter ſint ſolutu difficiles; vel eoſdem poſtponere aut anticipare, pro majori aut minori difficultate ad globulos extra vaſa à me modo citata expellendos.

Ut

Ut cætera Febrium accidentia rite explicentur, id obſervari volo globulos rubros, cum quodam febris tempore minus progrediantur quam æquali intermiſſionis tempore, eo quod tunc motu axis commoveantur, conſequi- inde totius maſſæ circulationem admodum infringi, quamdium paroxyſmi vigent; ſin pulſum elevatio & depreſſio perſudere videatur eam tunc temporis vehementiori eo, qui illi naturalis eſt, motu cieri, id ea ſolum de cauſa contingere, quod motus axiformis excitatus ſit à ſpiritibus è globulis illis prodeuntibus, quique dum perpetuo verſus eorum circumferentiam circumaguntur, globulos cryſtallinos disjiciunt, ideóque manifeſtam efferveſcentiam pariunt, à qua tamen ſolummodo moles maſſæ ſanguineæ turgeſcit, ejus curſu citatiori hinc non reddito.

Ex his conſpicuum fit per febris decurſum ſanguinem, quavis pulſatione, in pulmones non eadem quantitate quam ante impelli, ſed præterea aliquomodo defectum à frequenti cordis diaſtole ſuppleris Interim cum globuli indurati nonniſi vix vaſa capillaria, per pulmonum parenchyma ſparſa, permeant, ideo veſiculas adeo comprimere, per illas partes ubique diffuſas, ut ſufficienti & æquali aëris copiæ ac prius excipiendæ impares ſint, unde dyſpnoeæ febricitantibus moleſtæ cauſa arceſſenda, necnon cephalalgiæ fatigantis, quam inducit figura ſtriati cochleæ receptaculi vaſis cerebri capillaribus inducta, quamdiu ea globuli prædicti trajiciunt, quæ non niſi forma cochleæ trajicere valent.

Cæterum, ſi à globulis ſanguineis tam varia phænomena exſurgant, me judice tetragona corpora effectus non minus conſideratione dignos paritura ſunt, Quippe cum veriſimile ſit ab illis famis ſenſum induci, conjectura aſſequi licet per febris decurſum illos è vaſis ventriculi in illius cavitatem excidere, ſed copia juſto majori, ob extraordinarium omnium totius maſſæ particularum agitationem, adeo ut à vellicatione fundi iſtius partis, moréque inſolito, Appetitus depravatio inde ſequatur; qui ſi in ſublime ad oeſophagum deferantur, atque ad os, juvante fervore viſcerum, in febricitantibus Sitis inextinguibilis oriatur.

Ab iiſdem globulis in ſublime elatis Lingua diverſimode imbuitur, alias enim candicat, alias flaveſcit, alias nigra conſpicitur, pro ratione copiæ, aut intenſione caloris illos impellentis. Nec dubium Siccitatem eandem cauſam agnoſcere, quandoquidem ſalina illa corpuſcula, obturatione facta pororum linguæ & partium adjacentium, impedimento ſunt ne alimenta ab ægris ingeſta partem illam ſufficienter pervadant, humiditatem illi neceſſariam illatura. Conſtat tandem Delirium conſequi neceſſario ad vehementiorem ſublimationem, quandoquidem corpuſcula illa à calore ſic verſata, in caput deferri nequeunt citra meningum cerebri vellicationem, nervorum concuſſionem, motúſque ſpirituum perturbationem & confuſionem.

Ratum ergo eſto nihil ſingulare in febribus accidere, cujus non facilis ſit abjiſcem his principiis explicatio; ac vel levi omnium ea conſequentium examine facta facilem fore notitiam cauſarum omnium differentiarum, quæ huic ægritudinis ſpeciei accidunt; cum extra controverſiam ſit minores ſex globulos, ex quibus unuſquiſque rubrorum conſtituitur, poſſe quoque ſeorſim & peculiari ſibi motu moveri, aut axiformi, aut variis aliis modis; Iterum unius motum alterius motui poſſe adverſari, aut etiamnum motui totius globuli quem componunt: adde his globulos cryſtallinos, & partes tetragonas, poſſe præterea motibus anomalis cieri, ideóque varios tumultus toti maſſæ ſanguineæ inducere.

Observatio III.

D. Davy.

Lapides ex Abſceſſu Inguinis erumpentes.

Eorum qui lithotomiæ ſe ſubiiciunt ſortem ſæpius te lugentem audivi: quicquid vero garriant Empirici, vix veroſimile quempiam adeo ſagacem repertum iri qui liquorem aliquem, lapidem in veſica diſſolvendi vi præditum excogitare valeat, nulla noxa partibus œconomiæ nutritiæ dicatis inuſta. Id potius in votis eſſe deberet, ut natura defectū ejuſmodi remediorum ſuppleret, excitatis abſceſſibus criticis: at vero id notiſſimum nihil neq; in ſitu veſicæ, neque ejuſdem conformatione reperiri, quod ſpem faciat futurarum ejuſmodi criſium: Interim, cum rei impoſſibilitatem nihil adſtruat, conjecturæ locus eſt in plurimis eas, ſed clam, neque advertente quopiam contigiſſe: Obſervationum ſubſequentium prior rei veritatem confirmatura eſt, dummodo circumſtantiarum examen adducatur.

D. *Davy*, Chirurgus Juratus Turonenſis, earum rerum quæ artem propriam ſpectant ſtudioſus indagator, obſervationis ſequentis participem me fecit: Aſſerit ille à quadrimeſtri mulierem, annos quadraginta quinque circiter annos natam, complexionis ſanguineæ, intenſum dolorem in inguine dextro perſenſiſſe, nullo tumore exterius apparente: exactis autem diebus quindecim, abſceſſum phlegmonoden, nucem juglandem viridem æquantem, doloris illius conſectarium fuiſſe, excitatum in ſuperna & media hypoſtrii regione, qui elapſo octiduo apertioni opportunus upparuit: quam tamen tunc temporis pauciſſima materiæ effuſio conſequuta eſt, poſtridie tamen lapillis aliquot prodeuntibus, nec non aliquot ex ſerie diebus, adeo ut intra notatum temporis ſpatium, ad numerum uſque ſexagenarium variæ magnitudinis diverſóque tempore excluſi ſint: quos inter quidam avellanam pene adæquabant, figuræ triangularis, coloris ad flavum accedentis:
Eodémque

Eodémque referente, abſceſſus is quanquam exacte & rite deterſus ac mundus videatur, ex intervallis tamen, ſed comite dolore hiat, obtrudentibus ſe aliquot lapillis, illinc ex intervallis reipſa protruſis.

Observatio IV. Ejuſdem.

Scirrhus in regione umbilicali in gravida.

Agit deinceps de cadaveris mulieris apertione, quæ ante annum in partus doloribus obiit, annos tantum viginti & octo natæ, temperamenti dum viveret melancholici: Ab illo repertus ſcirrhus in regione umbilicali, magnitudinem panum duorum Reginæ dictorum adæquans, moleſtiam toto biennio inferens: Tumor is, cum ajuncta graviditate, verſus ſuperiora ſeptum tranſverſum adeo compulerat, ac tantam in viſcerum ſitu naturali immutationem attulerat, ut Lien coſtis, omoplatæ ſubditis parte ſiniſtra, affinis eſſet; Jecur autem, ex altera parte collocatum, ad æqualem pene altitudinem: Veſica fellea adeo contracta, ut nulla pene cavitate donata eſſe videretur, meatus autem choledochi ob Jecoris elevationem extenſi videbantur, à quibuſdam alii partibus conſtricti adeo ut bili commeatum denegare coacti fuerint Cyſtin enim illi excipiendæ dicatam omnino opplebat materiæ concreta, viginti quinque aut triginta lapides tetragonos conſtituens, pentagonos, læves, lucidos, ac tandem pene omnes figura & colore referentes globulos gagatinos, quales togis lugubribus aſſuuntur.

Observatio V. Authoris.

Fungi ſuper apparatum Chirurgicum enati.

Hactenus inauditum non eſt Fungos pluribus partibus humani corporis innatos eſſe, in apparatu autem, affectui cuipiam Chirurgico impoſito increviſſe, à nemine adhucdum adnotatum: Rariſſimus vero quamvis ſit ille caſus, illum tamen noviſſime conſpicere nobis licuit in puella, filia Nob. Dom. la *Mairie*, à cubiculo Sereniſſimi Principis *Condæi*: Dictæ Puellæ, octo aut novem menſes vix natæ, infortunio quodam femur ſine vulnere effractum fuit, ob caſum nutricis, prioribus menſis præſentis diebus. Vulneri medelam illico attulit Chirurgus domeſticus, ſolitis uſus remediis, at, ſive lignum, ex quo ferulas conſtruxit, in putredinem inclinaret, ſive quidpiam fermenti vim ſapiens, mediantibus vaporibus ad partem læſam delatis, exſurrexerit ex mixtura oxycrati, cui faſciæ immerſæ & ſplenia, cum ægræ puellæ, urinæ factum eſt ut dum removeretur dictus apparatus, quinque aut ſex

diebus poſt admotionem, pluſquam centum fungi, illum obſidentes eximendi fuerint, his perſimiles quos profert lignum putridum, maximam partem ad altitudinem digiti aſſurgentes, craſſitiei correſpondentis: Advocatus ad rei novitatem teſtis oculatus Dom. Abbas *Bourdelotius*, qui pro ſua erga me benevolentia, duos exhibuit, ſibi aſſervatos, quos nullo diſcrimine à ſupra dictis ſejunxeris: Novæ meæ de natura corporum mixtorum Diſquiſitiones anſam proculdubio phænomenon hoc dilucidandi, opportunius ibi loci quam hic ſuppeditaturæ ſunt, meo judicio ſolummodo oriundi à concurſu & collectione corpuſculorum elementarium, certa quadam proportione commixtorum; adeo ut rem propoſitam uberius attingere abſurdum ducam.

Sed reditu facto ad novas has Diſquiſitiones, nunquid forte miraberis quod poſtremæ meæ epiſtolæ non inſeruerim meditationes prioribus ad Te tranſmiſſis annectendas, quas hic locum forte habituras credideris: ſed cum non uſque adeo mihi indulgeam ut inventa mea cæteris anteponenda cenſeam, iniquus tibi proculdubio eſſem ſi quæ rariora mihi communicantur tardius ad te devenire paterer, cum interſit ut cita eorum, eximiæ utilitatis cauſa, habeatur cognitio: Veniam ergo daturus es ſi diſquiſitiones memoratas tunc temporis tranſmittam, ubi res majoris momenti defuturæ erunt.

Observatio VI.

Dom. MIGNARD.

Tabes à Pulmonis vomica, ope purgantis exhibiti ſanata.

Itaque pergo ad alia à Te excipi digna, initio ducto ab experimento, facto à Dom. *Mignard*, Academiæ Aquenſis Medico celeberrimo ac Profeſſore Regio, in proprio filio: Ne quid prætermittam eorum quæ rem memoratu dignam efficiunt, id te ſcire expedit, eodem quo natus eſt dictus infans momento, fidei mulieris illum commiſſum fuiſſe, quæ quod primipara eſſet, faſciis rite obvolvendi infantes adhucdum ignara erat; hæc dictis faſciis tam arcte alumni ſui pectus adſtrinxit, ut omiſſa dimenſione neceſſaria, coſtæ adeo compreſſæ fuerint, quæ ſternum verſus anteriora nimium divergere impellerent, ac cavitatis illius nativa conformatio vitiata fuerit: hæc conjunctim infantis conſtitutioni, cujus cerebrum grande & humidum, viſcera plus juſto calida, univerſum corpus raræ & delicatæ texturæ, temperies ad cholericam vergens, Illum admodum infirmum effecerunt, fluxionibus ſeroſis obnoxium, initio in maxillas decumbentibus, dentes & guttur, demum in pectus irruentibus: Ad ſextum uſque annum ſævus dentium dolor illi moleſtus fuit, bienniòque poſt circiter exacto, increſcente partium interiorum

interiorum phlogoſi, auctâque univerſi corporis debilitate, tot & tam variis ægritudinibus in prædam ceſſit, ut parens Dom. *Mignard*, vitæ ſpem omnem abjiceret: acceſſit enim febris lenta vires atterens, ſpiritum ducendi difficultas, ſtertor, frequentes animi defectiones, vigiliæ aſſiduæ, cephalalgia, ſitis intenſa, cordis palpitatio, linguæ ſiccitas, totius oris inflammatio, univerſi corporis macies, ac indeſinens materiæ viſcidæ, fœtidæ, ex flavo virideſcentis exſcreatio: Nihilominus tamen D. *Mignard*, cui puellus in deliitiis, ſupplex ad Deum vota fundens omnia præſidia, ſed inani ſucceſſu advocat, ad caniculam uſque anni 1676. quo tempore illud *Celſi* in memoriam venit, *Quos ratio non reſtituit, temeritas adjuvat, Et, ſatius eſt anceps experiri remedium quam nullum*, ipſoque diſſentiente Hippocrate, puſillo illi ægro ſennæ infuſum exhibuit, addito ſucco limonum & ſyrupo roſarum ſolutivo deſcriptionis *Argenterii*; at tanto ſucceſſu, ut commotio à purgante excitata excluſionis tuberculi, in pulmonibus geniti, de genere eorum quæ vomicas Pulmonis vocant, cauſa fuerit. Refertum erat materia mucilaginoſa, virideſcente, admiſtis granulis quibuſdam albis; paucis, omnino referente cochleam una cum teſta contuſam. Statim ac excluſum fuit extraneum illud corpus, æger convaleſcentiæ notas præ ſe tulit, deſinentibus omnibus ſymptomatis ſupra recenſitis, integra poſtmodum ſubſequuta ſanitate, qua hactenus fruitur.

Ex dictis eluceſcit quot quantaque unus idémque affectus invehat ſymptomata, & quanta ſit unius remedii opportune exhibiti efficacia in pluribus malis ſuperandis. Revera docet experientia morbos, graviſſimorum & plurimorum ſymptomatum authores, unam eandémq; cauſam agnoſcere, ſc. materiam quandam medicamentis cedere aptam; quandoquidem febres ſudoribus ſæpe ſolvuntur, diarrhoea, aut alia quapiam ſimili criſi: quo tempore bubones erumpunt, peſtis plurimum, necnon & variolæ declinationem accipiunt: Vomitus ope ſæpiſſime obviam iri aſſumptorum venenorum diris effectibus conſtat, Puſtulæ tandem cito ad ſuppurationem deductæ, variolis laborantes in tuto collocant: Ex quibus liquet quamvis morborum quorundam ſymptomata magno impetu ſævire conſpiciantur, ſatius ſæpe eſſe id à quo fomentum accipiunt foras pellere, aut ad exteriora allicere, quam in iis mitigandis per anodyna aut paregorica tempus inutiliter terere, quandoquidem natura ſponte ut plurimum vergit ad noxii expulſionem, atque non raro auxiliatrices medentium manus ſecundat: quicquid vero ſubſidii per particularium uſurpationem affertur ne oneri ſuccumbat impedimento eſſe nequit, niſi morbi cauſa ſerio abſcindatur.

Observatio VII.

D. MANCHE.

Gonorrhoea in puero ſeptenni.

QUæ mox à me adducta ſunt de Lue Venerea, in memoriam revocant affectum quendam Venereum, cujus hiſtoriam non tibi ingratam fore exiſtimo: Te non latet ne infantes quidem ab ea eſſe immunes, cujus ſeminaria etiam in alvo materna contraxerint, Id vero te in admirationem pertrahet, puerum ſeptennem, aut octennem, Gonorrhoea fœda in coitu inquinatum fuiſſe, atque à bimeſtri inſignem copiam viridantis puris effundere, unde ſpecies quædam phimoſis in præputio excitata, cum excorationibus in urethra ac inflammatione veſicæ partiúmque adiacentium, hinc inſignis in effundenda urina dolor exortus eſt. Rei veritas apertiſſime conſtat, ad ſtipulantur quorum fidei derogare nefas: Remedia puero ægrotanti à viro in arte celebri præſcripta ſunt, proxima illi affinitate conjuncto.

Observatio VIII.

D. MANCHE.

Vermes in Renibus geniti.

CÆterum de frequenti vermium in renibus generatione opinioni aſſenſum nunc præbeo, doloris nephritici cauſam non à ſolis calculis & lapidibus inducit: Nam præter ea quę antea à me aducta ſunt, D. *Manche*, de quo alia in epiſtola, aſſeruit mihi ante circiter ſex hebdomadas puellum propemodum ſeptennem, filium civis cujuſdam in eadem urbis regione degentis, per penem expuliſſe vermem hirſutum, longum ſeptem aut octo tranſverſos digitos, craſſum pro longitudinis proportione, prægreſſis fere per annum in regione renum doloribus, ultimo præſertim menſe, quos tandem præ pertinacia & vehementia, motus quidem convulſivis ſequuti ſunt: nec prius quam excretus fierit vermis deſinentes, cujus exitum paucus ſanguis concretus ſequutus.

Vale.

Pariſiis 28. *Iulii* 1679.

ZODIACI MEDICO GALLICI

SIVE

Recens in Re Medica Exploratorum.

AVGVSTVS.

EPISTOLA OCTAVA.

AD ſcias nunc velim Domine, Illuſtriſſ. Dominum d'*Auléde*, Senatus Burdegalenſis Principem, illum ipſum eſſe qui ſanguinis miſſionem tantore averſatur, cui aqua & potus ex ſucco limonum adeo proſpere febrem extinxerunt. Egregia hac de re à me tibi exhibita diſſertatio menſe Junio præterito, Authorem habet Dom. *d'Emery*, non minus notum actionum omnium præſtantia, quam ſumma artis peritia, cujus inſignia edidir experimenta: Quamvis à conſiliis Medicis Illuſtris illius Senatus eſſe illi conceſſum ſit, modeſtia tamen inſignis latere proprium nomen juſſit, ne in notitiam is deveniret cui auxiliatrices in morbis manus porrigere ſolitus erat; res vero jam in aperto eſt, Illuſtri Dom. d'*Auléde* rei geſtæ tenor expoſitus eſt, noménque proprium pro candore ſuo prodire is jam non abnuit, una cum experimentorum circumſtantiis. Hæc me docuit nuperrime per epiſtolam dictus Dom. d'*Emery*, qui hiſtoriam ſequentem ſubjunxit.

OBSERVATIO I.

Hiſtoria curationis extraordinariæ, conſcriptæ à D. d'Emery, Medico Regis ordinario, Collegio Medicorum Burdegalenſium adſcripto.

Vlcus cum Tuberculo, in pedis pollice, cacoethes.

CUrationes quædam artis rudes in admirationem pertrahunt, quæ peritorum animum non commovent: niſi vero obſtarent pavidorum rumores, quos falſa occupant præjudicia, remediis licitis, & ſuperſtitionis expertibus, compendioſis & facilibus, morborum rebellantium pertinaciam expugnare liceret, Experimentum ſequens (cujus ego teſtis ſum) in quodam mihi percharo factum, rei veritatem aperte comprobat: Mulier temperamenti bilioſi & melancholici, annos nata viginti ſex, ante impprægnationem, inculpata fruebatur conſtitutione, ſexui familiari excretione ſtatis vicibus redeunte, cum aliquando paulo plus quam de more deambulaſſet, in pollice pedis dextri dolorem ab attritu calcei perſenſit; in quo quidpiam nigricans animadvertens, atque ipſa exiſtimans ſub cute ſanguinem effuſum cohiberi, locum forficis cuſpide compunxit, unde una vel altera craſſi & lividi cruoris gutta effuſa illico levamen conſequutum eſt: ſed poſt dierum decurſum recrudeſcente dolore, ad mali latentis declarationem coacta eſt, ſomnum & deambulationem interdicentis: Ægritudinem ergo duobus, ejus ſaluti æquo ſtudio conſulentibus patefecit. Ego & Parens meus, cujus famam lentiſſimo pede aſſequor, perſpecta mali indole non ſine cauſa veriti ſumus quicquid emergere poteſt ex ulcere, cujus origo adeo inſignem malignitatem præ ſe ferret; à deprehenſa præſertim in eo ſubſtantia ſpongiformi, dura & ſicca ad inſtar majoris verrucæ, è fundo emergentis, cujus radices perioſtium etiam attingere videbantur, excitatis lancinationibus, tam atroces inferentibus dolores, ut ægra eorum impatiens animo, cum aſſidentium terrore, deficeret; nuſquam autem gravius invaleſcebat malum quam ab admotis medicamentis: Enatum illud tuberculum, quod vix in prima origine fabam magnitudine adæquabat intra trimeſtre, caſtaneæ mediocri mole par fuit; illi quibuſdam in locis fiſſuræ aderant, tenue ſerum & flavum eructantes, quamobrem nullus dubitationi fuit locus Ulcus illud originem debere malignis quibuſdam & rebellibus humoribus; mitibus & validis præſidiis æque refractariis: adhibita enim fuere quæcunque experientia, ratione fulfulta, ſuppeditare valuit; lac ficulneum, vitriolum calcinatum, ipſe etiamnum Mercurius præcipitatus in auxilium venerant, à quorum uſu id ſolum beneficii conſequi licuit, ut capite truncaretur excreſcentia illa, & Ægra, intercedentibus immanibus cruciatibus, vigiliiſq; continuis, imperfecta valetudine potiretur, adeo ut ſi quid ſpei ſupereſſet, id in partum purgamentis ſequuturis collocaret: Stato tempore res contigit, excluſis utcunque propitia Lucina duobus maribus, nequaquam tamen remittente mali ferocia, etſi omnia ad illius depulſionem duce ratione perficerentur, quin potius adeo excandeſcebat, ut de partis amputatione & acrotiriaſmo ut pote extremo præſidio, cogitatio

cogitatio inciderit, mali enim exitus ultimus, noſtro judicio, videbatur ſphacelus digiti aut cancer indomitus: Sors tamen alia omnino fuit: Matrona illuſtris, natione Xanto, tunc temporis Burdegalæ degens, intra novem dierum intervallum integram valetudinis reſtitutionem pollicetur, dummodo remedii uſui, euporiſti, cujus ipſamet periculum fecerat, acquieſcere non renueret. Non ægre annuit ægra, quod ab auxiliis Medicorum domeſticorum, plane irritis, ſolatii nihil perciperet; Eóque lubentius Matronæ medicatricis præſcriptis ſe ſubmiſit, quod difficultatis ne minimum quid ſubeſſe intelligeret; arcani enim myſterium totum in eo erat, ut locus affectus horis matutinis & veſpertinis, fruſto crudo & cruento adhuc carnis vervecinæ affricaretur, poſtmodum in horto inhumaretur, quinquaginta paſſibus à domicilio ſuo diſſito: Auxilio tantus adfuit ſucceſſus, ut deſignato tempore perfectam conſequuta ſit ſanitatem; ne minimo quidem poſtmodum ſtupendæ illius excreſcentiæ ſuperſtite veſtigio, imo nec ulceris cui inſederat; Parte, cui impreſſum fuerat malum, integritatis notas adeo expreſſas præbente, ac ſi inviolata omnino fuiſſet.

Adnotetur hoc loco erga ægram indulgentia, quod ſine diſcrimine carnibus è macello quæſitis veſci illi conceſſum fuerit, ſola carne ſuilla prohibita, cujus eſus inſalubris magis quam utilis creditus. Etſi Chirurgorum Burdegalenſium peritiſſimi eventum, cujus cauſa ipſos latet, admirati ſint, qui tamen acumine ingenii pollent, ut à *Tentzelio* propoſita, à *Rhumelio*, & Illuſtriſſ. Equite *Digby* percipere valeant, quoad ſympathias & tranſplantationes ope mumiarum contingentes, ij naturæ arcana ſcrutari valent, ac proinde cauſas ſtupendorum effectuum extricare, curationémque ex ſe inſontem ſuſpicione nefariæ artis abſolvere. De cujuſmodi effectibus judicium ingeniis luminis indigentibus, & ex præjudicio ſententiam ferentibus, committendum non eſt: Operæ porro pretium me facturum credidi ſi arcanum, cujus beneficio plurimi deſperatæ valetudinis inſtaurari poterunt, publici juris fecero; Unde forſan innumera alia non minus admirandæ efficaciæ proditura ſunt.

Observatio II.

Ad omnes morbos melancholicos Expertum Remedium.

QUantumvis difficilis ſit Plerorumque morborum extimas corporis partes obſidentium curatio, id tamen in iis ſingulare eſt obſervandum, quod fomentum accipiant à materia ejuſmodi craſſitie prædita, quæ topicorum impreſſionem admittere, eique cedere valeat; remedia porro dicta parti læſæ immediate, ac priuſquam de viribus aliquid illis deceſſerit, admoveri queant: Eadem vero ratio non eſt ægritudinum in penetralibus corpo-

ris latentium: Cauſam quandoque agnoſcunt aërem inquinatum, ſpiritus extraordinarie perturbatos, miaſmata & venena tenuitate donata, aſtrorum influxus, pluraque alia agentia ejuſmodi naturæ, materiæ medecinalis efficaciam ſubterfugientia, quanquam vero eorum productrix cauſa prodeat à cauſis ſubſtantia admodum corporea donatis, ſæpenumero tamen contingit eas partibus quibuſdam affigi, ad quas vis medicaminum nonniſi plurimum retuſa, vel varias alterationes paſſa petringere nequit. Inde ratio deducenda eſt cur tot ægri, toto vitæ curriculo, ægritudinibus pertinacibus fatigantur, Medici vero ſæpunumero à curationibus incœptis abſtinere cogantur, fidem rei faciente experientia, multitudine exemploru idipſum comprobante, maxime in affectibus melancholici humoris progenie, eo magis refractariis & terrorem incutientibus, quod ſpiritus animales, enormi animi pathemate exagitatos, cauſam proeatarcticam habeant, materiam autem proximam, ſanguinis partes craſſiores & compactiores, corpuſcula ſcilicet terreſtria & acida: Ejuſmodi enim corpuſcula quibuſdam partibus ſi implexa hæreant, adeo ut ſpiritus nominati mobilitatem & efficaciam ſuam illis impertiri nequeant, illico prodit ſcirrhus, ob partium mutuam cohæſionem, per coagulationis quandam ſpeciem, unde hydropum origo, cancri, plurimorúmque ſimilium vitiorum à cohibito, mediantibus obſtructionibus inde natis, ſero: Sin contra eorundem ſpirituum rapidæ mobilitati, ob humorum fluxulitatem obſecundent, in cerebrum evehuntur, excitaturi phrenefin, maniam, amorem inſanum, metum, moerorem, ſenſuum perturbationem, phantaſiæ confuſionem, inſomnia terrifica, vigilias, ſi quæpiam cauſa inibi eos cohibeat: vel totius inquietæ agitationes, laſſitudines, membrorum ſubſultus ac horrores, ſi totius compaginis nervorum viam affectent, ſicut contigit eo in ſtatu qui vaporibus vulgo adſcribitur, non modo toleratu difficili quod ægri crebro in eundem recidant, ſed eo præſertim nomine quod à præſcriptis remediis ſæpiſſime invaleſcat & moleſtior evadat; Eapropter eam in opinionem adducor infra deſcribendum maxime æſtimandum eſſe, quod authorem, cujus benevolentiæ illud debeo, habeat Virum probitatis integerrimæ, certitudinis eventus fidem propriam dantem.

Accipe, vindemiarum tempore, doliolum ſextariorum minorum triginta capax, muſto albo optimo repleatur; eodem tempore adde decem aut duodecim manipulos foliorum ceterach, abſynthii minoris manipulos ſex; corticum tamariſci drachmas ſex; polypodii quercini recentis & inciſi uncias ſex; ſennæ optimæ ſemilibram: mixtura hæc quadraginta dierum ſpatio fermentationi ſubjiciatur, loco parumper ventilato, qualis eſt cella vinaria, Exacto eo tempore doliolum in fundo terebretur, Vini exhibeatur matutinis horis hauſtus, in uſu pergendo quatenus ægri ſanitatem integram conſequantur, quæ ut plurimum intra menſis ſpatium conſequitur, dummodo

cura

cura adſit & ſtudium,ut quicquid corpori aut animo perturbationem inſolitam inducere aptum natum eſt, abſit; accedente eſu ciborum in ſanguinem laudabilis conſiſtentiæ tranſmutari idoneorum.

OBSERVATIO III.

D. BORRELLI.

Hydropicæ mulieris hiſtoria Anatomica.

RAtiones non adducam cur hydropiſin catalogo morborum melancholicorum accenſuerim,cauſa tibi magis quam mihi notior eſt : ſufficiat iis quos latent, examen inſtituere quali conſiſtentia, per morbis hujus decurſum, ſanguis donatus ſit, ut veritas eorum quæ à me modo adducta eluceſcat; Hanc autem in rem obſervari cupio id quod à Dom. *Boirel* Argentinenſi deprehenſum, anatomen inſtituenti cadaveris junioris Marchioniſſæ à *Montecler*, quæ à quatuor menſibus hydropica obiit. Illuſtris ægræ obitum ægritudo biennio anteceſſit, vultum tanta macies fœdavit ut ex eo illam agnoſcere dicto D. *Boirel* vix licuerit, reliquum autem corpus opplebat aqua cryſtallo clarior omni : ex imo ventre circiter ſextarios ſex minores eduxit; è pectore octo, ex extremis partibus, nam univerſa caro imbuta erat ſpongiæ inſtar,tantundem : Jecur parte gibba admodum exſiccatum ſe præbuit, cava autem pure adeo refertum, ut cyſtidis felleæ veſtigia omnia abeſſent, etſi nullæ veſiculæ, ex earum genere quas hydatidas Græci vocant eſſent conſpicuæ, ex quorundam authorum ſententia hydropicorum omnium jecur obſidentes, Splen duorum ſolummodo duorum digitorum tranſverſorum longitudinem obtinebat, paulo minus latus, pollicis ad ſummum craſſitiei, à figura tamen naturali vix receſſerat, ſed ubique & æqualiter in ſcirrhum induruerat : Cæteræ partes omnis labis expertes deprehenſæ,quanquam accuratiſſimo examine perluſtratæ à Dom. *Deſpallieres Oliverio*, Ægræ Medico ordinario, & D. *Boirel* filio, illi à Chirurgicis officiis, huic diſſectioni præpoſitis,ad indaginem ſedulam cauſarum morbi tam funeſti.

Etſi prædictæ obſervationes maximè utiles eſſe queant illis qui eſſentiam hydropis venantur, necnon naturam remediorum quibus ſuperari queat, in præſentiarum tamen non immorabor recenſendis concluſionibus inde eliciendis, ſufficiat mihi, ubi occaſio ſe obtulerit, animadverſiones acumen ingenii ſapientes ſubdere : At vero quam inſignes ſint utilitates ex cadaverum diſſectione emergentes laudibus efferre impellor, dummodo accurata manus non defuerit. Nihil ſane documentis & ſingularitate æquiparandum eſt obſervationibus factis à Dom. *Caronio* Bellovacenſi, Chirurgo Jurato hac ratione inſtitutis, Docet illeo me, &c.

OBSERV.

Observatio IV.

D. CARONII.

Hectici anatome poſt verbera mortui.

1. APerto coram Judicibus cadaveris hominis quadragenarii, à temperamento & victus ratione ſtrigoſi, decem aut duodecim diebus poſt vehementes inflictos ictus mortuo, unde citra vulnera plurima excitata ecchymomata, ſe reperiſſe cordis involucrum aqua, quæ illi ex naturæ lege ineſt, omnino deſtitutum, cor autem omnino flaccidum, exſuccum.

Observatio V.

Aſcites febri continuæ ſuccedens.

Obſervatio Anatomica Ejuſdem.

2. INter diſſecandum cadaver coriarii Bellovacenſis, quadrageſimo anno proximi, coram D. *Auberto* & *Bineto* Medicis, quorum curæ febri continua laborans, quam hydrops aſcites ſubſequutus eſt, commiſſus fuerat, intra cavitatem thoracis obviam habuiſſe abſceſſum intervallum, quod cordi & ventriculi orificio ſuperiori ſubeſt, occupantem, verſus latus ſiniſtrum leviter declinantem, tunica peculiari donatum, in quo circiter libra puris concluſa erat, cum materia lapidea, alba, in corpuſcula quædam ſeparata diſtincta, duarum ad minimum librarum ponderis: qua de cauſa eo gravior fuit abſceſſus, toleratúque difficilior, quod perpetuo verſus inferiora cunctæ partes thoracis detraherentur, unde compreſſo ventriculo ægro ſæpe moleſtæ erant nauſeæ, citra tamen ſyncopen, febrem, ſpaſmos, quæcunque tandem accidentia invehere ſolent vapores maligni, concluſum enim pus tetrum nullum de ſe emittebat odorem.

Observatio Anotomica VI. Ejuſdem.

Humor viſcidus & niger, cum lapillis in cyſti felleæ.

3. DUm præpararet corpus defuncti Illuſtris *Nicolai Choait* à *Buzenval*, Epiſcopi & Comitis Bellovacenſis, Franciæ Paris, ad condituram, menſe Julio ultimo in cyſti fellea comperiſſe ſe humorem viſcidum & nigrum, & ſimul tria corpora nigra extranea, carbonis inſtar nigricantia, ad lapidum mollium naturam accedentia.

Observ.

Observatio VII.

Vermes cum ſanguine è vena emiſſi.

4. NOn ſemel vidiſſe ſe vermes è vena ſecta, ad ſanguinis emiſſionem, prodeuntes, ac nuperrime è mulieris brachio unum ſe eduxiſſe tres digitos tranſverſos longum, ad proportionem longitudinis craſſum.

Observatio VIII.

Androgynos.

5. VOcatum ſe cum Dom. Patre in pagum *Sancti Petri à campis* dictum in Dioceſi Bellovacenſi, inviſurum mulierem membro virili inſtructam, quæque ea in parte ſtricta ligatura facta, eo conſilio ut abſciſſa excideret, tumorem & inflammationem inſignem ſibimet accerſiverat, mariti comminationes verita, ſe viſitationem procuraturum: Penem quidem dictum ille ſed teſticulis orbum deprehendit, extra vergentibus, longitudinem quatuor digetorum tranſverſorum excedentem, ab oſſe pubis originem ducentem, ſitum ad vaginæ latus ſiniſtrum & medium vulvæ habentem: muſculis donatum erectioni inſervientibus, meatu quoque nonſetus ac vaginam orificio interno uteri reſpondentem, adeo ut in concubitu ſperma emitteret, nec ſegnius quam maritus arrigeret: unde moleſtia non levis huic accidebat.

Quantumvis autem ſedulus fuerit dictus D. *Caron* in examine novæ iſtius hermaphroditicæ ſpeciei, non eo uſque tamen provecta eſt ejus curioſitas, ut inquiſierit quid vices colli veſicæ in hac muliere tenuerit. Id tamen reminiſcitur canalem illius penis ſat larga humiditate perfuſum fuiſſe, ut conjecturæ locus fuerit illac urinam emiſiſſe: Utcunque ſit, hic locus amplus eſt admirationi errorum naturæ in generatione, qui eo uſque procedant ut in eodem individuo, modo tam ſtupendo, ſexus utriuſque commixtio conſpicua fuerit. At non minus hoc ſtupendum quod eadem unico in corpore duas videatur animas collocaſſe, nulla tamen ad utremvis ſexum determinatione. Id nihilominus contigit in conformatione monſtri, cujus figuram utraque facie ſe exibentem tranſmitto.

Observatio IX.

D. PICHARTI.

Monſtrum bicorporeum.

D. *Pichartus*, Chirurgus Juratus Aurelanienſis obſtetricandi peritia conſpicuus, Monſtrum prædictum ex utero mortuum eduxit ipſis Ca-

lendis hujus menſis, Biceps erat, ſuo cuique capiti, rite conformato, cum minima diſſimilitudine, ſuum ſubditum erat collum: quantumvis vero unicum videretur eſſe corpus à ſummis humeris ad partem uſq; inferiorem oſſis pubis, quatuor tamen poſſidebat brachia, manibus inſtructa, & tria crura, totidémque tibias & pedes: è quibus duo locum ſolitum tenebant, tertium autem ſitum in dorſo obtinebat, in mediis lumbis pede inſtructum, in novem aut decem digitos diſtinctum. Spina dorſi & os ſacrum bifida erant, ſternum vero ſimplex. Neque vulvæ neque penis indicia, at circum circa anum, lata circumferentia donatum, eminebant carunculæ gallorum gallinaceorum criſtis non multum abſimiles. Partes internæ pleræque duplices erant, unicus autem aderat ourachus, unica veſica, unicum meſenterium, lien unicus, unica vena porta: Duo nihilominus corda perfecta, ritéque diſtincta conſpicua erant, unico tamen involucro, ſeu pericardio comprehenſa: hepar autem etſi unicum, duorum tamen munere fungi videbatur, in quatuor enim lobos diſtinctum erat, duabus fellis veſiculis inſtructum: Unicum quoque mediaſtinum: inteſtina vero quanquam duplicia, at prope anum conjungebantur, adeo ut unicum componerent rectum; Uterus item etſi duplex, unicam obtinebat cervicem ad anum una cum urethra pertingentem, quæ proinde vulvæ officio fungi debuit: criſtæ recenſitæ nympharum vices ſupplere poterant.

A jucundo autem ad utile gratius tibi digredi non licebit quam communicatione eruditarum obſervationum circa vulnerum curationem factarum à Medico Lugdunenſi; nam præter inſignis eruditionis indicia, & ad praxim utilia præcepta, ea elegantia ac lepore conſcriptæ ſunt, ut vel etiam leviſſimi momenti rebus gratiam ſint conciliatura.

Observatio V.

Sive Diſſertatio de ratione Vulnera citra ſuppurationem curandi. A Dom. Marquiſio, *Doctore & Profeſſore Aggregato Collegii Medicorum Lugdunenſis.*

QUæ nuper protulerunt Ephemerides recens Exploratorum in re medica, de Elixirio Dom. *Rabel*, impulerũt me ad examen variarum rationum per quas ſanabiiia ſunt vulnera citra emplaſtrorum uſum, unguentorum, ceratorum, balſamorum digeſtivorum, attrahentium, mundificantium, à quibus ſordida redduntur, & fœdi odoris, imo curationem morantur, febre excitata, (quæ ſuccedit dum pus generatur) atque ſupervacaneorum in partem læſam attractione, dum iis exhauriendis opera navatur; ex *Hippocratis* enim edicto, *Igneum ardorem hoc inducit.*

Hæc

Hæc dum meditaret, accurate penſitavi quæ olim tradidit in conſultationibus *Rodericus à Fonſeca*, Medicus Olyſliponenſis, qui diu artem Medicam fecit Piſis & Patavii : adnotat is Chirurgum quendam Romanum, Empiricam profitentem, intra quadriennium, & minus, ultra viginti millia aureorum lucratum eſſe balſami unius ſtyptici ope, vulneribus ab ipſo admoti, poſtquam eorum labia, per ſuturas aut alias rationes adduxerat : Empirici vero illius doctrinam principio iſti innixam fuiſſe, quod ſcilicet, *Natura ægerrime continui divortium ferat, Ea contra perpetuo ad connexionem ſeparatorum tendat, ſatis eſſe ad hunc ſcopum illi ſuppetias ferre, remotis iis quæ ſucceſſui impedimento eſſe poſſunt ut quam breviſſimo tempore acceleretur curatio vulnerum etiam inſignium, citra alimentorum abſtinentiam, citra potiones medicatas, purgationem & alia quævis à quibus debilis evadit natura :* Hinc inferebat ille ova recentia, & alimenta probi ſucci vulneratis admodum auxiliari, ſi præſertim hæmorrhagia inſignis præceſſerit : maxime vero conferre ſi humores, ſuppurationis materiam, medicamentis tenuium partium, penetrantibus, exſiccantibus & adſtringentibus abſorbere. Rem experientia confirmabat, adducto exemplo citiſſimæ curationis ingentis numeri vulnerum profundorum cum contuſione, quæ breviſſimo temporis ſpatio remedii efficaciæ cedebant.

At vero quanquam *Rodericus* huic methodo conſentire videatur, non tamen quoad omnes circumſtãtias illam amplectitur; vult eam ad rectę methodi normam accommodari, adeo ut veræ Medicinæ legibus quadret : Revera non diſſuadet potiones vulnerarias, penetrandi vi præditas, exſiccandi, adſtringendi, imo non inutiliter eas in uſum duci poſſe in capitis vulneribus cum fractura cranii cenſet, exceptis tamen tribus caſibus à *Fallopio* propoſitis, ſcilicet primo cum dura mater à ſquammulis laceſſitur, aut cum ſubſtantia cerebri propria ab incumbente oſſe depreſſo comprimitur; aut ſi inflammatio meningum trepani uſum expoſcit : Sed præterea in uſu ejuſmodi remediorum imperat ſedulam vulnerum à ſanguine & corporibus extraneis, forte ibi latentibus, mundationem; labiorum exactam & ad amuſſim conjunctionem; ſplenia & faſcias etiamnum toto curationis decurſu madidas eſſe liquore traumatico, nunquam omittendo, cujus ſpiritus vini ordinaria ſit baſis : præterea accedere jubet ſanguinis miſſionem, quotieſcunque dolor moleſtus fuerit, adfuerit inflammatio aut febris. Alvinas fæces enematum ope, aut benigniorum pharmacorum ſubduci : aëris injuriis non patere vulneratos prohibet; alimenta offerri præcipit liquida & mediocri copia, cum vini abſtinentia; quæ omnia multum *Hippocratis* menti conſona ſunt, *Vulneratos*, ait, *fame affligito, & ex alvo quæ inſunt ſubducito, aut per clyſterem, aut pharmaco infra purgante exhibito, & in potu dato aquam aut acetum, aut ſorbitiones præbeto.* Etiamſi vero vulneraria illa medicamenta,

exſiccantia & ſtyptica Medicorum Principi incognita videantur, libro tamen de Ulceribus illorum uſum attingere videtur, *minime*, ait, *inflammationem incurrent, ſi quis advertat ut omnino non ſuppurentur.*

OBSERVATIO XI. Ejuſdem.

Extremus digitus contritus.

HÆc doctrina fundamentum plurimorum experimentorum, ex voto ſuccedentium, quorum ego ſum teſtis, auxilium inſigne mihi præbuit duobus in caſibus præcipitis conſilii: Non ita diu mihi digitus index tam valido ictu percuſſus eſt, ut tota caro admodum contuſa fuerit, contrita & ad os uſque lacera, adeo ut ipſe unguis propemodum abſcederet; illo in ſtatu conſtitutus proſpere mihi in memoriam revocavi, quod alias à celeberrimo Domino *Vlmo* didiceram, de viribus ſuæ aquæ vulnerariæ & ophthalmicæ, cujus deſcriptionem mihi revelaverat, illius ad celeritatem curationis periculum facturus, ſtatim vulnerata parte vino calente abluta, & adductis ad invicem carnibus abſcedentibus deſuper admovi ſplenium, cum levi faſcia dicta aqua imbuta: Illius remedii tanta fuit efficacia ut momento poſt dolor omnino deſierit. Singulis tamen horis apparatum hunc dicta aqua madefaciebam, quem poſtridie tantum eximere libuit: illi methodo poſtmodum deinceps inſtiti, tanto ſucceſſu, ut ante octavam diem integram adeptus ſim ſanitatem, nulla ſequuta ſuppuratione, imo ne manifeſta quidem unguis ulli bi divulſione, nullo ſuperſtite cicatricis veſtigio; cute lacerata ad inſtar cruſtæ indurata & ſiccata, qua poſtmodum per forfices adempta, exhibuit ſe cutis recens formata, tota ſua ſuperficie æqualis.

OBSERVATIO XII. Ejuſdem

Morſus Simiæ.

NOn diu poſt idem experiri licuit in altera filiarum mearum, cujus irritata ſimia genam dentibus arripuerat, ut portio pene divulſa ſit, intra ſex aut ſeptem dierum ſpatium vulnerata pars omnino ſanitati reſtituta, vixque læſionis illa in parte præcedentis ulla ſuperſunt indicia; eundémque ſucceſſum experiri deinceps ſæpius licuit eodem plane modo: Quos curioſitas ad experimentum faciendum impellet, veritatem habituri ſunt adſtipulantem, dummodo aquam prædictam Dom. *Vlmi*, priuſquam ſuppuratio inceperit in uſum ducant, repetitiſque vicibus, modóque præſcripto uſurpent, En Compoſitionem.

Accipe vini albi generoſi, aquæ roſarum optimæ, cujuſque libras duas, aquarum

aquarum fœniculi, rutæ, euſraſiæ & chelidoniæ, ſingularum libram unam, croci metallorum, tuthiæ præparatæ ana uncias quatuor, garyophyllorum, aloës & ſacchari candi, cujuſque unciarum unam, camphoræ ſemunciam. Liquores conjice in vas amplum vitreum, ac poſtmodum reliqua omnia ſimplicia ſubtiliter trita: Vas ſoli per plures dies exponatur, id ſæpius ex intervallis commovendo: aqua prædicta in uſum aſſervetur, diuturna futura ſi modo pulveres non eximantur.

Rodericus, cui aqua hæc ignota erat, plurimas compoſitiones in eundem uſum adducit; Inter cæteras pulverem ex aloë, myrrha, maſtiche, thure, ſarcocolla, bolo Armena & ſanguine draconis concinnandum. Collega quidam meus alias cum emolumento uſus eſt in Noſodochio hujus urbis, Carabes tinctura: Plurimis familiaris eſt aqua Reginæ Hungariæ, nec dubius ſum multa alia extare remedia eundem in finem tendentia: nec tamen mea mens eſt ut ſolitis & uſu comprobatis abſtineamus.

Inanis non debet eſſe labor tot tamque inſignium virorum, à quibus artem medendi hauſimus, nam tot tantiſque exceptionibus obnoxium eſt quod genericum eſt in hac arte, ut nihil neque in antiqua, neque recentiorum doctrina contineat quod utilitate particulari carere queat.

OBSERVATIO XIII. Anonymi.

Fera Impetigo.

NOn ſemel à me certum remedium contra Impetigines malignas efflagitaſti, nunc vero occurrit occaſio hac parte tibi morem gerendi: Quidam enim hic profeſſus gratuitam artem medicam, modo mihi unguenti deſcriptionem tradidit, cujus ope breviſſimo temporis ſpatio extinguuntur. Compoſitio ſatis quidem ampla ſed non ardui laboris: Si quis vero præparationem aggreſſus voti compos evaſerit, glorietur ille poſſe ſe illius remedii ope ſexcentos morbos ſuperare.

Accipe argenti vivi puriſſimi unciam unam, extinguatur in unciis duabus terebinthinæ Venetæ, paulatim adde olivi & olei laurini ana uncias duas, roſacei & chamæmelini ſingulorum unciam unam; pinguedinis melitis ſeu taxi & erinacei, cujuſque etiam unciam unam: axungiæ veteris uncias quatuor; picis reſinæ liquefactæ uncias duas, laridi rancidi unciam unam; aceti acerrimi uncias ſex; Cum iis poſtmodum in unam maſſam conglobentur ſpecies ſequentes rite pulveriſatæ, ſulphuris & alumnis rupei ſingulorum unciæ duæ, æruginis æris, ſalis communis, gallarum & chalcanthi viridis ana uncia una.

Observatio XIV.

D. LANDOVILLETTE.

Vermis inſignis in rene canis repertus.

MOdo mihi innotuit Dom. *Landoüillette*, authorem novi Febrium ſyſtematis, ultima mea Epiſtola adducti, anonymum eſſe à quo paulo ante emanarat elegans relatio vulneris filii Dom. *Herault* Cenomani Juriſconſulti : Inter plurima amœna, quæ continet epiſtola quam inchoante hoc menſe ad me conſcripſit, adnotat ſe dum canem fœminam viventem diſſecari curat, doctrinæ circulationis ſanguinis experimentorũ firmandæ gratia, ſe in rene ſiniſtro vermen craſſitie pennam cygneam non mediocrem æquãtem reperiſſe, longitudine tres ulnę partes: Vermis caput à cauda craſſitie ſola dignoſcebatur, tã parvo ſpatio concluſus erat ut vix renem hunc altero majorẽ reddiderit, etſi ejus parenchyma depaſtus ſit, adeo ut pars membranea ſola in ſuperficie ſuperſtes fuerit, ad ſummum nummi coronati craſſitie ; omnino tamen integris, in conformatione & ſitu, nec ullomodo violatis emulgentibus vaſis & uretere, imo nec ipſo canis domino ab hac quippiam ſanguinis unquam excretum cum urina fuiſſe adnotante, vel crebris ululatibus (ſicut de alio cane adnotat Dom. *Borellus*,) importunum fuiſſe : qua de cauſa exiſtimat Dom. *Landoüillette* P. *Camerinum* paucum ideo effudiſſe ſanguinem quia in eo vermes id quod in renibus maxime ſuperficiarium erat corroſerant, ac proinde maxime inſignes ramos arteriarum & venarum emulgentium per eos diſſeminatorum, At vero in hac cane corpora papillaria tantum vermis abſumpſerat, exiguóſque tubulos qui à glandulis, quibus implantantur, ſerum in pelvim ſubſtratam deferunt.

Observatio XV. Ejuſdem,

Septum cordis pervium.

INde ad rem multo curioſiorem deflectit, Ait enim ſe cum Cadomi anatomicæ diſſectioni mulieris ob flagitia ſtrangulatæ intereſſet, cœtui univerſo Diſſectorem demonſtraſſe ſeptum cordis tribus differentibúſque foraminibus pertuſum eſſe, quorum unumquodque ſtylum craſſitiei notabilis admittere poterat ; re vero propius explorata, obſervatam fuiſſe dictorum foraminum circumferentiam à natura exigua membrana, tubulorum formam ipſis indente, coopertam fuiſſe ; Ex quibus facile erat conſequi à prima conformatione foramina dicta illam obtinuiſſe conſtructionem.

Adnotat Dom. *Landoüillette* phænomenon hoc exemplis non carere, referente

referente enim Dom. *Bartholino*, ſimile quid coram Dom. *Gaſſendi* demonſtravit D. *Payen*; à *Riolano* idem exploratum, à *Walæo* autem cavitatem in ſepto bovis deprehenſam, quæ initio ad baſin ducto in conum deſinebat per tranſverſum ducta, ab Ariſtotele pro ventriculo accepta: At vero cum ex rarioribus & inſolitis nullum principium univerſale conſtituere liceat, aut regulam generalem, à prædictis obſervationibus in vulgata opinione immutationis nihil accedere poteſt; quæ firmis rationibus contendit à ventriculo uno ad ulterum ſanguinem commeare, ſed tranſitu facto per pulmones: Ea vero ſolum de cauſa à Dom. *Landoüillette* adductum fuit hoc phænomenon, ut oſtenderet fieri potuiſſet, ut ipſo conformationis momento eorum corporum, in quibus reperta hæc foramina, cordis auriculas inſolitam magnitudinem forte adeptas eſſe, ideoque ut ſanguis in dextrum ejus ventriculum uberiori copia influeret occaſionem præbuiſſent, qui cum neque vaſis per pulmonis ſubſtantiam diſtributis, nec ipſa ventriculorum capacitate coerceri potuerit, neceſſariam fuiſſe conſtructionem novi canalis ſeptum tranſmeantis, antequam fibræ ſupra dictum, partem conſtituentes ſatis ſoliditatis ſibi comparaverint quo ejus motui obniterentur, atque extenſioni ab ipſo per amplificationem molis ſuæ inducendæ, ſicuti videmus in iis qui ab infantia urinatores ſunt, foramen, *Botallianum* dictum, tota eorum vita apertum permanere, non ſecus ac priuſquam à nativitate uſum reſpirationis obtinuiſſent; id quod eo vero magis conſentaneum videtur, quod in muliere, cujus diſſectioni interfuit, auriculæ cordis prædictam conformationem adeptæ erant.

Nec id omittendum reor, quod abſente Dom. *Landoüillette*, dum ultimæ meæ typis Pariſiis ederentur, aliquot in ejus febrium ſyſtemate irrepſiſſe errores, emendatione indigentes, e.g. pag. 116. pro his vocibus, *cum globuli rubei quidam febris tempore minus progrediantur quam æquali tempore in intermiſſione, ratione motus axis quo tunc pollent, ſequitur enim ſanguinis maſſæ circulationem admodum ſegnem eſſe*, repone, *cùm globuli rubei non magis progrediantur*, &c. *circulationem totius maſſæ celeriorem non eſſe*. Iterum pagina 117. lege *ſyſtolen* non diaſtolen.

Observatio XVI.

Veſicæ Lapidis diſſolutus medicamentis.

CÆterum ſi hactenus diſtulerim ad te tranſmittere ſpecialem narrationem duorum experimentorum hic loci factorum à Dom. *Brocardo* Bellovacenſi, quorum prius tentatum id ædibus D. Bataillon, alterum in Noſodochio Charitatis, me præſente, id factum ſcias quia utrobiq; ſatis fuit

oſtendere id genus diſſolventis in calculum actionem ſuam exſerere, eo modo ut illum in liquorem ſolvat, atque Chimiam artem nobis diſſolventia ſatis vulgaria depromere, à quibus idem ſucceſſus expectandus veniat; At vero cum laudatus D. *Brocardus* fidem faciat ſuum medicamentum interius citra ullam alterius rei admiſtionem aut moleſtiam aſſumi poſſe, neque à diſtributione illius, intra viſcera œconomiæ nutritiæ factæ, de viribus multum decedere, ut breviſſimo temporis ſpatio lapidem atterat, ſive in renibus inſit ſive in veſica; poteſtas illi facta periclitandi in quodam dicti Noſodochii ægro, in quo D. *Morel*, Chirurgus ordinarius, lapidem avellanæ ad magnitudinem accedentem deprehendit: Sperat ille diſſolutionem omnimodam intra trium, ad minimum, hedomadarum ſpatium futuram, jamque ab octiduo vel decendio curæ initium duxit, adeo ut intra menſem proximum ſpes mihi fiat ſingula tibi enarrandi. Interim boni conſules ſi ulterius non provehar in re aleæ plena, vel maxime quod à plurimis Empiricis id jam tentatum, & publice, qui tamen nihil aliud fructus conſequuti ſunt quam ut ſagacitatem artificum palam facerent.

Vale.

Dabam Pariſiis 28. *Auguſti* 1679.

ZODIACI

ZODIACI MEDICO GALLICI

SIVE

Recens in Re Medica Exploratorum.

SEPTEMBER.

EPISTOLA NONA.

HAc in re Tecum conſentio, Domine, Obſervationes Epiſtolis meis inſertas maximam & potiſſimam earum partem conſtituere; neque tamen inficias iveris quæcunque præterea complectuntur ſua carere utilitate; quandoquidem ratiocinationes phyſicæ grate animum doctrina imbuunt, patefacta ſcilicet ad rerum obſcuriorum notitiam via; Raro contingentium phænomenon explicationes ſummo ſunt auxilio iis qui arcana naturæ citra arduas animi contentiones ſcrutari ſatagunt; Præſtantiſſima autem remedia iis perpetuo arrident qui ſucceſſum felicem in ſuſceptis curationibus ambiunt. Adde quod ex varietate rerum tractatarum, iiſdem ſemper principiis innixarum, connexio & affinitas quæ inter ſingulas Artis Medicæ partes intercedit melius innoteſcit, unde illi & certitudinis & illuſtrationis acceſſio major.

Hoc vero forte Tibi admirationi erit quod mihi traditum D. *Ceſvin*, Magiſtrum Chirurgum Juratum Rhedoniæ Britonum, ſtatuere artem Medicam normas curandi, æque certas & demonſtrativas ac Mathematicam diſciplinam poſſidere: Tam vero accurata cura rem ſe perſequutũ retur, ut invicta rei argumenta daturum ſe aperte profiteatur: Jã porro ideas aliquas aſſertionis ſuæ exhibiturus, Tabulam proponit explicantem defœcationes ſecundæ & præcipuæ alimentorũ concoctionis, quam vocant αἱμάτωσιν ſuppo-

ſita prius aliarum cognitione, quæ eodem judice, facilius in mentem veniunt: Plurima in poſterum eàque rariora, ejuſdem naturæ curioſis pollicitus, utilitatis publicæ gratia: Expoſitam tabellam oculis perluſtra, adjunctámque illi adnexam explicationem, à peritiſſimo Chirurgo traditam,

Observatio I.

D. CESVIN.

Explicatio Tabulæ hæmatoſeôs depurationes exhibentis.

Sapor ſenſus Guſtus obiectum eſt: Qualitas illa ſpecies, in quibus tres ordines ſtatuendi, continet, contradictorie & directe ſibi invicem oppoſitos: Ordinum quiſque in tres ſpecies ſat diſtinctas dirimitur, at tantum gradibus quibuſdam, iiſque non inſignibus, nec directis & extremis, quantitatis & qualitatis particularum gradibus diſcrepantes, Eapropter unuſquiſque ſaporum ordo, in ſanguine contentorum, unico viſcere gaudet, defæcationi excrementorum in eo contentorum deſtinato.

Hinc Jecur excrementis primi ordinis expellendis inſerviens, à maſſa ſanguinis ſegregat quicquid redolet indolem humoris veſicula incluſi, vocant Fel aut Bilem, in qua acre, oleoſum & acidum mixtim confuſa reperiuntur, ita tamen ut guſtu judice facile tria illa ſaporum genera dignoſcantur, non ſecus ac illi diſcernere licet in mixtura ex pipere, aceto & oleo una incorporatis, demum ad extracti conſiſtentiam redactis.


Renum officium eſt liquorem eum, quam vocant *Vrinam*, ſecernere, in qua reperire eſt dulce, ſalſum & auſterum, propemodum ut in extracto ex miſtura ſalis, meſpilorum viridium, & liquiritiæ.

Splen tandem conducit deturbandæ maſſæ ſanguineæ parti maxime terreſtri & tartareæ, quam melancholiæ voce indigitant, ex amaro conſtantem, acerbo & inſipido, id quod obſervare licebit in compoſito quopiam ex aloë, nucibus cupreſſi, & ſeminibus frigidis.

Ideoque cujuſcunque ſint naturæ alimenta in noſtrum nutrimentum abeuntia. Sanguis, quaſi elixirium & chyli quinta eſſentia, liquor eſt ſemper ea temperie in corpore ſalubertimo conſtitutus, ut medium teneat locum inter omnes ſapores ſuperius deſignatos, quia mediante αἱματώσει repurgatur à quibuſcunque corpuſculis elementariis, copia aut qualitate exuperantibus, qua de cauſa ſe exhibet oculis noſtris ſimplex & homogeneus, odoratui, guſtui & tactui.

Situs naturalis quem obtinent tria viſcera (ut ante innui) à natura conſtitua pro fœcibus, maſſam ſanguineam inquinantibus ſegregandis, in diſpoſitione

Tabula IIII. anni Primi Pag: 138



tione hujus Tabulæ obſervatus fuit, Jecoris enim excretiones latus dextrum obſident, Lienis ſiniſtrum occupant, Renum vero medio loco ſitæ ſunt, Cuncta vero eo ordine diſpoſita, ut quatuor ſapores, extreme & è diametro ſibi oppoſiti quoad gradus qualitatum, quatuor quadraturæ angulos efficiant. Maxime oppoſitæ qualitates deſignantur à duabus lineis literam X propemodum effingentibus, quarum una ab *acri* ad *acerbum* tendit, altera ab *amaro* ad *acidum*: poſtremi tandem quinque alii ſapores, quorum qualitates inter extremos mediæ ſunt, ac inter ſeſe, collocatæ ſint inter quinque partes angulorum & quadrati medianas: quorum item diverſi contrarietatis gradus deſignantur vocibus quæ lineis, à circulo uno ad alium exporrectis, inſcriptæ ſunt: id quod facile intellectu erit, dummodo obſervetur verba, à quatuor angulorum circulis immediate proficiſcentia, appoſita longitudini ambarum grandium linearum, quæ X efformant, directe deducenda eſſe ad ſapores denotatos in iiſdem circulis, contradictorie illis oppoſitis, nequaquam autem *dulci*, circulo mediano impoſito. Ita, exempli gratia, verba hæc, *Contraria, Directa, Extrema, Completa*, ab *Acri* immediate deducta, alterutri ambarum harum earundem linearum adſcripta, ad *Acerbum* ſunt referenda, à quo eædem voces prodeunt, eidem lineæ adſcriptæ, cujus longitudini revera præterea addita ſunt vocabula, *Contr. Indir. Incompl.* at quæ à *Dulci* ſolum producta, terminanda ex parte in *Acre*, ex latere altero ad *Acerbum*, indicia ſolum ſunt gradus mediocritatis, ſaporem illum medium intercedentes & ambos extremos, qua de cauſa lateri ipſi lineæ adſcripta non fuere, in qua deſignantur ſuperius notata.

Suppoſito deinceps modo quo perficitur haimatoſis, non difficile erit colligere id quod ab alterutro viſcere defœcatum fuerit, ſanguinis depurationi deſtinato, ab alio perfici non poſſe. Tria enim dicta viſcera quaſi totidem filtra ſtatuenda ſunt, quorum officio obſtare poſſunt corpuſcula formæ cujuſdam ſingularis potita, quo fit ut ex iis à quibus conſtituitur ſanguinea maſſa, quædam Jecur tranſmeent, alia Lienem, alia etiamnum Renes, Ea autem quę configurationem contrariam obtinent illi quę foraminibus ineſt, aut canalibus dictorum filtrorum, in vaſis hęreant in alimentum partium ceſſura, adquas deferuntur. Ideoque mediante tantum trium dictorum viſcerum conformatione natura hanc alimentorum analyſin inſtituit, ex iis muniam aut ſubſtantiam balſamicam eductura; à qua tam mirabili modo quod ex noſtra exhauſtum eſt reſarcitur, mediante aſſiduo atomorum, aut corporum elementarium, ex quibus conflati ſumus, motu.

Cæterum Tabulæ huic ſuæ inſunt peculares commoditates, præter genericam, qua utilis eſſe poteſt indagandis pluribus aliis ejuſdem indolis, ſatis enim dilucidam & diſtinctam notionem expurgationum, defœcationum, & tranſcolationum, in hæmatoſi celebrandarum, exhibet; differentiarum item

in forma occurentium, qualitatis & quantitatis excrementorum exinde redundantium. Hoc vero demonſtrationis genus plus documento cæteris priſcæ Medicinæ præceptis allaturum eſt, tantummodo tradentis diſtinctionem excrementorum in bilem, pituitam & melancholiam: Adde his, ſuppoſitis omnibus gradibus adnotatis, quomodo definiti fuere, abſque negotio idonea ad curationem morborum, (quos parere apta nata ſunt qualitate aut copia peccantia eadem excrementa) remedia repertum iri.

Objicies forſan, Domine, occaſione ab hac Tabula deſumpta, vocabula hæc, *Partium tenuium* aut *craſſarum*, item *Qualitatis frigidæ* aut *calidæ, primo, ſecundo* aut *tertio gradu*, auribus gravia futura, quandoquidem neoterici philoſophi res eaſdem vocibus ſignificantioribus efferant, Sed præterquam quod iniquum exiſtimavi methodum Authoris quoquo pacto innovare, qui ſibi forſan univerſam medicinam in ſimile ſyſtema contruxit, iiſdem principiis innixum, Ratum habeo facili Te negotio ejus doctrinam cum novæ philoſophiæ dogmatis conciliare poſſe, proculdubio ipſi non ignotis, propediem ſorte parallelam daturo: Utut vero ſit, id ſcias te velim in epiſtola qua me cohoneſtavit; prædictis adjunxiſſe illum obſervationem, per quam confirmari videntur quæ Dom. à *S. Romano* conſcripſit de Lacrymarum petrificatione.

Observatio II. Ejuſdem.

Gypſea materia ex angulo oculi ægilope affecti educta.

Ait is accerſitum ſe ad curationem mulieris, cui enatus in altero oculorum ægilops, quem præceſſerat affectus alter, cui nomen Rhyas; Eduxiſſe ſe ægræ ex parte laborante materiam gypſeam copioſam, ac deinceps duos calculos, quorum unusquiſque granum ſeminis cannabis adæquabat, ſuperficiei inæqualis, coloris rubei, qualis corticis arantii mali, quem ſemper obſervare eſt in lapidibus è cyſti urinaria eductis: Ulcere poſtmodum conſolidato ægram integram utrinque adeptam eſſe valetudinem, diſſipata vi illa lapidifica.

Observatio III.

Dom. CHION.

Febrifuga varia.

Cum ſciam à te Febrifugorum uſum, ex cortice Peruviano paratorum, eo tantum nomine improbari quod actionem materiæ febrilis citra ejus evacuationem intercipiant, ſum id quod mox traditurus eo gratius tibi futurum reor, quod ſimul & ſemel cauſam & effectus febris abſcindat: Obtinui

Obtinui id à Domino *Chion*, Medicinæ Doctore Facultatis Monſpelienſis, Lutetiæ Pariſiorum qui lares fixit: Author remedii, ipſo confitente, Medicus eſt Hollandus, qui arcani participem illum non feciſſet, niſi arcta neceſſitudine una conjuncti fuiſſent: Ejuſmodi enim remedii diſtributio admodum authori quæſtuoſa fuit. Facillima eſſet illius compoſitio, niſi acceſſio ſingularis præparationis ſpeciei cujuſdam *Gillæ vitrioli* neceſſaria eſſet, compoſitioni adjungenda, quæ ad certitudinem effectus omnino conducit, quare illius in anteceſſum deſcriptionem exhibeo.

Vitriolum vomitivum, aut Gilla Vitrioli.

Accipe limaturæ æris rubri libras duas, vitrioli cyprii libram unam, conterantur ſimul, accuratéque miſceantur, poſt digeſtionem aliquot horarum in cucurbita vitrea bene cooperta, additis libris duabus ſpiritus vini rectificati, & aceti ſtillatitii libris quinque, colloca vas ſupra ignem cinerum, quo omnis humiditas lente evaporet; intende deinceps ignem quouſque ſupradicta materia rubedinem contrahat: ubi refrixerit, iterum marmori admota conteratur, conjiciatur deinceps in idem vas, ſuperinfuſo adhuc alio aceto diſtillato, ut quatuor tranſverſis digitis ſuperemineat: In digeſtione vaſe clauſo reponatur, ignéque modico, quouſque acetum tincturam ſuſceperit: Exempto demum è cucurbita, iterum acetum infunde, digeſtioni novæ ſubmittendum, couſque pergendo donec acetum coloris expers educatur: His peractis confundantur omnes Tincturæ, additiſque libris duabus ſpiritus vini optimi, cuncta per filtrum traiiciantur, in balneum poſtea reſolvendo quicquid ſpiritus vini infuderis; reſiduum liquorum loco frigido collocabis, quo vitriolum immixtum, aliquali copia acidorum aceti conjunctum, ſalis formam ſuſcipiat: curando à prima cryſtalliſatione ut rurſus evaporet tertia pars liquoris, ad novorum cryſtallorum productionem; tamdiu dictum proceſſum continuando, quouſque quicquid ſuberit illorum eduxeris, in phiala rite obſerata recondendum, ex ea ad confectionem pilularum ſequentium uſus tempore educendum.

Pilulæ Antifebriles emeticæ.

Accipe Gillam vitrioli ſupra dicto modo præparatam, Extracti foliorum aſari ſiccatorum in umbra, croci orientalis ana ſcrupulum unum; ſeorſim ſubtiliter terantur, poſtmodum commixta cum ſufficienti quantitate mucilaginis gummi tragacanthæ in maſſam redigantur, è qua concinnentur Pilulæ, ſingulæ grani unius ponderis.

Pilularum dictarum dozis à granis octo ad ſcrupulum unum aſcendit, habito reſpectu virium, ætatis & conſtitutionis ægrotantium. Vires poſſi-

dent omnes pene febres intermittentes, indubio fere eventu, exterminandi, unam vel alteram dozim aſſumendo, modo in ipſo paroxyſmo exhibeantur: at vero quia uſum ipſarum die præcedenti pulverem catharticum prægredi neceſſe eſt, Idemmet vero iſte pulvis diebus duobus conſequentibus exhibitus miro modo paroxyſmorum reditum prævavet, ideo è re eſt præparationem illius huc adducere.

Pulvis Catharticus & Febrifugus.

Accipe Tartari ſolubilis drachmam ſemis; reſinæ Gialupæ ſcrupulum ſemis, Diagridii ſcrupulos octo, conterantur & verſentur leviter omnia in mortariolo: cum vero propemodum pulveriſata fuerint, piſtili extremum guttis aliquot olei cinnamomi inunge.

Uſus Pulveris dicti hic eſto, Infantibus grana duo vel tria præbeantur, adultis ſeptem vel octo, diluti in vini cyatho, ptiſanæ aut juſculi frigidi, vitulini vel pulli, temporibus autem ſuperius deſignatis.

En Obſervationes quaſdam ad me à Domino *Moderi* Burdegalenſi tranſmiſſas: Medici illius fama Tibi, ut reor, perſpecta eſt, quandoquidem artis proceres omnes illum venerantur, quod artis privilegia longo annorum decurſu propugnare ſtuduerit, non minori gloria quam ſucceſſu.

Observatio IV.

Dom. MODERY Doctoris Aggregati & Profeſſoris Regii in Collegio Medico Burdegalenſi.

Pectoris abſceſſus pleuritidem ſequutus, per urinas indicatus.

VLtimo menſe Junio vocatus ſum inviſurus juvenem Nobilem, annos natum novem aut decem, legitima pleuritide lateris ſiniſtri correptum cum pulmonum inflammatione: id quod ex ſymptomatis ejuſmodi ægritudines conſequi ſolitis facile mihi innotuit: Nullo celeriori auxilio illi ſuccurrendum credidi quam venæ ſectione, quam novies imo decies iterari juſſi, modo liberalius modo parcius ſanguinem emittendo, pro varia ægri & morbi conſtitutione: at nihiloſecius malum de ſumma ſua ſævitie ad diem uſque decimam ſeptimam nequaquam remiſit, quo tempore tum doloris tum febris remiſſio aliqua contingit, quam immediate copioſa per urinas excretio ſubſequuta eſt, pure multo, admodum fœtido & lutulento ſaburratas, adeo ut quo uberius profluerent, eo res ægri meliore eſſent loco: hæc porro tam æqua proportione ſibi reſpondebant, ut cum quadam die minus copioſa fuiſſet ejuſmodi lotii profuſio, acceſſio intenſa tum doloris tum febris, cum difficultate

difficultate reſpirandi, à me animadverſa ſit, quamobrem ad repetitam, è directo lateris dolentis, ſanguinis miſſionem confugere neceſſe habui, ejus uncias quatuor educendo: Effectus poſtremæ hujus venæ ſectionis illico apparuit, eodem enim momento ſpiritum facilius multo duxit, febris remiſſio admodum conſpicua fuit, puríſque excretio multo quam ante largior contigit: triceſimo tandem die ſputa flava & viridia prodire cœperunt, quæ excretio ad aliquot dies exporrecta eſt, quanquam urinarum eadem eſſet conditio, materiam purulentam ſemper evehentium, quo uſque integram æger adeptus ſit valetudinem.

Ex ſuperius adductis meo judicio duo inſignia poriſmata in uſum practicum referre licet, quorum prius eſt, Ariſtoteli concedendum eſſe pulmones & renes inter ſe quodammodo conſentire, ſympathetice aut occulte; quandoquidem cuicunque animali à natura priores partes conceſſæ ſunt, eidem & neceſſario poſteriores: Caſum præſentem quod ſpectat, niſi pus vaſa quædam, inter ſe connexione juncta, permeaſſet, tranſitus illi per cor neceſſarius fuiſſet, unde in ægro leipothymiarum, ſyncopes, languorum, plurimorúmque aliorum ejuſmodi accidentium conſequutio neceſſaria fuiſſet, quod tamen non contigit.

Poſterior concluſio eſt, diureticorum uſum in pleuritide utilem eſſe & ſalutarem, quandoquidem ab ea humores ſemper in pus convertuntur, atque ejuſmodi ſordes urinæ vias affectant, potius quam oris, per anacatharſin.

Observatio V. Ejuſdem.

Menſtruus fluxus in Puella trienni.

EN alteram obſervationem priori non minus memorandam, Menſe præterito initiante oblata mihi fuit puella undecim circiter annos nata, cholorosi inquinata, atque, ex aliorum relatione, ob ſuppreſſum fluxum menſtruum, quem jam triennis, & deinceps experta erat, tam vero ſtatuto ordine, ut nunquam vel copia, vel tempore deliquerint, nullo ſuborto in oculis inflammatorio affectu; adeo ut circa octennium ſuborta eorum phlegmone, emiſſóque tunc temporis à Chirurgo, cui ignota hæc naturæ παρέκβασις, è brachio ſanguine, ophthalmia illam invaſerit, eo uſque invaleſcens donec fluor menſtruus ope venæ ſectionis, in pede inſtitutæ, curſui naturali reſtitutus fuerit; tam ſubito ſolatio, ut poſtridie ne minima inflammationis in oculis veſtigia ſe exhibuerint.

Ejuſmodi maturitatis anticipatio proculdubio inter mirabilia recenſenda eſt: nec enim naturæ ſubita ὁρμὴ & impetus tantum accuſandus venit, quandoquidem motus ab illa ſanguini conciliatus tamdiu adeóque ſtato tenore

proceſſit; illud vero notum, quamvis ἀπαίδευτοι ϗ τοῦ μαθεῖν τὰ δέοντα ποιεῖν urgente neceſſitate, ſive vi conſtitutionis nativæ, aut extraordinariæ, ea quibus opus eſt, auxiliáque idonea ſibi procurare : Cæterum quid præterea utilitatis ex his obſervationibus eliciendum ſit Tuum eſt proſpicere. Vale.

Quandoquidem à Te probatum ſcio novum Febrium ſyſtema, à Domino *Landoüillette* exhibitum, non tibi tædio futurum credo ſi dixero ipſum operæ pretium ſe facturum eſſe credidiſſe, doctis quibuſdam ut arrideret, quibus non minus in votis fuit ut explicationem cauſarum febrium procatarcticarum traderet, quam modum exitus ſpirituum extra ſanguinis globulos, atque rationem motus axiformis eorundem globulorum, ejus revera cauſarum immediatarum.

Observatio VI.

Dom. *Landoüillette*, Doctoris Medici Cadomenſis Pariſiis degentis.

Explicatio Mechanica cauſarum primitivarum febrium.

Febrium cauſæ primitivæ generice diſpeſci queunt in Externas & Internas : Priores (quæ nihil aliud ſunt quam quæ à Medicis Rerum non naturalium nomine veniunt) quatenus copia vel qualitate peccant, valent agitare aut impellere extraordinarie ſanguinis globulos, quamdiu illas in uſum ducimus, eóque pacto ſpirituum exitum in iis contentorum promovere, unde maſſæ ſanguinis fervor, quem Febrem vocant, inducitur, eo quem tradidi modo : Poſteriores, quæ nihil aliud ſunt quam corpuſcula quædam heterogenea, intra nos ſuſcepta ab aliquo temporis ſpatio, ſive mediante reſpiratione, ſive manducatione, ſive adpoſitione, ſive tandem alio aliquo modo, eo accuratiore indagatione egent quod neceſſario eas differentiæ inſignes intercedere debent, unde origo varietatis omnium motuum, quos in ſanguine toto febrium decurſu obſervamus.

Ea propter id priore loco adnotandum, cum ſanguis proprie aëris quem inſpiramus ſit extractum, atque alimentorum quæ vel edendo vel potando aſſumimus, Illius partes nihil aliud eſſe poſſe quam corpuſcula elementaria, immixta quibuſdam portiunculis ſpiritus illius univerſalis, à quo animantur & vegetandi facultatem habet quicquid ad vitæ conſervationem facit.

Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Virgilius 6. Æn. Hoc ſuppoſito, facile cuivis colligere eſt ſanguinem in genere ex duabus partium ſpeciebus conſtare, quarum aliæ craſſæ ſunt, idoneæ ut poros quoſdam aut canales ſubeant, tranſpirationi inſervientes, vel nutri-

nutritioni, Aliæ ſubtiles, quæ nullo fero repagulo cohiberi valent: Cum porro utræque eo depuratiores evadant, quo melius & ſæpius viſcerum, illi operi dicatorum, filtrum & poros tranſmearint, ſequitur inde eas quæ jam in alimentum cujuſpiam animalis abierint, puriores eſſe iilis quæ tantummodo è terra in aliquam plantam tranſierint, ideóque carnium uſum homini ſalubriorem eſſe quam fructuum; ſed præterea maſſæ ſanguinis diſpoſitionem plus aut minus laudabilem ineſſe, prout libertas aut obſtructio viſcerum, ei defæcandæ dicatorum, αἱμάτωσιν perfectam aut imperfectam effecerint. Adde his cibos parum dentibus attritos, aut in ventriculo male concoctos, non parum conferre ut imperfecta partium materialium ſanguinis depuratio accidat.

Huic autem defæcationi deficienti febrium omnium origo aſſignanda eſt, Si námque, exempli gratia, corpuſcula elementaria, maſſæ ſanguineæ compoſitionem ſubeuntia, ſufficientem purificationem adepta non ſint, globuli ex eorum congerie efformati, neceſſario ſuperficiem obtinent inæqualiorem, qua de cauſa exilis inter eos fit connexio, ideóque invicem congrediuntur, atque pars illorum abripitur à motu globulorum cryſtallinorum, qui ex naturæ lege per tranſpirationem ſecedere debent, quo fit ut maxima eorum pars in poris ratione anomaliæ ſubſiſtat, ideóque inde genitis obſtructionibus, à quibus diaphoreſis ſolita præpeditur, ac proinde totius maſſæ ſanguineæ expurgatio, ejus conſiſtentiæ, ejúſque motui immutatio ſuccedat; adeo ut ſpirituum extra globulos exitus ſollicitetur, indeque exſurgat motus axiformis febrem, eo modo quem tradidi excitans: *Melones adeo pauxillum perſpirant, ut quadrantem circiter auferant perſpirationis conſuetæ.* Sanctorius aphor.25.ſect.3.

Idem iterum contingit cum alimentorum partes ſpirituoſæ rite depuratæ non fuerint, quandoquidem globulis motum ſat irregularem impertiunt & perturbatum, adeo ut diverſimode inter ſe concurrant, à curſu ſolito deflectentes; unde maſſe ſanguinea in eam confuſionem trahitur, ac proinde Febris ſemper ex neceſſitate conſequitur.

Prætereo bilis & ſucci pancreatici vitioſas qualitates, chyli confectioni fermentum tribuentia, aliáque ſimilia cauſis febrium internis accenſenda; ſi enim earum origo in conſiderationem veniat, omnes ab iis quas modo recenſui ortum ducere comperiemus. At vero cum ſuppoſitum voluerim poſtremas has ſatis univerſales eſſe, ut omnes in genere febres inducere valeant, in iis tamen quas malignas vocant, Purpuratas & Peſtilentiales, ſingulare quidpiam occurrit, ſiue quia comes illarum eſt contagium, cujus ratione in alium transfunduntur & epidemiæ ſunt; Sive quia ſæva illas ſemper ſequuntur ſymptomata & manifeſte funeſta, è re erit quam ejuſmodi originem habeant inquirere, quo facilius innoteſcat id quod magis aut minus vel

T

in cujuſque ſpeciei febris particulariter, aut in omnium febrium differentiis in genere.


Eapropter id primo conſtituendum, partium corporis mutuam coordinationem, eas ad certos quoſdam effectus idoneas reddere, quos compoſitione ſoluta edere non queunt, unde in illis qualitates adeo oppoſitæ comparantur, ut corpus quodpiam, in quo ſemel partium compages diſſoluta eſt, vix amplius dignoſcere liceat: Idipſum Chimia in ſingulis fere ſuis operationibus conſpicuum facit, nominatim in ſpiritus nitri præparatione, qui quod inter corrodentia, vehementiæ cauſtica & diſſolventia primas teneat, elicitur tamen è ſale pene ſaporis experte, liquoribus in quibus diſſolvitur refrigerandi facultatem impertiente. Inde enim colligendum, ſi accedente extraordinaria agitatione, omnium ſanguinis globulorũ unio mutua diſſolvatur, febres exinde exortas validiores futuras; ſin quipiam ex illis globulis in propria ſubſtantia dividantur, eorum attritionem aptam natam eſſe ejuſmodi morbis inducere eum malignitatis gradum, qui contagioſas & peſtilentes febres efficiat, atque hos plus aut minus pro numero globulorum diſſolutorum, diſſolutionis periodo, ac partium diſgregatarum configuratione.

Si quis cauſas ejuſmodi diſſolutionis à me quæſierit? Reſpondeo eas in inſpirato aëre quærendas eſſe, qui ſanguinis compoſitionem ingreditur, nec enim quiſquam negaverit in tempeſtatibus aëris impenſe calidioribus aut frigidioribus, climatis intemperatis, aſtrorúmque quorundam influxibus, infinitas & varias atomos illi commiſceri, quæ à natura noſtra toto genere alienæ, eo tantum conſpirare videntur ut corporis noſtri diſſolutionem moliantur: Revera, ut ſolæ atomi igneæ, quas Sol in nos transfundit producantur in exemplum, an quibuſdam temporibus ulla nubium denſitas illarum penetrationi obſtare valet, aut aciem earum retundere, ut conſuetos, maximéque nobis exitioſos effectus non pariant, toties & tam variis in locis manifeſtos? torrendo ſcilicet aut corrumpendo alimenta, incendium corporis noſtri partibus inducendo, ebullitionem in noſtris humoribus ciendo, eo impetu ut per poros ſerum exhauriant, imo ſanguinem ipſum, alimoniæ corporis noſtri deſtinata, An tandem arceri poterit propagatio horrendorum infortuniorum quæ nobis Sol inducit, dum particulas corporis, ad ſublimem corruptionis deducit gradum, quem illis invexit, ut pene in nobis veneni naturam adipiſcantur & ſapiant?

Cæterum, ratum habeo genericas has conſiderationes adminiculo fore ſagacioribus ingeniis ut ideam concipiant ſyſtematis, quod ex mea ſententia, fundamentum habere debeat reales obſervationes, Iis enim ſuppoſitis, nulla ſuberit difficultas in concluſionibus omnibus neceſſariis eliciendis; ad definitam differentiarum febrium determinationem, cauſarum particularium ſymptomatum illarum, ac naturam remediorum, illarum

curatio-

Tabula V. anni Primi Pag. 147



curationi idoneorum obtinendam, Præſtolando donec inſtitutum Dominorum Academiæ Regiæ ſcientiarum, de plantarum analyſi conſtituenda ad metam deductum ſit: quo peracto non defuturæ ſunt dilucidationes naturæ morborum, à ſanguine oriundorum, quandoquidem animus illis eſt ſummo adhibito ſtudio pergere, in congerie egregiorum experimentorum, ab ipſis inchoatorum circa hunc liquorem, quo innoteſcant coagulationes, diſſolutiones, fervores, aliíque effectus quos inducere apti ſunt quidam ſucci illi admiſti: At vero cum id inſtitutum ea tantum ratione promulgatum ſit, quo Phyſicis ac Medicis anſa porrigatur pro virili conferendi quippiam in perfectionem hiſtoriæ plantarum, in harum vero analyſi ignis empyreuma impedimento ſit ad ritã & ad votum diſtinctionem qualitatum ſenſibilium partium illarum conſequendam, proponendum exiſtimo ejuſmodi analyſes meliorem forte ſucceſſum habituras, in uſum ducẽdo ſpeculum concavum Bibliothecæ Regiæ, quod Soli expoſitum eum excitat ardorem ut ipſos lapides in vitrum convertat; hoc pacto quippe certum eſt nullam empyreumatis impreſſionem ſuperſtitem fore in rebus analyſi deſtinatis; atque citra aliam opem vaſis chimicis ſingulos caloris gradus pro re nata conciliari poſſe, proxime ea, aut procul conſtituendo à puncto reflexionis, qui modus & ad animalium diſſolutionem mirificus eſſet, & ad intimiorem naturæ cujuſque partis, ea conſtituentis cognitionem, hactenus nobis incompertam.

Observatio VII.

D. COMITIS.

Generatio ex Ovo.

OPinio quorundam Philoſophorum neotericorum, in animalibus citra Ova generationem non perfici, eam hodierna die celebritatem obtinuit, ut citra dubium æquali voluptate & admiratione phænomenon, cujus hic tibi exhibeo figuram, ſis inſpecturus.

Dom. *Comes*, Doctor Medicus Facultatis Monſpelienſis, Pariſiis degens, ipſemet præſens prodigium æri inſculpi curavit, adfuit enim ille rei exploratæ ante circiter biennium: Tum temporis erat Rupefortii cum D. de *Veiryes* ſuo avunculo, ibi loci multa cum nominis celebritate Medicinam faciente, ex ſingulari Regis mandato: Chirurgus Oppidi Pontabbatis, duobus milliaribus hinc diſſiti, illum monendum curavit, dum exenteraretur gallina, ab ipſo in gratiam ægri coempta, eximium quid ſe in illius alvo comperiſſe; Evocatus illuc tendit dictus Dom. *Comes* examini rem ſubjecturus: Ab ipſo compertæ tres maſſæ ſat grandes, ſimul junctæ, duplici membranæ obvolutæ, non multum ab ea quæ cingit fœtum diſſimili; Prior

illarum, quam deſignat litera A, placentæ propemodum referebat figuram, ſolidiori tamen carne donata : Quæ alterum extremum, litera B notata, tribus circiter aut quatuor tranſverſis digitis ab hac diſtabat : membrana conſtabat cava & membranea, inſtar uteri, in qua incluſum animal, indigitatum litera C, felem quam quipiam aliud animali melius referens, in quo duæ aures notabantur, bini oculi, crura quatuor cum cauda : partes hæ accuratiſſime figuratæ erant, cæteræ rudes & informes; diſſectum interius rubrum & ſolidum erat, citra partium diſtinctionem : Maſſa autem litera D indicata aperta, Ovarium exhibuit, ovis variæ magnitudinis refertum. Præter unionem qua tres hæ maſſæ ſimul cohærebant, mediente membrana communi, conjungebat præterea illas quidam quaſi funiculus duplicatus, è medio placentæ, a qua ducebat originem, verſus duo loca diverſa maſſæ B tendebat, quibus inſerebatur, per longitudinem ovarii decurrens, cui validiſſime adnectebatur, adeo ut unamquamque maſſam ſemipollicis latitudo intercederet: Porro nulli licuit deprehendere quibus vinculis prædicta gallinæ cohærerent; conjecturæ tamen locus fuit infiltrationis modo, quomodo adnectuntur cyſtides, adfixa fuiſſe.

Eruditorum, qui circa hoc phænomenon ratiocinio uſi ſunt, quidam merum fortunæ luſum fuiſſe credunt, eo quod ſæpius contingat excreſcentias carneas (quæ corporis interioribus innaſcuntur, aut exterius in abſceſſibus aut ulceribus) cujuſpiam animalis figuram referre, quamquam naturaliter eo non propendeant, non ſecus ac quædam radices aliquando partium hominis quarundam imaginem gerunt, aliquando totius : quæ cuncta ortum ſolummodo ducunt vel à fortuita partium collocatione, aut intervallorum intra quæ hæc formantur diſpoſitione. Dictum in modum, juxta ſententiam quorundam Philoſophorum, ex equi cadavere naſcuntur ſcarabæi, ex bovis apes, & ex quorundam animalium medulla ſpinali ſerpentes.

Alii generationem hanc in modum Molarum accidiſſe cenſent, quæ in vtero etiamnum virginum formantur, aſſerentibus pluribus Medicis : hinc fieri potuiſſe teſticulos & vterum felis fœminæ à gallina deglutitos fuiſſe, nec tamen concoctos, ut pote nutritioni ineptos, qui deinceps intra viſcera recepti, ibi concalefacti, ejuſmodi imperfectæ conceptioni occaſionem præbuerint, non ſecus ac æquivocæ generationes vi caloris Solis contingunt, qui ſalia quædam prolifica, viſceribus terræ incluſa exagitans & commovens, ex eorum combinatione & concurſu varias animalium ſpecies educit & elicit, quomodo inſectorum generationem promovet, originem ex animalium perfectorum corruptione ducentium.

Quibuſdam tandem in mentem venit à gallina fuiſſe deglutitos teſticulos felis; iſtud autem animal calidiſſimi cum ſit temperamenti, potuiſſe fieri ut

ſemen

ſemen teſticulis illis incluſum, ſufficienter vivacitatis etiamnum ſin ipſa digeſtione conſervarit, ac poſtmodum calorem ovario gallinæ impertierit, proinde functionem ſpiritus volatilis & profilifici galli gallinacei obierit: Utut vero ſit, videtur natura in productionibus anomalis ludere, ut cunctos in admirationem ſui pelliciat, atque in ſuis myſteriis adendis abditis viis uti, qua de cauſa captum ingenii hominis adeo ſuperat, ut illi ſemper ſit impervia.

Id vero apud me conſtitueram, ante deſinentem menſem docere te ſucceſſum experimenti in Noſodochio Charitatis tentati, circa diſſolutionem lapidis in veſica; D. antem Brocardo ad finem hactenus illud perducere non licuit, quanquam ante quinque hebdomadas inchoatum, ſive cauſa quærenda ſit in duritie aut lapidis magnitudine; ſive quia dictus D. *Brocardus* parcus ſit in exhibendis dozibus medicamenti, ob teneram ægri ætatem; ſive tandem quod remedium diſſolvens nondun obtineat optatam perfectionem. Quicquid verò ſit, dubito num remedium id illi ſoli perſpectum ſit, conjecturæ vero locus eſt à Dom. de *Gurie de Montpolly* non incognitam eſſe illius materiam, præparationem, uſum, cui ſatis animi fuerit ad ejus hauſtum, nec mediorem, nullo prælibante, hauriendum, quo tempore experimentum factum eſt apud D. *Bataillon*: Dictus D. de *Montpolly* author eſt eruditi Tractatus de Transfuſione, editi jam anno *1667*. Nobilis iſte in conventibus publicis jampridem inclytus fuit, Phyſices, Medicinæ & Chimiæ cognitione celeberrimus. Quandoquidem hic genio impulſore curioſorum ſedulus eſt indagator, rogavi ipſum nihil in dies prætermittat eorum quæ experimentum ſupra dictum ſpectant, quo tibi minutatim & ſincere circumſtantius omnes tranſcribam experimenti conſummati. Interim monet me ægrum ter in die aſſumere ejuſmodi diſſolvens ad XXIV. guttas; ipſum vero firmiori valetudine frui, habitiorémque eſſe quam ante inchoatum uſum: primis aſſumptionis diebus in ejus lotiis deprehenſam calculoſam mucilaginem; nunc verò emitti materiam friabilem, arenoſam, coloris rufi, ſed in minutiſſimas particulas diviſam.

Vale.

Pariſiis 28. Septembris 1679.

ZODIACI MEDICO GALLICI

SIVE

Recens in Re Medica Exploratorum.

OCTOBER.

EPISTOLA DECIMA.

ET te præconem diligentiæ meæ volo, Domine, qui me fraudaturus nō ſis debita laude ob ſtudium & laborem productum ad eam uſque tempeſtatem qua ruris deliciæ vigent, qua qui artem profitentur omnes negotioſi ſunt, qua Magiſtratus, artium Profeſſores & Eruditi valedicunt Tribunalibus, Curiis, Cathedris, Academiis, ut tranquillitas concedat inquietudini, quies labori, & voluptas dolori.

Nec tamen in animum inducas eo quod accuratus ſim, laudem inde me expiſcari, concedo enim non omnino lubenter eo me ferri; at vero innata mihi propenſio ad obſequia Tibi jampridem devota, ob eximias dotes, perennis erit, nec aliam laborum remunerationem præſtolor, quam ut de me in poſterum bene mereri pergas, & ſolita proſequaris benevolentia, quam deinceps omni cultus genere obſervaturus ſum, ejuſque poſſeſſionem tanquam felicitatis meæ meram in æternum habiturus.

Interim gaudeo quod hilari vultu exceperis curam Dom. le *Conte*, ob tranſmiſſam hiſtoriam prodigii, cujus, ut & figuræ, copiam tibi feci; nec vero meo judicio auſpicatius exordium ducturus ſum, aut gratius, quam ſi per me ſcias ab ipſo ſuſceptam eſſe converſionem in linguam Gallicam operis Latine conſcripti à Dom. *Willis*, de Cerebri anatome, natura Nervorum & motu Muſculorum, ante hyemis exitum prodituram, adjunctis omnibus figuris

eam

eam materiam ſpectantibus exſculptis in operibus Illuſtris illius Authoris. Non tibi arduum erit de traductionis elegantia judicium ferre ex Epiſtola ſubſequente: Titulus autem præfixus errorem meum tibi apertum faciet, qui dictum D. le *Conte* Doctorem facultatis Monſpelienſis ſtatui.

Observatio I.

Cachexiæ cum febre fortuita curatio.

Epiſtola à Dom. le *Conte* D. M. ad Authorem conſcripta, Facultati Burdegalenſi adſcripto, Lutetiæ degenti.

ADmiratione, imo forte ſtupore exceptum fuit phænomenon menſe præterito à me exhibitum. Quod vero ab aliquot retro annis cum D. *Verderii*, Medici Pictonis celeberrimi, comes eſſem, à me obſervatum eſt, ſingulari meo judicio attentione dignum eſt, quandoquidem remedia fortuito obvia, non minoris apud Medicos pretii eſſe debent, quam prodigia (aberrantis naturæ opera) conſiderationem apud Phyſicos merentur Tum temporis cum res, à me Tibi communicanda, explorata eſt, fortuna, quæ ſæpiſſime rerum maxime admirandarum parens eſt, anſam præbuit errori, terrorem, ob metum funeſti exitus ſequuturi incutientis, cujus tamen ſucceſſus omnino diſſimilis, imo felicior fuit & ſupra vota. Dom. *Verderius*, pietate inſignis, artis peritia celebris, & curationum multitudine gratuite ſuſceptarum, accerſitus fuit ad inviſendum infantem, decennem aut duodecennem, temperamenti pituitoſi & melancholici, qui abſque ullo manifeſto læſionis indicio, tumoris cujuſdam per totum corpus expanſi initia prodebat, comite febre lenta & quibuſdam levibus in vultu extuberantiis, morbillorum maculis non multum abſimilibus; Ille tamen ſatisfeciſſe officio ſuo credidit, enemata quædam ad ventris exonerationem præſcribendo, atque uſum aquæ portulacæ pro potu, temperandi ergo ardoris febrilis, ratus proculdubio ſupra recenſita ſymptomata aliunde originem non ducere quam à vermibus in interaneis genitis, ejuſmodi vero cauſæ exterminationi intentus, ſecure & tuto rem peragendam voluit; Propoſitum autem ſibi ſcopum alius omnino excipit eventus: quidam enim à domeſticis officiis D. *Verderii*, cui in mandatis erat præſcriptorum remediorum diſtributio, non aquam portulacæ, ſed quandam phagædænicam, ex vitriolo, ſale armoniaco, bolo, nitro, & præcipitato rubro, (quod baſis vicem obtinet) confectam exhibuit, adeo ut tenellus æger proculdubio ab hoc veneno interimendus erat, niſi mater faſtidio conſulens, faventibus ſuperis, cochleatim aquam exhibuiſſet, aquæ communi remixtam, quam tamen ad unciarum trium quantitatem hauſit: Interim, cum dicta aqua phagedænica multi uſus eſſet apud dictum D. *Verderium*,

ob inſignem egenorum numerum, ulceribus in tibiis laborantium, quibus opitulabatur, eadem ipſa die, ſed circa veſperam, errorem agnovit, mihi imperans, ut poſtridie ad diluculum ægrum inviſerem, auxiliatrices ipſi porrecturus manus; At vero admirabundus ægrum febris expertem animadverto, vultum rubore nequaquam ſuffuſum, omniúmq; accidentium immunem, ſi levem faucium exaſperationem exceperis; adeo ut prohibito tantum ulteriori prædictæ aquæ uſu, nullóque præterea præſcripto remedio, biduo poſt ſucceſſerit diarrhoea, per quam cineritia dejiciebat, cujus evacuatio materiæ febrilis reliquias expulit, tumorem vero adeo imminuit, ut intra hebdomadæ ſpatium omnino ſanus evaſerit.

Ab experimento illo cum collegiſſet D. *Verderius*, aquam ſupradictam contra hydropem proficuam eſſe poſſe, adhibitis cautionibus neceſſariis, experimentum illud tribus aut quatuor conſequentibus aliis confirmavit, quibus fauſtus ſemper adfuit ſucceſſus: Unde perſpicuum eſt quid parere valeat variarum rerum commixtio, fermentantivis particulis conſtantium: Quibus porro innotuit quam variis modis agitatio & præcipitatio ſuccorum accidere poſſit, illis rationes defuturæ non ſunt ad explicationem hujus eventus plane extraordinarii, præſertim quoad qualitates Mercurii, qui ex mente *Helmontii, Sennerti*, aliorúmque celebrium ſcriptorum, affectus æque admirandos proferre aptus natus eſt, captum ſuperantes vulgarium ingeniorum.


Observatio II.

Seu hiſtoria monſtruoſi infantis, nati in Caſtro de Loire, deſcripta à D. Paulléo *Medicinæ Doctore Cenomano.*

NUlla incumbit neceſſitas ut tibi patefaciam quantum utilitatis redundet ex ejuſmodi obſervationibus in uſum practicum, nemini felicius quam tibi proficuæ erunt, At cum non minus curioſitati propriæ ſatisfacere ſatagas, quam cæteris animi tui propenſionibus, exiſtimo gratam tibi fore lectionem hiſtoriæ monſtri inter prodigia jure recenſendi, Conſcripta eſt à Dom. *Paulléo*, Medico Cenomano, hoc vero ſufficiat ut ad ejus lectionem te pelliciam.

Ante aliquot annos advocato mihi in Caſtrum de Loire, oppidum agri Cenomanenſis, Chirurgus detulit infantem bicorporeum, editum à ruſtica muliere circa nonum graviditatis menſem. Duobus corporibus donatus erat, fœminei ſexus, integris, & quoad exteriora perfectis, æquali proportione præditis: Unumquodq; ſuo donatum erat capite, ambobus brachiis, quæ dorſo, femoribus & tibiis à ſummo pectore ad umbilicum connectebantur. Illius monſtri, me jubente, diſſectio facta eſt, præſentibus oppidi dicti incolis

Tabula VI. anni Primi Pag. 132





maxime inſignibus. Hæc vero maxime notatu digna in interioribus animadverſa.

In Pectore unica cavitas aderat communis, unicum cor obtinens mediocris magnitudinis, donatum pericardio, ventriculis, auriculis & vaſcis naturalem conformationem adeptis: Etſi vero duo tantum ineſſent pulmones, ſua quiſq; donatus erat trachæa arteria, ob colli & capitis duplicitatem, duplex adfuit œſophagus: Uterque horum originem ducebat à ventriculo peculiari, adeo ut duo reperti ſint in infimo ventre, eo tamen ritu diſpoſiti, ut poſtquã ab utroq; productum fuiſſet quiddã inteſtinum longiuſculũ referens, pollicum circiter decem longitudinis, ambo canales ſimul conjungerentur, unicum ductum conſtituentes, qui exporrectus ad eam uſque partem quam *Rectum* vocant, diviſionem patiebatur, ad utrumque podicem poſtea delatus: Jecur præterea magnum erat, in tres lobos diſtinctum, unicum tamen, non ſecus ac vena umbilicalis; At vero arteriæ umbilicales quatuor aderant, cum duobus urachis, quorum uterque veſicæ ſuæ inſertus deprehenſus; adeo ut renes, ureteres, venæ, arteriæ emulgentes, teſticuli, vaſa ſpermatica & uterus, adeſſent tanquam in uſum duorum corporum, ſicut & ſplen ac pleraque aliæ abdominis minoris momenti partes, etſi unica vena cava adfuerit, unica magna arteria, unicum pancreas, ac unica cyſtis fellea.

Cuncta hæc meo judicio curioſorum animos exercere valent, ac maxime acuriora ingenia. Hoc enim monſtrum, quoad quaſdam partes unicum, aliarum ratione duplex fuit, Exempli gratia, duplex geſſit caput, at vero cor tanquam uni corpori aſſignatum erat. Jecur autem, quod revera magnitudinem naturalem excedebat, unicam poſſidebat venam umbilicalem, unam felleam veſicam, unicam venam cavam, unicámque aortam, Paucis, ſi inteſtinorum continuatio in ſui exortu duplex apparuit, ut & circa inſertionem, in reliquo tamen ductu unicus canalis & ſimplex productus fuit: Merito ergo dubitatio exurgit, num in hujus corpuſculi generatione Natura duplicem animam infuderit? ac citra controverſiam dubium hoc ad examen revocari meretur.

Porro, cum Deus, etſi cœlorum incola, throni & domicilii ſuæ Gloriæ, inſit tamen omnibus ſuis creaturis media potentia & immenſitate ſua, facile adducimur ut credamus, etſi anima rationalis tota ſit in cunctis partibus quas afflat, eam tamen locum peculiarem incolere, & in quo ejus operationes ſuæ eſſentiæ magis ſunt conformes: at cum vero cum locus iſte hactenus nullis certis indiciis deſignari potuerit, Philoſophi ea de cauſa in maxime diſcrepantes abiere ſententias, alii enim in vertice capitis eam collocarunt, alii in baſi cerebri; quidam in meningibus id ambientibus: alii, *Helmontii* ductu, in ventriculo, alii in oculis, in quibus omnium pathematum characteres elucere videntur; alii in cavitate pectoris; plurimi tandem in ipſo

V

corde, in quo veriſimiliter primi motus elucent, at maxime cum inſolito copiam modo agit, ob extraordinarias impreſſiones admiſſas, aut ob functiones impeditas ab organorum depravata conſtitutione.

Hippocrates, libro de Corde, opinioni huic poſteriori adhærere videtur, ubi aſſerit animam hominis in ventriculo cordis ſiniſtro regiam habere, unde in cęteras omnes partes corporis dominium derivatur, alimentum accipiens non ex imo ventre, ſed ex puriſſima ſanguinis parte: Hoc vero notatu dignum, ea quæ ibi loci affert alio referri non poſſe quam ad calorem naturalem; inquit enim libro de Diæta, Animam ab alimentis affici non poſſe, ſin depravatio aliqua illi accedat quoad functionum exercitium, id totum vitio organorum eſſe adſcribendum ſine quibus agere nequit, quandoquidem impoſſibile eſt immutare aut corrumpere ſubſtantiam inviſibilem & plane ſpiritualem.

Cogitationes excellentiſſimi illius viri, quanquam ethnici, non multum abeunt ab ethica Chriſtianorum, fundamentumque fuere doctrinæ orthodoxæ Medicorum partis, quorum omnium decretum fuit cerebrum ſedem eſſe functionum animalium, quapropter in melancholia, in phrenitide, aliiſque affectibus, functiones ejus ſolitas interturbantibus, remedia cerebro potius quam cordi adhibentur. Res vero fundamentum in eo habere videtur, quod in cordis palpitatione, poſt morſum animalium ἰοβόλων, vel ab hauſto aliquo veneno cor invadente, libertas tamen ſermonis & ratiocinationis ſuperſtes ſit, id quod nequaquam contingit cum manifeſta adeſt cerebri læſio: adde his (inquit *Philo*) ſicut ex ſatellitio, regia cohorte, aulicorum concurſu, Regis proximitas arguitur, eodem pacto de animæ in capite præſentia judicandum, organorum ſenſuum omnium domicilio, præcipuorum ejus præſtantiorum indiciæ.

Præterea difficultas occurrit in ſedanda hac controverſia, ſi enim huic monſtro tot animæ quot capita, qua ratione unum idémque cor, utrique commune informare valuerunt? Abſurdum videtur formarum harum eſſentialium duplicitatem in uno eodémque corpore imaginatione concipere, quin aliud monſtrum ſimul effingatur: Ex altera parte, ſi cum Peripateticis dixeris, cum cor ſit primum vivens & ultimum moriens, illud concipiendum eſſe tanquam animæ ſedem, labyrintho te committet è quo regreſſus non dabitur. Si enim unica anima donatum fuiſſet id monſtrum, quomodo uno eodémque tempore duo capita animare potuiſſet: Non ſecus enim ac Angeli poteſtas definita eſt, adeo ut extra ſphæram ſuæ activitatis agere nequeat, eadem ratione anima hominis limites à corpore, ab ipſa animato, obtinuit: adeo ut duo corpora ſimul informare non magis idonea ſit, quam impoſſibile eſt unum idémque corpus duo ſimul loca occupare citra miraculum: nec quicquam proderit ſi dixeris poſſe illam ſucceſſive informare eáque regere,

hoc

hoc enim notiſſimum, formam, materiam, cui ineſt, deſerere non poſſe citra omnimodam entis ab ea informati deſtructionem; ut nec alteram materiæ portionem informare quin nova fiat generatio.

Optandum ergo fuiſſet monſtrum id diutius vitam traxiſſe, ut quo tempore anima rationalis exerere ſe incipit, dignoſcere licuiſſet num ambo illa capita ſermonis & ratiocinationis, eodem tempore, munia varie & de diverſis rebus exercuiſſent; vel utrum colloqui mutuo, tanquam duas amicas aut ſocias contigiſſet; exinde enim manifeſtum factum fuiſſet num eodem inclinaſſet animus, aut num iiſdem pathematis affecta ſingulas corporis partes in eundem ſcopum concurrere feciſſent.

Cæterum, adhæreat per me licet qui voluerit *Riolani* deciſioni: hic verba faciens de ſimili monſtro, ex duobus corporibus, modo à me deſignato, conflato, duabus animabus donatum id fuiſſe aſſerit: Me quod attinet, judicium ferre de re adeo ancipiti & ardua temerarium duco. Id unum dixiſſe ſufficiat, monſtrum id, de quo dictus Author loquutus eſt, corde præditum fuiſſe maximo & quaſi duplici, in quo quatuor auriculæ, totidem ventriculi cum duplicatis vaſis; qua in re à noſtro multum diſcrepans fuit, cui cor ſimplex, mediocris magnitudinis, quale unico corpori convenit.

Observatio III.

Aurum ex arena maris eductum.

Perſpicuum hinc Tibi, Domine, quam admiranda ſit natura in productionibus ſuis extraordinariis; jámque Tibi quam plurima occurerunt prodigia, per quæ facile in animum inducere liceat majora & mirabiliora poſſe contingere quam quæ phantaſia concipere valet: At forte apud Te dubium, num quiſpiam aliquod æque ſtupendum excogitare valeat ac eſt lapis Philoſophicus. Interim ad me ex Hollandia ſcripta epiſtola, qua doceor Dom. *Beckero*, Germano, innotuiſſe arcanum, aurum ex arenæ maris cumulis eruendi, quod cum communicaſſet D. Statibus Generalibus, conceſſa illi fuiſſe rei propoſitæ experimenta; atque eum adfuiſſe ſucceſſum, ut cum iteratis vivibus arenæ promontoriis abſcondiſſet mille coronatorum argenteorum trientes, eoſdem ſemper eodem numero eduxiſſe, cum acceſſione ponderis centum duplionum auri puriſſimi.

Observatio IV.

D. GANTE.

Ad hydrargyro, luis veneræ gratia nimia copia aſſumpto & admoto, mors.

MUltam vero proculdubio gratiam à nobis initurum artificem, qui tanta polleret induſtria ut ſecure modum hydrargyrum è corporibus, quæ intempeſtive ſubingreſſum eſt, educere noſceret; hoc enim pacto plurimi ſanitati reſtituerentur, qui ab aſſumptis tabellis, pulveribus, ptiſanis, infuſionibus, pilulis, aliiſque compoſitionibus mercurialibus, malo fato ſuo maligna contraxerunt ulcera, tremores paſſi ſunt, paralyſes, peripneumoniam, hæmoptyſin, aſthma, dolores varios, cariem oſſium, abſceſſus infinitáque alia accidentia moleſta inde oriunda, eo quod hominis natura plane repugnat naturæ hujus mineralis, nec ſatis roboris obtinet quo ejus actioni obluctetur, ſi temere & intempeſtive exhibitum fuerit: Exemplum quidam miſellus reapſe ſuppeditat manifeſtiſſimum, qui à plurimis pilularum mercurialium dozibus aſſumptis, aliquorum bubonum venereorum expugnandorum gratia, occubuit ſpirandi difficultate affectus, cum febre, bidui tantum ſpatio moleſta, Cujus cadavere à D. *Gante* Regio Chirurgo, diſſecto, in baſi cordis excreſcentia quædam reperta eſt, mole ovo columbino par, plurimis aliis minoribus circumdata, quarum omnium ſupercies æqualis & lævis erat; omnes quippe conſtitutæ erant ex productione membranæ propriæ cordis, nullis fibris carneis interius donatæ, at tantum materia molli, colore & conſiſtentia craſſiori vini fæci non abſimili, corpuſculis albis, lucidis, & metallicis infarcta, omnium judicio mercurii particulis. Id quod comprobatum à D. *Lemery*, ac pluribus aliis ſagaci ingenio præditis, in eorum Tractatibus Phyſicis & Chimicis.

Revera hoc admirandum tria viſcera hæmatoſeos defæcationi deſtinata, eo modo diſpoſita eſſe, ut eorum unumquodque unicum humorem ex maſſa ſanguinea ſegregare valeat, quorum filtrationi à prima conformatione deſtinata ſunt: deficientibus autem mediis magis hanc in rem idoneis, impulſam fuiſſe naturam ad expulſionem materiæ heterogeneæ gravantis, depoſitione illius facta ſub ipſam tunicam dicti viſceris: Quantumvis autem res hæc admiratione digna ſit, hac parte tamen ſubſequenti multo inferior eſt.

Observatio V.

Hiſtoria ſuppoſitiæ Ligaturæ & *Invaliditatis in venerem*, in muliere, Deſcripta à D. *Couturerio* Doctore & Profeſſore Medico in Academia Bituricenſi.

IUvenis annos triginta duos natus, nomine *Iohannes Aurouxius* Iſſodonenſis in agro Bituricenſi, à naturæ primordiis neque probo tempore donatus, neque rita conformatione partium omnium quæ ad firmam valetudinem requiruntur, ac proinde generationis actum, Obtulit ſe ultimo menſe Februario D. *De la Chapelle*, Theologiæ Doctori in Academia noſtra, ac ratione officii vacationis, Officialis noſtræ Diœceſis, conſequendæ gratia diſſolutionis matrimonii, à quadriennio cum *Gratiana Gaillard*, viginti quinque annos nata, initi, quæ viciſſim, conſanguineis aſſentientibus, idem ac dictus *Iohannes d'Auroux*, poſtulabat, uno ore profeſſi à primo cæremoniæ matrimonialis momento, recens nuptam conjugem ſuum in amplexus ruentem recuſaſſe, etſi anta ſponſalia lubens admiſiſſet, nec alterius amoribus unquam irretita fuiſſet, vere enim ruſticæ erat indolis, ab irritamentis venereis omnino aliena: imò aſſerebat à dicto tempore, ad ſolam mentionem nominis mariti, matrimonii, aut aliarum vocum, prioribus æquivalentium, nec non præſentiam vocémque mariti ſui terrificam illi fuiſſe, imo ſæva accidentia induxiſſe, tunc enim oculos convelli & intorqueri, femora, brachia & manus, in voluntarie concuti, accedentibus ſpaſmorum univerſalium concuſſionibus; vocis vice emitti ſuſpiria & planctus, cum priva tione ſenſuum omnium tum interiorum tum exteriorum.

Exceptis querelis his reciprocis, D. Officialis litem pro innata prudentia diremprurus, rem à me in examen adduci juſſit, adjunctis duobus Doctoribus Facultatis noſtræ. Indicta dies & locus examini, concurſus ingens adfuit, imo plurimorum primæ notæ, nominatim Dominæ Intendentis, vivido ingenii acumine præditæ. Dom. Officialis multa à limine à dicta *Gratiana Gaillard* percontatus eſt, mariti & matrimonii vocibus prætermiſſis, quamprimum vero hæc verba enuntiavit, Tu ergo matrimonio conjuncta es, vel maritum habes? illico ſupervenerunt omnia ſymptomata ſuperius memorata, longo tempore, etiam poſt mariti receſſum ex camera, durabilia, adeo ut dubius etiam num fraudis aliquid ſubeſſet, illo accedere juſſo dum ſomno hęc detineretur, advenientem adeo manifeſte percepiſſet, ut eadẽ accidentia perpeſſa ſit: quamobrem interrogatis conſanguineis, quo notius ſibi fieret quicquid hac de cauſa contingeret, ex relatione didicimus ejuſmodi ſymptomata ingraveſcere cum tanto intervallo ab illo diſtaret, quanto conſpicuus fieret, etſi revera alias neminem neque videre neque audire videretur.

Conſultatione demum cum collegis meis ſuper mirando hoc affectu habita; ſuſceptáque in me enarrationis ſententiæ noſtræ cura, Edixi cauſam dari poſſe phyſicam, ſortiligiúmque aut magicum artificium abeſſe, eo quod veriſimile eſſet *Gratianam Gaillard*, dementiæ quoddam genus à matrimonio immediate contraxiſſe, quo tempore idea horrifica concepta ſit, ex phantaſiæ actione, concipientis ea quæ virginitatem amiſſam conſequi ſolent quaſi totidem ſupplicia: id quod hypochondriaco affectu laborantibus utplurimum familiare ſit, qui res omnino aliter quam ſunt mente revolvunt: Inde vero intuli, ſi toto eo tempore quo ejuſmodi Dementia eam occupavit; quoad cætera objecta delirii expers fuerit, id ideo cótigiſſe, quod illius phantaſiæ alia ſeſe non obtulerint, quæ paris eſſe momenti crederet ac matrimonium; adeo ut nihil objectũ præterea fuerit quod valuerit motum ejuſmodi extraordinarium ſpiritibus animalibus inducere, ſimile objecto quod emanavit à terrifica idea, quam de matrimonio phantaſiæ impreſſerat: cum enim à pueritia animus tantum verſaretur circa objecta ordinaria, quæ ruri degentibus obvia ſunt, nec animum variis motibus exagitare ſolent, non alio modo quam cæteri, ejuſdem ſortis, mentis munia exercebat, labores & voluptates eadem ratione percipiens. Id vero efficere illi non licuit, cum menti ſe obtulit Sacramentum quo ſe obſtrinxerat, recordatio libertatis ob matrimonium jacturæ, virginitatis exuendæ, ac incommodorum quæ nuptias conſequi ſolent. Ejuſmodi enim cogitationes cum ſpiritibus animalibus agitationem, inordinationem & confuſionem inducerent, ut poros cerebri modo inaſſueto permearent adigebant, atque ad concuſſionem extraordinariam fibrarum nervearum, ut ideo motus contra voluntatis imperium excitarentur, hinc ob pororum dictorum factam dilatationem, à motibus illis anomalis crebrius contingentibus, eo ſenſus communis depravatio exporrecta eſt, ut nomen mariti prolatum, ejus preſentia, aut vox, inordinationem eo majorem in illa producerent, quod in ſtultis melancholicis ſpiritus animales craſſiores ſint, rigidiores & inæqualiores quam in iis quibus cerebrum bene conſtitutum ac mens ſana: Quo fit ut à quadam habitus immutatione, ſubſequi poſſit ſingulare delirium, circa quaſdam tantum modo res, non omnes, quia plures configurationum ſpecies admittere poſſint, id quod in iis quibus ſpiritus ſubtiliores, agiliores & tenuiores ſunt, accidere nequit.

Cæterum admodum probabile eſt, *Gratianam Gaillard* jure merito hypochondriacorum numero accenſendam eſſe, ipſa enim confitente diſcere licuit, cum in viridario paulo poſt ſponſalia deambularet, phantaſiæ illius ſe obtuliſſe centum quinquaginta corvos illi inhiantes, id quod ipſa in infelicis conjugii augurium tranſtulit; Unde diſcere licet ab eo tempore partes ſpirituoſas, ac materiales ipſius ſanguinis, neceſſario craſſas eſſe redditas, terreſtres, quales in melancholicis occurrunt, unde initium duxit ſingularis

gularis illa dementia, hoc eſt conceptus de matrimonio horror.

Quamuis autem eventus hujus ratio intricata admodum ſit, meo tamen judicio binæ concluſiones ſatis probabiles elici queunt, Prior eſt, ab humore melancholico maxime deducendas eſſe inſignes animi inordinationes, ac proinde actionum corporearum inde oriundarum: quandoquidem maſſa ſanguinea hinc craſſiore reddita, materia, ſpirituum animalium generationi deſtinata, ſemper nigricantior eſt obſcurior, terreſtrior, durior & inæqualior, ut inde ad dementiam homines deducantur, in una re aut pluribus aberrantes, prout ſpirituum irregularis ille motus originem duxerit ab uno vel pluribus objectis contra naturam.

Poſterior vero, prioris conſequentia eſt, vulgo non aſſentiendum eſſe, phænomena omnia extraordinaria ſupra naturæ vires ſtatuenti. Philoſophorum autem eſſe præiudicia illa omnia excutere, quo in promptu ſit, allatis rationibus phyſicis, ab errore eos liberare qui magicis artibus plurima adſcribunt.

Observatio VI.

Dom. MIGNARD.

Humori luxati reſtitutio.

DOm. *Mignard*, Medicus Aquenſis, præter Obſervationem ante aliquot menſes tranſmiſſam, harum quoque duarum participem me voluit, quas curioſitate tua non indignas judico: Illarum prior Methodum Humerum luxatum reſtituendi reſpicit; Cujus gratia ait ſe, cum ſæpenumero deprehendiſſet variis in caſibus quantopere ejuſmodi reductio ſit difficilis quando ad normam ab authoribus traditam inſtituitur, & methodum ab omnibus obſervatam, ſedulo inquiſiviſſe in cauſas iſtiuſmodi difficultatis, indeq; animadvertiſſe, eo quod muſculi brachii motores, cùm omnes propemodum in oſſis humeri collum inſerantur, vel paulo inferius, fere impoſſibile eſſe illud ad infra quantum opus eſt adducere, ad caput illius, è locis quibus inſinuatur cum è ſede ſua procedit, liberandum, ſi nullum aliud præſidium præter ſcalam, januam, baculum, globulum, aut alia media ab authoribus tradita ſuppetat: quamobrem cognita neceſſitate inveniendi methodum faciliorem & ſecuriorem, factis aliquot animadverſionibus, comperiſſe ſatius eſſe corpus ægrotantis tranſverſim mantili cingere, hoc ſurſum à viro quopiam robuſto cohibitum detineri; à duobus aliis, in genua provolutis, valido nixu humerum verſus inferiora adduci, ac demum altera manu prope axillam admota, altera ex oppoſita parte ſupra humerum, illico hunc ad inferiora detrahere ope primæ manus impoſitæ, poſtea illico mediante

altera ſurſum compellere, ac uno eodémque tempore verſus poſteriora. Quæ illius conjectura eventui adeo congrua reperta eſt, ut paulo poſt in plurimorum commodum ceſſerit, adeoque multiplici experimento confirmata ſit, præſertim Dom. *Lietaudi* Chirurgi ejuſdem Urbis Jurati & Aggregati.

Observatio VII. Ejuſdem.

Vertigo ptyaliſmo critico deſinens.

POſterior autem ſpectat inauditam ægritudinem, quæ contigit in Nob. Matrona anno 1675. Hæc conſtitutione hæreditaria temperamenti melancholici, exſpuitioni pituitoſæ ſalſæ, cui remixtus aliquando ſanguis, obnoxia, ſed maxime hæmorrhoidibus internis, ætatis annum quinquageſimum octavum ubi attigit, vehementi Vertigine correpta eſt, nullis remediis, quibus impugnata illico fuit, cedente, ac ſeptima die criſis quadam ſpecie depulſa, ſuperveniente ſcilicet ptyaliſmo qualis à mercurio excitari ſolet, hoc tamen diſſimili quod materia fluens multo acrior eſſet, ac corrodendi majore vi prædita, ea quam profundere ſolent Lue Venerea infecti; ejuſmodi vero effluvium diutiſſime protractum eſt citra ullam imminutionem; qua de cauſa ad balnea confugiendum fuit, ad lac aſininum, hirudines, ſerum lactis, aquam pulli gallinacei & carnis vitulinæ, ad ſyrupum pomorum Regis Saporis, teſtitudinum, aſtacorum & ranarum, ad enemata ex poſca parata & melle nymphææ, aliquando ad vinum & aëris immutationem, ad cathartica, ad potiones ex cochlearia factas, ac in genere omnia remedia quibus vis depurandi ſanguinem & viſcera, necnon extrapellendi humores pituitoſos, melancholicos vel ſcorbuticos, à quibus fomentum adeo pertinacis mali ſubminiſtrari creditum eſt; Omnia vero incaſſum, ſaliva enim tandem tantam aciditatem adepta eſt ut ipſi ægræ non eſſet ferendo, In temporibus manifeſta depreſſio animadverſa eſt, febris hectica eam prehendit, ſtupendus languor virium ſucceſſit, dentes petroſam formam adepti ſunt, cum tanta craſſitie & gravitate ut ſe geminos muros lapideos ore geſtare crederet.

Iampridem à rebus mere phyſicis omnino abſtinui, quod plurima alia tibi communicanda proſtarent, Quæ vero jam præ manibus habeo de Natura mixturum cum ſingularia ſint, ea curioſitati Tuæ detracta nolo. Inutiliter quippe ideas meas univerſales tibi tradidiſſem, ſi ab incepto deſiſtens, ſpeciatim tibi non offerrem conſequentias omnes inde deducendas.

OBSERVATIO VIII. Authoris.

Novarum Diſquiſitionum de Natura corporum mixtorum TERTIA.

CUm Naturæ officium ſit materiæ partibus motum,quietem,magnitudinem, figuram & ſitum ad corporum generationem largiri, imo maxime ſimplicium, prædicta vero cum differentiis quibuſdam in unoquoque corpore diſtingui debeant, quo definite ab aliis contradiſtinguatur, inde conſectarium eſt quotieſcunque illa in productionem cujuſcunque corporis navat operam, neceſſario ex ejus actione expectandum eſſe modum quempiam, aut Entis rationem, ſingularem, cujus abſentia corpus illud ne uno momento, quale initio conditum eſt, ſuperſtes eſſe poſſet: Unde colligendum modificationem, non ſecus ac materiam, corporum principium proprium & internum conſtituendam eſſe.

Ejuſmodi principium, quod ſub nomine Formæ ſemper prodiit, à Dom. *Carteſio* eo ſenſu quo à me prolatum eſt, definitum fuit, Cujus evidentiam & certitudinem variis rationibus & experimentis comprobat. Revera, ſi ſupponamus Formam tantummodo pendere à diſpoſitione varia partium materiæ, nihil in rerum natura reperire eſt quod non æquali facilitate & probabilitate explicari queat; quandoquidem res, ejuſdem effectus productrices,ejuſdem propemodum generis eſſe debent, ideóque ex organorum conſtructione, inſtrumentorum aut machinarum mechanicarum, judicium ferendum eſt de configuratione & collocatione corpuſculorum mixta componentium.

Ideoque,poſita illa doctrina, argumentari licet de omnibus ſubjectis phyſicis,faceſſere juſſis Formis ſubſtantialibus à Peripateticis admiſſis. Imo in dubium revocare licet an Anima rationalis in exemplum adduci debeat, validiſſimum argumentorum ab ipſis allatorum in rei præſentis confirmationem. Hac enim ratione omiſſa, quod poſt mortem corpus humanum, quoad totum & partes ſuas, obtinet adhuc formas quaſdam ſibi proprias, atque ab ejus ſubſtantia inſeparabiles, videtur præterea illatio non abſurda, ſi dixeris corpus eſſe animæ formam, vel ſaltem, ſic dicere liceat, nobis Formæ nomine id tantum ſubaudiendum eſſe quod nos in cognitionem deducit rerum ſenſibilium, cujus item ope eas ab invicem diſcriminamus; quandoquidem illud in comperto eſt,nos animam tantummodo ex operationibus dignoſcere, quæ quamprimum corpus deſeruit, nihil quicquam amplius profert per quod ſit manifeſta. Eodem pacto ſicut hominis corpus non amplius ratiocinatione utitur à quo tempore anima egreſſa eſt, anima ratiocinio deſtituitur quo momento corpori non amplius cohæret, cum ratiocinatio ope tantum organorum illi deſtinatorum perficiatur.

Dimiſſo vero illo paradoxo, hoc concedo, hominem tanquam vita donatum conſideratum, hoc eſt ex corpore & anima conflatum, rectiſſime definiri ſi dixeris Animale eſſe rationale; nomen illud Animale ſimul denotare ejus genus & materiam, quia revera eſt animal, neque cuipiam dubium eſt animalia omnia corpora eſſe materialia: Paucis, qualitatem *Rationabile*, ſimul denotare ejus ſpeciem ac formam, quandoquidem illud contra-diſtinguit ab equo, cane, ac in genere à brutis omnibus, aut etiamnum, ſi vis, à quacunque alia re: at vero ideo non crediderim, quo forma illa determinetur, neceſſe eſſe diſquerere quæ ſit Animæ eſſentia, quandoquidem incomprehenſibilis eſt, ac rationi magis eſt conſonum ſi dixeris ratiocinationem, aut facultatem ratiocinandi, proprie eſſe formam hominis viventis, quandoquidem eſt id quod neceſſario exſurgit ex corporis & animæ unione, adeo ut ſi quiſpiam id ſimpliciter referre vellet ad organa unius, aut ad motus alterius, ſemper tamen cauſa ab effectu diſtinguenda foret, ac proinde confiteri oporteret cauſam informantem hominis quærendam eſſe vel in corpore vel in anima; facultatem autem ratiocinatricem propriam eſſe formam ab alterutro illorum inditam: quo pacto mentis depravatio fatui characterem ſemper conſtituit, ſive ab animi pathematis inducta fuerit, ſive corporis effectus conſequatur.

Quæ protuli de Anima rationali ad naturam quoque referre licet, nam etiamſi informet, atque perpetuo variationem inferat iis quæ Deus primo pro lubitu ſuo creavit, ac proinde cauſa ſit immediata omnium effectuum qui nequaquam ab arte aut habitu pendent, illa nihilominus neque eſt forma mundi univerſalis, neque formæ particulares rerum quæ ejus ambitu continentur. Ejuſmodi ergo agentia perpendenda ſunt tanquam pura agentia intellectualia, quæ non aliter quam per effectus agnoſcere licet; cum vero de determinanda eſſentia corporum mixtorum agitur, prætermittendum quicquid poteſt dici de ſuppoſitiis formis ſubſtantialibus, ac tantum modo inquirendum quicquid palpari poteſt & ſenſibus obvium eſt inter res corporeas.

Ea propter id conſtituiſſe ſatis ſit, cum Forma Principium æque univerſale ſit ac materia, poſſe etiamnum tradi notionem ejus æque genericam: quandoquidem ſi altera ſubjectum eſt univerſale è quo corpora omnia compoſita ſunt, & quæ maxime ſimplicibus dat exiſtentiam, altera diſpoſitio eſt quam ſubſtantia ſemper recipit in eorum compoſitione, quæque illis indit proprietates, quibus abſentibus id quod ſunt non eſſent. Adde his, ſicut materia prima concipitur tanquam ſimplex & homogenea, imaginationem poſſe quoque fingere Formam primam, ubique ſibi ſimilem, ex eo neceſſario pendentem, quod ſit materia ſolida, extenſa, diviſibilis & figurata.

OBSERV.

Observatio IX.

Authoris.

Febrifugum certum.

PRoculdubio Te non latet Dom. du *Clos*, Medicum celeberrimum, Academiæ Regiæ ſcientiarum adſcriptum, familiari in uſu habere Febrifugum effectus pene indubii, facillimíque uſus; At vero Tibi ignotum Febrifugum illud aliud nihil eſſe quam Scammonium, quod ſubtiliſſime tritum in juſculo datur, pondere octodecim granorum adultis, bihorio ante paroxyſmum febrium intermitentium, ſed prius pauca frigida dilutum ad præcavendam illius partium coitionem, ſæpiſſime contingentem ſi juſculo admiſceatur, omiſſa ejuſmodi cautione.

Cæterum affirmare nihil auſim quoad experimentum in Noſodochio Charitatis tentatum, eo quod Dom. *Brocardus* dubitat num æger ſibi commiſſus eo in ſtatu conſtitutus ſit qui explorationem publicam concedat: Id vero te ſcias velim, non deeſſe qui arcano ejus aliquid ſuperaddere tentent, virumque quempiam inter nos verſari, amuleti ſpeciem quandam jactitantem, cui etiam pera tantummodo geſtato vis inſit lapidem diſſolvendi, eúmq; in minuta fragmenta comminutum è renibus exturbandi, aut è veſica. Ego vero ex animo aveo alterutrum dictorum arcanorum in commodum publicum cedat. Indubium vero eventum à promiſſoribus præſtolans, majorem certitudinem exopto quoad ſucceſſum conatuum illorum.

Vale.

Pariſiis 28. Octobris 1679.

ZODIACI MEDICO-GALLICI
SIVE
Recens in Re Medica Exploratorum.

NOVEMBER.

EPISTOLA UNDECIMA.

IAm illud præmonui, Domine, de generatione hominis ſæpius mihi ſermonem futurum eſſe: myſterio huic Natura nimis intenta eſt, ut deſitura ſit in poſterum admirationis anſam præbere; Porro quicquid inſolitum inde emergit artem curatricem cum intime ſpectet, in tua commoda peccarem ſi quæ in notitiam meam perventura ſunt te latere permitterem.

OBSERVATIO I.
D. SAULAYE.

Excreſcentia carnea ex labio vulvæ feliciter amputata.

QUamobrem ſingularia quæque prætermiſſurus non ſum, quoad ea quæ acciderunt hic in matrona quadam à *Brelancour* dicta, Sutoris uxore, ſuburbii S. *Laurentii* incolæ: Mulieri illi, cum poſt trimeſtre à decima impregnatione mœroris occaſio obtigiſſet, fluor ſanguinis nullis remediis cohibendus ſupervenit, ſuboriente poſtmodum anno circiter à partu excreſcentia carnea in altero orificii interni labio. In ipſis excreſcentiæ dictæ primordiis, D. *Chaumontia*, ſagacitatis inſignis Obſtetrix, nec minus artis perita, extraordinaria duritie animadverſa, credidit illam molem magnam non aſſequuturam, contrarium tamen omnino contingit, incrementum quippe illius

illius adeo enorme fuit, ut vix exacto triennio longitudinem decem aut duodecim tranſverſorum digitorum adepta ſit, in extremo inferiori pugni craſſitiem, ad exteriora autem vergens vulvæ introitum plane obturaret: quamobrem ægra amputationi propoſitæ aſſenſum præbuit, quam aggreſſus eſt D. à *Saulaye*, Chirurgus Obſtetricius, manu tam felici, támque dextera, ut ne vel leviſſima ſymptomatis conſequutio adfuerit: Fidémne autem adhibueris, Domine? hyperſarcoſis prædicta, quæ concubio adeo obſtabat, necnon ſanguinis fluor, ad extirpationis uſque momentum pertinax, eáque copia quæ conceptionem irritam allaturus videbatur, ingravidationi tamen impedimento non fuit, adeo ut biduo poſt peractam operationem, fœtum circiter bimeſtrem, prægreſſis levibus doloribus, excluſerit, comite ſecundina; omnibus quidem partibus ſecundum naturam conformatum, præter quinque integumenta, ac partes continentes proprias imi ventris, quæ putrilagine pene conſumptæ viſcera nuda exhibebant.

Interim dum meditaberis ſingularia hujus obſervationis, attente quæſo perpende quæ in mentem venerunt Dom. *Landoüillette*, circa monſtrum cujus hiſtoriam prodidit Dom. *Paulléus*, revolve poſtmodum quæ celebritas nominis eos maneat quibus tam egregia animo innaſcuntur, adeóque eleganti calamó conſcripta traduntur.

Observatio II.

Sive Explicatio difficultatis à Dom. *Paulléo*, Medico Cænomano propoſitæ, circa monſtrum biceps, per Dom. *Landoüillette*, Medicinæ Doctorem Cadomenſem, Lutetiæ commorantem.

Quæſtio à Dom. *Paulléo* nobis propoſita circa Monſtrum, cujus deſcripſit hiſtoriam, ſcilicet an id duplici anima rationali, vel ſimplici præditum eſſet? inter res ultro citroque ventilandas, omnium maxime ad examen deduci meretur. Solutionis ratio tutiſſima eſt, à veriſimilitudine non admodum recedens, in eo ſita videtur (id quod ab eo præſtitum) ut animæ præcipua ſedes aſſignetur. Porro cum illi ſatis fuerit mentem ſuam aperire, ac conjecturas tantum afferre definitione nulla propoſita, videtur compellere nos & invitare ad novas animadverſiones, Ego vero ad illius exemplum, libertatem mihi conceſſam exiſtimaui quid de re propoſita ſentirem propalare, ſed tanquam dubia, & dilucidationis egentia, quæ eruditorum cenſuræ exponere non vereor.

Hoc vero hac in re maxime probabile mihi viſum eſt, Eam partem cerebri, ad quam nervi pertingunt, animæ rationalis ſedem conſtituendam eſſe, ac

proinde monſtrum (de quo agitur) totidem animas habuiſſe quot capita. Si enim cum Peripateticis dixeris animam rationalem in corde præcipue collocatam eſſe, unicuique tamen reliquarum corporis partium indivulſe cohærere, hoc pacto revera aſſeris id quod Animæ voce efferunt, rem eſſe corpoream, hoc eſt, ſaltim modum aut accidens materiæ: at vero id eo abſurdius eſt, quod Anima ſubſtantia ſit cogitandi vi prædita, nulli autem rei materiali facultas illa conceſſa ſit.

Quamobrem, cum legimus apud Hippocratem Animam compoſitum quid eſſe ex igne & aqua; illam autem ſedem habere in cordis ſiniſtro vētriculo, ibi loci animæ nomine nihil aliud intelligere licet quam amborū dictorum elementorum partes ſubtiliſſimas, aut, ad ſummum, ſpiritus animales: Non ſecus ac per animam, quam in ventriculo conſtituit *Helmontius*, nihil aliud intelligas velim quam ſpiritum illum univerſalem, qui communis eſt plantis, brutis & hominibus.

Domini *Carteſii* opinio, qui in glandula Pineali animam rationalem radicatam ſtatuit, hoc eſt ſedem in qua præcipuæ illius partes cœrcitæ hærent, æque contentioni patet, quandoquidem in quibuſdam defuiſſe illam glandulam compertum eſt, in plurimis aliis ſcirrhoſa aut lapidea animadverſa eſt. Sin cæterorum Philoſophorum ſententiæ rite excuſſæ fuiſſent, quorum doctrina diſcrepat ab ea quam firmare adlaboro, facile unicuique manifeſtum eſſet ipſos ſibi bellum inferre & adverſari, quandoquidem nemini non obvium, cum nervi ſenſum organa ſint, objectorum perceptionem contingere debere ibi loci, in quem deſinunt, ac proinde ratiocinationem ad eam conſequi ſolitam: quo fit ut anima tanta celeritate percipiat immutationes omnes corpori contingentes, tantáque facilitate ſpiritus animales determinet ad voluntariarum actionum productionem, quarum opera licet nobis declinare aut ſectari id quod ſpeciem mali aut boni profert, ac ſæpe eodem momento quo objectum aliquod perceptum eſt, paſſio, quam excitare valet, concipiatur, motus autem quos ſuſcitat, in actum erumpant.

Revera in nobis motus quidam animadvertuntur, qui neque voluntatis imperio ſubjacent, neque à ſenſuum perceptione pendent, aut animæ noſtræ conceptione; cujuſmodi ſunt, exempli gratia, coctio chyli, ejuſdémque diſtributio, lactis generatio & effluxus, fermentatio & circulatio ſanguinis, ſeparatio & excretio redundantium & excrementorum; at vero dicti motus hominibus æque ac brutis quod communes ſint, non magis origo illorum ab anima rationali deducenda, quam mentis operationes diſpoſitionis corporis effectus cenſendi.

Non diffiteor ratione motuum corporeorum animam aliquando novas aliquas ideas concipere, cujuſmodi ſunt quas inducunt dolor, titillatio, &c. ac viceverſa corpus ab animi pathematis ad ambulationem, ſtationem,

riſum, &c. determinari. Quacunque autem ratione ſimiles conſenſus aut correſpondentiæ accidant, ſpiritibus tantummodum animalibus abſcribendæ ſunt, ac proinde nervis, canalium vice fungentibus, pro illorum commeatu & diſtributione.

Aſſentiendum ergo animam rationalem ea in ſede, quam ſuperius innui, collocatam eſſe, ac proinde *Riolani* opinioni adhærendum Monſtrum, de quo agimus, duabus animabus donatum fuiſſe. Id vero analogum eſt ſententiæ noſtræ circa mulierem gravida, nec enim ulli dubium eſt fœtum anima peculiari, & diſtincta ab anima matris, præditum eſſe, quanquam chylificatio, ſanguificatio, ac excrementorum vacuatio communes utrique ſint.

Hinc admirationi eſſe non debet id quod à *Verulamio* aſſertum virum, cui à carnificibus diſſectum & apertum fuerat pectus, & cor exemptum, preces aliquot adhuc effudiſſe; Id quippe effectus fuit animæ rationalis, quæ quod nondum à ſubſtantia ſegregata eſſet, neque adhuc locum, in quo cogitationes fingit, deſerviſſet, inde in cæterum corpus ſpiritus à mente modificatos transferens, modo adhuc idoneo ad actiones exercendas agere valuit, quibus edendis partes, tunc nondum deſtructæ, à natura dicatæ erant.

Quamobrem non difficultater adducor ut credam, ſi monſtro dicto ulterius vita prorogata fuiſſet, in illo plures animas, ex cogitationum diverſitate, deprehendendas fuiſſe, hinc duo illa capita vario ratiocinio uſura fuiſſe, ut contentio & diſſenſus opinionum ſæpe manifeſta fuiſſent: imo veriſimile eſt unum illorum famem percipere potuiſſe, qua alterum forte caruiſſet, quandoquidem humor, ſenſationum ejuſmodi author, certo tempore ad unum ventriculum potius quam ad alterum delatus fuiſſet; unde præterea exſurgere potuiſſet inæqualitas & diſcrepantia in copia, qualitatibus & excrementorum evacuatione: Demum exiſtimo partem eam, quæ propria erat alteri fœmellarum (fœminæi enim ſexus erat monſtrum) libidini ſatisfacere potuiſſe, in partes altera non veniente, neque quoad corpus neque quoad animam; cum enim propenſiones particulares ineſſe illi potuerint, ſpirituum determinatio, per quam in partes genitales unius potius quam alterius deferrentur, contingere potuiſſet, cum unacuique dictarum animarum poteſtas fuerit obluctandi aut conſentiendi carnis concupiſcentiæ.

Liceat & hoc afferre, ſpiritus animales in dicto monſtro cum omnes penderent ab unico corpore, eos minore vi abripiendos fuiſſe ad nutum alterutrius animarum, ubi alterius inclinationes eo non vergerent, quandoquidem alio averſi forent, & conturbati in ejuſmodi motibus à contrariis cogitationibus, Id vero ſubaudiendum de ſpiritibus à cerebro in quampiam partem quo in motum cieatur deferendis. Eos vero quod ſpectat, qui ab uno quoque membro confluere debent ad cerebrum, nuntii ſenſationum,

quarum corpus capax eſt, è nervis ſemper ij progrediuntur quos incolunt, quo tempore objectum agit, directe invaſuri originem eorundem nervorum, adeo ut, e. g. punctura in pede ab alterutra dictarum animarum perceptibilis fuiſſet inſcia altera; id quod locum maxime habiturum fuiſſet quoad ſtimulos libidinis in alterutra tantum vulva dicti monſtri excitandos.

At vero cum animi pathematis in ſpiritibus animalibus maximæ conturbationes accidant, vix autem homo in lucem emiſſus timori obnoxius ſit, triſtitiæ, amori & odio, admirationi locus non eſt ſi in hoc bicipiti monſtro ſatis valide commoti & agitati fuerint ad perruptionem organorum, illorum diſtributioni deſtinatorum, tunc temporis nimis debilium ut obſiſtere valerent impulſioni, non minus confuſæ & indirectæ quam violentæ & præcipiti.

Cæterum objectiones, ab iis afferendas qui meæ ſententiæ adverſabuntur, refellere non tento, ſive quoad reſurrectionem, ſive quod animarum ſalutem aut dānationem, ſive tādem mortem; e.g. an ex duabus animabus, uni eidemq; corpori infuſis, altera medietati illius valedicere poſſet, dum interim altera reliquo vitam communicaret, Vel num tantummodo ſeparatæ in ſubjecto, & ab illo ſeparabiles, inter ſe tamen indiviſibiles eſſent. Nam, præterquam quod animus meus anguſtioribus limitibus circumſcriptus eſt, quam ut percipere valeat quovſque Dei infinita potentia pervadere queat, æquitas poſtulat ut Theologis permittatur ſolutio quæſtionum Religionem abſolute ſpectantium: imo vero tam parum tenax ſum opinionum mearum circa res Phyſicas, ut eas ſemper faceſſere jubeam ſimul ac veriſimiliores occurrunt.

Observatio III.

Dom. BONIN.

Satyra in Medicos quoſdam de trivio.

Dimiſſis ſeriis hiſce, fatigatum animum non amœnius laxavero, quam ſi in memoriam tuam revocem Medicorum quorundam inepta theoremata, à vulgo ob triplicem literam SSS. (Sennam, ſanguinis miſſionem, le *Son*, id eſt furfur) Medicorum trium S. epitetho decoratorum, eo quod in eorum præſcriptis formulis medicamentorum nihil aliud præter tria nominata occurrat: Eos intelligo qui crapulæ tantum nati ſtudiis valedicunt, eruditos temnunt, *recens explorata* negant, quicquid eorum noticiam ſubterfugit improbant, credulæ fidei hominibus imponunt, vulgo recepta veneno inficiunt, doctrinam omnem repudiant, probitatem, Religionem, in conciliabulis illicitis fallacias, tricas & fraudes meditantur. D. *Bonin*, antiquus & celebris Pharmacopola Pictavienſis, illos miro artificio in aphoriſmos

riſmis mox tradendis depingit, Animus illico fuit in linguam patriam converſos ad te tranſmittendi, in gratiam quorundam cui Latina ignota eſt, epiſtolas vero meas ſibi comparare ſedulo ſatagunt; at vero cum in alienam linguam traductio elegantiæ & energiæ illorum plurimum detractura fuiſſet, nihil immutandum ſatius duxi, ne injuria diſpoſitioni ab authore datæ inferretur: Explicationem porro linguæ Latinæ rudibus ab ejus gnaris repetere obvium erit.

Medicorum Pedariorum, ſive Vlmerenſiun Schola, in viginti aphoriſmos digeſta.

I.

Vita longa, quæ ad quinquageſimum annum protogatur: Ars brevis, quæ enematis injectione, ſanguinis detractione, & medicamenti purgantis aſſumptione conſummatur.

II.

Pro Phyſiologia elementa non cures, de his controverſatur (ut Carteſius *& ſequaces*) Neque ſpiritus abolentur, (*ab Harvéo & aliis*) neque humores rejiciuntur, (ab *Helmontio*) neque ſanguinem ipſum, qui etiam negatur, (à *Marchatio*) neque temperamenta, quod hæc ſequantur.

III.

Idioſyncraſia in Medicina monſtrum.

IV.

Sanguinis aut cruoris circulationem, Chyli traductionem, (*recta ad cor*) lactis confectionem (*ex chylo immediate*) reſpue, non magis utilia quam ſcibilia, figmenta novatorum.

V.

In Pathologia, non cauſæ, non ſigna, neque tempora morbi; non ætas, non vires, nec conſuetudo ægri, & ſimilia priſcorum phænomena obſervanda ſunt, homo eſt, morbus eſt, ſatis.

VI.

In cognoſcendo levitas, in curando temeritas, in promittendo ambiguitas, nunc manent tria hæc.

VII.

Inter medendum irride ſpecifica, unum in unoquoque remediorum genere eſt ad omnium inſtar. Itaque ſit tibi pro catharticis ſenna, pro emeticis ſtibium, pro cardiacis hyacinthus.

VIII.

Si quando alterantibus opus, contraria contrariis ſemper, ſimilia ſimilibus nunquam opponito.

IX.

Extremis morbis extrema remedia quidem, ſed etiam viris primatibus.

X.

An in intermittenti, in putrida, in purpurata, in peſtilenti febre, phlebotomia? Ridicula quæſtio, in his enim æque ac in vera ſynocho prodeſt.

XI.

Si poſt primam, poſt ſecundam, imo & poſt tertiam venæ ſectionem febrium paroxyſmi fiant citiores, longiores & acerbiores, vel etiam cum comate aut ſociis, magnitudinem cauſæ ſignificabunt, ſeca iterum.

XII.

An natura aut morbo picrocholis venæ ſectio ſalubris? inane problema, ſanguinem bilis eſſe frænum Arabum delitia.

XIII.

Iiſdem conſtitutionibus & morbis, ætate vel jam provecta, viribus abſumptis, ſanguinis miſſione ante & poſt pluries repetita, Larbaſum emeticum (*antimonium ſeu vinum emeticum*) nocere, Chimiſtarum theorema incongruum, ſemper enim & ubique ſalutare.

XIV.

In morborum conſultationibus inferioribus illude, paribus obſiſte, principi ſuſcribe, vel ubi pereat æger.

XV.

In magiſtralium antidotorum diſpenſationibus, aliiſque in genus actis, præſentia tantum, examen enim laborioſum, demonſtratio difficilior, Eapropter & aliis ad dicendum paratis idem ſilentium pro viribus imponito, nec ipſe vim patiaris.

XVI.

In vipereorum paſtillorum formatione, quarta galenica panis ſit tibi pro falſa, aut male ſupputata, trium enim, non quatuor, quarta pars unum eſt, non minus quam caro alexicacos.

XVII.

Etiamſi unicum antidotarium præcipias, varia tamen non minus excipias, Quiſque martem ſuo marte paret, grata diverſitas.

XVIII.

Pondera non cures, quinta aut ſexta pars totius, minorum quam ut quod operetur, inde drachma lx. aut lxxij granorum, unum & idem.

XIX.

Unico Pharmacopœo, unico & Chirurgo faveas, cæteris noceas, cum omnibus enim non potes de mercede, de remediis nedum convenire.

XX.

Pro veteri illo digrammate

Morbus

Morbus, cauſa, locus, ſymptoma, innata facultas
Conſimiles morbi, mos, motio, pharmaca, geſtus.
Hoc uno verſu utere
Juſculum, aqua, ovum, lac, ſenna, enema, ſanguis, acetum;
namque
Arma ſcholæ morbos ſunt Ulmerienſis ad omnes.

Proculdubio ex titulo prædictorum aphoriſmorum colligere tibi licuit D. *Bonin* Medicos, quos in ſcenam adducit, conferre cum Iudicibus illis ſubalternis, qui olim ſub ulmis pagi, quem incolebant, jus dicebant, ea de cauſa *Pædaneis* nominatis, aut Iudicibus ſub ulmo: Inutile autem omnino foret cætera commentariis illuſtrare, cum mens authoris ſatis aperta ſit, ut dilucidatione non egeat apud eos qui acumine ingenii pollent: Id vero non ingratum tibi fore exiſtimo ſi dixero nominatum *Bonin* hos aphoriſmos conſtruxiſſe, occaſione ſumpta ex obitu Domini *Barbarin de Iouſſé*, olim primarii Præſidis in auguſto Pictonum Senatu, menſe Septembri ultimo denato, annos quinquaginta duos nato: eo quod, ut exiſtimat, præſidia omnia neceſſaria defuerint; Obitus autem Viri Illuſtris dicto *Bonin* moleſtiſſimus fuit, ob benevolentiam ſummam quam ſæpe intimam fuerat expertus, cujus dilucida teſtimonia ſæpenumero reportaverat: Summæ dotes quibus natura defunctum exornaverat, beneficiorum præterea ingentium, quibus inſignitus fuerat, recordatio, poſt effuſum imbrem lacrymarum ex oculis, è corde expreſſa mille ſuſpiria & gemitus, ab ipſo extorſerunt dialogi vitæ & mortis exarationem, inſcripti tumulo, perpetua veneratione obſervando: Copiam illius facio, in quo Deæ illæ ambæ colloquentes adducuntur, eo quod circumſtantias quaſdam, Medicam artem & Medicos ſpectantes, contineat, mihique conſtitutum ſit nihil prætermittere eorum quæ huc faciunt, ut in Epiſtolis meis amici tui obvias habeant obſervationes ad praxim utiles, curioſa quæ in muſæo meditentur, grataſque cogitationes quæ colloquii materiam in conſortiis præbeant.

Observatio IV. Ejuſdem.

Dialogus in Tumulum.

Domini Dom. *Petri Barbarin*, Equitis aurati, Domini *de Iouſſé*, &c. in auguſto Auguſtoriti Pictonum Senatu Præſidis Auguſtiſſimi, Qui è terra in cœlum evolavit nonis Septembris, anno communi 1678. ætatis autem ſuæ 52.

Mors. Quid eſt ô vita tibi, quod hunc titulum legendo tam amare lugeas?

Vita. Quis talia fando temperet à lacrymis? jacet proh dolor, quod vel nunquam jacere debuiſſet, corpus Domini Dom. Barbarin, &c.

Mors. Sed quid novi? annon quem deploras communi hominum fatò ſemel diſceſſurus erat?

Vita. Verum, ſed an non etiam ad ſenium uſque, more parentum ſuorum ſupereſſe potuerat? Cur ſic præmature occidiſti?

Mors. Non occidi, qui interno veneno, & propria cacochymia periit.

Vita. Utinam non cacodoxia, non cacographia, non externo pharmaco.

Mors. Qui his, integro Medicorum collegio uſus, ſi quidem tres collegium conſtituunt?

Vita. Ignoras rerum ſalubritatem non in multitudine ſemper conſiſtere? Ignoras (quæ utinam iterum eo loci non conveniat) hanc alterius infœlicis monumenti inſcriptionem, Turba Medicorum interemit.

Mors. Vel inde ſum talis obitus inſons, vel inde etiam te ipſam conſolatura, quod nullis artis Apollineæ legibus & conſiliis, nullis remedium auxiliis caruit, quem tandem ultima ſors eripuit.

Vita. Qui conſolabilis ego, orba tanto támque præſtanti viro, ut qui gratiſſimus muſarum & gratiarum alumnus, ut qui fuerit à puero *Neſtor*, inter amicos *Pylades*, inter Judices *Æacus*, ſupra *Alexandrum* magnificus, ſupra *Iulium Cæſarem* generoſus, ſupra hominum officioſiſſimos officioſiſſimus, ut qui denique veræ generis humani deliciæ, & certus virtutum omnium cumulus?

Mors. Obſerva ſaltem (ſi quid tandem meum eſt) hunc vere heroem, imminentibus tantum Themidis induciis (quibus non æque utilis) acceſſiſſe, & ſic ipſas tibi, pro fletibus & næniis, longe ſupra cæterorum duraturis, conceſſiſſe, idque temporis pro luctu ſufficiat.

Vita. Ah bimeſtres inducias & nænias tantummodo concedis, cui vel perpetuas deberes! Eſto tamen, & ad unicam, quæ mihi meíſque reſtat, conſolationem grates infinitas ſupremo numini devotiſſime rependamus, quod dederit, ſibi ipſi in cœlis manere beatum, ei quem in terris nobis ſenſimus vivere juſtum, quémque revera ſcimus apud homines, niſi ingratiſſimos, nunquam moriturum.

Hoc gratitudinis & obſervantiæ ſuæ ſpecimen moriens vovebat
Juſſ. Bonin *Pharm. Pictav. illico.*

OBSERV.

Observatio V.

D. de la MORANDIERE.

Gemelli, ejuſdem ſexus, una ſecundina obvoluti.

HÆc dum ſcribo, en ad me Epiſtolam *D. de la Morandiere*, Magiſtri Chirurgi in Oppido Tilleriano Normanniæ, cujus cauſa de Generatione materiam iterum ſuſcipere cogor, Ait enim 1. ſe in partu difficiliori vocatum, ejuſdem ſexus gemellos eduxiſſe, unica ſecundina obvolutos, etſi alter vita donatus eſſet, magnitudinis ſolitæ; alter mortuus, exſiccatus, à ſecundina liber, quaſi tantum quinquemeſtris: unde fides accedere videtur conjecturis prima mea epiſtola adnotatis, circa fœtus eductionem à D. *Amiens* Chirurgo Regio factam.

Observatio VI. Ejuſdem.

Actus venereus impeditus ob orificium externum vulvæ obturatum.

IDem 2. tradit quendam à ſeptennio conjugatum, de vxore conqueſtum eſſe quod nunquam inire illam potuerit, Conſtituta autem à Judice, per Chirurgos & Matronas exploratione, in dicta muliere repertum fuiſſe orificium externum vulvæ obturatum à carne ſolida, eáque naturali, pertuſa tamen in medio ad menſtruorum effluxum, vix tamen ſtyli cujuſpiam vulgaris capaci: Qua de cauſa generationi inhabilis judicata fuit, ac viduitati mancipata; Libidinis tamen ſtimulis urgentibus eadem concepit, actu quanquam venereo imperfecto; Partus enim tempore adveniente acceſſitus fuit D. de la *Morandiere*, qui exitum artificio infanti procuraret, hoc eſt, inciſione facta carnis vaginæ introitum obſidentis, amplitudinem duorum tranſverſorum digitorum obtinentis, craſſitudinem ſemipollicis, Ex his conſpicuum eſt membranam, Hymen vocatam (ſi modo carnoſitati dictæ id nominis aſſignandum) non in omnibus fœmellis, quibus obtigit, eam tenuitatem obtinere quam fingunt Anatomici, Nec membri virilis intromiſſionem inter circumſtantias abſolute neceſſarias numerandam eſſe, ad conceptionis actum, id quod vulgo apud Medicos ſtatutum.

Observatio VI. Ejuſdem.

Arthritis nodoſa ſingularis.

EN iterum duas alias Obſervationes ab eodem D. à *Morandiere* præcedentibus additas, quæ diverſæ ſunt naturæ ut credo non flocci pendes:

Prior eſt de Arthritidis quadam ſpecie, obortæ in juvene viginti quatuor annorum, cujus ratione in omnibus articulis inſignis numerus tophorum excitatus fuerat, præſertim in altero pede, qui adeo increvit à continuo humorum decubitu, ut cutis ulterioris diſtentionis incapax, diffiſſa fuerit, ægrúmque ad auxilium apud D. la *Morandiere* quærendum impulerit, qui ea de cauſa inciſione facta in dicto pede, ſupra & infra, inde inſignem copiam materiei albidæ, craſſæ & terreſtris educit, hinc poſtmodum cauſa antecedente in cæteras corporis partes decumbente, in omnibus cute inveſtitis puſtulas lapideæ duritiei excitavit, atque in ipſis articulis ea copia congeſta, quæ eorum extrema extra ſedem nativam expulit.

Observatio VIII. Ejuſdem.

Puteus lethifer.

Poſterior Obſervatio tradit ſeriem funeſtorum accidentium, quæ ante aliquot annos contigere, etſi cauſa adhuc hactenus obſcura ſit, quæ tamen phyſica cenſenda eſt, eo quod ſcaturiginem in putei fundo habuerit, jampridem aridi. Puteus ille, cujus profunditas octo orgyas non excedebat, quatuor propemodum in latitudine obtinens, adeo utilis & opportunus Piſtori *de la Tilliere* viſus eſt, ut mundandum illum propriis ſumptibus curaverit, etſi non minus cæteri loci incolæ quam ipſe ſibi vendicare poſſent: quapropter pacto inito cum ruſtico, certóque pretio conſtituto, aggreſſus hic eſt putei mundationem, ſummáque adhibita diligentia quiſquiliarum copiam eduxit, etſi nihil ſiniſtri hactenus inde exſurgeret, Sed vixdum grandem lapidem emovit, qui de induſtria illuc conjectus creditus eſt, ut ex inferiori parte ſcaturierit aqua, ad ſemipedis altitudinem aſſurgens, eodémque momento veneficus vapor, ipſi intolerandus, quamobrem exinde ſe extrahi quamcitiſſime voluerit: Poſt quinque aut ſex dies Piſtor qui columbam in eum devolutam eſſe animadverterat, filium proprium eo ſe dimittere juſſit, juvenem robuſtum, ruſticum, viginti quatuor aut quinque circiter annos natum, ſed vix fundum attingit illico occumbit, dorſo muro obverſo; Piſtor fati præcipitis, cujus author ipſe fuerat, occaſione commotus, arrepto fune eo ſe devolvit, manus auxiliatrices filio porrecturus, vix autem imum attigit, quin ipſe lethum incurrerit. Faber ferrarius vicinus, quem periculi metus deterrere non potuit, miſericordia vero impulſus, paulo poſt idem iter aggreſſus eſt, ſed ea lege ut protinus & ad leviſſimam vociferationem educeretur, eodem tamen ac cæteri fato, ſuffocatus enim ab illo vapore, antequam perculſus videretur, interiit: Quartus, viribus confiſus & præcautioni adhibitæ, funi ſcalam addendo, ubi ſecundo graduipedem fixit ſuper priores deciduos mortuus concidit; Poſtmodum oppidi vir robuſtiſſimus

mus,funibus ſub axillis conſtrictus pedetentim eo devolutus eſt,ſtatim vero ac mediam putei altitudinem attigit,ſine mora adducendus fuit,neque auxilii celeritas prohibere potuit quin exanimis fere evaderet : Tunc temporis proximorum miſericordia remittere, charitaſque à tam horrendo ſpectaculo defervefcere : aditus demum canibus tantum & gallinis conceſſus, ſed quanquam dictorum animalium non exiguus numerus eo compulſus fuerit, ne unum tamen vivum emerſit. Tandem poſt tot támq; varia experimenta,è re viſum fuit maximam facem accenſam eo demittere, ſed quanquam flamma lucida, ubi fundo ad trium pedum diſtantiam proxima, extincta illa fuit. Id vero notatu dignum eſt 1. omnibus mortuis caput aquis eminuiſſe: 2. Idem eodem tempore in puteis vicinis tentatum eſſe,ſed omnino innoxie, etſi maxima eorum pars media parte prædictum altitudine ſuperaret, Ac tandem eundem, tantorum infortuniorum authorem, per aliquot annos intactum, poſtmodum mundatum fuiſſe, citra tamen vel leviſſimam cuiquam noxam illatam.

Philoſophi quidam talem effectum ſpiritibus arſenicalibus aſſignarunt, quibus aqua ſcaturiens imprægnata erat, eo quod in quibuſdam cryptis reſes fuerit,arſenici mineram forte cōtinentibus. Id vero quod faci accidit,ſententiam illam quodammodo dubiam reddit,nec enim quiſpiam rationem reddiderit quamobrem à vaporibus,arſenici vi imbutis, extingui potuerit:utut vero ſit,tale phænomenon animadverſiones eruditi cujuſpiam Phyſici expoſcit; revera qui ejus explicationem tradere inſudaverit, bene de omnibus merebitur.

Observatio IX. Authoris.

De diſſolutione lapidis Veſicæ.

IAm pluries verba tibi feci de experimento in Noſodochio, Charitatis dicto, tentato, quoad diſſolutionem lapidis in veſica, cujus ſucceſſum exhibere nondum mihi licuit: Id vero tibi inpræſens innoteſcat puerum ægrum, in quo periclitari libuit, explorationi tandem à Dom. *Morellio*,decimo die præſentis menſis,ſubditum fuiſſe, à quo deprehenſus lapis adhuc veſicæ affixus: Hoc vero momento temporis mihi nuntiatum in apertione cadaveris Dom. *Liſſavide*, civis paroechiæ S. Rochii, paucos ante dies defuncti, repertum quoque lapidem in veſica latentem,etſi ſæpius illi Dom. *Brocardus* exhibuerit ſuum remedium, Reponit vero, quoad ægrum *Charitatis*, ipſum (antequam periculum feciſſet arcanorum ſuorum adverſus lapidem veſicæ) à pluribus annis perpeſſum fuiſſe ſæviſſima ſymptomata quæ parere aptus eſt lapis in veſica fluctuans, dum ſcil. ad hujus orificium impulſus lotii exitum præpedit. At cum dictus æger nullo ſymptomate vexetur, procul omni

dubio ſaltem lapidem alium, qui vagus erat, diſſolutum fuiſſe, ſuperſtite adhuc altero adhæreſcente. 2. Poſſibile eſſe ut Dom. *Morellus* deceptus ſit, qui ægrum tantummodo explorarit digito in podicem intromiſſo; quandoquidem caruncula, explorante digito, eadem ratione percipi poſſit, eundemque impreſſionis ſenſum illi præbere quem lapis adhærens. 3. Etiam teſte Dom. *Morellio*, lapidem iſtum ſummæ veſicæ adhærere, ac proinde pene impoſſibile fuiſſe ut diſſolvens in veſicam operationem exercuerit, eo quod raro contingat veſicam ſufficienter lotio repleri, quo ab eo univerſa eius ſuperficies madefiat. 4. Ratione D. *Laſſavide*, hunc non tamdiu ejus remedio uſum eſſe quoad peefecta lapidis diſſolutio acciderit: id ſaltem obſervatum fuiſſe à diſſolvente inchoatam lapidis diſſolutionem, eo quod illius ſuperficies aſpera deprehenſa ſit, & quaſi attrita. 5. Dictum D. *Laſſavide* mortuum eſſe anno ætatis ſuæ ſexageſimo quinto, variis complicatiſque ægritudinibus detentum, nominatim ob renes abſceſſibus tentatos, teſtimonium perhibente D. *Dailly* Chirurgo Jurato Pariſienſi, anatomen inſtituente coram D. *Daymiero* collega ſuo, pluribúſque aliis teſtibus. Utut vero ſit, quanquam experimenta dicta D. *Brocardi* ſucceſſu caruerint, remedii tamen ſui certitudinem perpetuo prædicat, experimentáque, dubitationis aleæ non ſubjecta, ſe propediem exhibiturum aperte profitetur, propoſitis curationibus privatis aut publicis quæ ſucceſſum habuerint, ſive quoad lapides renum ſive veſicæ.

Cæterum, ſi ſpecialius ſcire deſideres 1. quæcunque peracta ſunt circa puellum ægrum, cujus curam ſuſcepit D. *Brocardus* in Noſodochio Charitatis, conſule Tractatum de lithotomia, propediem edendum à D. *Tolet*, Noſodochii dicti Chirurgo, in quo ſigillatim & accurate proceſſus exponitur, multæ præterea ſingulares obſervationes habentur, necnon quamplurimæ figuræ, quas propriis ſumptibus excudi curavit, quo facilius percipiantur quæ inibi exponit, ejuſmodíque operatio juxta methodum inſtituatur, etiam ab iis qui nunquam manum operi admoventes viderunt: Id vero ſummæ utilitatis futurum eſt in Provinciis Operatoribus carentibus, quod plurimi auxilio deſtituti vel intereant, vel temeritati circumforaneorum committere ſe cogantur, aut quibus opes non deſunt, immanes ſumptus profundere, accerſitis aliunde Lithotomis.

Parerga.

Fama quam ſibi merito ſibi comparavit D. *Renaudotius* Medicus primarius SS. Principis *Delphini*, me impellit ut moneam te, Ipſum nobis abreptum fuiſſe die decima nona præſentis menſis, cujus muneri hactenus nullus ſuffectus, menſis vero proximus quis ſucceſſor futurus ſite, docebit te.

Id vero te ſcias velim Auguſtiſſimum illum Monarcham, qui ſingulari benevo-

benevolentia ſuorum ſubditorum tutelæ tam ſedulo invigilat, *illius* recentiſſimum teſtimonium præbuiſſe, cum febrifugum Medici Angli pretio comparari juſſit, publici juris id facturus: Dom. Primarius ejus Medicus, arcani depoſitarius, ad aliquod tempus id latere vult certis de cauſis, propalaturus vero poſtmodum eo modo ut omnibus proficuum eſſe queat.

Omnes porro Eruditorum conventus hoc anno tempore ſolito publici facti ſunt, h. e. paucis diebus poſt feſtum D. *Martini*; hæc vero circa eos immutatio contigit, quod illi qui apud Dominum Abbatem Bourdelotium celebrandus eſt, dies Lunæ aſſignatus ſit: Dominum autem *Regi*, cujus nomen apud eruditos tantæ celebritatis, inchoaſſe Diſceptationes Phyſicas, ſingulo quoque die Martis habendas in ædibus D. *Lemery*, Regii Pharmacopœi in vico Galantio: Supradictarum Diſceptationum prima habita fuit menſis præſentis die viceſimæ prima, concurſu undique magno, Conventum plurimi componebant illuſtres tum ſtirpe tum eruditione: D. *Regi* pro more ſuo omnes in admirationem pertraxit, auditores vero quotquot habuit, applaudentes dimiſit.

Dictus quoque D. *Lemery* curſum ſuum Chimicum iterum inchoavit die Veneris præterita; Novum vero ſpondet circa quadrageſimæ initium, in gratiam Medicinæ candidatorum qui Lutetiam non appulerunt quo tempore Academicis exercitia redintegrata.

OBSERVATIO IX. Authoris.

Emplaſtrum contra Herniam.

EPiſtolæ finem impono communicatione Emplaſtri quod ad Herniarum curationem miranda præſtare aſſeritur; Accipe Olibani, vel thuris maſculi, gummi ammoniaci & opopanacis, cujuſq; uncias duas, cuncta hæc diſſolvi cura in ſufficienti quantitate aceti ſtillatitii: demum accipe piperis albi, ſeminis ſinapi, foliorum buxi ana unciam unam, ebulliant omnia in aquæ fabrorum cotylis tribus, uſque ad duarum tertiarum conſumptionem, cola decoctum, & fervens adhuc affunde gummatis diſſolutis; cuncta hæc ſimul commixta lentiſſimo igni impone, digerique ſinantur per duas horas; demum igne per gradus adaucto ut fere ebulliat, adde uncias duas olei lumbricorum, ut ebulliant permittendo quouſque omnis humiditas exhauſta ſit: addita poſtmodum iterum ſemilibra picis nigræ puriſſimæ, ad ignem tamdiu relinquas quamdiu omnia recte concorporentur, & in emplaſtri conſiſtentiam abeant, quod alutæ inducendum, magnitudine & figura inguinibus convenientibus, quibus adhæreſcere permittes quoad ſponte excidant.

Vale.

Pariſiis 28. Novembris 1679.

ZODIACI MEDICO-GALLICI

SIVE

Recens in Re Medica Exploratorum.

DECEMBER.

EPISTOLA DVODECIMA.

EN tandem Domine, ultimam quam à me habiturus es epiſtolam. Complementum faciet, id quod optaſti, primi voluminis *recens Exploraturum*, quapropter & cæteris brevior futura eſt, quo locum concedat Indici alphabetico, à me in lectorum gratiam conſtructo: cauſam vero enuntiaturus non ſum quamobrem Indicem dictum non ſejunxerim à codicibus noſtris vulgaribus, nec tibi difficulter ratio innotuerit quæ me ad id compulerit; hoc vero te ſcire velim Volumum proximo anno prodituro, titulo inſigniendum, *Templi Æſculapii*, aut *Depoſitorii recens Exploratorum ſingulis diebus contingentium in re Medica*; eo quod inſtituto noſtro melius quadret, magiſque ſit conſonus operis diſpoſitioni, id quod fuſius declaraturus ſum in Præfatione, rariora ad Te menſe Janvario proxime futuro tranſmittenda prægreſſura.

OBSERVATIO I.

D. VERDERII.

Partus conceptionem tubariam ſequutus.

EX earum numero quæ hujus menſis curriculo mihi tradita ſunt, Obſervatio ſequens non minimi eſt momenti. Acceptam habeo à Dom. le *Conte*,

Conte, communicatam à Dom. *Verderio*, celeberrimo medico Pictavienſi, intima cum ipſo familiaritate conjuncto. Obſervationis ſubjectum juvencula eſt mulier, cui nomen *Lataba*, incola vilis pagi, *Niellio oppido* vicini: Hæc ante aliquot retro menſes obtulit ſe Dom. *Verderio*, tumoris duri, rotundi gratia, amborum pugnorum magnitudinem propemodum æquantis, infra nothas coſtas lateris dextri eminentis: Etſi tunc temporis vivido eſſet & florido vultus colore, menſtruæ purgationes non cohibitæ, anorexia non adeſſet, ulla pica vel malacia, mammarúmve intumeſcentia, nullúmve graviditatis familiare ſymptoma conſpicuum, Ex ſententia tamen D. *Verderii* tumor ille ortum duxit à fœtu in tuba uteri concepto: Opinionis fundamentum fuit, quod tumor dictus non ſolum doloris expers, caloris, gravitatis, febris nulla conſequuta eſſet, in ſuperficie nulla coloris immutatio, ſed præſertim quod in dies augmentum capeſſeret, prægnanti nullam moleſtiam inferens: ſi quaſdam concuſſiones exceperis, iis propemodum ſimiles quas fœtus ſe commovens infert; Revera, à præſcripto levi exercitio, per Dom. *Verderium*, ab opinione concepta non recedentem, litu præterea partis tumidæ ex oleo liliorum ad partium relaxationem, exitúmque facilem foetui procurandum, tribus exactis hebdomadis peperit muliercula puellam vivam, terminum naturalem propemodum adeptam.

Cum pauci Chirurgi curationibus rarioribus æque ſint inſignes ac D. Boiſellus *Argentonenſis, eximiáque animi generoſitate publici juris faciat propria experimenta, futurum credo ut plurimas ab ipſo rarioreſque obſervationes conſequuturi ſimus: Dictorum ſpem facit epiſtola ab ipſo nuperrime ad me ſcripta, continens hiſtoriam curationis, cujus, ut exiſtimo, circumſtantiæ non ingratæ erunt, eo quod ad uſum practicum non parum conferant: id proculdubio conceſſurus es, ſi quæ ſubſequuntur legere lubeat.*

Observatio II.

D. BOIRELLI.

Vulnus Pectoris inſigne, cui acceſſit fiſtula & phthiſis, feliciter curatum.

Filius Dom. *de la Genevraye*, illuſtris nobilitatis viri, anno 1670. gladio in pectore ictus fuit, inter quartam & quintam veras coſtas, initio ducto à ſupernis, infra & ad latus mammæ: Ad curationem illico accerſitus fui: Ex inſigni reſpirandi difficultate, & ſanguine florido è vulnere exeunte, ad cavitatem uſque pectoris pervenire vulnus colligere mihi licuit, *nam Pulmone icto ſpirandi difficultas eſt, ſanguis ex ore ſpumans, ex plaga*

ruber, ſimulque etiam ſpiritus cum ſono fertur: Ex illo tribus primis diebus ſanguinis libræ circiter duæ prodiere, poſt modum bidui ſpatio, quotieſcunque curatio adhibebatur, circiter unciarum duarum quantitas humoris pituitoſi, crudi, liquidiſſimi, ſimulac pelvi exceptus fuerat, concreſcentis.

Evacuationes ejuſmodi quominus febris ingrueret die ſexta prohibere non valuerunt, atque ad decimam uſque quartam prorogaretur, non ſecus ac tuſſis, in dies incrementum aſſumens; unde timoris eo potiori jure enata cauſa, quod quoties curationis gratia manus vulneri admoveretur, turunda illi indita atra omnino educeretur, nullo tamen puris in capacitate thoracis fluctuantis, in quodcunque latus convolveretur æger, apparente indicio. Interim febris & tuſſis à decima quinta deferbuere: à decima ſeptima autem poſt egreſſum corpuſculi, partim carnei, partim membranei, fere omnino putridi, ac præterea materiæ cruentæ circiter ad uncias tres, turundæ nigredinis expertes exemptæ ſunt: Decima octava à natura ſimile corpuſculum, eademque materiæ copia expulſa ſunt, inſigni ægrotantis ſolatio, at vero quod ejuſmodi evacuatio decima nona die non contigiſſet, acceſſit rigor univerſalis, quem ſubſequutus calor, craſtina demum die circa veſperam deſinens; quo tempore novus paroxyſmus per ſubintrantiam invaſit, præcedaneo rigore peiori & diuturniore & vehementiore, etſi calor minor fuerit, ſuperveniente ſudore illum admodum temperante: Ejuſmodi paroxyſmi, febris per periodos procedentis alias indices, à Medicis tamen in conſilium adhibitis tanquam effectus puris in pectoris cavitate latitantis habiti ſunt, adeo ut eorum ſententiæ obſequens, invitus paracenteſin inſtituerim, quam ſequuta eſt ſanguinis ad tres aut quatuor guttas excretio, cum exſufflatione prodeuntis; hinc cum de operationis inutilitate conſtaret, ut occluderetur inflictum à me vulnus conſenſere, etiam ii à quibus propoſitum præſidium fuerat.

Biduo poſt dictam paracenteſim, è priori vulnere prodiit portiuncula membranæ putridæ, cum ſemi libra & amplius materiæ fœtidæ, quæ diebus ſubſequentibus ſemper profluxit, modo alba, modo nigricans, minori aliquando copia, alias majori, ſed quæ tandem ægrum ad tabem deduxit, vulnere in fiſtulam deſinente, adeo ut cannulam toto biennio geſtarit, coopertam emplaſtro *Andreæ à Cruce*, Nihilominus tamen accedente toto illo tempore proba diæta; imo lactis muliebris uſu, adeo perfectam valetudinem adeptus eſt, ut vulnus firma cicatrice obductum coaluerit; deinceps Academiæ athleticæ munia omnia, validum robur requirentia, obierit, uxorem duxerit, prolem ſuſceperit, firmiſſimâque ſanitate deinceps uſus fuerit, Etſi ante vulnus inflictum phthiſicæ diſpoſitionis opinionem præberet, cum quia ſatus eſſet matre ejuſmodi affectu inquinata, tum quia ipſe indicia quædam habitus eo vergentis præ ſe ferret.

Ex

Ex prædictis inferre licet Pulmonem in vulnerato forte ulceratum eſſe; carnis enim putridæ fruſtula excreta, proculdubio illius partis fragmenta fuere, coaffecta ſimul pleura, cujus portio membranæ ſpecie per vulnus prodit, quandoquidem ejuſmodi corpuſculorum excretio eo tempore contigit quo febris cum rigore adorta eſt. *Nam ſi rigor frequens incidat, is pus alicubi collectum denuntiat, vel relicto ſanguine putreſcente, vel facta inflammatione, quod in his qui vulnus in partibus inferioribus acceperunt ſæpe videre licet.* Id vero ſolum præſenti in caſu admiratione dignum mihi viſum eſt, quod ſcilicet pus inſigni copia, diuque erumpens; nullam unquam toto illo tempore notam exhibuit loci in quo conclusum latebat, neque gravitate vel aliter, etſi verum ſit *pondus doloris loco ſentiri, quia humor qui antea per totam inflammationem erat diſperſus in multas & exiguas partes, in vacuum aliquem locum colligitur.*

Cæterum apud me dubium non eſt aquam, ſtatim ac è vulnere erumperet concreſcentem, ſcaturiginem in vaſis lymphaticis habuiſſe, quorum quæpiam læſio forte attigit: Utut vero ſit, ex præſenti hiſtoria eluceſcit quanti referat auxiliares manus vulneratis etiam deſperatis porrigere; cum conſtet quoſdã, etiam ſymptomata veriſimiliter lethalia perpeſſos, periculo defungi.

Etſi vero tres ſubſequuturæ obſervationes a D. Billotio. *mag. Chirurgo Iurato Burdegalenſi communicatæ fuerint, ſcias tamen velim ab Illuſtri Dom.* d'Emery *profectas eſſe, qui eas exſcribere dignatus eſt ac ad me tranſmittere: Neque hæ ſolum, vt reor, ab ipſo expectandæ veniunt, aſſerit enim dictum* D. Billot *celebrem eſſe peritia curationis luis venereæ, Obſtetricio munere cæteriſque chirurgiis; paucos illi doctrina & dexteritate æquiparandos, Eundemque civilitatis officia ac inſignis peritiæ tam æquali robore obire, vt in omnibus operationibus egregium ſe præbeat: Coniice hinc quam negotioſus eſſe debeat, & quam rara ab ipſo expectare liceat; quorum communicatio emolumento futura eſt.*

Observatio III. D. BILLOTII.

Capitis vulnus, e quo ſubſtantiæ cerebri portio ſæpe egreſſa,

ANno 1676. menſis Ianuarij tertia, *D. Billotius*, primum remediorum apparatum admovit filio Aromatopolæ Burdegalenſis, cui nomen *Salane*, annos ſex nato, ob inflictum vulnus à ſclopeto manario, cuius globulus frontem percuſſerat, directe inter duos ſinus, ac trajecta omnino cerebri medulloſa ſubſtantia, ad occiput ſubſtitit; attamen puer vulneri ad decimoctavam diem uſque ſupervixit, integris omnino rationis muniis, non ſecus ac ſi illæſus fuiſſet, eadem hilaritate gaudens qua per optimam valetudinem, etſi quoties manus, curandi gratia, vulneri admoveretur, pro-

prià ſubſtantiæ cerebri portio, ad nucis myriſticæ magnitudinem erumperet: Interim aliquot ante obitum horis lethargus obrepſit, mentis licet compos quodam modo permaneret, ad interrogata quævis reſpondens.

Capite poſt mortem adaperto, ecce rem admiratione dignam! cerebri ſubſtantię portio vix exiguum ovum mole æquans reperta eſt.

Ex prædicta obſervatione liquet cerebrum non tanti eſſe momenti ac hactenus creditum eſt; vnde etiamnum inferre licet animam, quæ ſenſus principium eſt, in parte ſolidiori, minuſque ejuſmodi alterationibus obnoxia ſedem habere; id quod & ſequens eventus confirmaturus eſt.

Observatio IV. Ejuſdem.

Vulnus capitis deſperatum, feliciter curatum.

JUlii 24. anni 1670. miles cohortis Dom. *de Balſac*, Ducis in legione Regia, annos decem vel novem cum octo natus, gladio helvetico vulneratus fuit ad digiti tranſverſi diſtantiam procul ab aure dextra parte ſuperna, vnde occipitis os omnino effractum, ſimul cum parte coronalis, non ſecus ac ſi dicta oſſa ſerra diviſa fuiſſent, eodem modo quo in cadaveribus, quorum cerebrum demonſtrandum ſeiunguntur; adeo ut ab inſtrumento non ſolum præciſa fuerit vtraque meninx, tum dura tum pia, ſed præterea ipſa cerebri ſubſtantia ad duorum tranſverſorum digitorum, & amplius, craſſitiem; quamobrem vulneratus ipſo læſionis momento lethargicus concidit, ac quaſi paralyſi vniverſali affectus: D. *Billotio* in caſtrum Trompetianum curandi illius cauſa accerſito, ſatis fuit primum apparatum admovere, nec tota die viſitare ægrum dignatus eſt, vulnus ex neceſſitate lethale judicans: Ne tamen exprobrationis occaſio incideret impellente, miſericordia poſtridie juvenem à ſervitiis miſit, inviſendi illius gratia, quo nuntio didicit pulſum adhuc micare, quapropter D. *Billotius* iterum manum vulneri admovit, Dempto primo apparatu deprehendit ſquammas aliquot ſecundæ cranii laminæ, a reliquo cranio ſeparatas, ipſi cerebri ſubſtantiæ ſe inſinuantes; at cum illas eximere abſque trepani auxilio impoſſibile eſſe animadverteret; ad id eadem ipſa die confugit, præmiſſis quæcunque chirurgiam eiuſmodi præcedere ſolent: Duobus diverſis locis admotum fuit, ſquamæ autem apprehenſæ beneficio roſtri gruini, ac ſimul membranarum portiones, quæ ſphacelo tactæ apparebant: Tribus aut quatuor diebus exactis, D. *Billotius* ex colore & conſiſtentia excrementorum vulneris, judicavit calorem & ſpiritus partem non deſtituiſſe; vnde aliquali ſanationis concepta ſpe, ſanguinem vena aperta eduxit, hinc ægri poſtmodum paulatim lethargus excuſſus, nec non motus reſtitutus, adeo ut poſt trimeſtre integram valetudinem adeptus ſit, etſi decem vel duodecim

oſſium

oſſium fragmenta ex ſecunda cranii lamina ablata fuerint, pleraque cerebri ſubſtantia involuta; quædam craſſitiem pennæ ſcriptoriæ æquantia, magnitudinis duorum tranſverſorum digitorum.

Ex his conſpicuum eſt naturæ robur, nonnullos à maximis periculis liberantis, dummodo accedant præſidia idonea, hoc eſt, modo obſecundent vigilantia, ſolertia & peritia artificis, cuiuſmodi conſpicua eſt in prædicto D. *Billotio*: Aſſentietur his quiſquis ad prædicta animum adverterit; aut circumſtantias ſubſequentis obſervationis perpenderit.

Observatio V. Ejuſdem,

Vulnus tibiæ cui ſucceſſit genu dolor, oſſis caries, Ejuſq; felixque curatio.

DOm. à *Sainton*, Oeconomus Illuſtr. Comitis à *Montaigu* annos natus ſolum viginti ſex, ſclopeti ictu vulneratus eſt in parte interna tibiæ ſiniſtræ, duorum tranſverſorum digitorum infra genu diſtantia, a globulo perforato vtrinque vtroque oſſe: Vulnus more ſolito tractatum & curatum fuit, nullo ſubſequente tunc tempore affectu, ac decimoquarto poſt anno obortus intenſus dolor, totam genu peripheriam occupans, nullo plane conſpicuo tumore aut aliqua intemperie exterius ſe prodente: Ad aliquot dies increſcebat dolor, qui tandem ad eam vehementiam pervenit, vt acceſſerit delirium: Quæſitus D. *Billotius*, urgentibus ejuſmodi affectibus opem laturus; cauſa vero illorum pro votis non illi omnino innotuit, at cum ex conjectura ſerum aliquod malignum eſſe accuſandum colligeret, decrevit levi ſcalpelli ictu vulneris dicti cicatricem pertundere, è qua ſeri vnica proſilit gutta, ex flavo nigreſcentis, vnde illi inferre licuit os carie affectum eſſe: revera intromiſſo in factum foramen ſtylo, deinceps inciſione ad magnitudinem duorum tranſverſorum digitorum facta, deprehendit tibiam & fibulam in tota ſua craſſitie affectas eſſe, imo ipſam medullam omnino conſumptam: Dicta caries, cui humorum affluxus ſe adjunxerat in ægram partem, paulo poſt inciſionem decumbentium, impulerunt D. *Billotium* ad exciſionem, (mediante trepani corona inſtituendam idque paulatim) vtriuſque oſſis ad magnitudinem trium parvorum tranſverſorum digitorum: Deſquammationem demum procuravit quatuor oſſium extremitatum, remediis illi ſcopo dicatis: Procreatus hinc callus, poſtea concreſcens, tantæ ſoliditatis vt læſam partem in ſtatu naturali conſervet, æger autem nunc eadem facilitate ac ante deambulet: Trimeſtri ſpatio peracta curatio, nulla ſuperſtite deformitate in tibia, præter anchyloſin quandam, ſed non admodum conſpicuam.

Observatio VI. Authoris.

Catarrhus anno 1679. epidemius.

Catarrhus, a nationibus orientalibus evacuatio ſalutaris iudicatus, apud nos ſæpiſſime graviſſimis affectibus accenſendus, nunquam tam acriter ac præſente anno ſæviit: Tuſſis perpetua, vigiliæ, oppreſſiones, febris continua, dyſpnoea, pleuropneumonia, imo mors ipſa ipſius ſuccedaneæ fuere, adeo vt nihil tanto ſtudio inquiſitum fuerit quam quod ipſum debellare valeret: Plurimi vna mecum varia tentarunt, quo certiora in apertum venirent: quæ vulgo admoveri ſolent leviſſimam tulerunt operi, remedium vero hic adnexum ejus fuit efficaciæ, vt iniquum me crederem ſi te illius participem non facerem.

Accipe hordei vulgaris manipulos duos; ter ebulliant in aquæ fluviatilis ea quantitate quæ libuerit, vnaquaque vice per quartam horæ partem: Conjice poſtmodum in aquæ recentis ſextarios minores duos; demum ebullitione facta ad conſumptionem mediæ partis trajiciatur decoctum, ſinatur refrigerari in vaſe idoneo; vbi vero ad teporem deductum fuerit, adde ſemi manipulum florum papeveris rhœadis, quos macerari permittes per duas horas ſupra cineres calidos, vel locum qui aquæ teporem conſervet, quo papaveris tincturam induat, Tunc trajice per linteum mundum, diſſolvendo poſtea ſacchari cantii vncias quatuor, vt duæ dozes ſuperſint, vnaquæque cotylæ vnius: earum vna mane jeiuno ventriculo propinanda, altera noctu, hora decubitus, longo à cœna intervallo: Auxilio eſt præſentaneo etiam prima vel ſecunda die, ſed vſus aliquando ad ſeptimanam integram exporrigendus, quo certior ſit curatio.

Observatio VII. D. de la GAROSSY.

Vermis e ſectavena eductus.

ID vero mihi narrandum ſupereſt D. *de la Garoſſi*, mag. Chirurgum Pariſienſem, vocatum ad venam ſecandam artifici cuidam, in regione ſua commoranti, ſpecie quadam pleuritidis detento, eaque propter aperta brachij dextri baſilica, diviſioni obtuliſſe ſe illico caput animalis, ſanguinis curſum inhibentis, quod idoneo inſtrumento apprehenſum & eductum, lampetræ formam exhibuit craſſitie tubuli pennæ ſcriptoriæ, longitudine autem ſex vel ſeptem tranſverſorum digitorum. Vale.

Pariſiis 23. Decembris 1679.

Finis primi Tomi.

Ejuſdem

FRANCISCI DE BLEGNI

ARS HERNIARVM CVRATRIX, GALLICE EDITA, recens Latina lingua donata.

PRÆFATIO.

NE deeſſem officio, ex partibus artis Chirurgicæ ſeligendam duxi maxime omnium neceſſariam,& minime excultam, cum ſtudio indagaturus ea quæ ad eam excolendam pertinent, Cognitionem & curationem Herniarum quæ ſpectat, ejuſmodi eſſe mihi viſa eſt: Vix è morborum genere quiſquam cõmunior, vix alius tanta ſymptomatum caterva ſtipatus eſt; Præſidia hodie ad earum curationem uſitata non modo moleſta ſunt, ſed & pleraque inutilia aut invalida. Chirurgi, penes quos rectus eorum uſus eſſe debet, curam circumforaneis crediderunt, ſubligaculorum fabricatoribus, mulierculis, aliiſque principiorum naturæ & artis rudibus, virium & facultatum medicamentorum; anatomes univerſalis & particularis corporis humani, omnium tandem quæ rem medicam ſpectant ignaris, quorum tamen cognitio omnino neceſſaria eſt,ſi vel minima illius partium cum fructu ad praxim deduci debet.

His accurate perpenſis, conſilii anceps non fui, eóque auimum protinus direxi, Herniarum tractationem in me ſuſcipiens: Re conſtituta, maximam Authorum partem qui ea de re tractarunt in manus ſumpſi, opiniones eorum examini ſubjeci: amicorum benevolentiam & authoritatem in ſubſidium advocavi,qui Hernia laborantes mihi curandos committerent,aut cadavera diſſecanda offerrent: diſquiſitionem adhibui unde inefficacia remediorum vulgarium penderet, ſollicituſque fui in inquirendis quæ opem afferrent, paucis, nihil eorum prætermiſi quæ obſervationes & experimenta, jampridem ea in re à me facta variis temporibus & occaſionibus ſtatumina-

rent,adeò ut paulò poſt Liber emerſerit quem publici jam juris facio.

Liber in duas diſtinctus eſt partes, quarum prior continet quæcunque ad cognitionem affectus pertinent, Poſterior ea omnia quæ hunc ſuperare valent: *Primi* generis, artis velut principia à me ſpectata,ſunt Hiſtoria anatomica imi ventris: Uſus qui ex præcipuarum ejus partium conſideratione pendent, Quicquid tandem in genere de natura ejuſmodi ægritudinum afferri poteſt: *Secundi*, media ſunt quibus partes loco motæ ad ſitum naturalem reduci queunt; Quæ adhibenda, quo eædem partes ad tempus cohibeantur, Quæ item in perpetuum loco naturali eaſdem contineant.

Quod inſtuti ratio poſceret ut nihil eorum quæ utilia forent prætermitterentur, circumſtantias omnes prædicta ſpectantes accurate adduxi: Cum porro nihil quicquam ex quo fructus aliquis non perciperetur inferre voluerim, huc non intuli (à priſcis authoribus recedens) eas Herniarum ſpecies quas ſcroti tumores pariunt, vaſorum dilatatio, aut flatuum vel vaporum congeries: Remediorum à me propoſitorum conficiendorum rationem non præſcripſi; ejus quippe cognitiò ægris inutilis futura, quam artis periti callere debent, omiſſis etiamnum rebus omnibus quæ ad rem apprime non facerent: Objiciet forte quiſpiam cum ratione, me deſcriptionem partium imi ventris prætermittere debuiſſe, quandoquidem Chirurgi, in quorum gratiam hæc à me conſcripta ſuut, anatomicæ rei perquam gnari ſunt; Iis autem, qui ejus cognitione leviter ſunt imbuti, ubi libuerit lectione operum plurimorum celeberrimorum anatomicorum frui licet, Sed præter quam quod ſatis eſt accurata earum partium deſcriptio à me tradita, quæ utilis eſſe poteſt ad reminiſcentiam, & revocandas ideas rerum antea animo prioribus conceptarum,in compendium præterea ita eſt contracta,ut poſterioribus expiſcari inde liceat quicquid apud alios authores grandis voluminis mediâ fere partem conſtituit.Hoc perpendendum venit,Herniarum eſſentiam in eo ſitam eſſe, ut ab immutationibus,formæ & ſitui quarundam è prædictis partibus accidentibus pendeat: Has partes cæteris neceſſario nexu uniri,ac proinde diſpoſitionem naturalem, quam conjunctim ſervare debent, æque in partes artis principiorum adducendas, ac ægritudines in ipſis ab immutationibus prædictis contingentes.

Cæterum, ſi Medicis ſolis curæ eſſe videatur lectio librorum Medicinam in genere tradentium, id perſpectum eſſe debet aliis Medicinam non facientibus ſæpe eſſe illos familiares qui in ſpecie de morbis, quibus affliguntur, pertractant. Porro cum poſterioribus hiſce datum non ſit ut perfectam habeant notitiam naturæ ſubjecti, materiæ, aliorúmque hujus artis attributorum, conſequens eſt ad rei facilem comprehenſionem nihil eſſe omittendum, ubi morbi idea & indoles illis exponenda, ſi exinde curatoriæ indicationes elici debeant.

Sin

Sin à ſedulitate in neceſſariis indagandis à me adducta,& in redundantibus reſcindendis,opus hoc doctrinæ promovendæ aptius evaſerit, ordo à me in materiarum diſtributione ſervatus non parum ad perſpicuitatem collaturus eſt, nam præter generalem in binas partes diſtinctionem, quo principia cognitionem ſpectantia, à præceptis praxin reſpicientibus dirimantur, earum partium quamlibet in duas ſectiones ſubdiviſi, unamquamque ſectionem in plura capita, unumquodque autem horum in totidem articulos, quot è re fore judicavi ad accurate minimas etiam conſequentias perveſtigandas.

Cæterum, ut miſſam faciam præſtantiam recentium obſervationum à me factarum,quoad efficaciam remediorum ſingularium à me adductorum, ſubligaculorum item excellentiam, peſſariorum aliarúmque machinarum extraordinariarum à me excogitatarum, cuique liberum de his relinquo judicium, Chirurgos interim rogans ne præceps ferant judicium quouſque praxis veritatem meorum inventorum comprobaverit: cæteros obteſtatus, qui opus hoc in manus ſumpturi ſunt, nil prius effutiant quam judicium in conſilium adhibuerint, eorúmque, quibus opus hoc probatum, merita & dotes perſpexerint.

ARTIS
HERNIARVM CVRATRICIS
Partis I. Sectionis I.
CAPVT I.
De principiis Artis Herniarum curatricis in genere.

Perioche.

1. *Principia Artium in genere.*
2. *Principia Artis Herniarum curatricis in ſpecie.*
3. *Diviſio generalis prædictorum principiorum.*
4. *Neceſſitas tradendi deſcriptionem partium omnium imi ventris.*
5. *Operis diſpoſitio.*

I. QUanquam Artes habitus ſint per crebra & iterata exercitia comparati, ſuis tamen nituntur principiis ab artificibus non ignorandis: quantacunque autem peritia & ſolertia præditi ſint, ope praxis acquiſitis,

ſexcenta tamen occurrunt obſtacula & impedimenta, eorum judicio inſuperabilia, niſi præceſſerit ſtudium principiorum & notionum per quæ certitudo illi accedat. Ea propter Empiricorum conatus toties infauſti eventus excipiunt, quamvis experientiam perpetuo ſibi ducem jactitent, præſtóque ſint illis remedia & media quæ ad morbos propulſandos præſtantiſſimi medici adhibent: Non alia de cauſa familiares ſunt errores Chirurgis quibus anatomica fax non illuceſcit, quos latent circumſtantiæ ab authoribus aſſignatæ, ut probum nec fallax exercitium operationum Chirurgicarum ſubſequatur.

II. Quo ergo non deſit eventus arti Herniarum curatrici, vni ex præcipuis chirurgiæ partibus, ſatis non eſt ſibi vſu comparaſſe rationem reducendi partes, eaſque loco confirmandi, quarum extra ſedem nativam naturalem Emotio cauſa eſt conjuncta & immediata horum affectuum, ſed præterea omnino neceſſaria eſt, & primo, cognitio formæ, vſus & ſitus naturalis illarum partium; quot modis illas immutari contingat, abrumpi & depravari, Cauſarum eiuſmodi immutationum, interruptionum & depravationum. Quibus ſignis affectus illi dignoſcátur & ab invicem diſcriminentur ſciendum, Quæ ſymptomata illis ingruentibus, aut in progreſſu accidant, Quæ partium diſpoſitiones facilem aut impoſſibilem curationem afferant, In genere, tandem, quæ circumſtantiæ metum aut ſpem invehant.

III. Sin prædicta in conſiderationem adducenda ſunt, tanquam principia methodi à me obſervandæ, ac tanquam ad praxin ſubſequuturam introductio, determinatio quoque eorundem ad certum ſcopum inſtituenda eſt, cujus vi vniverſalis idea exſurgat, priuſquam ad ſpecialium tractationem fiat tranſitus, Hoc vero in genere tradendum eſt, ea aut in genere à conſtitutione naturali humani corporis pendere, cujuſmodi prima hac ſectione à me tradenda ſunt, Aut ab iis originem ducere quæ diſpoſitionem hanc in Herniis immutare valent, de quibus ſectione ſequenti.

IV. Interim, ſicut inter præcipuas corporis regiones, ſolus imus venter Herniis obnoxius eſt, inutile foret ſingularem cæterarum deſcriptionem adducere; at vero, cum ex huius regionis partibus quædam emoveri poſſint, idoneo his affectibus procreandis modo: cum quarundam figuræ immutatio ejuſmodi accidere queat, per quam facile contingat, aut etiam cita, dicta è ſede egreſſio, tandem cæteræ omnes cum his tam arcta vnione connectantur, vt has citra illarum concuſſionem movere non liceat, animus eſt præcipuas omnes adeo accurate delineare, vt qui anatomicis operationibus nunquam interfuerunt, ex adducendis capitibus ſufficienter doceri queant ad ſubſequentium intelligentiam; Qui autem in anatomico exercitio verſati ſunt, labilis memoriæ confirmationem ibi nacturi ſint, aut forte quod alibi deeſt reperturi, quandoquidem certum eſt non omnes

nes Anatomicos definite circumſtantias quaſdam, formam & ſitum annulorum ſpectantes adnotaſſe.

V. Porro cum priores duæ hujus libri ſectiones, notiones omnes vniverſales & particulares, fundamentum & principia artis, quam præ manibus habeo, futuras, comprehenſuræ ſint, poſterioribus duabus concludam præcepta omnia obſervanda, & methodum cui, quo cum fructu exerceatur, inſiſtendum: Interim cum operis cujuſdam doctrina purior ſit, faciliuſque ſub intellectum cadat, ſi ejus materia ab iis, cum qua convenientiam non habet, ſejungitur, ordine quoque certo & facili traditur, non modo id mihi conſtitutum eſt nihil eorum quæ vtilia ſunt, aut illis neceſſaria in quorum gratiam hæc conſcripta ſunt prætermittere, ſed operam maxime dare vt nihil infructuoſum à me exeat, atque vt tradenda omnino dilucida & penſitatata ſint.

Caput II.

De Humano corpore in genere, Et in ſpecie, De regionibus & partibus continentibus imi ventris.

Perioche.

1 *Diviſio generalis corporis humani.*
2 *Limites thoracis & abdominis.*
3 *Abdominis regiones.*
4 *Partes Abdominis ingenere.*
5 *De cuticula.*
6 *De cute.*
7 *De membrana adipoſa.*
8 *De membrana carnea.*
9 *De membrana muſculorum communi.*
10 *De partibus continentibus propriis.*
11 *De muſculo obliquo deſcendente, primum annulum effingente.*
12 *De muſculo obliquo aſcendente, ſecundum efformante.*
13 *De muſculo recto.*
14 *De muſculo pyradimali.*
15 *De muſculo tranſverſo, tertium annulum conſtituente.*
16 *De muſculo cremaſtere.*
17 *De Peritonæo.*

I. Anatomici corpus humanum generatim dividunt in *Artus*, qui aut ſuperiores ſunt, vt brachia & manus, aut inferiores, vt femora, tibiæ &

pedes, ac *Truncum*, quem in tres ventres diſpeſcunt, quorum ſuperiorem, cerebri domicilium, Caput vocant: medium, in quo cor collocatum, Thoracem aut pectus, & inferiorem, à me deſcribendum, Abdomen aut imum ventrem.

II. Collum, caput à thorace dividens, cui ſua peculiaris videtur adeſſe circumſcriptio, ab vltima tamen hac cavitate dependet, ad ultimas uſque coſtas protenſa, ibi loci ab imo ventre, interveniente muſculo diſcreta, aut juxta quorundam ſententiam, membrana lata & denſa: Muſculus ille, cui Diaphragmatis nomen aſſignant, quaſi intergerinus paries hos duos poſtremos ventres diſtinguit; adeo vt abdomen circumſcribant quicquid coſtis & ſterno ſubiacet (quæ ab hoc anteriori parte coniunguntur), quicquid iterum ſubditum eſt, diſtinctum ab inferioribus extremitatibus, ſi ſaltem clunes excipias, ex quibuſdam muſculis conflatas, quorum ope femora extenſionem obtinent.

III. Spatium à ſummo hoc ventre ad umbilicum uſque, exceptis quatuor digitis, in parte media Epigaſtrij nomine donatur, partes autem laterales, Hypochondriorum: Id quod interiacet à parte inferiore dicti ſpatii, ad quatuor uſque tranſverſos digitos infra umbilicum, ante & in medio, regionis Vmbilicalis nomen obtinet; à lateribus Inanium; à poſtica parte, Lumborum. Quicquid tandem ſupereſt ejuſdem ventris, Regio hypogaſtrica dicitur, ſumma ſui parte in mediam partem diſtincta, cui Hypogaſtrii vox κατ' ἐξοχὴν aſſignata, In partes laterales, Ilia dictas: & inferiorem, eamque adhuc mediam, cui Pubis nomen inditum, quia pilis veſtita, cujus latera Inguinum voce, in quibus femorum rugæ, deſignantur.

IV. Sed diſtinctioris cognitionis gratia partium omnium, regionibus illis comprehenſarum, diviſione in ſcholis uſitata uſurus ſum, dirimens in continentes & contentas: Priores, aut toti corpori communes ſunt, quales quinque inferius nominandæ, generico Integumentorum nomine vocatæ; vel propriæ & imo ventri peculiares, de quibus deinceps acturus ſum.

V. Cuticula, alias Epidermis, partium communium continentium prima eſt: Pellicula eſt dura, tenuis & inſenſilis, quod nervis per eam diſſeminatis careat: Veræ cuti coextenſa exiſtimatur, vt medium ſit ſenſus tactus, hoc eſt, prohibendi gratia eius acutiem aut ſenſibilitatem moleſtam.

VI. Ex iis quæ de cuticula protulimus, evidens eſt ſub ea immediate deliteſcere Cutem: maxima hæc eſt & craſſiſſima omnium totius corporis membranarum, non ſecus ac extenſionis capax: Adnotetur autem membranæ vocem, tunicæ & meningis, partibus aſſignari alias ſub ſe complectentibus, carne omnino, vel fere deſtitutis, ſed ubique & ſemper fibris, à quibus ſenſum accipiunt, refertis: In Cute ſingulas corporis partes inve-

ſtiente

ſtiente & ſimul conjungente (ſi cuticulam exceperis, pilos & vngues) obſervantur foramina, quæ vel manifeſta, vt in oculis, naſo, ore, auribus, ano, & partibus pudendis; aut inconſpicua, cujuſmodi ſunt pori (quibus ubique ſcatet) exitum ſero & vaporibus ſuperfluis concedentes.

VII. Vniverſæ cuti, ſi eam demas quæ frontem tegit, penem & ſcrotum, ſubſternitur adeps, non in omnibus hominibus æqualis craſſitudinis, quem quoque vocant Membranam adipoſam, etſi ſenſu deſtituta ſit: generationemque tantum & fomentum habeat ab appulſu, appoſitione & condenſatione vaporum ſulphureorum.

Huic adipi in collo, axillis & inguinibus, intermixtæ ſunt Glandulæ, quas quidam deſtinatas credunt excipiendis ſordibus cerebri, cordis & jecoris: Revera id obſervatum in ſcrophulis, peſte & lue venerea, ſæpe eas impuro humore turgere, à quo morbi pertinacia deducenda eſt.

VIII. Adipem ſequitur Membrana carnea, arctiſſime ipſi accreta; qua de cauſa ab invicem ſejungi non debent, id quod quibuſdam anatomicis viſum: Ea, non ſecus ac cutis, vniverſas corporis partes ambit, idque nominis ipſi inditum quod rubeat, ac plurimis fibris carneis, à quibus craſſitiem plurimis in locis adipiſcitur, polleat.

IX. Poſtrema tandem partium continentium communium eſt Membrana muſculorum, hoc eſt partium illarum carnearum à quibus motus voluntarii perficiuntur: id nominis adepta eſt, quod immediate omnes cooperiat: tenuitas quidem illi conceſſa, ſed cum eximio robore, plurimas enim fibras nerveas obtinuit.

X. Partes Continentes imi ventris proprias quod ſpectat, eæ aut Carneæ ſunt, ſicut duodecim maſculi membranæ communi ſubſtrati, quorum præcipuus uſus eſt uterum comprimere, inteſtina & veſicam ad eorum quæ foras excerni debent expulſionem: Aut membraneæ, ſicut peritonæum, immediate partes omnes ea cavitate concluſas inveſtiens; Vel tandem Oſſeæ, quales ſunt quinque lumborum vertebræ, coſtæ ſpuriæ, & os innominatum, quod cum ſacro hypogaſtrij capacitatem conſtituit, cujus partes poſteriores os Ilium vocantur, laterales os Iſchium, anteriores Os pubis: Porro, etiamſi dicta oſſa quodammodo continendis & protegendis imi ventris partibus inſerviant, uſus tamen eorum præcipuus eſt (non ſecus ac cæterorum oſſium) partibus corporis mollioribus firmamentum præbere, iiſque vincula, mediantibus fibris membranæ eas ambientis, præbere, qua de cauſa perioſtii nomen habuit.

XI. Ex duodecim muſculis, à me ante adductis, vtrique ventris parti ſex aſſignantur, circa ejus medium Linea, quam vocant alba, diſtinctæ: Primus dictorum muſculorum Obliquus deſcendens vocatur, obtinens fibras oblique infra tendentes; ſuperne nothis coſtis, & aliquot veris anne-

ctitur; parte poſtica dorſi muſculis, anteriore lineæ albæ; inferius oſſium Ilium & pubis margini, ſupra quos illius fibræ deducuntur, ſpatium efformaturæ ad tranſitum vaſorum ſpermaticorum, quod in adulto folij myrthini magnitudinem adæquare poteſt, Idque primus Annulus dicitur.

XII. Muſculus priori huic ſubditus eandem propemodum amplitudinem obtinet, obliquus quoque nominatus à fibrarum ſimili ſitu, Aſcendens autem, quod ſurſum tendant: Iiſdem vaſis commeatum quoque largitur, ideoque ſecundum Annulum effingit, paulo elatiorem, ampliorem, & à linea alba præcedenti remotiorem.

XIII. Muſculorum tertius Rectus eſt, latitudinem circiter trium tranſverſorum digitorum obtinens: id nominis obtinuit quod linea recta à ſterni inferiore extremitate (vocant cartilaginem xiphoidem) ad os uſque pubis feratur.

XIV. Ad latera oſſium iſtorum conjunctionis, infra muſculum rectum, ſæpe alius, ſed minimus, occurrit, muſculis abdominis adnumeratus, quia illius tendo fundo veſicæ, eius comprimendæ gratia, adnexus creditur: ob figuram Pyradimalis nomen illi inditum.

XV. Eorundem muſculorum quintus, Tranſverſus vocatur, eo quod ab appendicibus vertebrarum lumbarium, apophyſes dicunt, fibras ſuas recta ad lineam albam tranſmittat, eoque modo per ventrem tranſverſus feratur: Superna parte ſpuriis coſtis alligatur, inferna oſſibus Iſchium & Pubis inſeritur, ubi, ſicut obliqui, foramen relinquit tranſmittendis vaſis ſpermaticis deſtinatum, Atque hinc tertius conſurgit annulus, ſed iterum amplior, elatior, atque à medio ventre pluſquam oblique aſcendentis diſſitus.

XVI. Quinque prædictis muſculis eum quem Cremaſterem vocant ſi addideris, inguinis plicaturæ ſecundum longitudinem incumbentem fibras ſuas ad teſticulos uſque propagantem, ſex enumerare licebit, qui cum congeneribus ex adverſa parte iſtis juncti, duodenarium numerum à me deſcriptum completuri ſunt.

XVII. Peritonæum membrana vbique duplex, vt omnibus notum, parte ſuperiore in viris craſſius eſt, in mulieribus autem infra umbilicum: Eo modo conſtructum ut parte ſuperna toti inferiori cooperimento ſit: verſus umbilicum emineat, vaſorum umbilicalium cónexioni locum conceſſurum; atque productiones ad ſcrotum uſque delatas poſſideat, ad traductionem vaſorum ſpermaticorum & teſticulorum, abſque vlla eius fibrarum ſeparatione: Eodem modo pars inferior, integumenta peculiaria vnicuique partium contentarum præbet, à quibus & ſitum & figuram, ſervata priſtina ſua continuitate, mutuatur.

Cap. III.

De diviſione in genere partium Abdomine comprehenſarum, Et de natura particulari earum quæ nutritioni famulantur.

Perioche.

1. *Partes contentæ abdomine in genere.*
2. *De Ventriculo.*
3. *De gracilibus Inteſtinis.*
4. *De craſſioribus & Ano, in quem deſinunt.*
5. *De meſenterio.*
6. *De venis Lacteis, chyli Receptaculo, & Canalibus thoracicis.*
7. *De alvi excrementis.*
6. *De Omento.*
9. *De Hepate & veſica Fellea.*
10. *Animadverſiones circa Hepatis vſum.*
11. *De Aorta arteria, Vena Cava, & Emulgentibus.*
12. *De Renibus & vtereribus.*
13. *De Veſica & vaſis vmbilicalibus.*

I. PArtium Abdomine comprehenſarum quædam Nutritioni ſubſerviunt, chylum, ſanguinis materiam, aut efficiendo aut diſtribuendo, aut iterum excipiendo, foraſque ſupervacanea expellendo. Alia generationi dicata ſunt, formando, diſtribuendo, ac ſemina ad conceptionem requiſita retinendo.

II. Stomachus, alias ventriculus dictus, partium à me adductarum potiſſima fortaſſis erit: In ejus cavitatem alimenta per œſophagi tubum delabuntur, ſed prius in ore à dentibus attrita, & poſtmodum concoquuntur ac in ſubſtantiam lactis inſtar albam & liquidam, quam chyli nomine deſignavi, convertuntur, ſive à dictæ partis calore, ſive, quod quibusdam viſum, à liquoribus quibuſdam acidis diſſolvendi vi præditis.

Ventriculus immediate ſepto tranſverſo ſubſtratus eſt, ad lævam paululum devergens, ob Iecur dextram partem occupans. Corpus eſt membraneum, utriculum non male exprimens, ſcilicet ſi ſimul conſideretur canalis per quem ori continuus redditur, à me modo nominatus œſophagus, ac præterea inteſtinorum initium, quibus etiamnum connectitur, intra quæ chylum confectum detrudit mediante orificiorum altero, quod vocant Pyloron; orificium id in ſumma ventriculi parte ſitum eſt, non ſecus ac id quod

ad oeſophagum fertur, quo melius ea alimenta in fundo continere valeat: Ventriculi capacitas, cum inanis ſatis parva eſt, ſed neceſſitate vrgente, more cæterarum partium nervearum extenditur, adeo ut in homine mediocris ſtaturæ trium Pintarum Pariſienſium, vel Sextariorum minorum capacitatem exæquare credatur.

III. Quæ nominantur Inteſtina, plurali numero, vnicum nihilominus conſtituunt corpus, ex tribus membranis coalitum, cylindraceum, cavum & continuum à Pyloro, ubi initium ducit, ad anum uſque ubi deſinit; ſed pluribus anfractibus & convolutionibus, tredecim enim circiter cubitorum longitudine donatum eſt: attamen ejus initio longitudo duodecim digitorum tranſverſorum Duodeni nomen indidit, hacque nota à cæteris diſtinguitur, quod ſicut cætera convolutionibus careat: Quod proxime ſequitur, Iejunum vocatum, ulnæ longitudinem prope attingens, eo præſertim diſcrimine à cæteris dignoſcitur, quod ſemper minus ſequente turgeat, cui Ilei nomen, meo judicio, aſſignatum, quod maxima ejus portio Iliis vicina ſit, quamvis præterea multis circa ventris medium anfractibus donetur, quia viginti circiter pedes longum eſt.

Prædicti corporis tribus portionibus deſignatis Gracilium inteſtinorum nomen aſſignatum eſt, quia revera longitudo qua pollent, gracilior eſt quam earum quæ proxime conſiderandæ ſunt, hæc iterum ſubdiviſionem in tres alias patitur, qua de cauſa Craſſorum inteſtinorum nomen gerunt.

IV. Prima *Cœci* nomen obtinuit, cavitatem enim effingit quodammodo à reliqua diſtinctam, cui ſacci inſtar, unica apertura introeuntibus & exeuntibus communis: hæc portio quatuor aut quinque ſolummodo tranſverſorum digitorum poſſidet longitudinem, pollicis circiter latitudinem: ad ejus initium productio reperitur ignoti adhuc uſus; in perfectæ ſtaturæ homine figuram digiti puelli annui exprimens.

Portio iſta modo à me deſcripta perpetuo ſitum habet in hypochondrio dextro, à qua proinde conſequentis principium deducendum: Hæc craſſioris inteſtini nomine inſignitur, quia revera omnium craſſiſſima eſt, vel *Coli*, quia fæces ſæpiſſime in eo indureſcũt, flatus cohibent, ſicque colico dolori origo præbetur: Colon id verſus jecur aſcendit, ventriculo ſubſternitur, mox hypochondrio ſiniſtro incumbit, vbi in plures anfractus dividitur, cellulas quaſi quaſdam conſtituentes, in quibus craſſiora excrementa quantum neceſſe eſt, retinentur, quo in vaſa idonea quiquid alimenti adhuc reſiduum eſt, dimittant; demum verſus os ſacrum extenditur, vbi anguſtius evadit, atque vltimæ portionis initium conſpicitur, cui *Longanonis*, vel *Recti inteſtini* nomen inditum eſt, quia inde recta ad anum pergit, qui nihil aliud eſt quam ejus extremum, muſculo orbiculari cinctum, eidem pro neceſſitate reſerando vel obſerando deſtinato.

V. Præter

V. Præter poſtremas has duas portiones, quibus ligamenta peculiaria aſſignata ſunt, quo ſitui deſignato adſtringantur, cætera inteſtina rugoſum quaſi quoddam collare colligat, *Meſenterium* dictum, iuxta quorundam ſententiam, ex peritonæi membranæ internæ plicis exſtructum: duplicaturam ejus vbique infarciunt minimæ glandulæ; qua vero dorſi vertebris annectitur maxima adeſt, *Pancreas* dicta, ibi loci, ut quidam exiſtimant, ſita quo ventriculoſa quaſi pulvinar ſubſtratum ſit, vel ad Portæ venæ ramos firmandos, ibi loci diſtributionis initium ducentes.

VI. Infinitus porro vaſorum numerus intra eandem meſenterii duplicaturam deprehenditur, ad inteſtina pertingentium, è quibus Lacteæ vocatæ *Venæ* puriſſimum quicquid in chylo eſt exſugunt, poſtquam è ventriculo, in quo generationem habet, ad inteſtina transfuſum eſt, inde in receptacula quædam, lumbis adſita, infundendum: è quibus, mediantibus duobus canalibus, juxta vertebras dorſi ſitis,, Thoracicis dictis, quia thoracem tranſgrediuntur, exhauritur, ad cor poſtea uſque deferendum, ſanguinis formam poſtea donandum.

VII. Chyli pars craſſior è gracilibus inteſtinis in craſſiora transfuſa, abit in fæces, vel alvi dicta excrementa, à bile ut plurimum tincturam adepta, quæ à Veſicula propria in duodenum eructatur, per canalem, choledochi nomen propterea adeptum: Ab eadem miſcella fæces dictæ acrimoniam acquirunt, dejectionis excitandæ cauſa.

VIII. Hoc vero notandum, non ſolo peritoneæo inteſtina, ſed præterea membrana duplicata & adipoſa inveſtiri, quæ inferiori parte libera convolutionibus illorum quaſi innatat; etſi ut plurimum vix umbilicum tranſgrediatur: Uocatur Epiploon, Zirbus, Omentum; Præcipuus illi uſus aſſignatur ventriculi calorem fovere.

IX. Inteſtina in alvi capacitate fluitantia, cæteris fere omnibus partibus operimento ſunt, quibus remotis illico præcipuæ in apertum veniunt. Primo ſe exhibet Jecur, Parenchyma itidem appellatum, quia id nominis reliquis omnibus partibus, quæ carnem à muſculoſa differentem adeptæ ſunt, commune eſt, hæc vero peculiarem obtinet, ſanguini concreto non abſimilem; Parenchyma id à cartilagine Xiphoide, cui medio ligamento membraneo annectitur, ad imum uſque hypochondrium dextrum, quod pene totum obſidet, exporrigitur, Pars Ilia contingens convexa eſt, cui venæ cavæ dictæ ramus maximus incumbit, at vero, ut quorundam fert opinio, radices ſuas inde non deducit: Pars, ventris interioribus obverſa, concava eſt, è qua prodit craſſus venæ truncus, Portæ nomine potitus: Inibi quoque Veſicula bilem excipiens conſpicua eſt, cujus ſeparatio Jecoris præcipuum munus hodierno die cenſetur.

X. At vero dubius ſum num forte præterea illi aſſignandum ſit officium

melancholici humoris ſeparandi. Id certe conſtat venam Portam à trunco cavæ nequaquam exoriri, quomodo rami in ſingulis aliis partibus conſpicui prodeunt: ſanguinem dicta vena, ejuſque ramis incluſum, eo quem cæteræ venæ continent craſſiorem eſſe; Ejus denique ramos omnes vel ad Lienem pertingere, humoris melancholici præcipuum receptaculum creditum; Vel alia loca è quibus per anum exitum nanciſci poteſt, cum vel abſque alvi excrementis, ut per hæmorrhoidalia vaſa.

Hæc vero opinio inde confirmationem habere videtur quod Lien, qui in hypochondrio ſiniſtro ſitum Jecori utcunque æquipollentem obtinet, nunquam alteri cuipiam uſui idoneus compertus eſt, neque tamen conſpicuum aliud vas quam ramus Splenicus, à Porta oriundus, per quod ſanguis craſſus & melancholicus ad eum deferri queat: Adde, experientia teſte, animalia Liene deſtituta vita & valetudine frui poſſe, ideóque exinde arguendum videatur eo deficiente ſanguinem nihilominus à fæcibus & ſpuritie liberari, quod probabiliter mediante tantum jecore fieri poteſt, à quo ejuſmodi excrementa, per vias deſignatas foras protrudantur, Sed hæc obiter.

XI. Imi ventris vaſa admodum inſignia magna Arteria, Aorta dicta, & Truncus venæ cavæ: à corde immediate ambo procedunt: Arteria ſanguinem infimis partibus illatura, Vena reſiduum reductura; utraque terebrato diaphragmate, ſupra & per longitudinem oſſium, ſpinam dorſi conſtituentium, (vertebras dicunt) decurrunt; unde circa medium ventris unumquodque vas ad dextram & lævam ramum depromit, ad renes recta pertingens. Vocant venas & arterias Emulgentes.

XII. Renes nominantur duo corpora carnea, ad pugni magnitudinem unumquodque accedit, & fabæ figuram refert: dexter fere deliteſcit ſub parte jecoris inferiore, ſitum ſiniſtro paulo humiliorem obtinens, ex diametro quaſi illi oppoſitus, ſed elatior, ſive quod æquilibrium tenere non debeant, ſive quia jecur liene ampliorem occupet locum. Si per medium diſſecentur, inanis quidam locus reperitur, quem Pelvim vocant: ſed præterea in eorum ſubſtantia obſervare eſt venas & arterias Emulgentes in plurimos diſſeminari ramos, per quorum poros, aut extrema, creditur ſanguis à ſero ſuperfluo liberari, quod in dictam pelvim decidat, inde per ureteres in veſicam excurrat, canales in illam deſinentes.

XIII. Veſica, lotii conceptaculum, imum hypogaſtrium occupat, lagenam inverſam referens. Ex duabus membranis conſtituitur, vel etiamnum tribus, ſi peritonæi reduplicatio ipſam obvolvens adnumeretur; fundi ejus medium umbilico, ope ligamenti, *ourachi* dicti, adnectitur: latera autem per duo vaſa, in fœtu ad ſecundinam uſq; deducta, unde ſanguinem ad ejus alimentum hauriunt, in adulto autem ligamenti vice tantum fungentia, non ſecus ac vena Jecur umbilico appendens, quæ illis conjuncta vaſa conſtituit umbilicalia.

CAP.

Cap. IV.

De partibus virilibus & mulieribus Generationi inſervientibus.

Perioche.

1 *Partes hominum Genitales in genere.*
2. *De vaſis Præparantibus & Epididymide.*
3. *De teſticulis & ſcroto.*
4. *De partibus ſeminis Ejaculationi inſervientibus.*
5. *De Pene.*
6. *De vaſis Præparantibus muliebribus, & de ligamentis vteri.*
7. *De vaſis Ejaculatoriis vteri, & Ligamentis rotundis.*
8. *De Vulva.*

I. IN Viris partes generationi dicatæ, aut materiam ex qua ſemen conficitur deferunt, aut generant, aut conſeruant, aut tandem in uterum deducunt.

II. Primæ vocantur *Vaſa Præparantia*, quia, ex vulgata opinione; ſanguinis per ea delatus in tranſitu ab iis aliquod alterationis initium ſubit: Quatuor recenſentur, Ex utraque parte Vena una & una Arteria: Arteria utraque ex aortæ trunco prodit, vena autem dextra ex ipſa cava, at ſiniſtra ex emulgente: Vena & arteria comites ex utroque latere extra ventrem in Teſticulos uſque producuntur, ubi conjunctæ corpuſculum, his incumbens, conſtituunt, quod Epididymidem vocant, in quo ſeminis rudimenta induere cenſent materiam illuc delatam.

III. Utut vero ſit, indubium eſt in Teſtibus demum perfectionem id adipiſci: Corpora ſunt glanduloſa, numero duo, ad magnitudinem & figuram ovi columbini prope accedentia, unumquodque velamentum obtinens, & primo tenuem membranam nerveam; demum proceſſum membranæ externæ peritonæi (eapropter annulos ſuperius deſcriptos pertranſeuntem, poſtea muſculi cremaſteris productionem, tandem utrumque conjunctim Scrotum excipit, (alias Byrſa) quod nihil aliud eſt quam cutis exporrecta, at ſuccincta membrana carnea, Dartos dicta, interius in duas partes diſtincta, Teſticulos ab invicem diremptura.

IV. Teſticuli, una ex parte quaſi ſuſpenſi, ope vaſorum, à me Præparantium dictorum, alteri quoque per epididymidem appenduntur, unuſquiſque mediante vaſe aſcendente, eadem via qua præparantia deſcendunt, quod tamen ubi cavitatem ventris attigit, infra oſſa pubis reflectitur: ubi cavitatem ventris attigit, infra oſſa pubis reflectitur, ibi congeneri ſe ſocium dat, inde conjunctim, juxta collum veſicæ, adeunt quatuor vel quinque *veſiculas*, quas ex ejus expanſione effictas credunt, *Para-*

ſtatas nominatas: Ab his veſiculis paulatim exprimitur ſemen, à glandulis duabus, *Proſtratis* dictis exceptum, infra muſculum circularem ſitis, cui veſicam claudendi & aperiendi munus incumbit: Seminalis materia in his glandulis aſſervatur in uſus neceſſarios: hócque obſervandum in earum medio vaſa modo dicta uniri, & in unicum canalem coaleſcere, cujus extremum exigua caruncula claudit, in coitu turgens, materiæ dictæ tranſitum conceſſura, adeo ut trajicienda ſuperſit unica membrana tenuiſſima, perforata, ad initium canalis ſeminis & urinæ communis ſita.

Vaſa autem à me modo memorata *Deferentia* & Ejaculantia dicta ſunt, ab iis enim ſemen in Proſtatas,ejaculationis gratia,defertur:notatum etiamnum corrugata illa &flaccida admodum eſſe,imo cavitate ſenſibili deſtituta: Medium tamen illorum ſufficienter ad paulatinum ſeminis influxum poroſum eſſe & pervium perhibent, quod alias male digeſtum è Teſticulis forſan elaberetur, maxime in coitu.

V. In homine deinceps præter *Penem* nihil luſtratione dignum, cujus uſus præcipuus eſt ſemen in muliebrem ſinum, conceptioni dicatum effundere: componunt hunc duo nervi cavernoſi, plurimos ſpiritus, à quibus turgeſcunt, ideo admittentes, eáque ratione frequentem erectionem, ad *συνυσίαν* neceſſariam pariunt: Medius interjacet canalis, *Urethra* dictus, quia eo utitur natura ad urinæ excretionem: aut Canalis communis, quia præterea ſemini exitum concedit. Penis extremum vocant *caput* aut *glandem*, hanc vero integentem cutem, *Præputium*, cujus portio Judæis circumciditur.

VI. Mulier, cum non ſecus ac vir ſeminis ſpeciem quandam,generationi neceſſariam effundat,eodem itidem vaſorum Præparantium numero prædita eſt, iiſdem e locis originem ducentium,in duos Teſticulos deſinentium, virilibus quodam modo ſimiles, at cavitate ventris concluſos, intra duplicaturam quorundam ligamentorum, latorum & membraneorum,quæ ab uteri fundo verſus juxta renes annectuntur.

VII. In iiſdem Ligamentis præterea conſpicua ſunt duo vaſa Ejaculatoria à Teſticulis ſemen acceptum in uteri fundum effundentia, tempore autem graviditatis, in ejus cervicem, mediante illorum quopiam ramo: mulier ſi vacua, pars ultimo dicta (*uterus*) magnitudine & figura prope accedit ad eam caſtaneæ Indicæ ſpeciem ex qua pyxides Tabacariæ concinnantur, at in graviditate maximæ expanſioni habilis eſt, membranea enim, multæque materiæ capax evadit: Inter veſicam & rectum ſitum, pulvinarium vicem illi præſtantium obtinet, adeo ut fundum ejus ventris interiora ſpectet: Introitum vero vagina præbet, prolixum illud ſpatium, in coitu virile membrum admittens: Porro, cum ligamenta dicta (quorum ſuperius memini) prohibeant ne a fœtus onere procumbat, duo etiamnum alia rotunda poſſidet,

det, annulos una cum productione membranæ externæ peritonæi prætereuntia, non ſecus ac in viris vaſa ſpermatica, fibras poſtmodum prorogantia, adeo ut harum quædam imo oſſi pubis adnectantur; alia femorum parti ſuperiori & anteriori, quarum ope aſcenſus verſus ſuperiora prohibetur, adeo ut reſpirationi obeſſe nequeat, aut ventriculi functionibus.

VIII. Ultimo, inter partes mulierum Genitales, conſideranda venit *Vulva*, unicuique in vivente corpore citra diſſectionem obvia: Partem ſuperiorem pilis decoratam vocant *montem Veneris*, laterales partes *Labia*, quæ diducta epiphyſes duas exhibent, Nymphas dictas, eo quod deducendæ urinæ inſervire credantur, ac ne cæteræ partes irriguæ ſint: Has interjacet urethræ foramen, præ exilitate vix conſpicuum: Supra dictum canalem apparet particula productior, *clitoridis* nomine, aut Penis muliebris, eo quod in quibuſdam mulieribus virilis in modum aliquando erigatur, ejuſque levem titilationem ſeminis excretio ſequatur: Tandem intra urethram quatuor aut quinque exiguæ carneæ eminentiæ ſe produnt, Carunculæ dictæ, Vaginæ introitum formantes, quarum ad inviuem adductio invirginibus, atque, mediis quibuſdam membranulis, conjunctio, Virginitatis notam conſtituunt.

Cap. V.

Ad quid utilis conſideratio Anatomica partium imi ventris in Arte Herniarum curatrice.

Perioche.

1. *Imi ventris conformatio.*
2. *Partium contentarum diſpoſitio.*
3. *Diſpoſitiones partium imi ventris e loco emotionem parientes, ad quas Herniæ ſequuntur.*
4. *Partium ſitus.*
5. *Partium imi ventris magnitudo.*
6. *Partium quarundam imi ventris ſtructura.*
7. *Annulorum diſpoſitio, & accidentia ſtrangulationem partium ſequuta.*

I. SI accurate expendatur compendium anatomicum modo allatum, multa eximie obſervanda occurrent Herniarum curationem ſpectantia; Imi ventris conformatio naturalis, non ſolum in notitiam affectuum illius partibus accidentium deducit, inſtituta comparatione cum novis advenientibus formis, ſed etiamnum indicat eaſdem partes diſpoſitionibus ad in-

dividui conſervationem & ſpeciei propagationem neceſſariis præditas eſſe; ac proinde provide, ſummoque ſtudio, quicquid earundem actionem deſtruere, aut uſus earum impedire valet, præcavendum eſſe.

II. Si porro animadvertatur præcipua ventris dicti partes, aut membraneas eſſe, aut conjunctim, aut quamque ſeorſim à Peritonæo operimentum accipere, illas invicem ope iſtius membranæ connecti, ac niſi omnibus ligamenta præbeat, ſaltem illas vincula obtinere, non ſecus ac illud dilatationis ac contractionis capacia, perſpicuum exinde fiet cauſis doloris eas admodum patere, quaſdam ob ſitum depravatum alias in conſortium trahere, ac tandem quicquid eas loco proprio continet, extenſionis ejuſmodi capacem eſſe, quæ ut è loco egrediantur ſufficiat, ſed præterea naturali extenſioni id reſtitui poſſe, ablatis cauſis extenſionis quæ naturæ limites egreſſa eſt, artificioque adhibito in primaria diſpoſitione ad tempus id continendo.

III. Sin anatome partium imi ventris clare nobis oſtendat partes membraneas ultra dimenſionem naturalem produci poſſe, dubitationi locum non concedunt an ſolutioni continui ſint obnoxiæ, quandoquidem craſſitiem omnes adeptæ ſunt, atque ex diverſis fibris conſtructionem, quarum minimæ fragiles ſunt, adeóque cæterarum diviſionis cauſa eſſe queunt; unde iterum deducenda altera cauſa ſitus depravati à me citati: ſed præterea, cum ex numero & magnitudine partium illa cavitate comprehenſarum, conſtet parum aut nihil vacui illic adeſſe, facile quivis hinc colligat ſitus mutationi iſtas, non fore obnoxias, niſi alterutra dictarum cauſarum acceſſerit hinc ideo fieri nequit ut Epiploon, vel Inteſtina infra umbilicum delabantur, niſi membrana peritonæi interna verſus partem ſui mediam diſrumpatur: Eædem porro partes ad Jnguina nunquam deferuntur, niſi ſaltim dilatatio adveniat, Neque ad ſcrotum uſque, niſi diviſa ſit pars ejus inferior, vel annuli eas tranſmittentes majori quam ante circumferentia præditi ſint; non ſecus ac uterus nunquam procidit aut invertitur, quam ubi illius ligamenta lata relaxantur aut abrumpuntur; neque inteſtinum rectum anum egreditur, quin muſculi illius orbicularis fibræ præter modum extendantur.

IV. Nec minimi eſt momenti cognitio ſitus partium imi ventris; exinde enim ſcimus in umbilicalibus Herniis Iejunum inteſtinum prius ſemper procidere; ſolum Rectum foras in ano prominere; non aliud quam Ileum annulos trajicere; Coli præterea partem quæ in dextris eſt, illuc aliquando provolvi; quanquam ex *Riolani* ſententia id infrequens ſit, ac ſolummodo in infantibus: Apparet tandem ſi Coli ligamenta eapropter ſatis dilatari queunt, Cæcum inteſtinum, quod liberius ac ex naturæ lege deorſum magis vergit, eo facilius ad inguina uſque poſſe procumbere; quanquam duplex illa Herniæ ſpecies rariſſime occurrat, attamen non negandum aliquando occurrere; minor tamen adeſt admirationis occaſio quam cum ventriculus ad

ad inferiora devolvitur, à quo idem *Riolanus* novam Herniæ ſpeciem exoriri ſtatuit, quam *Fabrini Hildani* experientia confirmat, qui hanc uſui antimonii ſuccedentem vidiſſe ſe affirmat; At vero non ſemel compertum lienem, renes, aliaſque ſimiles partes, infra naturalem ſedem decubuiſſe, ſive à proprii & nativi ponderis incremento, ſive ligamentorum relaxatione humiditatum redundantium copiam ſequuta.

V. Nec minus utile erit partium, quarum memini, magnitudinem perpendiſſe, ex ea enim e. g. eluceſcet Epiploon inguina aut ſcrotum attingere non poſſe, niſi præter modum increverit, ac proinde tantum abeſſe ut à portionis excedentis reſectione, cum Bubonoceles Chirurgia inſtituitur, periculum impendeat, quin potius operationis neceſſitas quodam modo incumbat, quandoquidem eo pacto corpus ſtatui, naturali proximo, reſtituitur, ac imminimentis mali, cui obviam ire ſatagimus, recurſus præcavetur: Ex eadem animadverſione patet inſignem inteſtinorum portionem fæcibus turgentem, uno impetu annulos prætergredi non poſſe, niſi extraordinariam nacti ſint ii amplitudinem, à frequenti partium, Hernias inguinum & ſcroti parientium decubitus, hoc eſt, niſi fibræ extremitatum muſculorum, dictos annulos conſtituentes, diviſæ fuerint & divulſæ, quoties ejuſmodi partes in deſcenſum paratæ fuerunt, unde & prognoſtici ratio elicienda in his affectibus: aliàs ſi partes à me memoratæ, & materia illis concluſa paulatim devolutæ ſint, eæque numero plures, conjecturæ locus ſit iiſdem annulis anguſtiam naturalem ſervatam fuiſſe, ac proinde arduum, aut forte impoſſibile eſſe, intus in alvum, ſoliuſque manus opera, id quod eos tranſgreſſum fuerit retrudere: paucis, illam ſtrangulationis ſpeciem quæ portioni inteſtini prociduæ acciderit, circa illorum primum aut ſecundum, (quorum inſignis anguſtia) non brevi poſt plurima ſymptomata, eáque funeſta imo ægro moriendi neceſſitatem illaturam eſſe, aut ſaltem Chirurgiæ ſuprà dictæ, citra periculum tamen nunquam inſtituendæ.

VI. Tandem ex quarundam imi ventris partium ſtructura poriſmata quædam non exigui momenti elicere licet; peritonæi enim conformatione in mulieribus animadverſa, quanquam membrana exterior eorum vaſa ſpermatica, & teſtes eodem modo quo in maribus extra eam cavitatem non deducat, colligere tamen eſt eandem integumentum ligamentis rotundis annulos trajiciens præbere, idque ſatis ad inferiora productum, ut Epiploo & Inteſtinis ad vulvæ uſque labia procidendi occaſio ideo concedatur, unde Herniæ ſpecies quam completam vocant emergat: Adde his adnotandum eſſe, ſicut virorum teſtes ad inguina uſque impelli poſſunt, quo loci tumorem rotundum tunc inferunt, ejuſmodi ægritudinem aut vitio conformationis oriri, aut cujuſpiam diſpoſitionis nativitati ſuccedentis, adeo ut ea ignorata, vel non animadverſa, ejuſmodi tumor Herniæ ſuſpicionem infe-

rat, unde intempeſtivus adhibeatur conatus in ventrem repellendi id quod in eo naturaliter concludi non debet.

VII. Licet præterea iis quæ à partium ſtructura dependent, accenſere collocationem earum quæ inguina componunt, ac præſertim annulorum, qui, ſicut adnotatum, è regione ſe mutuo non ſpectant: tanti vero eſt momenti obſervatio obliquitatis ejuſmodi, dum epiploon & inteſtina loco dimota reſtituuntur, ut cum è directo eorum reductio tentatur, potius inter duos muſculos impellantur quam ut ventris cavitatem ſubeant. Denique, ut reddatur ratio delirii, ſpaſmi, ſingultus, vomitus alimentorum, imo fæcum, ſtrangulationi dictæ ſuccedentium, è re eſſe videretur adducere huc conſenſum cerebri cum cæteris partibus, mediis nervis inde oriundis; Inteſtinorum cum ventriculo connexum, atque ultimæ harum partium cum œſophago, At cum hæc ſcopo meo non tam quadrent, quàm curioſa ſint, atque anatomen univerſalem ſpectent, quam aggredi mei non eſt inſtituti, tanquam ſuperflua dimitto, quod vitium declinare annitor.

ARTIS HERNIARVM CVRATRICIS

I. Partis Sectio II.

Continens Definitionem, Cauſas, Differentias, Accidentia, Signa & Prognoſin Herniarum.

Cap. I.

De Herniarum natura in genere.

Perioche.

1. *Cognitio Herniarum in genere.*
2. *Natura Tumorum in Herniis apparentium in genere.*
3. *Natura Tumorum in Herniis apparentium in ſpecie.*
4. *Nomina Herniis impoſita.*
5. *Uſus nominum Herniis inditorum, & aliæ quædam voces.*
6. *Uſus nominis Herniis ab Authore aſſignati.*

1. Aggreſſus tractationem ægritudinum, partibus quibuſdam imi ventris è ſitu naturali egreſſis advenientium, ut rite ea ſuccedat operæ pretium

pretium duxi prius conſtituere morbi genus ad quod reduci debent: Generalis hæc notio non ad naturæ earum comprehenſionem ſolum utilis erit, ſed & ad diſcretionem à pluribus aliis affectibus,quos plurimi authores perperam ſub iiſdem nominibus involvunt. At vero cum partes à me recenſitæ è ſtatione dimoveri nequeant quin cutem inveſtientem locum, quem recens occupaverunt,in tumorem efferant, aut ſaltem quin eædem exterius ſe prodant, nulli dubium ejuſmodi effectum Tumoris nomini generico accenſendum eſſe.

Porro quamvis cauſam agnoſcat motum & ſitum partis integrantis, certum tamen illum extra naturæ legem eſſe, ideóque ad Tumores, Naturales dictos, referendum non eſſe; inter quos enumerantur naſus, mammæ, aliæq; partes à natura intra uterum poſt conceptionem effictæ, quæ extra corporis ſuperficiem planam eminent.

II. At vero cum inter Tumores naturales & Præter naturam, ab authoribus medium genus ſtatutum ſit, Non naturalium ab ipſis dictorum, è re erit hic loci perpendiſſe ad quam duarum poſtremarum harum ſpecierum Tumores à me recenſiti pertineant.

Revera aliquis videtur dubitationi locus, ſi enim ii quibus accidunt ideo eouſque lædantur ut morbo affecti videantur, vice verſa hoc reponi poteſt mulieres gravidas ab impragnatione forte gravius ſe habere, quæ tamē inter tumores non naturales tantum reponenda videtur; Neq; potiori jure dixeris illam contra naturam non eſſe, quia tunc tēporis infans tanquam pars matris cenſendus ſit, communi cum cæteris vita fruens, quam ſi aſſeras has tantummodo non naturales vocandas eſſe, quod ortum ducant à partibus cæteris connexis, communi cum toto alimento fruentibus: At vero ſi quis ſententiam meam expoſcat, videntur mihi entia citra neceſſitatem multiplicari, cum Tumores non naturales conſtituuntur: nam graviditas,exempli gratia, Tumor vere naturalis dicitur, quandoquidem leges & naturæ ſtatuta conſequitur: ideóque viceverſa inferendum Tumores, ex mea ſententia, omnino contra naturam eſſe, eo quod corpori diſpoſitionem, qua ex naturæ decreto carere debet,inducant, quam ſequatur depravatio, imo quandoque functionum ſpontanearum integra abolitio.

III. Cæterum, cum generica Tumorum contra naturam diſtinctio fiat, in eos quos parit fluxio, aut humorum collectio in quapiam parte, & in eos quos efficit ſitus partium depravatus; poſtremi hi ſubdiviſionem iterum pati queunt, diviſione facta in eos quos gignunt partes duræ, cujuſmodi ſunt à luxationibus inducti, ab eminentibus oſſibus, cavitates naturales egreſſis, & in eos qui à partibus mollibus oriuntur, ſive in capite, ut cum lingua intumeſcit & extra os prominet; ſive in abdomine, ut quos gignit Omentum, Uterus & Inteſtina loco excidentia.

His ſuppoſitis, meo judicio, notio definita, ſatiſque dilucida exhibebitur eorum quos modo adduxi, ſi hanc tradidero Definitionem, quod nempe ſint *Tumores contra naturam, producti à quarundam partium membranearum imi ventris ſitu depravato.* Nec dubium quin rationi conſonum ſit eos ſub eadem categoria collocare, quandoquidem ex allata diviſione conſtat illos ejuſdem eſſe naturæ, ac poſtmodum ex dicendis conſpicuum futurum ſit eadem operationis ſpecie ſingulos ſemper loco reſtitui.

IV. At quanquam hos Tumores à cæteris ſatis accurate dirimat definitio jam à me tradita, optandum tamen ut aſſignetur nomen omnibus commune, ad genericam eorum tractationem: Cæterum, cum eo modo conſiderati ab authoribus non fuerint, factum eſt ut ſimpliciter *Relaxationis* aut *Deſcenſus* nomine donaverint egreſſa aut procidua Rectum inteſtinum & vterum; *Exomphali*, dictionis Græcæ, in genere protuberantiæ in umbilico aſſignarint, ob exitum omenti aut inteſtinorum, Tandem tumores inguinibus aut ſcroto accidentes, ob deſcenſum partium modo dictarum, apud Græcos κήλης nomen commnne obtinuerint; juxta Latinos Herniæ & Ramicis, apud Gallos *d'Hernie* ou *Hargne*.

Si etymologia harum poſtremarum dictionum inquiritur, perſpicuum erit ab omnibus indicari rem moleſtam & gravem, ac proinde tumoribus à me recenſitis inditas fuiſſe, aut quia gravius ferantur, aut quod iis affecti aliis graves ſint & moleſti.

V. Herniæ vocem quod ſpectat, videntur mihi Galli alio quam decet detorſiſſe, nam etſi apud omnes in confeſſo ſit id nominis tantummodo jure tribuendum Tumoribus, ob partium imo ventre incluſarum ſitum immutatum, de ſede ipſis à natura aſſignata deturbatarum, alibi collocandarum; genericum tamen illis nomen aſſignant, ſub quo, quaſi ſpecies varias, reponunt Tumores Humorales, Pneumaticos, Aqueos, Carneos, & Varicoſos, ſcroto accidentes, quanquam revera multo minus conveniant cum tumoribus, quos proprie Herniæ nomine donant, quam exomphalos ac ſedis aut uteri relaxationes vel deſcenſus.

Verum quidem veras Hernias à tumoribus prædictis videri diſtinguendas, ob uſitatam & familiarem *Deſcenſus* notionem, meo tamen judicio illis non quadrat quas adducturus ſum; nam præterquam quod aptius deſignat ejuſmodi ægritudinum cauſam proximam quam effectum inde productum, præterea umbilici prominentiam ſub ſe complectitur, in qua partes eam inducentes extuberare potius quam deſcendere videntur: Crepaturæ voces Rupturæ, Vexaturæ, *Vigoni*, *Guidoñi*, *Paréo* aliiſque authoribus familiares, nomina ſunt non modo ſignificationis minus amplæ quam Deſcenſus, ſed æquè abſona ac parum uſitata.

VI. Nulla alia ergo ſupereſt via, qua iis ſatisfiat qui nomina rebus volunt

lunt

lunt eſſe conſona, quam ut vox quæpiam nova effingatur; at quia non is ſum qui tantum mihi arrogem, concedat ſaltem mihi Lector ut *Herniæ* dictio à me uſurpetur ad deſignandas in genere diſpoſitiones à me examinandas; illud inſimul in memoriam revocari rogans, alios me priores ſignificatione paulo ampliore donaſſe quam quæ uſitata eſt; quandoquidem *Riolanus*, cum ab inteſtino umbilicus impulſus eminet, ejuſmodi vitium vocari ait Herniam umbilicalem, id quod quoque *Fabritius* ab *Aquapendente* refert ex authoritate *Avicennæ*; *Guido* vocat *Herniam* ventris. Sin fides *Michaëli Longo*, commentario in decimum Hippocratis aphoriſmum, ſectionis ſeptimæ, etiam ſub nomine Herniæ collocanda erit paſſio Iliaca, à quibuſdam *Miſerere mei* dicta, multis enim conſentiens exiſtimat in dicto morbo nodum quaſi quendam Ileo inteſtino accidere, à quo quodammodo loco dimoveatur: etſi veriſimilius, ad *Riolani* mentem, dolores ejuſmodi affectionis comites, potius ab inflammatione illius partis pendeant, ægritudinis tantum internæ parente, cujus cura Medicis ſolum demandanda eſt.

Capvt II.

De cauſis Herniarum.

Perioche.

1. *Diviſio generica cauſarum Herniarum.*
2. *Cauſæ Herniarum primitivæ.*
3. *Cauſæ Herniarum conjunctæ.*
4. *Examen cauſarum primitivarum.*
5. *Examen cauſarum conjunctarum.*

I. QUi Tumorum contra naturam examen aggreſſi ſunt, de Herniis tam varia, tam confuſa emiſerunt, ut ab evolutis omnibus illorum operibus, nihil niſi incompletam & mancam conſequuturus ſis earum notitiam. Omiſſa enim eas colligendi cura, atque ab invicem cunctas per inquiſitiones & accuratas diſtinctiones ſecernendi diligentia, omnibus non alia cura fuit quam earum quaſdam in medium adducere; adeo ut nonnullæ à quibuſdam traditæ extent; ab aliis omnino omiſſæ, imo quædam ex præcipuis omnino ſilentio involutæ fuerint. Si tamen ab iis fuiſſet animadverſum, ſimiles cauſas alio non poſſe referri quam ad ea unde ejuſmodi affectus p. n. originem ducere poſſunt, aut ad ea à quibus fomentum habituræ ſunt, ſi poſtmodum animum ad omnia illa, quæ in productionem duorum illorum effectuum concurrere valent appuliſſent, proculdubio id beneficii ab iis emerſiſſet, ut circa hanc materiam in librorum dictorum authorum lectione nihil quicquam deſiderare potuiſſent Lectores.

II. Revera decuiſſet illos, exempli gratia, cauſas Herniarum productrices ſubdividere, in eas quibus vis relaxandi & dilatandi imi ventris partes membraneas, Et in eas quæ illis unionis divortium afferre valent, atque abrumpere: Ab illis deinceps oſtendendum fuiſſet priores in genere originem ducere à prava corporis conſtitutione, hoc eſt, vel à redundantia aqueorum & viſcidorum humorum, à quibus humectari, lubricæ reddi, ac proinde plus juſto & contra naturæ leges relaxari poſſunt eædem partes, vel à nimia repletione, inducta ab adipe ſuperfluo, hydrope, graviditate, ac flatuum congerie, per quorum efficaciam inſolitam extenſionem pati queunt.

Deinceps quoque manifeſtum facere potuiſſent poſtremas cauſas aſſignandas eſſe conatibus, violentis in lucta motibus, choreæ, coitui effrænato, equitationi citatiori, torturæ, onerum graviorum geſtationi, exercitiis athleticis, equeſtribus, extraordinariæ ſepti tranſverſi concuſſioni, imi ventris partes immodice impellenti & comprimenti, quæ in ſaltu contingit, curſu, cantu, contentione vocis, ſternutatione, vociferatione, tubæ & lituum inflatione, fœcum induratarum & duriorum ad inferiora per vim detruſione, tibiæ decumanæ cantu impetuoſiore; præterea partu mulierum violento, cum fœtum concitatius expellunt.

III. Cæterum præter aſſignatas à me cauſas, quæ Herniarum productrices ſtatuuntur, quia revera ab iis ſemper ejuſmodi ægritudines inducuntur id quoque memorandum eaſdem morbum factum fovere niſi ſedulo arceantur: interim, quandoquidem hoc morbo detenti nihilominus utcunque habent, etiam abſentibus memoratis omnibus cauſis, niſi quod à loco ſeceſſit reſtituendi cura accedat, aut conſtringendi & coarctandi id quod expanſum & diviſum eſt, recte cum *Hieronymo Fabritio ob Aquapendente* ſentire videbor, ſi dixerim cauſas conjunctas præcipue illas agnoſcere, partium diſpoſitionem extraordinariam, cum ſede dimoventur, Eas præterea quæ dimotionem ejuſmodi pariunt.

IV. Et hoc obiter adnotaſſe non inutile fuerit, cauſarum ejuſmodi primitivarum conſiderationem inutilem eſſe ad judicium ferendum de Herniarum eſſentia in genere, aut particulariter de unaquaque ſpecie, indefinite quippe ſemper agunt; eâque ratione alias etiamnum inducere affectus idoneæ ſunt, una cum ſupradictis; non ſecus ac ex harum numero quædam æque unam ac aliam inducere queunt, prout validius aut remiſſus agunt, aut præterea juxta varias partium recipientium diſpoſitiones.

V. Ex his eluceſcit maxime incumbendum in cauſarum conjunctarum à me dictarum cognitionem; At vero cum ex earum diverſitate Herniarum differentiæ conſtituantur, earum deſcriptionem in caput ſequens relaturus ſum, in quo omnes earum ſpecies ſeorſim & diſtinctim, idque quam accuratiſſime tradendæ ſunt: Interim, quo generice de iis agatur, eas liceat conſtituere

ſtituere vel in ſitu depravato partium Hernias efficientium, vel in dilatatione & ruptione earum à quibus dependent: At vero cum ægritudines quibus obnoxiæ ſunt humani corporis partes, non certiori via in notitiam veniant, quam ex inſtituta comparatione cum earum naturali conſtitutione, exinde eluceſcit neceſſitas cognitionis in anteceſſum anatomes prima ſectione hujus libri propoſitæ.

Caput III.

Diviſio Herniarum generica, Et ſingulares ſpecierum earum differentiæ.

Perioche.

1. *Differentiæ Herniarum in genere.*
2. *Differentiæ à ſitu mutato ortæ.*
3. *Herniæ veræ & completæ quibus mulieres abnoxiæ.*
4. *Differentiæ ex magnitudine aucta productæ.*
5. *Differentiæ ex ſolutione continui deſumptæ.*
6. *Differentiæ ex nominibus partium depromptæ.*

I. SIcut variæ ſunt cauſæ primitivæ à me præcedente capite deſignatæ, imus autem venter diverſis & variis conſtat partibus, in quas ad Herniarum conſtitutionem agere poſſunt, ita manifeſtum eſt in unoquoque ſingulari ſubjecto varias ſpecies exoriri poſſe; illas vero ſpecies diſtingui debere ex diverſis quas corpori humano inducunt immutationibus, adeo ut perfectam notitiam ejuſmodi morborum nullus ſibi comparare queat, niſi in genere & in ſpecie perpendat quibuſnam extraordinariis diſpoſitionibus obnoxiæ eſſe queant partes à me nominatæ.

Interea quo accurate illi neceſſitati ſatisfiat, vix neceſſarium eſſe arbitror huc adducere omnes & varias conſiderationes, quibus in diſtinguendis Herniis authores uſi fuere, quandoquidem alibi jam à me indicatum id nominis eos indidiſſe tumoribus de quibus hic loci non agendum; neque tamen complexi ſunt varios affectus præter naturam ad inſtitutum meum pertinentes: Ideóque prætermiſſis diviſionibus ab ipſis traditis, rationi magis conſonum eſſe credidero ſi dixerim earum differentia ortum ſpræſertim ducere, vel à ſitu mutato epiploi, inteſtinorum, ac uteri; Vel à magnitudine aucta peritonæi, tegumentorum, annulorum, fibrarum muſculi ſphincteris ani, ac ligamentorum craſſorum inteſtinorum & uteri: Vel à ſolutione continui membranæ internæ, ac elongatione ejuſdem peritonæi.

II. Sicut autem Procidentia uteri & recti inteſtini ſub Herniæ voce hoc

non alio nomine continetur, quam quia affectus præter naturam inducit, quibus magna analogia intercedit cum iis quos ſcriptores eo nomine inſignivit, me iudice Differentiæ ex ſitu mutato deducendæ primo diſtingui debent, ratione habita partium loco motarum, in Veras, quas parit Epiploi & gracilium Inteſtinorum ſitus mutatus, Et in Analogicas, exempli cauſa, quas inducit ſitus extraordinarius partium ſuperius adductarum; Ac demum ratione loci quem præter naturam occupant, in Completas, cujuſmodi ſunt quæ contingunt cum Epiploon & Inteſtinum ad ſcrotum uſque in maribus delabuntur, vel in labia pudendorum muliebrium, vel iterum cum Uterus omnino invertitur extráque vulvam procidit; vel in Incompletas, tunc contingentes cum prædictæ partes Inguina non prætergrediuntur, vel ubi penultima hæc adhuc intra vaginam latitat.

III. Mirabitur forte quiſpiam circa id quod ſupra adduxi, epiploon & inteſtinum ad labia uſque pudendorum muliebrium quandoque procumbere poſſe, quandoquidem unanimi conſenſu ſcriptores omnes, tum veteres tum neoterici, tradunt mulieres Herniæ veræ & completæ nunquam eſſe obnoxias, quia ſcilicet careant productione peritonæi, in viris vaſa ſpermatica involvente; Sed præterquam quod de poſſibilitate eventus abunde conſtabit, ſi animadvertamus uteri rotunda ligamenta ex hypogaſtrio prodire, ad femora uſque deducta, integumentum præterea obtinere ab ephyſi ejuſdem peritonæi, quæ diviſionem pati poteſt, Experientia rerum magiſtra hanc rem me edocuit in recens puerpera, cui inteſtinum in labium ſiniſtrum delapſum reſtitui, in quo tumorem pugno non minorem produxerat.

IV. Quoad differentias à magnitudine aucta partium à me ante dictarum ſubortas, utiles ſunt ad inſtituendam diſtinctionem verarum Herniarum, in Parvas & Magnas, in Fixas & Mobiles, In Sublimes & Imas, In Longas & Rotundas, ac tandem in ſubito Exortas & tarde Erumpentes; Omnes enim prædictæ ſpecies in eo tantum quod magis & minus eſt diſcrepant, pro majori aut minori dictarum partium dilatatione, ſive in umbilico contingant, ſive Inguinibus aut alibi: Iuxta eandem regulam iterum diſtinctionem eæ admittere poſſunt quas vocavi Analogicas, ſpeciatim quæ ab uteri diſlocatione dependent, in Deſcenſum aut Procidentiam, cujuſmodi ſunt quæ tunc contingunt cum tantummodo ejus orificium internum in exteriori ſe prodit; ac in Inverſionem aut Præcipitationem, quales ſunt ſi vagina aut uterus ipſe omnino procidit, exterius inverſus apparens: Paucis, ſicut partes, quarum elocatio Herniam párit, aliquando validius, aliquando debilius impellunt, aut ſecum eas quarum (ambobus prædictis modis) augere poſſunt magnitudinem, abſtrahunt, manifeſtum hinc eſt eo inſignem numerum differentiarum augmenti, cui obnoxiæ hæ partes, emergere poſſe,

ſe, ut nequaquam omnes accurate deſcribere poſſibile ſit.

V. Cæterum, ratione differentiarum quas continui divortium inducere poteſt, deducuntur eæ à partibus quibus fibrarum diviſio inducta eſt: ſic Herniæ ab Epiploi vel gracilium Inteſtinorum in ſcrotum uſque decubitu ortæ, ac proinde quæ ſemper peritonæi diſruptionem ſupponunt, contingere poſſunt aut à ſimplici diviſione alterutrius membranarum illius, vel etiamnum utriuſque ſimul: Demum, quas vocavi Analogicas, eæ necnon oriri poſſunt vel abſque vel accedente ruptione ligamentorum latorum uteri, muſculi orbicularis ani, vel partis inferioris & mediæ vulvæ labiorum. id quod familiare eſt mulieribus macilentis & extenuatis cum pariunt, ſi craſſiores infantes geſtaverint.

VI. Præter principales has differentias, deducuntur & quædam aliæ à nomine partium in quibus exoriuntur, aut per quas contingunt Herniæ, nam, exempli gratia, quæ in umbilico accidunt ea de cauſa Vmbilicalium nomen obtinuerunt, aut Exomphali, non ſecus ac Bubonoceles nomen impoſitum cum quodpiam inteſtinum, & aliquando Omentum in inguine una ſtrangulantur modo à me enuntiato, adeo ut intra obdominis cavitatem retrudi nequeant, nec etiamnum in ſcrotum uſque devolvi: Obiter vero propterea adnotetur me cum ratione dixiſſe hanc nomen à parte quam occupavit deſumpſiſſe, quandoquidem Latini Bubones vocant quos nos Inguina, eâque ipſa de cauſa Bubonis nomen à nobis uſurpari, deſignaturis tumores ſuppurationis capaces, ibi locorum enaſcentes: Ac tandem aliquid pronuntiaturus de partibus ægritudines ejuſmodi inducentibus, Enterocelæ dicuntur quas parit Inteſtini prolapſus; Epiplocelæ, quas Epiploi, ac tandem Enteroepiplocelæ, quæ exoriuntur cum utræque hæ partes conjunctim elabuntur.

CAP. IV.

De Accidentibus aliiſque Signis per quæ Herniæ dignoſci queunt.

Perioche.

1. *Neceſſitas tradendi ſigna Herniarum.*
2. *Signa Herniarum communia.*
3. *Signa particularia Exomphali.*
4. *Signa particularia Bubonoceles.*
5. *Signa particularia Enteroceles, Epiploceles, & Enteropiploceles.*
6. *De ſignis particularibus Herniarum Analogice dictarum.*

I. NIſi aliis affectibus p. n. partes Herniis occupari ſolitæ obnoxiæ eſſent, ſuperfluum foret hic inquirere quorum ſignorum beneficio

ejuſmodi pravæ partium conſtitutiones à cæteris diſtingui valeant; cognita quippe diſpoſitione corporis nativa, ſatis eſſet obſervaſſe quibus in locis ac quomodo immutata fuerit, ad generale & particulare judicium ſimul ferendum; at verò cùm nulla non pene ægritudine dictæ partes affici queant, imo ſæpe in iis tumores, Herniis affinitate quadam conjuncti, exoriantur, verendum eſſet ne hac in re plurimi deciperentur, niſi hic peculiares characteres à me adducerentur.

II. Signum autem genericum à me Herniis imponendum, eſt incrementum quantitatis cujuſdam ſpatii imi ventris, à quo tumor mollis formatur, plus aut minus magnus prout portio partis à qua inducitur, magis aut minus extuberat, at vero magis anhelitu cohibito extenditur, aut cum viſcera à tuſſi, ſaltibus, aliiſve motibus inſolitis violenter concutiuntur.

Facilitas repreſſionis tumoris, aut ſaltem mutationis loci quem obſidet, impellendo manu partem ſede emotam verſus eam quam deſervit, indicium quoq; non minus commune eſt quam præcedens cunctis Herniarum ſpeciebus, at non omni tempore, cum enim paulatim annulos, non admodum dilatatos, tranſgreſſa erit portio inteſtini inſignis, aut flatibus tumida, vel fæcibus, aliiſve rebus, ſæpius reductionis conatus irritus eſt, niſi interveniente operatione, à me alibi proponenda, neceſſario etiam in uſum ducenda ſi inteſtinum excoriationem paſſum fuerit à duriori contrectatione, quamobrem partibus proximis adhæſerit.

III. Poſt tradita ſigna hæc generalia cuique Herniæ ſpeciei, particularia quoque à me recenſenda ſunt: poſteriora hæc partim ſunt ſymptomata, conſtitutiones ejuſmodi concomitantia, partim circumſtantiæ quædam illarum quaſi aſſeclæ neceſſariæ: Ita duæ res ſibi invicem oppoſitæ ſpeciatim indigitant eam ſpeciem quam Exomphalon vocavi, ſcilicet ſumma facilitas reducendi partes à quibus inducitur, ac demum ſumma difficultas reductas continendi: cujus eventus ratio inde quærenda eſt, quod epiploon & inteſtina ſedem naturalem deſerere nequeunt ad elevandum umbilicum, niſi una aut utraque membrana peritonæi diſrupta ſit: cum porro ſat tenues ſint ut abſque negotio dividi poſſit ſecundum fibrarum longitudinem, partes loco motæ, cum cavitatem propriam egrediuntur eas adeo expandunt, ut rupturæ inſignes fiant, ideóque facillimum egreſſum illis concedant.

IV. Signa particularia ejus quam vocavi Bubonocelen, tum viris tum mulieribus, vti omnibus notum, æque communis, ſunt dolor, & regreſſus ejus quod elapſum eſt in alvum impoſſibilitas, cui accedit mollities & tumoris inſtabilitas: Priora inde deducenda ſunt, quod in corporibus ſiccioribus annuli difficulter dilatantur; in aliis aliquando inflammatio excitatur: Poſteriora aſſignanda ſunt, inteſtini & omenti, à quibus ſpecies iſta tumoris induci poteſt, molitiei; partium enim mollium catalogo accenſenda

ſunt,

ſunt, nec prætcrea adhæreſcunt partibus quas tunc temporis contingunt.

V. Sive Enterocele Sive Epiplocele, ſive ex utraque combinata Entero-epiplocele, excitentur in ſcroto virili, in vulvæ mulierum labiis, vel in inguinibus utriuſque ſexus, mollities & inſtabilitas tumoris illis itidem eademque de cauſa ſigna communia ſunt; non ſecus ac Bubonocelæ; ipſis nihilominus ſingularia ſunt, per quæ diſtinguuntur ab aliis tumoribus dictis partibus accidentibus, quia revera alia non dantur, ſi ſaltem adjunxeris facilitatem evaneſcentiæ; quæ, majoris aut minoris habita ratione, inſervit præterea diſtinctioni ab invicem priorum duarum ſpecierum à me modo dictarum, cuilibet enim notum Epiploo exiguam eſſe in motum inclinationem, ac proinde id difficilius quam inteſtinum loco reſtitui, quod uno impetu cavitatem ſubingredi poteſt, qua de cauſa murmur ſuboritur, Enterocelen ſpecialius deſignans.

VI. Quo ad uteri deſcenſum, dubitationi locus non eſt cum digito Vaginæ introitui indito ulterior in penitiora ingreſſus negatur; notum enim vaginam dictam ex naturæ inſtituto in coitu virile membrum admittere debere, quo pacto facile cognitu eſt uterum procidiſſe & eſſe inverſum cum extra vulvam intra ægrotantis femora propendet, moli carneæ rotundæ ſimilis: His tamen ſignis addere eſt ſeri cujuſdam cruenti effluxum, (quem inde oriri arbitror quod pori membranarum & vaſorum uteri plus ſolito tunc ſint hiantes) lumborum præterea & femorum dolores, quos inducit ligamentorum latorum & rotundorum extenſio.

Tandem ſi Rectum inteſtinum procidit, exterius in ano ſemper ceſticilli formam producit, mollis & rugoſi, ægritudinis ejuſmodi clarum indicium.

Cap. V.

Herniarum Signa Prognoſtica.

Perioche.

1. *Prognoſticum Herniarum in genere.*
2. *Prognoſticum ſpeciale Exomphali.*
3. *Prognoſticum Herniarum Inguinum, ſcroti & labiorum vulvæ in genere.*
4. *Prognoſticum Bubonoceles.*
5. *De parvitate Herniarum.*
6. *De magnitudine Herniarum.*
7. *De mediocritate Herniarum.*

8. *Prognoſis deſcenſus & procidentiæ Vteri.*
9. *Prognoſis procidentiæ Recti inteſtini.*

I. IUdicium de Herniis non in cognitione ſola ſitum eſt, ac ſpecierum diſtinctione, neceſſe præterea eſt Chirurgum perpendere earundem ſtatum, quo definite illi compertum ſit quæ inde pericula immineant, nam præterquam quod ejuſmodi conſideratio utilis eſt ad rectam conſtitutionem temporis & modi curandi, id præterea commodi accedit ut melius ægris ſatisfiat, quibus ſæpe minus curæ eſt proprii morbi cognitio quam eventus illius.

Si autem id perpendat Herniarum eſſentiam in ſitu depravato quarundam partium membranearum imi ventris ſitam eſſe, Ex earum partium numero quaſdam reperiri, quarum ſubſidium nutritioni omnino neceſſarium ſit, alias generationis operi abſolute neceſſarias eſſe, vitiatam utrarumque conſtitutionem earum functiones interrumpere natam eſſe, Vim tandem ab illis partibus illatam in quas præter naturam irrumpunt, plurima eaque adeo moleſta ſymptomata inferre, ut ex iis quædam lethalia habeantur, firmo innixus fundamento tis Herniis affectos commonefacturus eſt maximas imminere ægritudines, imo & ipſam mortem præ foribus eſſe quamdiu illis obſeſſi fuerint.

II. Prognoſin ſpecialem quod attinet, variat illa pro varietate Herniarum ſpecierum, etſi generice loquendo dicere liceat eam collocandam eſſe in præſagio accidentium conſequi natorum, vel in judicio ferendo de curationis eventu: In exemplum prodeat Exomphalos, ſi tantummodo reſpectus habeatur eorum quæ eum conſequi ſolent, manifeſtum facere licet in ejuſmodi affectu, imo ventre redundante humoribus, hos facilem nanciſci viam qua ſub umbilicum deferantur, ubi congeſtione facta ſubinde abſceſſum pariunt, quem abſque periculo aperire non liceat, eo quod partes è ſede naturali deturbatæ, ut plurimum ſubſequantur motum materiæ inde educendæ.

Sin poſtmodum tranſitus fiat ad conſiderationem ſtatus, in quo ejuſmodi vitioſa conſtitutio verſatur quando ejus curatio ſuſcipitur, facilitas hujus eluceſcet ſi exigua fuerit, difficultas ſi mediocris magnitudinis, impoſſibilitas autem ſi maxima.

Vtile necnon erit ſitum Tumoris perpendiſſe, ſi enim umbilicus medium definite obtineat, illud pro comperto habendum ſolam peritonæi membranam internam diſruptam eſſe, externam autem tantummodo expanſam, ideóque celeriorem & faciliorem ſanationem ſperabilem eſſe.

III. Quoad Hernias in Inguinibus enaſcentes & in Scroto, *Guido de Cauliaco* ait eos qui his conflictantur vitæ periculum quodammodo incurrere,

rere,eo quod fæces una cum inteſtino procumbere queant; eas poſtmodum indurari poſſe in ea portione quæ tumorem conſtituit, eáque propter impediri poſſe reductionem: Idem itidem judicium ex conſequenti ferre licet de iis quæ labiis vulvæ accidunt in mulieribus: Inſufficiens autem eſt ejuſmodi remedium univerſalius, ſi enim earum unaquæque ſpeciatim conſideretur, habitóque inde exſurgentium effectuum reſpectu, tum initio tum in progreſſu, multæ occurrent circumſtantiæ à quibus emittendum judicium neceſſario variationem accepturum eſt.

IV. Sin, exempli gratia, conſideratum fuerit in ea Herniæ ſpecie, quam Bubonocelen vocavi, inteſtini portionem quæ annulos aliquot, aut omnes trajecit, flatibus tumidam eſſe, vel humoribus, vel fæcibus; Eam quæ dictis annulis ſubdita eſt (illi nominatim quem eſtingit muſculus oblique deſcendens) admodum comprimi, ab ejus circumferentia, valde ſemper exili, ac proinde ægros eo intenſiori premi dolore quo inteſtina acriori ſenſu ſunt prædita, in conſpicuo eſt reductionis difficultatem inde arguendam eſſe, quæ rariſſime citra integumentorum Inciſionem adminiſtratur, ejuſdemque ſuſcipiendæ neceſſitatem in præcipiti eſſe, ob inflammationem & gangrænam imminentes, ſtrangulationis illius indivulſas comites, ac lethi prænuntias, quod tam frequenter contingit, ut nonniſi accurata adhibita diligentia id præcavere liceat; plerumque enim minori quam nycthimeri ſpatio ſubſequi animadvertitur.

Hippocrates aphoriſmo decimo, ſectionis ſeptimæ, ait vomitum, ſingultum, delirium & ſpaſmum ſymptomata eſſe miſerum illum ſtatum à putredine inductum conſequentia, ac proinde pro totidem ſignis illum indicantibus accipienda: Quicquid vero ex ejuſmodi notitia beneficii accedit, eo pertinet ut prævideatur ægri inevitabilis interitus, Si enim malum faſtigium attigerit, id pro explorato habendum quicquid auxilii ex Chirurgia expectaveris, inutile & irritum futurum.

V. Exinde colligas, quo tumores in inguinibus exorientes minores fuerint, eo periculi magis imminere; Cum vero certum ſit illos majores futuros fuiſſe ſi ruptio & dilatatio annulorum ampliores extitiſſent, eo curatu faciliores ſunt quo præſens illa partium conſtitutio ad eam magis accedit quæ illis naturaliter ineſſe debet, ſi præſertim matura & cita adhibeatur manus, in præcautionem ſymptomatum ſuperius à me deſignatorum.

VI. Ubi ruptio peritonæi & annulorum dilatatio inteſtinis liberiorem concedunt tranſitum, magna Ilei portio ad ſcrorum uſque properat, in quo quandoque tumorem caput humanum magnitudine æquantem procreat: Ejuſmodi Herniæ ſpecies ſtrangulationi obnoxia non eſt, neque accidentibus eam conſequi ſolitis, nulla enim ſubeſt difficultas in reductione partium eam committentium; imo reſtitutione omiſſa materiæ in portione inteſtini

decidua cohibitæ regreſſus æque facilis patet ac liber fuit in eam ingreſſus: at ſi una ex parte viæ amplitudo, quam pertranſit pars à me nominata, ægritudinem illam tolerabilem efficit, ex altera inſigne curationi præbet impedimentum, neque eam conſequi aliter quam in uſum revocando Chirurgicam operationem, deinceps à me indicandam, conceſſum eſt; etſi poſſit illa omitti ope Subligaculi, tota vita nunquam omittendi.

VII. Sicut in cæteris omnibus Herniæ ſpeciebus, ex earum genere quas modo recenſui, ægri ſæpiſſime ad repulſionem in abdomen epiploi aut inteſtini illapſorum compelluntur, quo facilior contingat craſſiorum excrementorum excretio, & ut ſubleventur onere ipſis moleſto, Inde colligere licet non modo viam, quam pertranſeunt dictæ partes in deſcenſu, eo ampliorem evadere quo magis affectuum illorum curatio procraſtinata fuerit, ſed præterea inſignem fæcum copiam uno impetu, una cum parte inteſtini è ſede depulſa, illabi poſſe, ac proinde accidentia, ſuperius à me jam recenſita inducere. Porro ſi immunitas ab ejuſmodi accidentibus accedat, ſanationem omiſſa inciſione polliceri conceditur, mediantibus præſidiis deinceps declarandis, ac præterea de curationis facilitate judicium ferre, pro tumoris magnitudine aut exilitate: tumor enim parvo circumſcriptus ſpatio certiſſime innuit exiguam eſſe dilatationem aut diviſionem peritonæi.

VIII. Cæterum quoad prognoſticum Herniarum analogice dictarum, pronuntiare licet Deſcenſus & Præcipitationes uteri, in primo exortu, atque in junioribus mulierculis, curationem admittere; inveteratas autem, aut in annoſis; aut præterea ſi à paralyſi vel ruptione ligamentorum latorum (cujus indicium eſt partis dictæ ſubita à repoſitione procidentia) palliativa tantum cura eſſe medicandas: adde quod, ſpeciatim in Procidentia vteri, ſi diutius extra vulvam propendeat, ab ambiente aëre hunc affici videamus, ab excrementis inquinari, atque à femorum occurſu conteri & contundi, adeo ut gangræna non raro ſuccedat, quæ celeri greſſu cæteris partibus interioribus infertur, hinc cita mors ægris obveniat.

IX. Recti inteſtini tandem deſcenſus haud arduam curationem admittit, undecunq; originem habuerit, dummodo inchoanti affectui medela adhibeatur: Sin ob ægri negligentiam ægritudo hæc habitum contraxerit, vix ſanatio ſperanda, ac præter incommodum ex fæcum molliorum jnvoluntaria excretione metuendum, atque impedimentum ex craſſiorum cohibitione productum, contingit plerumque, in pertinacia affectus, chylum in inteſtinis moram non trahere quamdiu neceſſe eſt ad utilis alimenti ſeparationem., unde vitæ filium præpropere acciditur.

ARTIS
HERNIARVM CVRATRICIS
Partis II. Sectio I.

In qua modi partes è ſede egreſſas reſtituendi adducuntur.

Capvt I.

Media per quæ imo ventri redditur amiſſa naturalis diſpoſitio, ob partium illius è ſede egreſſum in genere, Et in ſpecie Reductio ordinaria earum quæ pariunt Enterocelen, Epiplocelen & Entero-epiplocelen.

Perioche.

1. *Vtilitas, rerum ſecunda hac parte deſcribendarum.*
2. *Reductio Epiploi & Inteſtini abſque inciſione in genere.*
3. *De Taxi ſpeciatim.*
4. *Difficultates quoad operationem Taxim dictam occurrentes.*
5. *Modus fæces reductioni inteſtini obſtantes introrſum repellendi.*
6. *Præſidia inflammationem, partium prociduarum reſtitutionem impedientem, arcentia.*

I. QUæ præcedentibus duabus ſectionibus adducta ſunt, non ſolum deducunt in cognitionem naturæ Herniarum, ſed neceſſitatem præterea medelam iis afferendi patefaciunt etiam ſed num utile ſit illas ab invicem ſejungere, vel etiam ab aliis morbis cum quibus affinitate quadam conjunctæ ſunt. Inde innoteſcit multo ſatius eſſe ſcire qua arte opitulandum iis qui eiuſmodi affectibus obſidentur, adeo ut potiſſima artis horum affectuum curatricis pars ea ſit quæ mihi deſcribenda ſupereſt, rationes eas ſuperandi comprehenſura, imo ventri priſtinam conſtitutionem reſtituendo. Cum porro media hæc, quoad genus, dividenda ſint in ea quæ uſurpari debent ad partes è ſede naturali expulſas in priorem ſtatum, ac in ea quæ eas reſtitutas continere idonea ſunt, de prioribus ſolum prima hac ſectione verba facturus ſum, de poſterioribus in ſequenti acturus.

II. Ordini mihi præſcripto inhærens, Herniarum ſpecies in genere dividendo, primo loco à me demonſtrandum qua arte illæ diſſipandæ quas à cæteris diſtinxi, Verarum nomine illis indito, Cum autem omnes eveniant

aut ab Epiploo, aut ab Inteſtino, aut ab utroque ſimul, in iis porro omnibus prædictarum partium reductio vix diſpari ratione abſolvatur. Primo hoc capite methodum generalem traditurus ſum qua reductio earum citra inciſionem fieri queat, cum Enterocelen inducunt, Epiplocelen & Enteroepiplocelen, ſive in umbilico, ſive in inguinibus, ſive in ſcroto, ſive in vulvæ labiis: Subſequentibus autem capitibus à me deſcribenda ſunt quæcunque obſervanda veniunt ubi ad inciſionem integumentorum devenire jubet neceſſitas, ſive ſtrangulatus ſupervenientis cauſa, unde Bubonocele, ſive ratione cohæſionis partium prolapſarum cum membranis teſticulos ambientibus.

III. Operatio per quam abſque inciſione Epiploon & Inteſtina ſede elapſa reducuntur, à Latinis & Græcis τάξις dicitur, Galli *Reductionis* nomen commune illi indiderunt, ſub quo comprehenſum quoque voluerunt modum uterum deſcendentem aut prolapſum reſtituendi: Quando Hernias veras nulla extraordinaria comitantur accidentia, ejuſmodi operatio ſemper perquam facilis eſt: quicquid autem circa rectæ operationis rationem authores tradunt, tantummodo ſitum eſt in paulatina & ſenſim facta repulſione, primo quidem portionis partis loco dimotæ quæ poſtrema prodiit. Interim tamen monitum velim Lectorem ſingularis iſtius circunſtantiæ obſervationem in Exomphalo tantum locum habere, ac in Herniis quas fovet inſignis annulorum dilatatio: ſi enim verum id quod jam ante adnotatum volui, eos è regione ſibi invicem non reſpondere, quamdiu eorum fibris nulla extenſio inſignis illata fuerit, irritus erit conatus partes illapſas intro retrudendi niſi cautio adſit, eas ſurſum impellendo, ut verſus Ilium oſſium margines, è latere partis læſæ, retrudantur: Etſi vero hæc obſervatio levis momenti quibuſdam eſſe videatur, id obiter tamen dixerim tanti illam eſſe ponderis, ut hac dimiſſa impoſſibilis ſit reductio: ejus autem cognitio ſola ſæpenumero multis in operæ pretium ceſſerit.

IV. Cæterum, præter accidentia à quibus omnino præpediri poteſt operatio à me modo tradita, ſuperius adnotata, alia præterea aliquando occurrunt in Herniis, de quibus ago, quæ eam ſimul poſſibilem & difficilem efficiunt: nam ubi, exempli gratia, mediocris fæcum copia annulos prætergreſſa eſt cum portione inteſtini prolapſa, quæ poſtmodum inibi induruit, aut porro, cum in exomphalo atque procidentiis Epiploon aut Inteſtinum inflammatione tenentur non adeo inſigni, tum etiamnum, citra continuitatis ſolutionem, partes loco emotas priſtinæ & nativæ ſedi reſtituere licet, accedente tamen ſingulari induſtria.

V. Cum fæcum induratio inteſtini reductionem difficilem fecerit, tunc partes Chirurgi erunt eas in alvum retrudere, paulatim, leni tumoris contrectatione atterendo, vel naturalem mollitiem eas reſtituendo, balneorum uſu, fotuum ex decocto foliorum malvarum, violariæ, mercurialis, aut etiamnum

uſu Cataplaſmatum ex rebus mucilaginoſis parandorum, ſemine lini, radicibus & ſemine biſmalvæ, addito oleo liliorum aut oleo recenti.

Eundem & in finem parari poterunt Linimenta, tumori admovenda, ex axungia humana, pinguedine anſerina & medulla cervina.

VI. Quoad inflammationem à me memoratam, citiſſimè ſedabitur illa ſi modo repetitis vicibus tumor madeſcat oxycrato, ex partibus ſex aquæ lactucæ parato, una aceti roſacei, ſuperadmoto deinceps linteo, cerato *Galeni* obducto; quod certiſſimi effectus erit, concinnatum ex oleo omphacino roſaceo, ſi poſtmodum madefiat aceto Saturno impregnato.

Cap. II.

Traditur ea ſpecies Diæreſis, quæ in uſum quandoque ad reductionem Epiploi & Inteſtini in genere, ducitur, Et in ſpecie quid antequam manus operi admoveatur præſtandum.

Perioche.

1. *Quo nomine antiquì hanc operationem inſignierint, Et quomodo in vſum duxerint.*
2. *Bubonoceles operationem quot modis iidem perfecerint.*
3. *Operatio illa cur invſum amplius non ducatur.*
4. *Perizomatum inventio.*
5. *Neceſſitas partes imi ventris ferro dividendi.*
6. *Quæ Bubonoceles operationem præcedere debeant.*
7. *Tempus & ratio operationis circa Bubonocelen in genere.*
8. *Qua de cauſa in Exomphalo operatio per ferrum prætermittatur.*

I. DIæreſeos ſpecies, qua integumenta quarundam imi ventris partium continentium propriarum ferro diſcinduntur, ad reductionem omenti & Inteſtini prolapſorum, ab antiquis Bubonocele vocata eſt, quia, ut exiſtimo, illam in uſum ducebant ſtatim ac nominatæ eædem partes in inguine extuberantiam aliquam produxerant, priuſquam illæ Scrotum invaſiſſent. Operationis hujuſmodi ratio ea forte fuit, quod cum ignota adhuc eſſent Subligacula, eam potius uſurpabant quo facilius adminiſtrarentur præſidia quorum ope partes reductas continebant, ſi obſtaculo eſſent impedimenta capite præcedente deſignata; quo in caſu illam tanquam admodum urgentem perpendebant, at vero non ut maxime neceſſariam.

II. Revera quãvis in ratione operãdi diſcreparẽt, colligere tamen licet inter illos omnes quoad fructum iſtius operationis conveniſſe, Inciſione enim facta

partium à me dictarum, quidam ligaturæ quadam ſpecie utebantur, filo aureo vaſa ſpermatica conſtringendo, ſimul comprehenſa peritonæi productione illa amiciente, ne poſtremæ huic parti iterum dilatari contingeret: Perpendentes alii ab hoc ligaturæ modo generationi vim inferri, in eundem ſcopum ſuturam quandam ſecundum longitudinem ejuſdem fili ope inſtituebant: aliquando filo cannabino incerato uſi, quo vaſis modo nominatis juſtum ſpatium concederetur, ut nec illorum uſus interciperetur, adeo tamen arcte ut novo deſcenſui occaſio præriperetur: Quidam rationes has non ſatis tutas rati, poſt colligata vaſa, atque eadem inveſtientem membranam, quam proxime annulos filo valido & duplicato, vel abſcindebant, aut candente ferro partes illas paulo infra ligaturam inurebant, deinceps teſticulum amputantes: Quidam tandem cum perpenderent non in propagationem modo ſpeciei neceſſariam eſſe illam partem, ſed & prætèrea individuo ad firmiorem valetudinem conferre, vividiorem & longiorem, ægros ſuos ea multare iis iniquum viſum eſt, eorumque valetudinem ratione quadam analoga tutari conati ſunt, inducta ſcilicet eſchara (ac poſtmodum cicatrice) lata & profunda ad os uſque pubis exporrecta, ope cauteriorum actualium aut potentialium.

III. At vero cum experientia futiles omnes eſſe ejuſmodi operationes, ac præſertim ambas poſteriores, æque atroces, arduas & periculi plenas oſtenderet, Chirurgorum peritiſſimi eas in uſum ducere, famæ conſulentes, dedignarunt, relictas tandem inſciorum quorundam Empiricorum temeritati, à quibus ægri inconſulto in mille lugenda tædia deducti ſunt, adeo ut deſperata valetudo quoſdam, delicatulo ut palliativæ curæ acquieſcerent coëgerit, ſpleniis & faſciis ſolis contentos, quorum auxilio partes in procidentiam pronæ ſitui naturali adſtrictæ fuere.

IV. Ad hæc tamen cum ſperatus ſucceſſus non accederet, nec niſi ſubſidio faſciarum multiplicis convolutionis, à quibus venter & femora moleſte comprimebantur, liberandi ab his incommodis ægros neceſſitas Subligaculorum inventioni anſam porrexit, quorum uſus hactenus adeo invaluit, ut pene omnes Enterocelæ & Epiplocelæ hodierna die, nulla facta, ſaltem ſenſibili diſciſſione cutis, aliarumve imi ventris partium continentium curentur; nec enim apud me dubium magnæ molis opus eſſe partes ambas à me nominatas introrſum retrudere, citra quarundam fibrarum membranarum, aut extremitatum muſculorum, partibus per quas tranſmitti debent vicinarum, divulſionem aut diſruptionem.

V. Reverſus vero ad operationem à me deſcribendam, etſi rariſſime hodierna die in uſum ducatur, edictis nihilhominus eam aliquando neceſſariam eſſe innoteſcit, quandoquidem Herniæ ſpecies completa, in qua partes deciduæ Barto adhærent, nunquam alia quam hac ratione curationem

ſuſcep-

ſuſceptura eſt; Ea vero, cui hujus operationis nomen inditum eſt, adeo citam ægro lethi neceſſitatem invehit, ut raro medendi occaſio adhibitis remediis ordinariis occurrat.

VI. Interim, quandoquidem Inteſtino ſæpe numero, in ejuſmodi affectu, ſtrangulatio tantum ratione inflammationis muſculorum annulos formantium accidit, vel partis prolapſæ intumefactionis, tunc contingentis ubi flatibus ſupra modum turgida eſt, aut fæcibus induratis, ac præterea aliquando parvo temporis ſpatio accidentia hæc ſummovere licet, in memoriam hoc loco revocandum eſt axioma, apud ſinceros medicos adeo tritum, cujus ductu nunquam ad extrema remedia tranſeunt, quam ubi incaſſum tentata fuerint levia & maxime obvia, Hoc eſt, ſimili in caſu Chirurgis tunc tantummodo licere manum operi admovere, cum irritus fuerit uſus remediorum refrigerantium & emollientium, præcedenti capite deſcriptorum; aut, urgente etiam neceſſitate, reſolventium, qualia ſunt fotus & cataplaſmata ex floribus chamomillæ & meliloti, foliis rutæ & ſeminibus anethi, aut etiamnum cumini tritis, ac cum melle communi in formam cataplaſmatis deductis, tandem ſapo niger aqua vitæ diſſolutus ac piperi albo in pollinem redacto commixtus cui eximiæ reſolvendi vires.

VII. Si tamen perſpecta fuerit partes prolapſas detegendi neceſſitas, quod inutilis fuerit ejuſmodi remediorum tota die efficacia, aut paulo longiori tempore, differenda non erit Operationis inſtituendæ, ne forte non amplius reparabilis ſit, occaſio: Quia vero ejus celebrandæ ratio à neotericis ſcriptoribus nequaquam accurate tradita eſt, imo nec quoad omnes circumſtantias eo ſpectantes omnino inter ipſos concordia eſt, non immoraturus ſum hic loci in recenſendis iis quæ hac de re tradiderunt, ad id tantum capite ſequenti intentus, ut accuratam eorum quæ apud maxime probatos neotericos Practicos in uſu ſunt deſcriptionem afferam, quo nihil huc inutile irrepat: Hic interim in genere diſcendum, utut modi iſtius operationis ab invicem diſcrepent, eo ſemper illos inclinare ut partes è ſitu diſcedentes in apertum producant, quæ inter ſe cohærent, deducant, eas deinceps ventris cavitati reddant, paulatim & leniter tantummodo impellendo, vel annulorum dilatatione, ſi reductio ab eorum anguſtia impediatur.

VIII. Porro, ſicut partes, à quibus efficitur Hernia umbilicalis, integumentis citra inſignem ægrorum moleſtiam adhærere poſſunt, Herniam vero iſtam nunquam ſtrangulatio à me memorata comitatur, nulla neceſſitas ad eam Diæreſis ſpeciem, quæ hujus ægritudinis cauſa ab antiquis inſtituta eſt, impellit; ac qualiſcunque ſit illius magnitudo, nullo alio ſubſidio ægris opem ferre licet, quam eos geſtationi ad diuturnum tempus, imo totum vitæ decurſus perizomatis, à me poſtmodum deſcribendi, adſtricto tenendo.

Caput III.

Ratio feliciter Operationis, quam Bubonocelen vocant, inſtituendæ.

Perioche.

1. *Modus integumenta incidendi.*
2. *Ratio membranam peritonæi internam diſcoo eriendi.*
3. *Modus detegendi partes prolapſas.*
4. *Reductio partium prolapſarum.*
5. *Annulorum inciſio.*
6. *De Inciſionum amplitudine, & de cohærentia partium prolapſarum cum Dartо.*
7. *Portionis Omenti ſuperfluæ abſciſſio.*

I. Hanc Chirurgiam celebraturo primo in apertum adducendæ partes procidentes, cujus idcirco initium ducitur ab inciſione integumentorum eas ambientium, At vero quo iſthæc Inciſio recte & ſecure ſuccedat, prius ab Operatore atramento deſignanda eſt illius longitudo, in longum linea perpendiculari à ſummo ad imum tumorem deducta, ſervata rectitudine plicaturæ inguinis, poſtmodum apprehendetur cutis, diducetur-que in altum digitis manus ſiniſtræ Chirurgi, ægri & ægræ partis lateri dextro adſtantis, quam & pariter à miniſtro adverſa ex parte apprehendi & elevari iubebit, adeo ut facta tranſverſa inciſione manu dextra plicæ ab ea elevatione inductæ, unico novaculæ aut ſcalpelli ictu lineæ totam longitudinem intacto peritonæo ſecet, ac præſertim inteſtino, cujus inciſio ſine dubio lethalis foret.

II. Interim, cum nunquam ad primum novaculæ ictum prodat ſe peritonæum, operatoris erit cætera integumenta incidere uſque quo illuc perveniat, animadvertens illius partis productionem aliud nihil eſſe quam continuatam membranam externam, ideoque primo perpendet an partes prolapſæ adhuc per id integantur, hoc eſt, num productio illa tantummodo expanſionem paſſa ſit, illo enim in caſu digitis eam leniter divellet, aut ope inſtrumenti ſeparatorii: alias ſi jam diſrupta ſit, diviſionem in tantum extenſurus eſt quantum neceſſe erit ut in conſpectum veniat membrana interna.

III. Demum id perpendens fieri non poſſe ut partes abdomine contentæ ſitum ejuſmodi extraordinarium nanciſcantur, niſi dicta membrana interna (à qua omnes immediate conteguntur) dilatata ſit aut rupta, id accurate

curate adnotaturus eſt vtrum horum acciderit, id quod non difficile illi erit agnoſcere eo quod detectum erit conſiderato, epiploo enim alia omnino & diverſa eſt facies quam peritonæo, adeo ut nequaquam errori alicui locus ſit: ubi enim id in conſpectum venit, certiſſimum adeſt diſruptæ dictæ membranæ indicium; præterea, cum inteſtinum nonniſi reduplicatum deſcendere queat, hoc indubium eſt illud diſcoopertum eſſe cum dicta reduplicatio manifeſta eſt: unde ex oppoſito conſequitur tumoris æqualitatem clarum eſſe argumentum id à peritonæo cooperiri; adeo ut facile ex horum conſideratione eluceſcat an incidenda ſit, vel ſimpliciter amplianda membranæ, de qua verba feci, diviſio, eo quo, ubi de externa mentio facta, modo.

IV. Eo autem modo detectis quæ reduci debent partibus, Operatoris erit diſquirere an ſolum Inteſtinum decubuerit; tunc temporis illius officium erit id in cavitatem ventris retrudere conari, impellendo primo, & leniſſime, quicquid fæcum ibi latitaverit ad interiora, ac molliter compellendo portionem inteſtini ultimo prolapſam: Sin forte partem illam flatus occupaverint, quos intra cogere impoſſibile ſit, compunctione per acum facta exitum illis procuret, rotundam tamen, & mediocris craſſitiei, quo fibræ citra rupturam aut inciſionem tantum modo ab invicem diducantur: Sin præterea contigerit craſſiora excrementa adeo indurari ut reductioni impedimento ſint, primum annulum amplificet, à quo ſtrangulatio ut plurimum inducitur, imo etiam caſu urgente ſecundum, quantum ſcilicet neceſſitas poſtulaverit, muſculos, à quibus formantur, modo ſequenti incidendo.

V. Vt ex arte procedat dicta Inciſio, Chirurgi erit ſubter primum annulum, ventrem verſus, cathetetérem cavum impellere, aut, ſi licet, manus lævæ digitum indicem, deinceps ſcalpellum falcatum ſupernæ parti admovebit, cujus cuſpidem muniat globulus cereus, ne punctura alio quam decet loco fiat, ubi vero impulſum fuerit id inſtrumentum, duobus circiter tranſverſis digitis altius ſupra annuli extremitatem, magis minuſvé pro plenitudinis partis deciduæ ratione, ejus cuſpidem in muſculum immittet demiſſo manubrio manu dextra uſus, impulſo autem ferri dorſo, digito prædicto uſus, ac poſtmodum reducto ad ſe ſcalpello falcato, facilis illi erit muſculi inciſio, unicóque ictu, quantum è re fuerit.

VI. Id vero obſervandum venit; quamvis Hernia ſit completa, in inguine inchoandas eſſe omnes inciſiones à me deſignatas, poſtquam repulſum fuerit ad uſque primum annulum id quod tumorem inducit, ad ejus longitudinem modo à me adducto ſignandam: hoc præterea adnotato non eſſe neceſſe diſcindi partes dividendas ad fundum uſque ſcroti, quo tunc extenduntur, niſi partes prolapſæ ſcroto adhæreſcant, quo in caſu tantun-

dem diducendum eſt quantum ad divulſionem ſitis ſit, id quod ſola digitorum opera perficiendum eſt, aut ſaltem Dilatatorii, ſed ſenſim ac ſenſim, ac quam leniſſime fieri poterit.

VII. Cæterum ubi ſimul cum inteſtino omentum prolapſum fuerit, facile cuivis obvium erit id multo productius quam pro naturæ lege evaſiſſe; quandoquidem conſtat, ut in Anatome demonſtratum, id ut plurimum ad umbilicum tantum ac vix pervenire, ideóque nemini dubium eſſe debet quin incidat neceſſitas particulam ejus reſecandi, non modo quo id quod ſuperfluum eſt abſcedat, ſed etiam ad prolapſus recidivam præcavendam: Id vero ſolum præſtandum poſtquam filo contorto, reduplicato, ſupra ejus longitudinem ſuperfluam conſtrictum fuerit, cohibendæ ſcilicet hæmorrhagiæ gratia: hac cautione ut abſcindatur quicquid tranſverſi digiti latitudine intra ligaturam fuerit, id poſtmodum in ventrem retrudendo, propendente tamen exterius longa fili extremitate, à ligatura ſuperſtite, extrahendæ gratia extremitatis partis necroſi affectæ, poſtquam à toto ſeparata fuerit.

Capvt IV.

Vteri Prolapſi aut Inverſi curatio.

Perioche.

1. *Vteri reducendi ratio uſitata.*
2. *Noxa ab uſu olei inducta in perficienda hac Operatione.*
3. *De induratione & inflammatione Vteri.*
4. *De ulceribus & cancro Vteri.*
5. *De Gangræna & Cancro Vterino.*
6. *De amputatione uteri in genere.*
7. *De amputatione uteri in ſpecie.*

I. Tradita deſcriptione modorum partes Hernias completas inducentes reducendi, ſupereſt nunc de iis verba faciamus qui idonei ſunt reſtituendis Analogice dictis. Ex poſtremis his eæ quas pariunt Uteri emotio, illico evaneſcunt, & ſimulac ſedi nativæ is reſtitutus fuerit, mediante operatione quam Taxin vocant, id quod ut plurimum tam facili negotio ſuccedit, ut ab ipſis ægris dicta reductio toties perficiatur quoties libuerit, idque ſolum digito indice ſurſum uterum compellendo, ſi ſolummodo prociderit, vel ad interiora retrudendo, appoſito eodem digito fundi mediæ parti, cum omnino inverſus prolapſus eſt.

II. Tradunt nihilominus ſcriptores plurimi oleo inungi debere manus Chi-

Chirurgi, ſi dictam operationem ſuſcepturus ſit, At cum reductio prædicto modo inſtituta facillima ſit, etiam omiſſa ſimili cautione, ſi modo ejuſmodi affectum nullum extraordinarium comitetur ſymptoma, poſtremo porro hoc caſu ejuſmodi medicamentum infirmi ſemper eſt auxilii ad propoſitum finem conſequendum, clarum eſt id eo ſolum nomine conducere quod partis reductæ relapſum procliviorem reddat.

III. At vero, ſicut inter accidentia, à quibus difficilis effici poteſt repoſitio Vteri inverſi, ejus induratio maxime frequens ſit, olea vero & pinguedines emolliendi vi prædita, parti affectæ diſpoſitionem priori adverſam inducere valent, nemini dubium ejuſmodi unctuoſa proſpero eventu in uſum duci poſſe, dummodo, ubi voti compotes facti fuerimus, à parte affecta removeantur priuſquam priſtinæ ſedi reſtituatur: Cum porro ſæpenumero eveniat accidens modo dictum inflammationem dictæ partis accerſere, ideo ſemicupium remediis ut plurimum antefertur, vel fotus ex lacte vaccino, incoctis roſis rubris ac ſemine lini contrito.

IV. Cætera accidentia, quorum ratione aliquando prohibetur prolapſi Vteri inſedem naturalem reſtitutio, ea facilitate & celeritate quam optat Chirurgus, ſunt ulcera virulenta & Cancri venerei, membranam interiorem obſidentes, ab his enim intenſus illi dolor inducitur, notum præterea facit experientia impoſſibilis fere illa eſſe curationis ſi pars dicta ſitum naturalem, inibi concluſa obtineat: quamobrem priuſquam reductio ſuſcipiatur, curationi illorum invigilandum, idque methodo ordinaria, vel ratione tradita libro à me edito obſervationum circa luem Veneream.

V. Cæterum, remotis cunctis illis impedimentis, utrumque Uteri oſtium tam internum quam externum ſufficientem ſemper præbent extenſionem quo citra inciſionem reduci queat; ac proinde, ea ſolum de cauſa, nullam unquam incidit neceſſitas particulam aliquam incidendi. Id vero nihilominus verum eam Herniæ ſpeciem, de qua mihi ſermo, ſanare impoſſibile eſſe partium continuarum non facta diviſione: nam ubi, exempli gratia, inflammationem partis à me nominatæ excipit gangræna; vel iterum ſi cancri, à me citati, curationem omnino reſpuant, denominatione facta à gradu quem attigerunt, ægris mortis trucis neceſſitas inevitabilis obſervatur, niſi partis afflictæ amputationem admittere velint.

VI. Etſi vero citra ſummum periculum ultima hæc operatio in praxim deduci nequeat, quæ in mulieribus eam paſſis vim & facultatem genitricem abolet, à plurimis tamen ſcriptoribus traditum eam ſæpenumero periculi fuiſſe expertem; neque adeo vitæ injuriam, quæ nec brevior nec imbecillior hinc facta ſit, illatam eſſe: id quod fuſe ab *Ambroſio Paréo* narratum, ac demum experimento proprio confirmatum: Porro, cum hæc operatio non conferat reductioni partis in proprium locum, abſurdum cuipiam forte vi-

debitur me hoc loco eam tradere inſtituere , ſi tamen animadvertantur ſtatim ac illa peracta eſt Herniæ ſpeciem , de qua dicendum mihi incumbit, non amplius accidere, cicatricémque deinceps procurandam impedimento eſſe ne quæpiam aliæ imi ventris partes procidant, clarum erit in partes jure venire eorum quæ à me hoc capite tractanda ſunt; ſicut curationes , hanc ſubſequentes,ad ſectionem ſequentem pertinent.

VII. Hoc vero in hujus operationis fauſtum eventum maxime requiritur, hæmorrhagiæ ſcilicet cohibitio, ex vaſorum reſeratione metuenda, & in omnimoda extirpatione cancri & gangrænæ , à quibus novorum accidentium metus imminet : Ad exactam prioris harum circumſtantiarum obſervationem, comprimenda ſunt vaſa uterum alluentia , facta ſtricta ſupra partem amputandam ligatura : Poſteriori ut ſatisfiat , neceſſe eſt partem hanc ad inferiora quantum ſatis eſt detrahere , ut ne particula vitii ejuſque radicum ſuperſtes ſit , leniter tamen , ne cæteris partibus, quibuſcum connectitur, vis aliqua inferatur : Tandem ſecuritatis utrinque majoris gratia , quicquid tranſverſi digiti latitudine infra ligaturam poſitum fuerit reſcindendum, ferro deinceps candente parti à qua pars ægra ſeparata fuerit admoto.

Cap. V.

Reductio Inteſtini Recti extra podicem egreſſi.

Perioche.

1. *De facili vel difficili inteſtiui Recti reſtitntione*
2. *De neceſſitate cito removendi impedimenta reductionis inteſtini.*
3. *De evacuatione fæcum induratarum.*
4. *Remedia adverſus Hæmorrhoides.*
5. *Remedia adverſus ulcera & fiſtulas.*

I. Cum inteſtinum Rectum nunquam extra feratur , quin fibræ muſculi orbicularis ani laxatæ ſint & dilatatæ , quæ inde exurgit forma circumferentiæ raro reductioni partis prolapſæ impedimenro eſt; eáque plerumque non difficili perficitur negotio, ope prioris operationis à me propoſitæ, idque primo impellendo quod poſtremo egreſſum eſt : Experientia tamen teſte notum eſt,illam Herniæ ſpeciem quam inducit ejuſdem partis elocatio ſæpiſſime comites habere alias ægritudines , quarum ratione curatio difficilior evadit. Nam, exempli gratia , craſſiora excrementa indurata congeſta, in extremitate inferiori coli cohibita, perpetuo verſus inferiora compellunt quicquid ad inferiora retrudere conamur : Porro , hæmorrhoides in ano, internæ & externæ : vel præterea inflammatio & ulcera inteſtiui prolapſi,

lapſi, adeo ſemper intenſum dictis partibus inducunt dolorem ut vix ægri vel leviſſimum contactum ferre queant, nedum ad reductionem partis conferentia tolerent.

II. In hujuſmodi ergo affectuum complicatione, prius affectionibus modo à me enarratis occurrendum, non modo quatenus partis locum egreſſæ reſtitutioni obſtant, ſed præterea etiam quia majori incommodo, majori etiam difficultate à reductione peracta ſanationem admitterent. Interim, cum ægri ventris onus citra nixus aliquos non deponant, non diu tolerandum eſt ut fæces ſubſiſtant, eo quod Recti inteſtini ligamenta in dies amplius extenduntur, qua de cauſa ægritudo, de qua mihi ſermo, augmentum inſigne ſuſcipit, Ideóque neceſſitas tunc incumbit electionis remediorum citæ efficaciæ, rectæque eorundem adminiſtrationis, quo ſperatus ſucceſſus prompte ſuccedat.

III. Fæcum autem induratarum & cohibitarum emollitio & evacuatio cito procurabitur uſu aliquot enematum, ex jure inteſtinorum & melle mercurialis comparatorum, vel ex melle communi & foliis malvæ, althææ, violariæ & mercurialis: ſin ejuſmodi remedium æger averſatus fuerit, vel tubulus ſiphonis anum ſubire nequeat, eundem in finem porrigantur duo hauſtus decocti thyrſorum malvæ & radicum biſmalvæ, in quo diſſolvatur vncia ſemis caſſiæ mundatæ, interpoſita inter unum & alterum horæ intervallo.

IV. Ratione autem doloris ab Hæmorrhoidibus excitati, ſedabitur ille uſu encathiſmatis, fotuum, & vaporis ex lacte tepente aut ebulliente emiſſi. vel etiam decocti emollientis à me deſcripti ad clyſteris confectionem, ac tandem decocti ex foliis & floribus thapſi barbati, ac ſeminis lini contuſi.

Interim, quandoquidem Hæmorrhoides eatenus tantum inteſtini repoſitioni obſunt quatenus id undique comprimunt, eo adlaborandum præſertim ut intumefactioni earundem aliquid decedat, emiſſo ſanguine, ob quem turgent, è brachio & pede, contrictiſque venarum hæmorrhoidalium fibris, ab ejus inſigni copia diſtentis: id quod aſſequi dabitur admotis exterius remediis adſtringentibus & exſiccantibus, exempli gratia, aqua aluminoſa, aut aluminis ſubſtantia pulveriſata ac butyro recenti commixta, vel etiamnum pulvere ſympatethico ac magiſterio Saturni, addito unguento populneo.

V. Inflammationem & vlcera à me deſignata quod ſpectat, momento citius eliminabuntur, ſæpius colluto podice, qua parte ejuſmodi affectibus tentatur, aqua calcis in qua ſal Saturni diſſolutum ſit, dealbata deinceps per aquam communem, admotis poſtmodum parti affectæ linteis, aut ſpleniis eodem liquore imbutis, deſinente tantum vitio removendis.

Cæterum, etſi humor è fiſtulis Ani exſudans prorogationis illius ſpeciei Herniæ, de qua nunc ſermo cauſa eſſe poſſit, è re non eſſe exiſtimo afferre

media per quæ ejus effluvium prohibeatur, quandoquidem tantummodo pendet à curatione vitii illi originem præbentis, quam neutiquam aliunde ſperare eſt quam accedente operatione inſigni & ardua, longóque remediorum apparatu, cui affinitatis cum materia hic tractata nihil intercedit.

ARTIS

HERNIARVM CVRATRICIS

II. Partis Sectio II.

In qua certiſſimæ rationes in ſitu naturali continendi partes reductas, ad ſanationem ejuſmodi affectuum, Additis quibuſdam circumſtantiis obſervandis in curatione juniorum & infantium.

Cap. I.

Remedia in genere omni ſpeciei Herniæ congrua, Partium reductione, eas procreantium facta.

Perioche.

1. *Hernias in genere præcavendi ratio.*
2. *Remotio cauſarum procatarcticarum.*
3. *Ratio humiditates ſuperfluas, fomentum Herniis in genere ſuppeditantes, abſorbendi.*
4. *Medicamenta exſiccantia, interius aſſumenda in ſpecie.*
5. *Electio & quantitas remediorum exſiccantium.*
6. *Remedia topica in genere.*
7. *De uſu & effectibus magnetis in genere.*

1. MEdia ſectione præcedenti deſcripta, cũ idonea ſint reſtituendis nativo loco partibus Hernias efficientibus, quamcunque partem obſederint, vel cujuſcunque conditionis fuerint, ſupereſt tantum mihi de iis verba facere quorum ope prohiberi poteſt earundem partium novus prolapſus. Poſteriora hæc tanti ſunt in cura affectuum, quorũ tractationem ſuſcepi, momenti, ut eorum legitima adminiſtratio in ægrorum commodum perpetuo cedat; ſicut priorum uſurpatio perpetuo infrugifera eſt, niſi eorum effe-

ctum

ctum horum admotio illico ſubſequatur. Porro, cum illorum accuratam deſcriptionem tradere animus ſit, ſpero adeo exactam explicationem à me traditum iri, ut ſi ab omnibus Chirurgis legitime adminiſtrata ſit, circa materiam, de qua mihi ſermo, nihil amplius à me requiſituri ſint.

Hoc vero in genere habendum circa media à me huc afferenda, ex illis alia prohibere exercitia, vehementioreſque conatus, à quibus partium Hernias producentium diſlocatio excitatur: alia deſtinata eſſe conſumptioni redundantium humorum, à quibus dictus è loco egreſſus ſollicitari poteſt: ac tandem (quæ alterius generis faciunt) alia ſpecialius inſervire reparandis extraordinariis corporis diſpoſitionibus, affectibus à me nominatis fomentum præbentibus.

II. Priora omnibus Herniæ ſpeciebus competunt, inter quæ recenſentur remedia Tuſſim ſedantia, Ea quæ Alvum lubricam conſervant, quæque Partum faciliorem reddere apta nata ſunt, Præcipuum autem, & à me ſpecialius deſignandum, Quies eſt, non ſolum opponenda motibus, à quibus affectus dicti induci poſſunt, ſed & per quam effectus cæterorum remediorum & celerior & certior reddi poteſt; imò, ex quorundam authorum ſententia, ad verarum Herniarum ſanationem tam neceſſaria eſt, ut decubitum ægris totis quadraginta primis curationis diebus ægris imperent: Interim cum media, à me inferius proponenda, partes reductas, etiam motu utente corpore, adſtrictas loco continere valeant, licebit aliquando ſecure, & citra diſcrimen, longam illam tranquillitatem denegare iis quos vitæ conditio aſſiduo labori mancipat.

III. Quæ vero corporis exſiccandi facultatem nacta ſunt, non minus præcedentibus omnibus Herniarum ſpeciebus communia ſunt; atque deſumenda vel ex fonte diætetico, vel pharmaceutico: Priora vel electionem & uſum alimentorum exſiccantium, & quodammodo exſiccantium ſpectant, vel alimentorum abſtinentiam, qua de cauſa paſtuum numerus reſcindendus, & ciborum copia minuenda; quorum providentia virorum artis peritorum prudentiæ committenda: Poſteriora ſunt medicamenta exſiccantia interius aſſumenda, non ſolum conſumendarum humiditatum exuperantium gratia, peritonæi & annulorum dilatationem foventium, ſed præterea conciliandæ priori illarum partium unioni, ubi ruptio aut diviſio illius acciderit: id porro eo conducibilius eſt, quod eam cooperiant membranæ, quarum ſoliditatem ſolum permeare valent remediorum topicorum partes maxime ſubtiles, quarum tamen adſtringens facultas potiſſimum in craſſioribus partibus ſita eſt.

IV. Ejuſmodi ergo remedia illius indolis eſſe debent, ut totum corpus exſiccandi vi polleant, ac proinde ipſas partes affectas, ſive humiditates dictas per urinas expellant, ſive calore, naturali vegetiori, abſumant: Idvero

obſervandum non omnes ſiccitatis gradus obtinere illa debere, nam adde quod actionem generoſiorum exſiccantium ſequatur partium, citius & validius contrictarum, ad minimum motum extenſio & expanſio, illorum uſum diuturnum eſſe non poſſe, neque protrahi quantum è re eſt, quin ægri inſignia inde incommoda contrahant.


Ex dictis facile colligere eſt, hoc in caſu felici eventu in uſum duci poſſe aquas minerales artificiales, cum alumine & vitriolo paratas, vel cum tartaro & ferro, quia vis ineſt æqualis adſtringendi & urinas movendi; quæ qualitates cum quodammodo ſibi oppoſitæ ſint, ex earum commiſtione juſta mediocritas exſurgere poteſt,

Sin quis ptiſanas & decoctiones aquis prædictis præferendas cenſeat, præparentur illæ ex conſolida utraque, tormentilla, ſanicula, hyperico, perſicaria, bugula, vinca pervinca, centaurio minore, ariſtolochia, bardana, ligno juniperino, aliiſque plantis vulnerariis, prout è re viſum fuerit, ſpeciatim autem in corporibus ſucci plenis aut pituitoſis: Eapropter in uſum duci quoque poterunt zarza parilla, china, lignum ſaſſafras & guajacinum, prout levius aut validius exſiccandum fuerit.

V. Porro, cum determinari nequeant electio, quantitas atque adminiſtratio prædictorum remediorum, niſi reſpectu habito ætatis, temperamenti, virium aliarumque ægrorum diſpoſitionum; ubi eorum curatio ſuſcipitur, volumen integrum ad conſequentiarum omnium explicationem condendum eſſet: Id vero eo inutilius, meo judicio, quod admodum veriſimile ſit peritos Chirurgos rectum illorum uſum noſſe; alios eruditi Medici conſilium in eam rem adhibituros, aut ſaltem ex lectione librorum, in quibus fuſe hujuſmodi tractantur, agendorum notitiam ſibi comparaturos; ac inter cæteros Tractatus à me editi Obſervationum circa curationem luis Venereæ, omnia pene complectentis quę ſpectant qualitates & effectus quatuor medicamenti ſpecierum poſtremo à me deſignatarum.

VI. Cæterum, quanquam prædicta remedia multum reſtitutioni partium affectarum conducant (ſicut id jam ante à me adnotatum) id experientia duce innoteſcit nunquam effectum ſperatum ab iis prodit urum, niſi vim eorum intenderent exterius admota; quin ex adverſo hæc ſola aliquando ſatis eſſe ad adſtrictionem vel coitionem eorum quæ diducta & diviſa ſunt juvandam: Exinde perſpicuum fit ea ſpeciatim pertinere ad genus tertio ordine à me poſitum: Cum porro non omnes Herniæ ab iiſdem diſpoſitionibus ortum ducant, in dubium revocare non licet quin hujuſmodi remedia tantundem à ſe invicem diſcrepare debeant, quantum morbi à me nominati inter ſe diſſident: unde colligendum eorum deſcriptionem tunc ſolum tradendam, ubi in ſpecie quicquid unicuique Herniæ competit deſignandum veniet: hoc interim de iis in genere dixero, quantum dabitur illorum actioin

Tabula VII. anni Primi Pag. 238



ni conjungendam eſſe vim remediorum internorum ſuperius commemoratorum, aliorumve ejuſdem falcultatis : quapropter antiqui non ſolum fotus in uſum duxerunt, cataplaſmata, unguenta, cerata & emplaſtra ſtyptica, ſed & præterea præſcripſerunt conſervas, pulveres, tabellas, opiatas ac ptiſanas adſtringentes & exſiccantes.

VII. Eundem quoque in finem authores plurimi uſum internum magnetis pulveriſati imperant quibuſcunque Enterocele moleſta eſt, eodemque tempore admotionem limaturæ ferri loco tumido : Ex eorum enim arbitratu, prius dictorum mineralium (ratione ſympathiæ cum altero) ſatis validum eſt ad validam verſus interiora attractionem, ut ideo partes affectæ priſtino ſtatui reſtituantur : Sed præter experientiæ teſtimonium, omnino diſſonæ, non amplius jam anxie inquirendum cur aliter res eveniat, à quo tempore recentiores Phyſici ſympathiæ effectus demonſtravere ex principiis evidentibus, atque ab ipſis clare indicatum in omnibus productionibus naturalibus agens immediate patienti adplicari : Etſi enim partes omnes humani corporis permeabiles ſint, vix veriſimile eſt atomos, quæ indeſinenter e magnete effluunt, à ventriculo vel inteſtinis ad ſuper ficiem uſque corporis exteriorem (in quibus particulæ ferri latitant) deferri poſſe, inde ad interiora pelliciendas corpori demum à quo abſceſſerunt conjungendas, Magnes enim eo pacto interius aſſumptus tunc temporis pituitæ viſcidæ commiſcetur, alimentis aliiſve rebus particulas illius intricantibus: ac præterea eo quod partium corporis numerus, quas eapropter trajicere neceſſe habet, ſituſque irregularis pororum illarum, non concedunt corpuſculis illis, mobilitate præditis, efformationem ſuorum radiorum, circulationemque ipſis conſuetam inhibent.

CAP. II.

Media particularia quorum ope debito loco continere poſſunt partes in Inguina aut ſcrotum prolapſæ, poſtquam media Taxi reductæ fuerint.

Perioche.

1. *Remedia quæ Τάξιν in genere ſubſequi debent.*
2. *De compoſitione remediorum topicorum in genere.*
3. *De penetratione à Topicis admotis obtinenda.*
4. *Remedia liquida ab Authore uſurpari ſolita.*
5. *Compoſitiones emplaſticæ.*
6. *De uſu neceſſario Emplaſtrorum adſtringentium.*

7. *Emplaſtrum ab Authore excogitatum.*
8. *Neceſſitas fuſioris tractationis de Subligaculis.*

I. VBi ope Operationis, quam Taxin vocavi, reducta fuerint Inteſtinum & Epiploon, quorum prolapſus Hernias Inguinum & Scroti induxerat, in curæ complementum incumbendum erit, non ſolum uſurpando remedia univerſalia, capite præcedenti deſcripta, ſed etiamnum ea quæ in poſterum conferruminare & continere valent fibras peritonæi & annulorum divulſas aut ruptas, eaſque tam proxime ad ſe invicem cogere, quantum natura requirit, ut huic parti primariam diſpoſitionem reſtituere valeat; eas ſolummodo adſtringendo, ſi relaxatio ſola acciderit: vel vnionem reparando ſi diviſæ fuerint; ratione non multum ab ea diſſimili qua cutem cicatrice obducit.

Remedia autem dicta, vel medicamenta ſunt Topica, admovenda ab imo ad quatuor uſque tranſverſos digitos ſupra os pubis, vel perizomata, corpus cingentia, donata pulvino ſcutiformi, à quo immediate comprimi debent integumenta, ſupra os Pubis jam nominatum, ad continenda ſimul remedia & partes affectas.

II. Quoad dicta Topica, cum non ſecus ac ſubligacula ad effectus deſignati productionem conferre debeant, omnium revera authorum conſenſu debent vi ſtyptica & adſtringente pollere: at vero conſpicuum eſt hos non animadvertiſſe quo ſatisfiat indicationi ſimplici, conſtringendi ſcilicet, & fibras laxatas aut diſſitas colligendi remedia, parum compoſita præſcribi debere: formulæ enim omnes ab ipſis præſcriptæ in eorum præparatione, tam inſigni numero ingredientium turgent, ut ſcopus illis videatur fuiſſe in eam rem omnia medicamenta ſimili vi prædita congerere; illud tamen in confeſſo eſſe debet ex commixtione eorum quæ qualitatis dictæ ſummum gradum obtinent, cum iis in quibus facultas adſtrictoria vix manifeſta eſt, emerſuram tantum compoſitioné mediocrium virium, quam tamen mediocritatem in pluribus ſimplicibus reperire eſt, quæ utiliter citra tot labores in uſum ducere licet, quapropter miſſis factis omnibus de hac materia alibi narratis, remedia ſolum quædam alias cum ſucceſſu à me comprobata traditurus ſum, quorum compoſitio ſimplex eſt, nequaquam laborioſa, verę medicinæ legibus conſentanea.

III. Remediorum memoratorum alia ſunt liquida, idonea proinde fotui partium imi ventris ſuperius deſignatarum: alia mollia, emplaſtica, aut alio modo applicationi idonea, ac tamdiu quantũ neceſſe eſt affixa manere: quapropter illud adnotandũ cum priorũ actio tempore tantum actionis, aut paulo poſt uſurpationem efficacia ſint, effectus eorum parvi futura eſſe momenti ſi partibus penetrandi vi pollentibus deſtituta eſſent; qua de cauſa in illorum

illorum commixtione quædam medicamenta à me inſerta quibus nulla adſtrictoria qualitas ineſt, eo tantum fine addita ut corpuſculis vim conſtringendi nactis penetrationem concilient.

IV. Qua de cauſa aqua Reginæ Hungariæ mihi familiaris eſt, æquis partibus aquæ communis commixta, ea quantitate aquæ aluminoſæ imbutæ quam continere poteſt: vel aqua ſtyptica, cujus deſcriptio extat in novo curſu chymico Dom. *Lemery*: vel etiamnum aqua calcis ſepties lotæ, cui addere ſoleo unciam ſpiritus vini, cum drachmis duabus ſpiritus ſalis armoniaci.

V. Quoad Topica indeſinenter in loco deſignato geſtanda, ea præ cæteris magnifacio quæ conſiſtentiam obtinent conſentaneam *Aetii* ſcopo, aliorumque quorundam authorum, qui præſcribunt admotionem chartæ aqua frigida immaceratæ, hoc eſt, actu frigida, humida, viſcida & quæ à calore partis naturali, cui admota ſunt, ſubito exſiccari queunt, qualia ſunt, exempli gratia, charta denſior, ſed præcipue membrana Pergamena, integro triduo aquæ frigidæ immerſa in quopiam liquore è ſupra recenſitis.

Frequenter præterea in uſum duco ouorum albumina, cum aluminis craſſiori fruſtulo ad unguenti pomacei conſiſtentiam conquaſſata; poſtmodum ſplenio ex tela concerpta inducta, magnitudini partis coarctandæ æqualia: vel etiam ſuccinum & maſtichen pulveriſata, cum æquali mucilaginis ſeminum cydoniorum quantitate agitata, extractæ per aquas plantaginis & centinodiæ: Gluten tandem confectum cum farina fabarum, poſtea additione amyli craſſiore reddita, calide admovendo.

VI. Etſi deſiccatio horum præſidiorum admotionem conſequens, validum ſit ad conſtrictionem & fibrarum divulſarum aut laxatarum collectionem præſidium, eaque de cauſa longe præpollere debeant iis quorum compoſitionem ingrediuntur res reſinoſæ vel oleagineæ, à quibus impeditur exſiccatio compoſiti cujus partem conſtituunt, nihilominus verum eſt ad emplaſtrorum adſtringentium uſum compellere neceſſitatem; cum à conceſſa ægris aliquot dierum quiete, ad officia ſolita redituri lecto valedicere voluntque quod uſus remediorum ſuperius memoratorum magnum incommodum eſſet illaturus, ſive quia à ſubligaculo conſtricta circumcirca diffunderentur; ſive quia inter deambulandum ſcutum à loco, cui ſtricte adhærere debet, dimovere poſſent, id quod ab emplaſtrorum applicatione contingere nequit, quibus conſiſtentia ſolidior eſt quam ut expandi queat, quæ etiamnum parti ſufficienter cohærent ut perizomati fræno ſint, ſi, quod in more mihi eſt, ſcuto affigantur.

VII. Quæ huic uſui deſtinata ſunt, ea de cauſa Emplaſtrorum *ad Herniam*, aut *Contra Rupturam* nomen obtinuerunt, omníque tempore & apud omnes Pharmacopolas proſtant, quandoquidem forma illorum cum

cæteris emplaſtris convenit, ideóque non ut par eſt in parte deſiccantur, alia compoſitio à me excogitata eſt, quam in mortario abſque igne conficio, ex duabus partibus maſtiches & ſuccini, una gypſi & vitrioli calcinati ad albedinem, contritis & commixtis æquis partibus viſci & ichthiocollæ, in forti aceto diſſolutorum.

VIII. Supereſſet jam de Subligaculis agendum, quæ, ut dixi, pendere debent ab iis quæ hoc capite deſcribenda ſunt; at cum generalis diviſio Faſciarum præire debeat iis quæ à me dicenda ſunt, multáque non exigui momenti adducenda ſunt, ubi de iis agetur, in duobus ſolum capitibus ſequentibus quæ ad eorum notitiam pertinent continebuntur.

Cap. III.

De Perizomatis in genere, & in ſpecie de Subligaculis vſitatis ad cohibendas in abdomine partes, quarum egreſſus Hernias inguinum & ſcroti produxerat.

Perioche.

1. *De Faſciis in genere.*
2. *De vtilitate Subligaculorum.*
3. *De ſtructura Subligaculorum vulgarium.*
4. *De vitio Subligaculorum vulgarium quoad mollitiem.*
5. *De inſtabilitate Subligaculorum.*
6. *De gravitate, duritie & craſſitie nimia eorundem.*
7. *De ardoris ſenſu ſub cingulo eorum percipi ſueto.*
8. *De ſubligaculis ex filo ferreo fabricatis.*
9. *De emplaſtris & Subligaculis circumforaneorum.*

I. FAſcias in genere vocant, vel Perizomata, quicquid parti cuipiam corporis circumducitur, ad continendas vel reprimendas partes, humores, aut medicamenta topica, quæ ſedem naturalem deſerendo alienam forte occuparent, ideóque Chirurgorum intentioni adverſari dum ægros diſpoſitioni naturali reſtituere ſatagunt: Exinde ergo manifeſtum eſt illo nomine genus quoddam remedii deſignare, quod multas & differentes ſpecies ſub ſe complectitur, nec dubium eaſdem has ſpecies nominibus propriis inditis ab invicem diſtingui debere vitandæ gratia confuſionis. Sic, exempli gratia, in genere nominatæ ſunt Faſciæ Herniariæ vel Subligacula, quæcunque à me tradendæ ſunt, ac in Specie Faſcia umbilicalis, quæ Exomphalo dicata eſt, Inguinalis, quæ herniam Inguinum ſpectat, in uſum ducta Faſcia convoluta; Subligacula autem dicantur quæ ex cingulo chalybeo aut filo ferreo concinnantur.

II. Quoad

II. Quoad Faſciam umbilicalem, ejus traditurus ſum deſcriptionem, ubi de mediis proprio loco continendi partes quæ umbilicum ad exteriora compulerant ſermo mihi erit: Eam vero quam Inguinalem vocavi, quod ſpectat, ejus deſcriptionem poſtrema pars hujus libri exhibitura eſt, in quo particularem curationem infantium adducturus ſum, quibus ſpeciatim competit, Hic vero loco nominatim de ſubligaculis agendum, eo quod cum ſucceſſu in utroque ſexu, ac omni fere ætate uſurpentur, impediendi gratia relapſus partium, quarum deſcenſus conſtituit Hernias, de quibus capite præcedenti actum eſt.

III. Ex paulo autem ante dictis eluceſcit duo eſſe ſubligaculorum genera, materia diſcrepantia, ſed illud quoque perſpicuum eſt uſu ea non differre: imo id aſſerere licet ea quæ utriuſque generis hactenus concinnata ſunt, penes formam fere omnia diſſimilia fuiſſe; Revera chalybe ad quædam uſurpato, filo ferreo ad alia, exſurgit ex utriſque faſcia latitudinis circiter tranſverſi digiti, longa & incurva quantum ſatis eſt ad cingendas duas partes trunci corporis, hoc eſt ad id circumdandum, initio facto à loco ubi initium ducit prolapſus, progrediendo ad medium uſque partis lateralis & externæ femoris in parte oppoſita; In extremo autem, quod admovetur loco jam deſignato, efficitur uncus ſubligaculi claudendi gratia, cohibendo lorum altero extremo adnexum: Infra dictum uncum locatur quæ vocatur Lamella, ad ſcuti formam propemodum accedens, cui præterea ea ineſſe debet magnitudo quæ pulvinum admittere idonea ſit, cujus amplitudo proportione ſemper æqualis eſſe debet ſpatio tegumentorum, quod compreſſione eget: Cingulum tandem cooperitur, pulvinus autem concinnatur ex tela cannabina, denſius contexta, & corio vervecino, lana carminata eadem infarciendo, goſſypio, equorum pilis, aut tomento; prout ſubligaculum magis aut minus durum exoptatur.

IV. Cum zona ejuſmodi ſubligaculorum eo modo inflecti poſſit qui trunci corporis convexitati apte reſpendeat; chalybs autem, aut ferrum quod illis firmamentum ſubminiſtrat, ſatis rigiditatis obtineant per quam circumferentiam illis traditam conſervant, dubium non eſt quin pulvinus illis adaptatus eam ſtabilitatem poſſidere debeat quæ in illum finem requiritur, hincque in progreſſu, citra interruptionem comprimere rite valeat cuti locum ſubditum; id quod optandum ut immota maneat quamdiu illi ſubjecta fuerit: At vero cum muſculis annexa ſit, aliiſque partibus hac illac mobilibus, quæ proinde illam ſurſum abſtrahere poſſunt ad inferiora, interiora & partes laterales, patet inde locum jam nominatum à pulvino dimoveri poſſe cum eædem partes commoventur; quod enim illi ſtabilitatem conciliat, idipſum eſt quod illi demit diſpoſitionem ſequacem cutis à qua abducitur, adeo ut ſi dum dicta ſubligacula admoventur, idoneum ſitum

eligerent ægri, eumque demum ſervare vellent, dimiſſo quocunque motu voluntario, proculdubio proſpero ſucceſſui locus eſſet: at cum in eam rem conatus ejuſmodi videtur impoſſibilis, facile hinc colligere eſt neque ipſis expectandam cohæſionem ſalutarem, quandoquidem requiſitam illam quietem omnimodam obſervare nequeunt, qua tamen abſente reductarum partium relapſus inevitabilis eſt.

Ea vero ratione id incommodum majus evadit, quod cum cutis hinc inde commovetur, exempli gratia ad intra, ubi corpus verſus anteriora inflectitur, partes quæ iterum è ſede dimoventur, ſemper ad minimum ad os pubis uſque prolabuntur, cutimque infra pulvinum repellit, adeo ut replendo quicquid vacuum ſuperfuerat dum fit inflexio ſupra dicta, accidat illis compreſſio, eo uſque augmentum ſumens quamdiu corpus erigitur, ac tandem eo plus moleſtiæ faceſſens, quod eædem partes locum ſubeant, vix capacem eorum quæ ſecundum naturæ legem continere debent.

V. Sin variæ cutis commotiones impedimento ſunt ſtabilitati expectatæ à ſubligaculis vulgaribus, maxima pars motuum à quibus directe non immutatur illius ſolita diſpoſitio, non minus frequenter dimovet pulvinum ſubligaculorum, à regione quæ compreſſione indiget; id enim, exempli gratia, notum fere impoſſibile eſſe ut quis equum conſcendat quin illa ſurſum vergant uel ſultet, quin eadem infra locum, cui primo admota ſunt, ferantur deprimanturque, unde contingit partes reductas proclives eſſe in relapſum, ac poſtmodum ab eodem pulvino contendi, quem ægri fere ſemper temere repellunt verſus locum quem occupabat ante dictam dimotionem.

VI. Interim non ob ſolam inſtabilitatem, ſed & ob gravitatem, duritiem & craſſitiem in vitio ſunt ejuſmodi ſubligacula: prioris ratione facile deprimuntur & infra vergunt ſi vel leviter laxentur; præterea cutis verſus inferiora detrahitur, unde non leve incommodum (præſertim ſi ex chalybe confecta ſint) cum ſufficienter, ne vacillent, conſtringuntur: Secundi (ſcilicet duritiei) cauſa non ſolum immediate accidunt contuſiones, quibus aliquando obnoxiæ partes prolapſæ, ſed & ſæpenumero vaſorum ſpermaticorum compreſſio adeo dolorifica ſequitur ut ferendo non ſit ſi comitetur depreſſionem ſupra dictam, Id tandem notum ob tertium vitium, ſcilicet craſſitiem ſuperfluam, adeo zonam excedere & efferri ſupra cutis ſuperficiem, ut fere omnes ægri de die tantum ſubligacula patienter ferant, eo quod decubitui impedimento ſint cutem intro deprimendo, unde doloris acceſſio, ac præterea ſcutum loco dimovendo, unde à corpore ſecedit, nec amplius partem comprimit; qua de cauſa abſurdum eſt iſtiuſmodi moleſtiæ ægrum ſubicere.

VII. Quæ

VII. Quæ incumbit neceſſitas epidermidi immediate admovendi zonam perizomatum, non parum illorum moleſtiam auget, eo quod ut plurimum eam inveſtiat corium vervecinum, cui adhuc plurimum adhæret acidum ex ſale à Coriariis ad præparationem illius indito, nec fieri poteſt ut ejuſmodi acida tamdiu proxima ſint parti quin illi ſe inſinuent, eóque pacto moleſtos pruritus & ardoris ſenſum inducant.

VIII. Porro, cum ſubligacula ex filo ferreo eo tantum fine conficiantur, ut ab iis non diſpar effectus ab eo quem efficiunt chalybea expectetur, in id eligitur filum craſſiſſimum multuplicatum ad ſufficientem rigiditatem, & validitatem, adeo ut ejuſmodi neque flexibiliora ſint, neque minora, neque molliora, neque ſtabiliora, neque cæteris mitiora, ſolius levitatis gratia, ejuſque non inſignis, cæteris anteponenda.

IX. Revera non deſunt arcana jactitantes, impune & imprudenter omnium verarum Herniarum ſanationem pollicentes mediis emplaſtris & ſubligaculis ſingulari induſtria concinnatis, Interim, ut prætercam quaſdam hac ratione, imo omnino incurabiles eſſe, ſed tantum interveniente operatione pro Bubonocele deſignata, mihi non ſemel obſervare licuit ejuſmodi emplaſtra alia non eſſe ab iis quæ omnibus cognita, ipſiſque ſubligaculis nihil ſingulare ineſſe, præterquam quod circa medium ſcuti paulo cæteris elatiora ſint; at circumſtantia hæc idonea non eſt emendationi vitiorum omnium à me memoratorum.

Capvt IV.

De Subligaculis ab Authore inventis.

Perioche.

1. *Neceſſitas partes reſtitutas continendi.*
2. *Authoris diſquiſitiones.*
3. *De difficultate & facilitate authori obvia in novorum ſubligaculorum diſquiſitione.*
4. *De elatere, ſcuto, & peripheria zonæ novorum ſubligaculorum.*
5. *De zonæ conſtructione, aliarúmque partium ſubligaculi.*
6. *De faſcia contentiva, ſubligaculi hujus partem componente.*
7. *Quæ ratio compulerit ad compendioſam deſcriptionem fabricæ horum ſubligaculorum.*
8. *Ratio illa admovendi.*
9. *De proportione in his ſervanda.*
10. *De horum perfectione.*

I. CUm facile ſit colligere ex allatis capite præcedente, à ſubligaculis vulgaribus non expectandam ſtabilitatem perennem, ſi accurata animadverſio fiat indolis verarum Herniarum, non arduum erit inferre earum curationem impoſſibilem eſſe niſi partes eas committentes, atque eæ per quas tranſitum habent, ſaltem ad temporis aliquod intervallum, citra interruptionem cohibitæ fuerint in ſuo ſitu ac ſpatio naturali, quandoquidem priores ſatis erroneæ ſunt, mobiles atque graves ut facile inclinent ad inferiora atque infra hypogaſtrium, ſtatim ac nactæ ſunt loca prolapſum concedentia, aut alias illas continere idonea: poſteriores autem ſat extenſiles ſunt ſatiſque molles ut nullatenus obſiſtere valeant priorum motui, à quibus fomentum & augmentum accipit illarum dilatatio aut ruptio, quotieſcunque occaſionem nactæ ſunt eas impellendi ab interioribus ad exteriora.

II. Interea, cum perſpectum ſit ex ante dictis inutile fore ſi quis nactus ſit media, quorum beneficio conſequi liceat illam ſtabilitatem aut confirmationem, ſi eorum uſui ferendo nullus par fuerit, illud apertum eſt effectum ſimilem tantummodo ſperandum ab ejuſmodi Faſcia, quæ & ſimul idonea ſit comprimendæ parti, & firmandæ in diverſimodis corporis motibus, & ab ægris citra inſignem moleſtiam geſtari queat, ab ipſo etiam initio quo ſuſcepta curatio, ad perfectam uſque valetudinem. His commotus, ſummo ſtudio inquiſivi quicquid conferre idoneum eſt fabricæ novorum ſubligaculorum, quæ ſimul cum parvitate, levitate & flexibilitate neceſſaria donata eſſent, quæ circumferri queant à Nobilibus, cum athleticis exercitiis vacant, militaribus & venationi: à Juriſconſultis & Quæſtoribus dum Juridicis officiis incumbunt: ab Eccleſiaſticis in exercitiis cathedralibus & officialibus. Ab iis qui medicinam faciunt, in ægrorum viſitationibus & auxiliis inferendis: à mercatoribus in negotiationibus & commercii cauſa ſuſceptis itineribus; ab Artificibus dum in manuariis artificiis occupantur, ab omnibus tandem quodcunque vitæ genus amplexis; Quæ præterea ſubligacula donata ſint pronexibus ſcutum firmiter & conſtanter detinentibus in loco cui primo admota fuerint, cum elateris quadam ſpecie eum impellentis quocunque cutis fuerit compulſa, abſque tamen contactu corii pulvinum operientis, aut cingulum.

III. Revera diſquiſitionis ejuſmodi ſucceſſus prima fronte parum certitudinis habere viſus eſt, nam etiamſi cuilibet facile eſſet indicare ejuſmodi Subligacula ex differentibus materiis conflari poſſe, atque ex unaquaque illarum ſpeciatim una aut plures ex circumſtantiis ſupra adnotatis elici, neceſſitas incumbens nanciſcendi in uno eodémq; corpore ambas qualitates ſibi invicem oppoſitas, exempli gratia, flexibilitatem in re quæ ſufficientem rigiditatem poſſidere debet ad elateris functionem obeundam non parum in

ſuſcepto negotio difficultatis intulit, attamen cum in mentem veniſſet poſſe me corpus dictorum ſubligaculorum ex filo ferreo conficere, poſſe item ſatis craſſum me nanciſci, ut conficeretur elater validitatis requiſitæ, ſat parvum, quo conficiatur zona levis exigua & flexilis, id præſertim eapropter contundendo, ratum habui dictam materiam admodum idoneam fore ad fabricam ſubligaculi; neque arduum fore alia nanciſci quæ ad illius perfectionem neceſſaria ſunt.

IV. Revera, electione facta longiuſculi rami fili ferrei, magnitudine æquali mediocri ferro ligulæ armatæ, fabricari primo curavi elateris quandam ſpeciem in formam ſtriæ cochleatæ receptaculi, longitudinem circiter trium pollicum ei concedens, ac coronati argentei circumferentiam, primo annulo illius elateris adaptavi pulvinum ex ſubere confectum, ſcutiformem, obductum ſuperficie tenus pauca cannabe, undique coopertum corio vervecino ordinario: ramum deinceps dictum inflexi in formam ſemicirculi, qua parte claudere debebat ultimum annulum, in eum ſcilicet finem, ut inde cingulum duceret initium, eumque inflectendo idoneum redderem adaptationi ſcuti ante dicti verſus ægri ventrem: quo truncato ad longitudinem proportione reſpondentem craſſitiei ſubjecti cui adaptandum, inflexi iterum eundem ramum, ut conjungi poſſet annulo ultimo nominato, cujus longitudini tantum reliqui quantum neceſſarium duxi ad effingendam ſpeciem unci, idonei ab obſerandum ſubligaculum.

V. Cingulo eo pacto jam ex parte concinnato, complementum illi dedi contuſis & compreſſis duobus ejus ramis, eos mutuo conjungendo circumducta tænia ex filo, undiquaque vero cannabe obvolvendo, tela xylina & corio ante dicto, more ſolito, præterquam in eo extremo ubi filum ferreum incurvatum fuit; quod nudum eſſe volui ut cohibendo hamo deſignato utile eſſet, ad ſubligaculi clauſuram, ac proinde ſimul ad compreſſionem omnium annulorum elateris: cooperui tandem primum dictorum annulorum uſus eodem corio, cæteros autem tela xylina, corpus ſubligaculi illius perficiens, annectendo duas telæ lacinias duplicatas parti annuli inferiori ultimo dicti, additaque cingulo ligula, ſex tranſverſis digitis diſſita ab extremo, excipiendo unco deſtinato.

VI. Poſtmodum Perizoma contentivum ex tela paravi; omnino ſimile illi cujus uſus eſt in bubonibus, ſaltem quoad cingulum; cujus duplicaturam goſſypio conferci, ejus ſcutum deinceps connexui ſcuto prioris perizomatis, factis aliquot acus ope ſuturis, ejus autem cingulum juxta alterum mediantibus aliquot habenulis cohibui, adeo ut eo pacto ſubligaculum confecerim, immune omnium vitiorum deſignatorum, cujus figuram hic adpingi curavi.

Explicatio Figuræ Subligaculi elatere donati, ab authore excogitati.

AAA Cingulum corporis perizomatis, corio vervecino coopertum.
B Uncus cingulo obſerando dicatus.
C Foramen cui uncus inſeritur.
D Primus elateris annulus eodem corio veſtitus.
E Poſtremus elateris annulus.
F Tegmen cæterorum annulorum ex tela Xylina, per cujus raritatem conſpicui quodammodo ſunt.
GG Scutum Subligaculi.
H Prima Subligaculi faſcia.
I Altera Subligaculi faſcia.
K Subligaculi ligula.
LLL Cingulum Faſciæ contentivæ.
MMMMMMM Habenulæ utrumque cingulum conjungentes.
NN. Scutum contentivi aſſutum ſcuto ſubligaculi.
O. Cingulum contentivi.
P. Prima contentivi ligula.
Q. Secunda contentivi ligula.

VII. Cæterum, cum ex Regis gratia poteſtas mihi conceſſa fuerit ſoli, per vicennium integrum, fabricandi, aut ut fabricentur, curandi nova hæc ſubligacula; nec veriſimile ſit Chirurgos ipſos, in quorum gratiam hæc conſcribo, velle negotium in ſe aut laborem ſuſcipere illa conficiendi, aut organa omnia ad illorum fabricam idonea congerere, exiſtimo ex paulo ante dictis, ac figura, cujus modo tradidi deſcriptionem, facile illis futurum percipere quicquid neceſſarium eſt ad conſtructionem eorundem illorum ſubligaculorum, adeo ut nihil amplius ſuperſit quam ut deſignatio addatur uſus illorum à me adnotatus, quo inde eliciantur commoditates exinde expectatæ.

VIII. Peractis ergo omnibus quæ ſectione præcedente indicata ſunt ad reductionem partium prolapſarum, primo loco admoveo adſtringentia medicamenta ſupra partem tumidam, ſi ſint conſiſtentiæ mollioris, aut potius adnecto telam, cui inducta ſunt, ſcuto perizomatis contentivi, cum dura ſunt & emplaſtica, ac poſtmodum quamdiu æger adhuc lecto affixus eſt, ſubter dorſum tranſmitto utrumque ſubligaculi cingulum, cingens primo corporis truncum cingulo ejuſdem contentivi, id claudens beneficio prioris ligulæ, demum applicato ſubligaculi ſcuto, adeo ut ejus pars acuminata,

minata,ſaltem ad tranſverſi digiti latitudinem infra criſtam oſſium Pubis vergat, elateris annulos premo, quos ſic compreſſos detineo, claudendo ſubligaculi cingulum, ſed eo deducto ſecundum longitudinem, ac deſuper cingulum contentivi, cujus faſcia poſtmodum defertur ſubter coxam lateris affecti, ad uſque alteram illius ligulam, hæcque conjunctim cum priore cingulo ſubligaculi,quæ proinde unica illa ligula fruitur vinculi vices tenente: Verbo, quoad poſte faſciam poſteriorem eam ſubter coxam lateris oppoſiti transfero, extremam hujus partem adnexurus ſubligaculi ligulæ, cóque pacto ultimam ſtabilitatem & immobilitatem perizomati conciliaturus.

IX. Sin hactenus illud obſervatum variandam eſſe ſcuti formam, aliarumque partium ſubligaculorum uſitatorum, juxta conformationem ægrotantium, ac conditionem ægritudinum removendarum, ex dictis ſupra eluceſcit, eo magis neceſſe eſſe hanc circumſtantiam in his obſervare, quod ab eorum cingulo poſſet oriri conſtrictio validior aut debilior, niſi juſta acceſſerit dimenſio: Ideóque hoc obiter adnotandum, utiles effectus qui admotionem faciendam conſequuntur, maxime adſcribendos eſſe magnitudini definitæ illis aſſignandæ.

X. His præſuppoſitis, nulli dubium ſit quin nova hæc ſubligacula ſtabilitatem firmam & pertinacem; nec tamen moleſtam ſint inductura: nam quoad priorem circumſtantiam, apertum eſt ab illarum vinculis mobilitatem & vacillandi libertatem detrahi: Illud quoque manifeſtum emplaſtra ſtyptica (cæteris adſtringentibus, cum corpora exercitantur anteponenda) ut plurimum ſufficienter adhærere cuti partis cui admoventur, adeo ut hæc illa ſequacia habeat quocunque dimoveatur, ſecum ſcutum contentivi, cui adalligantur, abductura: ab eodem hoc ſcuto abſtrahi ſcutum corporis ſubligaculi; ac tandem utraque ab annulis elateris impelli, præſertim verſus interiora; ſed præterea partim ſurſum, inferius & ad latera, eo quod conflata ſint ex materia ductili & ſequaci, eo modo fabricata ut citra vim abſtrahantur, atque taliter ab eorum cingulo cohiberi, ut ſolo motu ab interioribus ad exteriora deſtituta ſint: ut tandem manifeſtum fiat, an in eorum uſu inferior dictarum circumſtantiarum occurrat, attendendum ſolum ad ſtructuram & ſitum cingulorum illis adnexorum, manifeſtum enim ab illis nullam contuſionem aut excoriationem moleſtam induci poſſe;perpendenda præterea conditio rerum ex quibus conſtruuntur, ad colligendum ea donata eſſe apta & convenienti levitate & ſequacitate.

Capvt V.

Ratio in ſede propria continendi partes Exomphalon inducentes.

Perioche.

1. *Ratio priſcis authoribus familiaris.*
2. *Quo modo declinanda neceſſitas inciſionis integumentorum in genere.*
3. *De periculo cui patent ii qui hujuſmodi operationes experiuntur.*
4. *Rationes vitandarum dictarum operationum in ſpecie.*
5. *Subligaculi pro Exomphalo fabrica.*
6. *De faſcia contentiva, eidem ſubligaculo annexa.*

I. Opinio fuit priſcorum authorum, quo ſuccederet curatio Herniarum umbilicalium, diſquiſitionem præſertim mediorum per quæ conſtringi poſſint partes continentes imi ventris neceſſariam eſſe: Revera tanta plerumque occurrit facilitas eas quæ ejuſmodi tumores pariunt reducendi, ut abſonum videatur ſollicite media illa inquirere, ſatiſque videatur officio factum ſi relapſus præcaveatur: attamen ſicut ex eorum operibus manifeſtum eſt illos exiſtimaſſe ejuſmodi ægritudines à ſimplici dilatatione proficiſci, aſſerere licet hac in re ipſos aberraſſe, quandoquidem patefacit nobis Anatome impoſſibile eſſe ut Epiploon, vel Inteſtinum, in abdomine procreent tumorem particulariter circumſcriptum, niſi ſaltem membrana peritonæi interior diſrupta ſit: Utut vero ſit, quandoquidem quamdiu opera datur ut fibræ partium membranoſarum continuo proximitatem quam naturaliter habere debent ſervent, illudque una conſequimur ut ſimul colligantur & ad invicem coeant, ejuſmodi circumſtantia non tanti deberet eſſe ponderis ut valedicere cogat omnino praxi ab ipſis nobis traditæ: at cum ab ipſis uſus ſubligaculi, ſpleniorum, medicamentorum adſtringentium & glutinantium, tantum ſine præſcriptus fuerit ad curationem infantium, In adultorum vero gratiam operationes periculi plenas, toleratúque difficiles inſtituerint, ea maxime de cauſa ab eorum ſtatutis diſcedere cogor, quod apud me conſtet ejuſmodi operationes æque eſſe inutiles ac lugendum eſt illorum infortunium qui illorum curæ ſe ſubmittunt.

II. Revera iis qui artem Chirurgicam nunc profitentur, acrique ſtudio illam amplectuntur, quotidie experiri conceſſum eſt umbilicum tumentem ſitui naturali poſſe reſtitui dimiſſo ferri & ignis uſu: ſin aliquando contingat optatum finem non ſuccedere in quibuſdam ægris, id ſaltem ſpei illis ſupe-

ſupereſt quod eandem longævitatem, vitamque æque ac ante tranquillam ſperare liceat, ſi modo conveniens ſubligaculum illis adaptatum fuerit, quo in poſterum ſuccurratur vitiis partium continentium.

III. In eadem quoque eſt ſententia *Guido de Cauliaco*; qui ingenue confitetur ſe nunquam auſum ſuſcipere curationem in uſum ducendo operationes ſupradictas, ratione periculorum quibus ægri objiciuntur ſi illas admittant: quamobrem author eſt ut ſanatio tentetur per medicamenta ſuperius deſignata, aut ſaltem, recidivæ in ægris præcavendę gratia, per emplaſtra & ſubligacula: Præterea, ſi fides *Hieronymo Fabritio ab Aquapendente*, ex authoritate *Celſi* aſſerenti maximam Herniarum umbilicalium partem prætermiſſis ejuſmodi operationibus ſanari poſſe, plurimos illis ferendis eſſe impares, nec in praxim deduci poſſe citra extremum imminens periculum hyeme & autumno, facile inde cuivis colligere licebit difficillimum eſſe ut ſubjectum, in quæ exerceri queant, & tempeſtates idoneæ ſimul ac ſemel concurrant.

IV. Ex ante dictis omnibus eluceſcit ea quæ ab authoribus circa hanc rem propoſita ſunt fundamento ſolido non niti, multóque ſatius eſſe continere & firmare partes, à quibus umbilicus in tumorem eſt elatus, in uſum ducendo media propemodum ſimilia iis quæ deſcripſi, ad prohibendum iteratum prolapſum inteſtini & epiploi, ſi ſaltem excipiantur ea quæ uſurpantur peractis inciſionibus, in Bubonocele inſtituendis: ſicut enim amplitudo ſpatii, in quo exoriri poteſt Exomphalos, à periculo ſtrangulationis, in inguine ſæpenumero contingentis liberat, nunquam abſoluta neceſſitas occurrit cujus cauſa integumenta dividenda ſint ægritudinis illius ſanandæ gratia, Qua de cauſa ſatis fuerit uſurpaſſe medicamenta tum interna tum topica capite ſecundo hujuſce ſectionis deſcripta, eum in finem ut coaleſcat diviſum peritonæum, utque cæteræ partes præter modum expanſæ conſtringantur, dummodo præterea continuo per ſubligaculum idoneum conſtrictæ fuerint.

V. Porro cum hoc ſubligaculum conferre præterea debeat continendis remediis admotis, præcavendo recenti partium è ſede nativa egreſſui, cæterarum etiamnum confirmationi, illud in aperto eſt formam ſubligaculi à me deſcripti quodammodo huic convenire: hoc vero ſingulare in poſtremo hoc obſervandum eſt, quod ejus elater paucis annulis conſtare debeat ne nimis emineat: illius cingulum in latitudine æquale eſſe debere primo annulo, ſaltem parte anteriore, atque mediantibus duabus uncis claudi debere, tandem pulvinum admodum depreſſum eſſe, at circumferentia tumoris majorem; porro in medio extantiam obtinere, quo umbilicus depreſſior ſit reliquo ſpatio in quo tumor eminebat.

VI. Cæterum, ſicut utile eſt quamprimum hujus mali ſuſcipitur curatio,

ſuperimponere illi remedium adſtringens&ſtypticum conſiſtentiæ mollioris; ſicuti dictum capite modo deſignato, proinde neceſſe eſt illud tunc temporis cohibere ope contentivi ex tela parati, concinnati ex duplici quadrato, apparatui remediorum proportione, reſpondente, quatuor item capitibus faſciarum quatuor angulis allegatis, quorum duo ſuperiora à poſteriore colli parte ſcapularis in morem conjungenda erunt, duo inferiora trunco corporis circumdanda in modum zonæ, eo obſervato ut pulvino ſubligaculi adnectatur; foraminéque ea de cauſa in ejus medio facto quo tranſitus præbeatur extuberantiæ à me dictæ.

Caput VI.

Quibus modis in ventre continenda partes reducta in Bubonoceles operatione.

Perioche.

1. *Diſtinctio inciſionis integumentorum facienda, Et de curatione ſubſequente.*
2. *Prima vulneris inflicti curatio.*
3. *Ratio vulnus cicatrice claudendi.*
4. *De venæ ſectione & victus regimine.*
5. *De Potionibus alvum laxantibus & enematis.*
6. *De Quiete.*
7. *De agendis poſt inductam cicatricem.*

I. ETſi media quorum ope in alvo continenda ſunt Inteſtinum & omentum (quæ ante reductionem intra annulos quaſi ſtrangulata cohibita erant) non alia ſint quam quæ operationem, à me Bubonocelen vocatam, ordinarie conſequuntur, nemini tamen dubium eſſe debet quin ſpeciatim ad ſectionem hanc ſecundam pertineant, quandoquidem præcedens ea tantummodo complecti debet quæ reductionem partium è loco naturali ſecedentium ſpectant: Præſens vero continere debet quicquid reductionem hanc & reſtitutionem, firmitatem & conſtantiam conciliatura ſunt: Adde quod operatio modo à me adducta ſuccedaneas habeat tot moleſtas diſpoſitiones, ut ægri Chirurgus familiaris imprudentiæ notam incurreret, ſi illius periculum facere auderet, non prius aliorum expetito conſilio & auxilio: imo eadem frequentius pro more ab eo ſuſcipiatur qui extraordinarie fuerit accerſitus, quam ab eo qui evocavit, cui tantummodo regimen curationis reliquæ demandatur; Vnde liquet media, de quibus mihi ſermo, quo-

quoquo pacto diſtinguenda eſſe ab inciſionibus, ſeparationibus, aliiſque agendis ad reductionem partium Bubonocelen inducentium.

II. Media autem illa ſunt aut quæ ſuperimponuntur vulneri, aut intra illud, toto curationis decurſu; aut reſpiciunt cicatricem ſub finem inducendam, ſuccedentem labiorum agglutinationi: Priora ſunt aut pulvini & faſciæ continendo apparatui deſtinatæ, de quibus in ultimo hujus libri capite ſermo futurus eſt; aut turundæ ex linteis conceptis, inciſionis magnitudini proportione reſpondentes, quibus ab ipſo initio adimplenda eſt; id obſervando ut prima indenda ejus ſit craſſitiei quæ capacitatem ventris non ſubeat, qua de cauſa filum appendi illi debet, extra propendens, ut ſi forte immerſa ſuerit turunda, illo mediante extrahatur, quanquam præcautio dicta adhibita fuerit: Porro, cum curationis initio metus ingruat ne pars ægra immodice incaleſcat, aut ne debilitatem aliunde contrahat, ab alicujus materiæ decubitu, defenſivo toto primo triduo adhibito muniendæ ſunt, compoſito ex ovorum albuminibus recentibus & terra ſigillata; in uſum demum ducendo digeſtivum vulgare, compoſitum ex terebinthina, ovi vitello & oleo roſaceo, non dimittendum quouſque pus bonæ notæ prodeat.

III. Interea cum turundæ media ſint aliena, quorum uſus arguit curam eſſe mancam & imperfectam, in id perpetuo incumbendum ut æger, ſi ita licet, illis carere poſſit: adeóque quamprimum à digeſtivo modo præſcripto conſuetus manarit effectus, quotidie magnitudini dictarum turundarum aliquid detrahendum, quæ demum unguentis mundificantibus & ſarcoticis muniendæ erunt, ſicuti in cæteris vulneribus factitari ſolet, quo huic cicatrix expectata accedat.

IV. Nec tamen quis ſibi fingat media dicta ſola ſemper ſufficere ad optatum finem conſequendum hoc in caſu, experientia enim quoſdam temerarios docuit, topicorum adſtringentium & frigidorum vim ſatis efficacem non eſſe ut omnes ægros liberare valeat à periculis, ſymptomatum vulneribus, partium præſertim ſpermaticarum, imminentibus; atque plurimum referre ut ſecuritas quæratur uſurpatis præterea remediis univerſalibus: quapropter venæ ſectio in brachio aliquando operationi præire debet, illam vero ſemper ſubſequi, ſemel, imo bis, ter pro plenitudinis vaſorum ratione: Alimentorum conſuetæ quantitatis imminutio maximi etiamnum eſt momenti, illius quippe beneficio plurimæ humiditates ſuperfluæ abſumuntur; nec enim ſolum obviam eo pacto itur fluxioni & febri, ſed præterea minor ſaniei copia effluit, cujus præſentia vulneris ſanationi moram inferret.

V. Potiones & Ptiſanæ refrigerantes & laxativæ, ex caſſia mundata in ſero lactis diluta, vel pimpinellæ & tamarindorum decocto, cui leniſſime infuſa fuerit foliorum orientalium quantitas; vel iterum Enemata ex melle

violaceo parata, & decocto furfuris aut poſca, plurimum opis collatura ſunt, effectum expectatum accelerando; In id quoque utilia ut viſcerum calor moderato calore gaudeat, ne inde pars ægra inflammationem contrahat.

VI. Quies tandem tantum huc opis collatura eſt, quantum motus, illi oppoſiti, humorum fluxiones ciere valent; fibras abrumpere aut invicem diducere, remediorum efficacia jam coaleſcentes, paucis, partium reductarum relapſum inducere, quæ iteratum aeris appulſum, aut manuum Operatoris contactum citra inſignem alterationem ferre nequeunt.

VII. Cæterum, cum non omnes annuli ſemper conſtringantur ab inducta cicatrice, curationi factæ ſuccedente, utilis erit quibuſdam ægris, (præſertim obeſioribus, aut quibus abdominis cutis laxior eſt) aliquo temporis ſpatio à peracta curatione, geſtatio emplaſtri adſtringentis & ſubligaculi, cæteris herniis ſcroti & inguinum dicati.

Cap. VII.

Media per quæ uterus ſedi priſtinæ reſtitutus in ea contineri debet.

Perioche.

1. *Rationes uterum in ſitu naturali continendi in genere.*
2. *Diæta.*
3. *De remediis perperam uſurpatis.*
4. *De quiete.*
5. *De Adſtringentibus internis.*
6. *De Injectionibus.*
7. *De Peſſariis vulgaribus.*
8. *De Naſcalibus uſitatis.*
9. *De uſu Peſſariorum & Naſcalium.*
10. *De Vulgarium Peſſariorum vitiis.*
11. *De Peſſariis elatere donatis, ab Authore excogitatis.*
12. *De Peſſariorum Elaſticorum fabrica.*
13. *De utilitate ejuſmodi Peſſariorum.*
14. *De neceſſitate fabricandi Naſcalia; figuram gerentia Peſſarii elatere donati.*

I. Media per quæ uterus repoſitus in nativa ſede continetur à pleriſq; authoribus tradita, ſunt in genere Diæta, Quies, Adſtringentes potiones, opiatæ, pulveres, Vomitoria, Cucurbitulæ ſiccæ, infra mammas admotæ & imo ven-

ventri, Emplaſtra, Unguenta ſtyptica ſupra umbilicum & lumbos, Suffitus rerum odaratarum per nares inſpiratus, fœtidorum per inferiora exceptus; Fotus ex rebus adſtringentibus, totius ventris & vulvæ, Injectiones ejuſdem naturæ per metrenchytam in vaginam aut in ipſum uterum, tandem Peſſaria & Naſcalia, immediate dicata fulciendæ ultimæ huic parti. At vero cum tot remediorum apparatus affectus iſtius curationem difficiliorem & moleſtiorem redderet, formæ autem in quas efficta quæ hactenus maxime inter ea neceſſaria ſunt modo dicta, non eam perfectionem obtinent quam in iis deſideramus, id primo accurate diſquirendum ex eorſum eorum numero quænam abroganda citra ęgrorum detrimentum, ac poſtmodũ diligenter perpendendæ conditiones in reliquis requiſitę quò optatum afferant ſucceſſum.

II. Sin à Jejunio aliquid ſperandum ad conſtrictionem ligamentorum quibus laxitas inducta eſt, ratione exſiccationis ea ratione toti corpori inductæ, debilitatis virium conſequi ſolitæ, vice verſa metus imminet quoties tantundem temporis in illius obſervatione inſumitur quantum requirit affectus natura (cujus curatio diu protrahitur) quod vix uterus ſitum naturalem tandem obtineat. Ideoque recta victus ratio, quæ me judice debetur mulieribus illi affectui obnoxiis, minus conſtituenda videtur in abſtinentia alimentorum conſuetorum, quam in delectu calefacientium, hoc tamen ſuppoſito ut ægrorum præſens diſpoſitio non omnino repugnet, cujus ratione illorum uſus interdicatur.

III. Demum, nemo rectam rationem reddiderit cur vomitoria, cucurbitulæ & ſuffumigia ad iſtius morbi curationem præſcripta fuerint, perſpicuum enim eo ſolum nomine utilia eſſe poſſe quod ſurſum uterum propendentem revocent, At vero à Chirurgi manu is effectus, ut pote multo magis idonea, expectandus eſt, Nec itidem mihi apparet quid ſperandum ab unguentorum facultatibus, emplaſtrorum & decoctorum adſtringentium, ex quibus fotus parantur, ab admotis enim partibus exterioribus ejuſmodi medicamentis, more conſueto uſurpatis, vix veriſimile eſt, ob exiguas quæ illis inſunt vires, effectum partes affectas pertingere poſſe.

IV. Ex remediis ergo ſuperius allatis ſuperſunt ſolum Quies, Medicamenta adſtringentia interius aſſumpta, Injectiones ex liquoribus adſtringentibus paratæ, Peſſaria & Naſcalia: Quoad primum remediorum notatorum, quempiam repertum iri qui in dubium revocet utilitatem ex illo emergentem, vix crediderim, Id vero obſervari velim nomine Quietis intelligendam eſſe eam quæ decubitum corporis ſequitur, præſertim in dorſum, nec enim inſigne auxilium expectandum à quiete ægri dum ſtat aut ſedet: eo quod ab ejuſmodi ſitu præcaveri non poteſt ne uterus proprio pondere verſus inferiora vergat: Revera tamen conſtat corporis tranquillitem, cujuſquemodi illa fuerit, æque conferre ſanationi affectus à me aſſi-

gnati, ac corporis agitatio huic obſtare valet. At vero cum optandum ſit ut miſellæ, hoc affectu detentæ, valetudini priſtinæ reſtituantur, operationibus ſolitis non dimiſſis, quibus vacare ad vitæ ſuſtentationem neceſſe eſt. Imo ſæpiſſime cæteræ vix vitæ ſedentariæ & otioſæ adſtringantur, niſi urgentiores eas gravent affectus; meo judicio incumbit neceſſitas multas à ſeceſſus & decubitus moleſtia liberandi, ac proinde in id opera navanda ut cætera media à me propoſita idonea fiant ad ſupplendum hujus defectum.

V. Adſtringentia autem interna eximii effectus futura ſunt ſi qualitates à me deſignatas eo capite, in quo factus mihi ſermo de tribus Herniarum ſpeciebus, in inguinibus & ſcroto excitari ſolitis, poſſideant; faceſſere juſſis ſerico crudo, granis kermes, aliiſque remediis ineſſicacibus & ſuperſtitioſis, ab obſtetricibus vel imperitis Chirurgis eo in caſu præſcribi ſolitis.

VI. Quoad injectiones, quarum beneficio liquores adſtringentes immediate partes affectas contingunt, non difficile erit quibus qualitatibus præditæ eſſe debeant indicium ferre, ſi illud animadverſum fuerit è fibris, quæ conſtrictione egent, alias eſſe nerveas, quibus priſtinus tonus reſtitui nequit aliter quam beneficio rerum penetrandi vi præditarum & ſpirituoſarum: alias vero eſſe carneas & membraneas, quas non melius in priſtinum ſtatum reduxeris quam uſu medicamentorum ſtypticorum & exſiccantium, è mineralium claſſe deſumendorum; adeo ut quo utrique ſcopo ſatisfiat, utile ſit uti rubro vino auſtero, cui leviter admiſta ferri limatura ebulliat, diſſolvendo poſtmodum tantiſper aluminis, aut etiamnum aquam vitæ agitatam cum lapide medicamentoſo *Crollii*, deinceps remixtam decocto corticum granatorum & nucum cupreſſi, facto in aqua fabrorum, ſin ejuſmodi ægritudini quodammodo fomentum præbeat quædam gonorrhoea (id quod non raro contingit) medela adhibenda erit ea quam propoſui libro à me edito obſervationum circa Luem veneream; vel tantum in uſum ducetur Pulvis ſympathicus, mixtus ſpiritui vini camphorato, & aquis roſarum & plantaginis partibus, à curæprimordiis animadvertendo ut proportio habeatur virium omnium remediorum ad ægrorum conſtitutionem, de viribus & efficacia eorum demendo pro ſanationis progreſſu, quo ſenſim partes aſſueſcant loco in quo conſtitutæ, abſque ſubſidio præſidiorum dictorum.

VII. Supereſt jam verba faciamus de remediis ultimo loco propoſitis, prioribus, meo judicio, multum anteferendis, quippe quæ ſola matricis deſcenſum inhibere valent, etſi cætera omnia conjunctim inutiliter uſurparentur, niſi illorum operationem horum vis juvaret: Quo is effectus in mulieribus ſuccedat, ex ſubere effingitur inſtrumentum quadratum, craſſitie tranſverſi digiti, latitudine trium, aut ad ſummum quatuor tranſverſorum digitorum, ſed fere cylindri formam obtinens, hoc eſt, cujus anguli & latera

ra

ra admodum obtuſa ſint: inſuper in ejus medio excavatur foramen rotundum, tantæ amplitudinis quæ admittere queat orificium internum uteri, cujus etiamnum circumferentia in rotunditatem deducta ſit, adeo ut paretur ſpecies quædam ceſticilli, qui cera coopertus, remixta quibuſdam medicamentis fœtidis, conficiat id quod vocavi Peſſarium.

VIII. Virginum ratione, quibus anguſtia genitalium conſervanda, in uſum tantum ducantur vocata Naſcalia, ea propemodum forma concinnanda ut ad magnitudinem exigui admodum ovi gallinacei accedant; aliquando ex materia pro Peſſariis tradita, ſed ſæpius ex linteo vel corio goſſypio infarciendo, mixto cum ſpeciebus prædictis.

IX. Peſſaria in fundum vaginæ intromittuntur, uterum ſuſtinendi gratia, quæ ſatis arcte à rugis dictæ partis cohibentur, ob angulos quibus donata ſunt, & circumferentiæ magnitudinem. Quoad Naſcalia, cum eorum maxima dimenſio in longitudine ſita ſit, fere univerſum colli uterini ſpatium occupant, à quibus ſufficienter ſuſtentatur, quo ſpatio eo arctius coercentur, quod tantum ab iis uſurpentur quarum orificium exterius ſemper conſtrictum eſt.

X. Meam ſententiam laturus de Peſſariis deſcriptis, non exiſtimo ea poſſe omnino explere ſcopum illis propoſitum qui illa uſurpant, etſi enim firmitudine perpetua gaudeant, ratione illius partis vaginæ cui admoventur, certum tamen eſt præ uteri pondere ea deſcendere, reſpectu altitudinis hypogaſtrii cui prius indita fuerant, qua de cauſa ligamenta lata eandem extenſionem quam ante obtinent, quo fit ut affectus, quem ſuperandum ſuſceperas, fere nunquam illorum ope deſinat, nec aliud præterea præſtent quam ut augmentum prohibeant.

XI. Mente ergo revolvens, quo eventus expectatus iis quæ à me præcedentibus capitibus conſtituta ſunt conformis eſſet, excogitandum credidi ac fabricandum Peſſarium, quod tanta æqualitate & validitate uterum in ſede naturali cohiberet, ut nec ob motum ejus procidentia, neque commotionem ordinariam vel extraordinariam corporis, novus prolapſus accideret poſſet, ac præterea ægris nulla inſignis moleſtia ſuperveniret: Experientia autem cognitum habeo id beneficii toties nos conſequuturos quoties à me juventum uſurpatum fuerit, ejus figuram hic exhibeo.

Explicatio Figuræ Peſſarii Elatere donati, ab authore inventi.

AA Duo ceſticilli.
BB Extremum utrumque partis internæ Peſſarii.
C Tegmen annulorum, ex tela tenui incerata.
DD Circumferentia annulorum, ob quæ tegmen extuberat.
E Peſſarii pars convexa.
F Pars concava ejuſdem Peſſarii.



XII. Conficio id Peſſarium ex filo ferreo, elaſtico, ejuſmodi propemodum craſſitiei & longitudinis quæ in ſubligaculo à me propoſito, ex una parte tamen incurvo, intertexto quibuſdam in locis filo incerato eóque duplicato, cum duobus ceſticillis ex eadem materia, ejuſdémque figuræ cum peſſariis vulgaribus, quos annecto ambobus annulis in extremo elateris illius conſtitutis, ex tela tenui & incerata qua cæteri omnes involvuntur.

XIII. Novi hujus Peſſarii hæc eſt adminiſtrandi ratio, alter ceſticillorum in vaginæ fundum introducatur, quo in medio ſui admittat orificium internum uteri; alter vero caruncula prætergrediatur, ut poſſit cohiberi à rugis partis mox nominatæ, hoc animadverſo ut elateris pars convexa incumbat inteſtino recto; ex oppoſito pars concava verſus veſicam collocetur, quo præciſe partium conformationi adaptetur.

XIV. Cæterum ſufficiat id noviſſe quod modo allatum de conſtructione & uſu hujus Peſſarii, nec ignoraſſe conformationem partium imi ventris mulierum, ut inde manifeſtum fiat id non minus commodum quam tutum eſſe, quandoquidem ingredientia ejus compoſitionem facile corruptionis occaſionem vitant, imminentem ab humiditatibus partium quas attingit, nequaquam impedit effluxum ſuperfluitatum per uterum elabentium, adimplet omnino ſpatium ab hac parte alias occupandum, ad infra deturbandum ob prolapſum vel procidentiam, Ea figura donatum eſt quæ accommodari facili queat vaginæ diſpoſitioni, partiúmque vicinarum, Paucis, mollitie ſufficienti donatum eſt, cujus ratione utero nullam læſionem inferre poteſt, eum prænimia rigiditate violentius impellendo.

XV. Naſcalia ante memorata quod ſpectat, videntur mihi ob extremitatem acumine donatam ſtabiliméntum præbere nequaquam conveniens uteri orificio interno: Compertum præterea quæcunque iis utuntur, adeo frequenter de dolore parti illato conqueri, ut veriſimile ſit orificium dictum internum vergere ad latus illius extremi quod tunc temporis comprimitur, adeo eo ut ejuſmodi Naſcalia idonea videantur potius ad recentem ægritudinem inducendam, quam curationem earum quarum gratia uſurpantur promovendam: Adde quod ægris incumbat neceſſitas illa removendi quo tempore menſtruus fluxus contingit: Quapropter nullus dubito utiliorem multo fore uſum elateris, illi ſimilis qui Peſſarium à me dictum ingreditur, ſi modo obſervetur ut brevior fiat illius circumferentia, ne neceſſitas

ceſſitas

ceſſitas incidat inſigniter orificium externum uteri dilatandi ; ac præterea obvolvantur annuli extremitatum ſolummodo pauca cannabe & cera, inter quos eo pacto ſuperſtes erit ſpatium ſufficiens pro orificio interno excipiendo, ac ut ſanguini menſtruo exitus concedatur.

Cap. VIII.

Ratio Inteſtinum Rectum loco ſuo naturali reſtitutum continendi.

Perioche.

1. *Errores in praxi quorundam authorum.*
2. *De remediis liquidis inteſtino recto reducto idoneis.*
3. *De medicamentis emplaſticis eidem ſcopo deſtinatis.*
4. *De ſubligaculo continendis podici admotis remediis apto.*
5. *Tempus & modus apparatum immutandi.*
6. *Vſus remediorum internorum.*
7. *Ad remedia extraordinaria aliquando recurrendum eſt.*
8. *Nova machina ab Authore excogitata, inteſtino recto continendo idonea.*
9. *Vſus dictæ machinæ.*
10. *Proprietates illius.*

I. VBi in hypogaſtrium repulſum fuerit inteſtinum rectum, ex mente authorum quorundam qui ea de re ſcripſerunt, collocandus æger ſupra aſſerem cui inſidere debet, poſtmodum podici admovenda ſunt medicamenta adſtringentia, linimenti forma, ſuffituum, fotuum & cataplaſmatum: Id vero cum uſu compertum habeam Linimenta ſemper ex rebus pinguibus & oleoſis confici, ad quorum uſum relaxatio potius quam conſtrictio podicis ſequitur, à ſuffumigiis autem ejuſmodi in caſu effectum ſufficientem aut affectui proportione reſpondentem ſperabilem non eſſe; Formulas tandem ab ipſis conſcriptas ad fotus conficiendos, aut cataplaſmata, medicamenta ejuſmodi aut debilia reddere aut uſurpatione difficilia, inutile meo judicio futurum credidi quæcunque hac de re ſcripto conſignarunt hic congerere, ſatiſque Lectori factum iri ſi illi eorum deſcriptionem quæ mihi ab experientia innotuerunt exhibuero.

II. Liquores ad fotum inteſtini recti procidui idonei, ſunt Aqua aluminoſa, cujus deſcriptio apud authores proſtat, in chimiſtarum elaboratoriis parata, Aqua calcis, in qua diſſolutum fuit ſal ſaturni, miſcenda poſtmodum duplæ portioni aquæ fabrorum: Tinctura tandem benzoini cum ſpiritu vini extracta, commixta poſtea quadruplæ aquarum plantaginis & centinodiæ anatica proportione miſtis quantitate.

III. Quoad Topica parti admovenda, ibique detinenda, nullum repe-

rire eſt efficacius albuminibus ovorum, quibuſcum remixta fuerint flores ſulphuris & vitriolum ad albebinem calcinatum, æquis portionibus; aut quod ſatius, colchotar, de quo ſuperius egi, obſervando ut tantum illius imponatur quo compoſitum conſiſtentiam ſolidiuſculam acquirat, ſtupis id aut linteis concerptis excipi debet, demum parti affectæ admoveri.

IV. Remedium id ope ſplenii ſat magni contineri debet, ac faſciæ ex linteo duplicato comparatæ, trium tranſverſorum digitorum latitudinis, parte antica & poſtica cingulo, ex eadem tela confecto, adnectendæ: faſciæ tamen extremitas anterior bifida ſit, quo circumduci queat pars una ad latus unum, altera ad alterum, ne partes pudendas obtegat, ſubligaculum autem eo ſtrictius cohibeatur.

V. Detrahendus erit apparatus, turundæque renovandæ quoties ægro deſidendi neceſſitas acciderit: ex præcepto autem *Hippocratis*, aliorumque deinceps authorum, nunquam alvum exonerare debet quin prius podex fulciatur duobus aſſerculis, eum in finem intra tibias collocatis, & ad ani latera: Hoc vero in caſu præferrem ego craſſiorem aſſerem, quantum opus eſt excavatum, quo natibus excipiendis proportione reſpondeat; cui præterea foramen inſculperetur calculi numeratorii magnitudine, qua parte anus collocandus, eo enim pacto ægri fæces liberius excluſuri ſunt, aut ſaltem majori ſecuritate.


VI. Hoc vero non prætereundum, remediorum adſtringentium uſum hoc caſu periculi plenum eſſe, eo quod ab iis fæces indurentur, quæ poſtmodum abſque conatu excludi nequeunt; qua de cauſa potius ægris exhibenda decocta prunorum dulcium, iuſcula carnis vitulinæ, aliaque alimenta alvum laxam ſervare idonea, medicamentis catharticis anteponenda, à quorum impetu & commotione pars affecta extra ferri poſſet.

VII. Cæterum, etſi remedia topica & adſtringentia fere ſola ſæpe ſufficiant, quæ anum prolapſum diſpoſitioni nativæ reſtituere valeant, experientia tamen duce innotuit eadem aliquando invalida eſſe, Ex *Aëtii* enim ſcriptis diſcere eſt, ab antiquis in ægris quibuſdam muſculos ani adeo relaxatos & debiles inventos fuiſſe, ut neceſſe habuerit totum ejus ambitum cauſticis admotis inurere, ad inducendas cicatrices confirmationis gratia inducendæ: At vero cum ejuſmodi operatio æque hodierno tempore moleſta ſit ac inuſitata, jam pridem animo inſedit diſquiſitio ſedula præſidii cujuſpiam lenioris, facilioris, ſed ſimul tuti: Excogitata autem à me machina ſcopo meo adeo quadravit, ut dicto in caſu ſæpe numero multis auxilio fuerit.

VIII. Machinæ illius primaria pars eſt cannula argentea aut cuprea, longitudinem minimi digiti obtinens, penna ſcriptoria paulo craſſior: Eo modo concinnatur ut in circumferentia ſua, in uno extremo ſulcum obtineat, aut lineam excavatam, quo illic adaptari queat ope fili validi atque

dupli-




E
D
F
A
A
B
C
I
E
H
G

duplicati, veſica porcelli lactantis, aut galli indici ventriculus: in altero vero extremo donata ſit exiguis duobus uncis acutis, deſtinatis continendo fruſtulo ſuberis, rotunda forma & depreſſa donati, coronati circiter magnitudine; elatere præterea illi ſimili quem habent pyxides cupreæ pulveri continendo deſtinandæ, quo ad lubitum reſerari & claudi poſſit: Suberis fruſtum ſic concinnatur ut in ſui medio foramen adſit, quod extremitatem nudam cannulæ excipere valeat, antequam veſica illi adaptetur ante deſignata, quo compelli poſſit uſque ad cuſpides acutas, illi coercendo, ne excidat, dicatas, excavatum vero juxta elateris alam, quo facilius ad motum impellatur: Tandem fabricandus follis, cujus tubulus ſubire poſſit extremitatem cannulæ, elaterem obtinentis, illius præterea voluminis ut parvo temporis intervallo ſufficientem flatum ſuppeditare queat ad complendam dictam veſicam: Eóque pacto perfecta erit machina dicta, cujus fabrica ut clarius deſignetur, inſpicienda erit illius figura, paginæ ſequenti inſculpta.

Explicatio Figuræ & machinæ ab Authore excogitatæ, ad cohibendum anum in ſtatu naturali.

AA. Cannula.
B. Follis tubulus, inditus foramini cannulæ.
C. Vncorum alter, cujus cuſpis infixa eſt ſuberis fruſto.
D. Elateris ala.
E. Suberis fruſtum.
F. Foramen in fruſto ſuberis excavatum, ad motum facilem alæ elateris.
G. Veſica lactentis porcelli.
H. Filum cujus ope adnectitur.
I. Follis.

IX. Hæc porro machina ſic in uſum ducatur, Cannabe aut tela concerpta ſuperficie tenus cooperiatur ſuberis pars depreſſior, è regione veſicæ porcinæ admotæ, ac præterea cannula ſecundum longitudinem quæ fruſtum ſuberis interjacet & dictam veſicam, obducendo poſtea canalem mixtura adſtringente ſuperius deſcripta; Demum aſſumitur bacillum in extremitate obtuſum, inſeritur id ductui cannulæ in fundũ uſque dictæ veſicæ, quo pacto in anum facillime intruditur quantum neceſſe eſt, ut ſuberis fruſtum prope anum compelli poſſit; tunc dilatatur elater, cannulæ immittitur tubulus follis, ut veſica vento adimpleatur, in qua cohibendus laxato elatere quo momento eximitur follis. Hoc addendum ſupereſt, dicta omnia comprimenda & cohibenda eſſe ope ſplenii & faſciæ ſupra deſcriptorum, ac

elaterem aperiendum eſſe, poſtmodum incluſo flatui exitum concedendum cum ægri alvi onus depoſituri ſunt, inſidentes tunc temporis aſſeri, de quo ſupra, ſed paulo poſt admota mòdo deſcripto machina, eademque dicta miſtura adſtringente obducta.

X. Denique, hujus machinæ proprietates facile innoteſcent, ſi illud animadverſum fuerit veſicam flatu turgidam, inteſtini recti fibras æque ſecundum longitudinem contrahere, ac eas in latitudine expandit, quo pacto coguntur verſus interiora adducere fibras muſculi orbicularis, ſeu ſphincteris ani, quibuſcum continuitate junguntur, qua de cauſa fit ut paulo poſt proclivitatem ad extenſionem exuant, atque inclinationem verſus exteriora & ad inferna, cui ſcopo eo magis conducit adſtringens miſtura dicta, quod non ſolum conſtringendi vi polleat, ſed præterea humiditates ſuperfluas abſorbendi, eaſque, dum parti cohærens exſiccatur, abſumendi.

Cap. XI.

Cautiones ſingulares in curatione Infantium obſervandæ.

1. *Quæ cauſæ in infantibus ani prolapſum excitent.*
2. *Diverſitas ætatum & remediorum.*
3. *De uſu adſtringentium interius aſſumptorum ad curationem infantium.*
4. *Cur infantes Bubonoceles operationi non exponendi.*
5. *Periculum imminens ab apertione umbilici puerorum.*
6. *Moleſtia in infantibus excitata ob admota ſubligacula.*
7. *Faſciæ infantibus idoneæ.*
8. *De Faſcia inguinali ſpeciatim.*

I. CVm nulla non ætate partes imi ventris violenta agitatione, ab inopinato caſu percelli queant, aut à motibus quibuſdam extraordinariis, nemo mirabitur quod omni juventutis tempore Herniæ memoratæ accidant, ſi ſaltem eas exceperis quæ accidunt ob uteri diſlocationem: ſed ſi præterea perpendatur infantium humiditas naturalis, invaliditas partium, & ejulatus in quos ſæpius feruntur, nulli non conſpicuum erit illos adultis magis dictis affectibus obnoxios fore.

II. Cum porro certum ſit humani corporis conſtitutionem pro augmenti ratione variare, ac prout ad perfectionem vergit, Illud ſupponendum videtur non minorem diverſitatem quærendam in remediis ac in ætatibus: quamobrem inſufficiens videretur doctrina capitibus præcedentibus allata, ubi

de ratione reſtituendi & continendi epiploon & inteſtina à ſitu naturali deflectentia in adultis utriuſque ſexus, niſi præterea præſcriberentur media obſervanda in quibusdam gradibus iſtiuſmodi affectus, ſi is infra decimum quintum annum conſtitutos aggreditur: Interim cum eadem media utilius cæteris omnibus uſurpari queant in poſtremis hiſce, proportione ſervata virium medicamentorum & formæ ſubligaculorum, ad eorum robur & conſtitutionem præſentem) dictæ præterea circumſtantiæ ab iis facilè determinari poſſint qui à me propoſitis alieni non fuerint, inutile futurum eſſet meo judicio ſi methodum ſingularem conſcriberem Infantium curationem ſpectantem, colophonem huic tractatui impoſiturus ſum, prius exhibitis, Lectori quatuor obſervationibus non minimi, ut exiſtimo, momenti ad infantium aut juniorum curationem.

III. Prima eſt, nutricibus tantum concedendos eſſe liquores, ex adſtringentibus & exſiccantibus ad Herniarum curationem exhiberi ſolitis: Topica autem adplicanda multo invalidiora eſſe debere.

IV. Secunda eſt, in iis operationem pro Bubonocele allatam perfici non poſſe abſque præſentiſſimo periculo, quamobrem ſatius eſſe ab ea abſtinere; Id quod eo potiori jure obſervandum, quod perquam raro contingat inteſtinorum ſtrangulatorum reductionem non ſuccedere, beneficio contrectationis manuum & admotionis remediorum reſolventium: eo quod illorum partes molliores ſint & ad extenſionem paratiores, debilitas item caloris naturalis cum humiditatis copia, craſſiora excrementa minus dura reddant, magiſque friabilia, ideoque facilius in ventris capacitatem retrudi apta.

V. Tertia eſt, Si adultis immineat periculum ab operationibus olim tentatis ad Exomphali curationem, neci certiſſimæ expoſitum iri infantes ſi in umbilico fiat inciſio, cujus rei funeſta extant exempla apud *Ambroſium Paréum. Ludovicum Guyen*, & alios.

VI. Quarta tandem eſt, non eſſe aures præbendas quibuſdam recentioribus, ſubligaculorum uſum infantibus, dum adhuc faſciis obvolvuntur, præcipientibus, dummodo inceratæ ſint, eo quod ab excrementis ſuſcipiendæ putredini non ſint obnoxiæ: nam præterquam quod cingulum ſolum incerari queat, cum tenelli ejuſmodi ægri faſciis ſunt involuti, nullo motu agitantur, cujus ratione ad ſubligacula elaſtica deveniendum ſit; Nutrices porro, dum faſciis involvunt infantes, fere ſemper loco dimovent pulvinum ſubligaculorum vulgarium, unde multa plerumque & moleſta ſequuntur accidentia: quibus addere licet utriuſque generis ſubligacula non tamdiu cuti adhærere poſſe quamdiu opus eſt, molli & teneræ, quin contuſiones & excoriationes illi inducantur intolerabiles.

VII. Quapropter, poſtquam partes Herniam umbilici, Inguinum, &

ſcroti excitantes reſtitutæ fuerint, ſatis fuerit illas compreſſiſſe ope trium ſpleniorum ex linteo paratorum, quorum primum minimum eſſe debet, tertium maximum ſuper iniecta faſcia umbilicali ſi laborent Exomphalo, quæ perficitur decem aut duodecim circumvolutionibus cinguli in modum; ope faſciæ tres circiter digitos tranſverſos latæ: Ad cæteras autem uſurpando Faſciam, quam vocavi Inguinalem, adultis etiamnum utilem, peracta in illis operatione Bubonocele dicta, modo ſequenti peragenda.

VIII. Aſſumatur Faſcia glomerata, ejus prope latitudinis cum iis quæ uſurpantur facta venæ ſectione, magnitudinis quæ proportione reſpondeat corporis craſſitiei cui admovenda: Hujus faſciæ prius caput umbilico primo admovetur, adduciturque poſtmodum verſus natem oppoſitam inguini affecto, unde ſurſum adducenda eſt ſupra ſplenia (prius adplicanda loco pulvinum ſubligaculorum excipienti) adeo ut ſemper eam verſus latus affectum deferendo corporis peripheriæ circumducatur, deducendo eam deinceps, ut ante, quoties neceſſe eſt ad ſpleniorum compreſſionem, quibus ſemper ea de cauſa affigantur aciculæ, ad unamquamque faſciæ ſuperinducendæ circumvolutionem.

FINIS.

Ejuſdem

NICOLAI DE BLEGNY
OBSERVATIONES
RARIORES ET NOVÆ IN artem curandi LUEM VENEREAM,

UBI

Symptomata ab ea oriunda, juxta ſingulos illius gradus, per principia naturæ & mechanica explicantur, Nec non Mercurii motus, actiones, effectus, ac remedia ab eo petita examinantur.

Scriptorum quoque nonnullorum errores aperiuntur, ac empiricorum, circumforaneorum, agyrtarum aliorumque imperitorum fraudes producuntur.

PRÆFATIO.

ETSI qui hactenus credulis auribus impoſuerunt ægre ſe ſugillari paſſuri ſint, æquitati tamen meæ aliquid debere ſciant velim, eo quod innominatos prætermiſerim Authores à quibus theoremata noxia emiſſa ſunt; Practicos qui inconſulto & temere eadem admiſere: imo & Agyrtas, qui fraudum omnium à me animadverſarum rei ſunt: Eos qui lucro nimis inhiant leniturus ſum, modum medicamenta componendi omittens, inſtrumentorum delineationem, vocum explicationem, atq; in genere notitiam rerum quæ ſpecialius artem Medicam ſpectant, ne

imperiti & fraudulenti præpoſtere his obſervationibus utantur, iis ſolum dicatis qui dextre in uſum flectere nati ſunt: Cæterum, vix credo repertum iri quempiam qui vitio mihi vertat quod authoritatibus Obſervationes meas non fulciam aut comprobem, quandoquidem principiis, priſcis authoribus ignotis, innituntur, neque adhuc hactenus omnino in ſcholis admiſſis; adde quod Chimiæ producta, quæ hunc in finem præſertim adduco, eo præſertim nomine conducibilia ſunt, quod demonſtrationis vim obtineant & principiis naturæ affinia: Vtut vero ſit, id mihi jure arrogavero me primum in hac arena deſudaſſe, exemplis demonſtraturum quid per qualitates occultas & ſpecificas intelligendum ſit, quas alii Lui & remediis eam expugnantibus aſſignaverunt, etſi, ut ingenue fatear, inſtitutum hoc peritiorii manu tractari debuiſſet; at vero cum nemo non onus detrectaverit, neceſſitas vero ſuſcipiendi mihi perſpecta fuerit, in proprios uſus operam navavi, hinc occaſione data, in alienos; plurimos ſæculi noſtri eruditos ſequutus (à quibus multæ ſimiles obſervationes collectæ ſunt) ſcientias, Medicinam præſertim, ſimul demonſtrativas, evidentes & certas reddere adnitentibus.

Sectio I.

Animadverſiones quaſdam continens, nonnullas item Obſervationes utiles circa Nomen, Definitionem, Originem, Cauſas, Differentias, Signa & Prognoſin Luis Venereæ.

CAPVT I.

De Lue Venerea in genere. 1. Ejus nomina. 2. Definitio. 3. Origo.

1. IN numero morborum humano generi infeſtorũ, omnibus perſpicuum eſt nulli plura, quam cui de quo ſuſceptus mihi ſermo, aſſignata fuiſſe nomina: Nationes omnes quibus Lues hæc innotuit, viciſſim ejus originem in ſeſe retorquere adnixi ſunt, aut ſaltem ejus contagium; unaquæque porro earum lui nomẽ indidit, deſumptum à regione quam infenſam habuit, hinc Europæi Americanam dixere, Hiſpanicam, Neapolitanam, Italicam & Gallicam. Probi & pii morbum pudendum vocavere, quo cunctos ad execrationem incitent, Vel quia reapſe aliquid probroſum obtinet, eſtque non minus indicium quam fructus laſciviæ & libidinis effrænatæ: Apud Poëtas

Poëtas Siphylidis nomen obtinuit, finxerunt enim Paſtorem cognominem ea primum omnium inquinatum fuiſſe. Tandem in genere apud Gallos innotuit ſub nominibus morbi Venerei & Variolæ magnæ, eo quod partes Veneris influxibus ſubditæ illius origini anſam præbuere, atque cæteris ſæpius ejus communicationi conferunt, Quia iterum ſæpius nævos profert & puſtulas univerſæ cuti inductas, quas non abſimiles volunt iis quæ in variolis excitantur, nec non aliis quibuſdam, quibuscum tamen nequaquam conveniunt.

II. At vero ſi difficile ſit Lui huic nomen imponere, ac univerſim æqualiter ab omnibus receptum, potiori jure dixeris plus difficultatis ſubeſſe in ejus definitione tradenda, cum omnibus ad rectam definitionem requiſitis circircumſtantiis, eo quod in ejus forma pene omnia morborum genera à Medicis perſpecta deprehendere licet: vel potius quod omnia accidentia, ejus producta, differentiam eſſentialem conſtituere nequeunt, eo quod pluribus aliis affinitate conjuncta ſint, cauſis nihilominus admodum diſcrepantia: Quare aſſignata hic Definitio ex earum propre genere ſit quas Accidentales ſimpliciter vocare licet, vel potius Deſcriptio tantum.

Lues Venerea *Intemperies eſt contagioſa, per attactum in alios ſerpens, producta à ſale venenato, orto ex mixtione & corruptela ſeminum plurium individuorum, receptorum & retentorum in uteris meretricum, quo ſale mediante, omnes ſubſtantiæ liquidæ, quibuſcum commiſcetur, craſſeſcunt & corrumpuntur: nervi, cutis, ac in genere carnes quibus adnaſcitur, lancinantur, corroduntur, exſiccantur, oſſa tandem & cartilagines, quæ pervaſit, tumeſcunt, carie & putredine afficiuntur.*

Objiciet forte quiſpiam accuratiorem fore definitionem, appoſito genere generaliori quam eſt Intemperies, quandoquidem nullo non tempore illius comites ſunt ſolutio continui & vitioſa conformatio: At vero notandum per genus Affectionis contra naturam, quod magis cõgruum videbatur, tam præciſe affectum definiendum non fuiſſe: adde quod ſtatuere liceat intemperiem abſolute pertinere ad illius eſſentiam; plurima vero produci poſſe exempla hanc abſque ſolutione continui, & vitioſa conformatione exiſtere poſſe; quæ proinde ſolum tanquam accidentia ſeparabilia perpendi queant.

Cæterum, quanquam prædicta definitio ſit longiſſima, prolixiori tamen explicatione non eget; nam etiamſi, exempli gratia, apponam Luem veneream attactu eſſe contagioſam, nulla neceſſitas cogit in comprobationem rei veriſſimæ, quandoquidem omnibus Medicis res in aperto eſt, & fere omnibus; Facillime præterea adnotare licet, materiam Luis parentem Sal eſſe venenoſum, ſi animadvertantur affectus ex ejus commixtione reſultantes, copula, aut penetratione: Id tandem facile quivis percipiet idem Sal

partim *fixum* eſſe, quandoquidem acidorum qualitatis particeps eſt; partim *volatile*, cum venenorum indolem ſapiat: Supereſſet vero nunc demonſtrandum quomodo originem ducere queat à mixtione & corruptione ſeminum variorum individuorum, ſed cum horum explicatio ampla futura ſit capite ſequenti, ubi de cauſis hujus morbi, ſpecialius nunc ea non attingam repetitionis vitium declinaturus, Id obiter dixiſſe ſufficiat, principia quibus innititur æque probabilia eſſe ac nova, ubique illa cum obſervationibus ſequentibus cohærere, ac proinde exactam eorum notitiam comparandam quo ſperatus decerpatur fructus.

III. Quoad Luis originem, cuilibet id obſervare licuit nulla de re tanta contentione ab authoribus diſceptatum fuiſſe, qui de ea aliquid ſcriptis conſignarunt: A quibuſdam ſancitum merum eam eſſe vindictæ Divinæ effectum, cujus origo aliunde deducenda non ſit quam à pœna, à Deo irroganda enormi libidini hominum poſtremi hujus ævi: Alii ab ipſis Indis repetunt, ab Hiſpanis, Neapolitanis aliiſque populis, unde manaſſe aſſerunt: Ab aliis commentitius eſt leproſi cum impudica muliere concubitus, aut copula hominis cum Equa ſcabie quam Galli vocant *le Farcin* infecta; Multi præterea multa hac de re finxerunt, veritati non magis conſona quam quæ ſuperius adducta ſunt, quia earum quædam Theologica ſunt, aut fabuloſa, ac proinde extra medicorum caſtra, quibus unicus eſſe debet ſcopus, conſervatio ejus quod ſecundum naturam eſt in homine, (conſiderato tantum quatenus eſt animal rationale), aut præterea deſtructio ejus quod illi adverſum eſt: quare inferre licet ab ipſis nulla alia media eo collimantia in uſum ducenda eſſe, præter ea quæ mere naturalia ſunt; axiomata autem & concluſiones non aliunde ab ipſis deducenda eſſe quam à rebus quæ in ſenſus manifeſte incurrere valent.

Revera ſi Phyſica medicinæ baſis & fundamentum ſtatui debet, nunquid medicorum officii eſt quæcunque ab illa pendent, per naturæ principia, vel artis, ejus imitatricis, demonſtrationibus fulcire? Nunquid æquius eſt Theologis ſolis eorum quæ ſupra naturam ſunt examen relinquere? Parili ratione Poëtis quicquid fictitium eſt, chimæricum & commentitium committendum, quo regulis à me conſtitutis ſatisfiat, ipſique rationi, indagine facta originis, cauſarum, imo remediorum omnium generum morborum, per demonſtrationem agentium quibus debent originem, aut à quibus profligari poſſunt, hoc eſt, eorum quæ minuunt, depravant aut deſtruunt motus naturales; vel iterum medicamentorum vitia ejuſmodi emendare valentium: alias tanquam medicinæ effectus admittendæ eſſent miraculoſæ curationes, magicæ & ſuperſtitioſæ.

Cæterum cum legitima & vera Luis origo eadem ſit quæ materiæ ipſius, cujus exiſtentia particulariter tantum capite ſequenti probanda venit, ob rationem

rionem ſupra à me allatam, æquum videtur Lectorem illuc remittere, rem inde repeciturum. Interim cum ab omni ævo proſtitutæ libidinis extiterint mulieres, omnibus promiſcue viris ſe ſubjicientes, hoc in anteceſſum ſtatuendum eſt mundo ipſi pene eſſe coævam Luem, ipſiuſque primordia ab impuritatibus priſcorum ſæculorum arceſſenda eſſe, quibus non minus vulgaris fuit quam quo vivimus, quandoquidem medici antiquiſſimi de accidentibus ipſius comitibus verba fecere, tanquam de diverſis affectibus p. n. tunc temporis familiaribus aut ordinariis; non minus ipſis quam nobis notis ſub nomine ardoris urinæ, gonorrhoeæ, ulcerum virulentorum, bubonum fœdorum, puſtularum ſiccarum, impetiginum, verrucarum, porrorum; tandem nodorum, cariei, exoſtoſeon efferenda.

Veriſimile etiamnum eſt Lepram confirmatam, cujus tanquam effectus rarioris meminerunt, curationem nequaquam admittentis, eandem eſſe cum ea quam nos proprie Lepram vocamus: Cæteras Lepræ ſimplicis ſpecies, quas tanquam admodum vulgares tradiderunt, nihil aliud fuiſſe quam varias impreſſiones à ſalibus venereis cuti inductas, quandoquidem aſſedam habebant, aut ſequacem, maximam partem accidentium Luis; admotione unguentorum mercurialium, nobis hodie etiamnum uſitatorum in fricandis & illinendis infectis, curationem admittentium.

Id tamen concedendum accuratam patrum noſtrorum vivendi rationem, eorumque temperantiam, Luem tunc temporis rariorem minuſque manifeſtam effeciſſe, quamobrem vero quoque ſimile eſt eadem de cauſa Indos præ libidine, cui brutorum in morem indulgent, effrænata, Lui magis obnoxios eſſe: vehementiam porro æſtus pleraſque illas regiones torrentis, ejus accidentia magis terrifica & conſpicua proferre, fervore vehementiori ſanguini inducto.

CAPVT II.

De cauſis Luis venereæ.

I. *Animadverſiones in diviſiones à quibuſdam authoribus adductas:* 2. *Diviſio cauſarum Luis: Diſcurſus in cauſam generationis:* 3. *Obſervatio ſingularis in eandem rem.* 4. *Obſervationes variæ & neceſſariæ de cauſis contagii.*

I. QVi dictiones uſitas deſpicantur, voceſque extraordinarias ſectantur, pauciſque cognitas, pulverem oculis (uti fert adagium) offundere tentantes, dividunt, exempli gratia, cauſas morborum in occultas & manifeſtas, ſympathicas & antipathicas, paucis, in agentes & patientes: quibus ſæpenumero, ſubdiviſionis gratia, eas addunt quas ſtatuunt efficientes;

materiales, formales & finales; primitivas, antecedentes & conjunctas, proximas & remotas, internas & externas: Videntur tandem quidam authores res, quæ pene indiviſibiles ſunt, diviſioni ſubiicere: Interim id obſervare licet ejuſmodi diviſiones eo tantum conducere ut confuſionem animis inducant, ignorantiam pariant & obſcuritatem, quamvis docendi ſcopo innitantur, vel ſaltem niti debeant: Quam res iſta vera ſit, apertum faciet exemplum pene omnium medicinæ candidatorum, qui longum ſæpenumero temporis ſpatium terunt in diſcendis rebus aut inutilibus, aut nulla ratione demonſtrabili fultis; vel quia eas animo non percipiunt, aut quia revera perceptibiles non ſunt, nec ab ipſis traditoribus percepta fuere.

II. At vero ne ſimilem errorem erremus, utque dilucida fiat materia mihi ſuppoſita, quantum per eam licuerit, duas tantummodo Luis venereæ cauſas explanandas ſuſcipio, alteram ſcilicet generationis illius, pendentem à mixtione & corruptione ſeminum plurium individuorum, receptorum & conceptorum iu uno eodemque utero: Alteram ejuſdem communicationis, deducendam à contactu corporum impurorum.

Prioris poſſibilitatem aſſerere eo magis neceſſarium eſt, quod recens invaluit opinio, quam falſam quaſi repudiaturi ſunt qui nihil niſi novum ſit admiſſuri ſunt: imo vereor ne ratio & experientia ſatis firma & dilucida ſuppeditatura ſint argumenta, quo veritas hæc obſtinatorum oculos feriat, quibus ſatius eſt ſine ratione cæcutire, atque amplecti quæ ex præjudicio norunt, quam in id incumbere ut res ad examen revocent, veri à falſo diſtinctionis gratia.

Hoc vero circa rem propoſitam ratiocinio utor, Philoſophi, ac in genere omnes eruditi, in natura nihil inſigniter immutatum agnoſcunt quod fermentationis ratione non accidat, cujus non evidentiorem cauſam invenire eſt quam motum & actionem corpuſculorum ſibi invicem adverſantium: Hujus veritatis exemplum, utile ſpeciatim in comprobationem meæ opinionis, deducendum à generatione animalium perfectorum, præſertim hominis: ſemina enim, illi generationem præbentia, non modo in ſe continent ideam & formam omnium partium, ſed præterea probas aut pravas qualitates temperamentorum & diſpoſitionum naturalium eorum à quibus pendent: id porro adeo certum particulas, à quibus ejuſmodi facultates manant, in ſe invicem reagere conceptione facta, ut ex eadem familia editi modo mares naſcantur, modo fœminæ, modo patri ſimiles, modo matri, imo ſæpius partim unius partim alterius ideam referant.

Sin verum diſcrepantes qualitates ſeminibus duorum tantum individuorum impreſſas, eo pacto in tantum poſſe commoveri, ut ea de cauſa variæ quas continent qualitates per vices aliæ aliis prædominentur, ubi in utero conceptionis gratia detinentur, tertii ſemen paulo poſt iterum admiſſum, tanquam

tanquam materia extranea perpendi debet, à quo illa prohiberi poteſt, aut quæ ſaltem imperfectam illam reddere poteſt, ob inæqualiorem mixtionem validioremque accedentem agitationem, quapropter in hanc opinionem adducor, falſos conceptus æque poſſe eſſe effectus adulterii ac phantaſiæ productionem; quandoquidem abunde innoteſcit Anatomicorum clariſſimos redundantiam ſanguinis menſtrui (qui tamen alterum eſt generationis principium) tanquam cauſam hujus confuſionis & ἀταξίας ſtatuiſſe: quibus& hoc addere eſt eadem de cauſa proſtibula nuuquam concipere, etſi non aliter ſe gerant ac mulieres quæ liberos pariunt, imo forte adhibitis circumſtantiis utilioribus, quia varietas ſeminum, ab ipſis exceptorum, fetmentationem inducit, eo vehementiorem, & magis à naturæ legibus diſſitam quod à majori individuorum numero emittantur, majoríque particularum contrariarum & ſibi invicem oppoſitarum concurſu ſcateant; è qua proinde ſcaturire neceſſe eſt deteriorem immutationem, magiſque à perfectione diſſitam, ad quam natura ſemper tendit: Quapropter obſervandum corruptionem mutationem eſſe quæ fermentationes ſequitur, omnino contra naturam exiſtentes: ac facile eſſe aliunde deducere quomodo varia illa ſeminum commixtio à fermentatione ad corruptionem tranſire valeat eodem fere momento; quandoquidem ejuſmodi commixtio fini à natura deſtinato ea inepta reddit: præterea partis, ea continentis, calor & humiditas ad putredinis ſuſceptionem citam illis diſpoſitionem inducunt: Id vero hic loci maximi eſt momenti, oſtendere ſcilicet quomodo venenatam indolem induere queant, hoc eſt ſubtiles reddi, penetrandi vi prædita, coagulando ſanguini & corrumpendo non ſecus ac cætera venena, idoneæ fieri poſſunt. At vero cũ ſemen, ex omnium conſenſu, ejuſdem ſanguinis portio optima & depuratior habeatur, unicuique porro notum ſit eo deteriorem eſſe corruptionem quo res corruptæ ante puriores & ſinceriores erant, hujus rei veritas ex ſe ſatis eluceſcit, ut ſuperfluum ſit validioribus argumentis aut rationum momẽtis eam aſſerere: Si interim animadvertatur copia ſpirituum quibus ſemina undique turgent, ac natura partis ea admittentis, illud præterea conſpicuum fiet nullam materiam conceptorum ſpiritibus magis tenacem eſſe, atque eo melius conſervari quod immutatio illa in utero contingat, ejuſmodi à natura diſpoſitionem adepto ut eadem ſemina excipere valeat, atque omnoes illorum partes conſervare. Hoc vero unum notatu dignum, quod dum à ſubjecto eorum naturali in alia tranſitus fit, eo magis venenatæ indolis naturam nanciſcuntur, quo plures iteratáſque fermentationes ſubierint.

III. Cæterum quoad hanc opinionem, ex illarum cenſu eſſe videtur quæ ratione duce tantum confirmari queunt, hinc pene impoſſibile eſſe invenire ſubjecta circa quæ experimenta certa tentari queant: Nam præterquam

quod Lues non ſemper indiciis ſe prodit, qua de cauſa pauca individua omnino ejus expertia reperiantur, id tamen contingit eas infici quæ minime omnium idoneæ videntur: Huc tamen adducturus ſum obſervationem amicorum cuidam meorum forte obviam, per quam firmabitur mea hac de re ſententia, Puellam quatuordecim aut quindecim annorum verberandam cum perſequeretur mater, ulnis excipitur juvenis, ſodalitio cuidam operariorum adſcripti, loco conſtituti quem deſignare è re non eſt: ille puellam in conclave ſuum deducit, eáque per vim potitur. Hic contubernalem prædæ participem facit, & hic deinceps tertium, adeo ut tridui ſpatio, eo cubiculo concluſa puella ſex juvenum concubium paſſa ſit: Ex his tandem qui prudentiſſimus, veritus ne quid inde in ſe & alios damni redundaret, puellam domum abire curavit, duce muliere quæ illam ſe in quadam Eccleſia reperiſſe commenta eſt; à matre illico arcta camera concluſa eſt, cui nemini præterquam ſibi aditus patebat: ſex autem diebus elapſis conqueſta eſt puella de intenſis in lotio reddendo doloribus; mater locos explorari juſſit, cui nuntiatum gonorrhoea filiam aut ardore urinæ venereo laborare: Curatio neglecta eſt, quia matri nihil tale in mentem venire potuit; duodecimo autem poſt die in inguine dextro Bubo ſe exhibuit, quæ cauſa interrogandi puellam, à qua ſodales accuſati: Ex prætorio edicto examini ſubjecti, omnes ſine labe, ſine luis indiciis reperti ſunt: Chirurgus vero à quo acceptam habeo hiſtoriam, omnium deinceps familiaritate uſum ſe eſſe mihi affirmavit, nec quicquam quod Luem ſaperet ſe deprehendiſſe, quanquam duodecennium ab eo tempore excurrerit.

Quanquam memorata obſervatio quæcunque ſententiam meam firmare apta ſunt obtineat, non is tamen ſum qui eam tanquam dubitationis aleæ exemptam velim, ſive quod falſitatis ſuſpecta eſſe queat, ſive quia fallaciæ occultæ ſub tegmine veri deliteſcere queant: quare à me conceditur libertas curioſis experimentia alia, quomodocunque libuerit tentare, Omnibus vero ſpeciatim de cæteris hujus opinionis circumſtantiis ſententiam ferendi, juxta mentis conceptus proprios & obſervationes ſingulares, utpote de rebus ultro citroque ventilandis, quippe quæ præterea abſolute neceſſariæ non ſunt ad curationem Luis.

IV. Sufficienti explicatione à me allata cauſæ originalis aut genitricis Luis Venereæ, jam neceſſe eſt deſignare contactus ſpecies, quibus mediis in alios tranſilire poteſt: hic perpendendas tanquam affectus illius cauſas, eo quod illis præſertim intervenientibus comparari poteſt.

Nemo ſibi fingat ſecundam hanc cauſam, tanquam primariam, concubitum, ſemper aſſignandam eſſe, nec quicquam refert quomodocunque contactus fiat, dummodo adhæſus aut ingreſſus cujuſpiam portionis materiæ lue

lue infectæ accedat, id quod directe imo indirecte contingere poteſt, En vero exemplum, Si mulier gravida cum lue infecto concumbat, in uterum alliciat ſemen corruptum illuc ejaculatum, immediate in illam tranſitura eſt Lues, ratione coitus & contactus præcedentium; Infans vero in dicto utero concluſus, ſimul quoque inquinabitur, ratione ejuſdem coitus, non vero contactus, prohibuit enim diſtantia ne ejus reſpectu immediatus fuerit: Idem judicium ferendum de infantibus ex ſimili ſemine genitis, juxta curſum ordinarium, aut per modum ſuperfoetationis.

Præter exemplum à me allatum, alias etiamnum contactus ſpecies reperire eſt, mediis quibuſdam interjectis, quorum nihilominus Lues ſuccedanea eſt, Exempli gratia ſi lue inguinatus calicem exhauſerit, alius eodem utatur, ac forte fortuna labiis attingat locum, vel calicis marginem, cui quippiam ſaniei virulentæ ex ulceribus oris manantis adhæſerit; vel etiam ſalivæ ſalibus Variolicis inquinatæ, ſæpenumero contingit ut illico ſimilia in ore ulcera pullulent, etſi ſuperficietenus partes adlambant; vel ſubito luem univerſalem invehant, ſi ſal inibi conceptum idoneam volatilitatem ac penetrandi vim nactum ſit, quapropter vaſa ſubire valeat, ut in viis tranſitus veſtigia non derelinquat: nam vel pauxillum ſanguini commixtum, fermenti in illo vices obtinet, etſi maſſa non magna ſit; aut, ut verius dicam, illi fermentationem & corruptionem, inſtar cæterorum venenorum inducit, qualitate magis quam copia naturæ bellum indicentium.

Licet & ſimile exemplum eorum adducere qui lue correpti fuere, eo quod in cubili decubuerint, inſtratis inteaminibus quibus ſudor lue infecti adhæſerit, aut virus ex ulcere exudans.

Has contactus ſpecies ſi exceperis, cæteri omnes immediati cenſendi ſunt, quia ſcilicet ſequuntur admotionem unius partis ad alteram: Inter cæteros maxime frequens eſt coitus, initium quippe ut plurimum ducit hic affectus à partibus generationi deſtinatis, ejus autem materia non ſemper εὐλομένην occupat: In ejuſmodi exercitio venereo, ſi vir ulcera venerea in cole geſtaverit, virus portio, illa foventis (quod nihil aliud eſt quam ſalium diſſolutio Luem committentium) ut plurimum vulvæ partem aliquam occupat, vel rugas colli uterini ejus quacum concubuerit, in quo ſæpenumero alia ulcera excitat cuti ſe affigendo, aut cuticulæ partes dictas inveſtienti: Quamobrem obſervandum me poſtremam hanc circumſtantiam jure merito adnectere, eo quod materia dicta non neceſſario ſequiori ſexui ſemper adhæreſcit, ſive quia membrana Vaginam conſtituens, lævis eſt, lubrica, & humore viſcido oblinita, ſive quia infuſum ſemen eodem momento elabitur, quocum ſimul eo facilius ſecedit materia illa virulenta, quod adhæſioni ſufficiens tempus non ſuppetat, ac præterea ſitus illius partis, & conformatio, ad ejus effluxum non parum confert: Eadem quoque de cauſa proſtibula

luem aliquando, qua reapſe carent inferunt, eo quod ad concubitum accedentes, non diu poſtquam viri impuri conſortio uſa ſunt, facilis eſt communicatio portionis admiſſi virus, etſi deinceps immunitatem adipiſci queant ab adhæſu & effectu materiæ reſiſtantis, viis à me modo indicatis.

Hoc vero notatu dignum Gonorrhœam virulentam, & Luem ubique diffuſam, æque eſſe idoneas ad ſemini inquinationem inducendam, adeo ut ſi ſemen viri infecti allectum ſit & cohibitum in utero mulieris puræ, tunc inducere valeat quam vocant Gonorrhoeam (*urinæ ardorem*) virulentam, eo quod nominatim vaſis ſpermaticis adhæreſcat, vel etiamnum Luem univerſalem, orificia arteriarum ſubeundo, ac venarum in eam partem deſinentium: Paucis, mulier ejuſmodi affectibus infecta, eadem ratione in hominem integræ valetudinis eos transferre idonea erit, ſi illi concubuerit, per contactum aut admiſſionem materiæ illos parere aptæ natæ.

Eſt & hoc animadverſione dignū, oris impuritates ex infecto infante prodeuntes, nutrici infeſtas eſſe poſſe, papillis ejus ſe affigente, imo ipſum aërem exſpiratione emiſſum, quem faciliime admittere poſſunt, ratione foraminum lacti tranſitum concedentium: Non abſimili ratione nutrix lue inquinata affectum ſuum in alumnum transfundere poteſt, ab adhæſu materiæ ulcera efficientis; aut lactis vitio, corrupti in mammis, exhibiti.

Si quis accumbat lue infecto, aut nudum corpus, dum ſudor manat contingat, vel ſi cutis ulceribus & puſtulis obſita ſit, res periculi plenæ cenſeri poſſunt, iis præſertim quibus pori patentiores ſunt, aut facile rerum corpus attingentium impreſſionem excipiunt: Oſcula preſſis oribus data, aut lingua indita, citum contagium inferunt ob rationes dictas: Tot tandem occurrunt, & varii contactus, per quos communicari poteſt lues puris corporibus, ut cum propriis ſignis ſe proditura eſt, non multum adlaborandum ſit in inveniendo modo quo contagium inductum, quandoquidem non ſemper in notitiam venit, imo nec ipſis infectis quo modo contraxerint luem innoteſcit.

Caput III.
De Luis Differentiis Prognoſin ſpectantibus.

1. Monitum ea de re, & Diviſio generalis graduum, unde differentiæ aliquæ deduci poſſunt. 2. Explicatio differentiarum quas primus gradus ſuppeditare poteſt; Diviſio generica earum quæ ex ſecundo erui poſſunt. 3. Quid intelligendum per Lues ſingulares. 4. Quid Lues univerſalis. 5. Explicatio differentiarum quæ ex tertio gradu elici queunt.

1. ANtequam differentias Luis venereæ attingam, illud præmonuiſſe è re eſt me ejus diverſas ſpecies non agnoſcere, nec exempli gratia con-

conſtituere velle ſanguineas, billioſas, pituitoſas aut melancholicas, quod à quibuſdam perperam factum; Ex oppoſito me eandem tanquam ſimplicem agnoſcere, cujuſcunque gradus ſit, vel quodvis ſubjectum occupet, quandoquidem unam eandemque ſemper agnoſcit cauſam, eodem ſemper modo agentem, à qua diſcrepantes effectus emergunt, quatenus, partibus diverſæ inſunt diſpoſitiones, ἐνέργειαν ejus ſuſcipientes.

Hoc præſuppoſito, id colligendum varias iſtius affectus differentias non aliunde quam ex diverſitate graduum eſſe deducendas, hoc eſt à quo tempore ejus materia ſuſcepta eſt, ab ejus progreſſibus, & ſymptomatibus quæ invexit.

II. Etſi tempus à quo virulentæ luis materies in corpore ſuſcepta eſt, à me perpendatur tanquam gradus è quo differentiæ quædam illius deduci poſſunt; Scriptores verò quidam prognoſin conſtituere velint ex conſequentiis inde deducendis; id nihilominus apertum non magni illas eſſe momenti: Etſi enim affectus recens vel inveteratus dici queat, pro ratione durationis temporis, longi aut brevis, à quo ſuſcepta eſt, non ideo tamen arguenda eſt facilitas, difficultas aut impoſſibilitas curationis, eo quod eadem illa materia majoris aut minoris eſt activitatis pro qualitatis aut quantitatis ratione, aut juxta particulares corporis quod invaſit diſpoſitiones: Id enim certum, quod jam ſuperius adnotavi, eam venenum magis ſapere, ac proinde penetrandi vi majore præditam eſſe, magiſque ſubtilem ſi in vetuſtatem abjerit, per immutationem variorum ſubjectorum, imo ab inſigni copia luis congeriem ſymptomatum, illi familiarium, multum promoveri in unoquoque individuo: His addere licet celerem ejus eſſe actionem ſi calor impellens accedat, ex corporis temperie manifeſtus, exempli gratia, bilioſa aut ſanguinea; quæ præterea eo facilius ejus penetrationem admittunt, quod in ejuſmodi conſtitutione præditis pori aliique meatus naturales patentiſſimi ſint: at vice verſa aliquando adeo ſegnis eſt, & ab occurſu humorum frigidiorum aut craſſiorum, pituitoſorum aut melancholicorum obtuſa, ut diutiſſime in illis deliteſcere poſſit nō ſecus ac favillę ſub cineribus: Cum, experientia teſte, citra ulla manifeſta effectuum ejus, ex motibus & actionibus conſpicua, etiam per decennium ejus ſeminia occulta fuerint: unde colligendum judicium de tribus circumſtantiis à me allatis ferendum, deducendum præſertim ab examine ejus progreſſus inſtituendo, atque accidentium ab ea inductorum: Nam, exempli gratia, ex prioris conſideratione, determinare licet ſitne lues univerſalis an particularis: quæ diſtinctio tanti eſt momenti ad prognoſin facilioris aut difficilioris curationis, ut inde eluceſcat quo in gradu remedia particularia aut generalia quadrent, vel an ad generoſiora & univerſalia tranſitus ſit faciendus.

III. Antequam vero ulterius provehar, è re mihi videtur explicare quid

mihi ſit illa Differentia, quo inde eluceſcat illam utilem eſſe in diſtinctionem morbi graduum, nec contradiſtingui ab iis quæ initio hujus capitis à me allata ſunt: Lues ergo particularis, ex mea ſententia ea eſt, cujus materia iis adhuc adhæret partibus quæ curationem ſingularem, & per remedia particularia, externa vel topica, concedunt: illius gratia in uſum ducuntur præſertim quę univerſalia aut interna vocantur, ad impediendum ſcilicet progreſſum à ſalium, quibus pollet, penetratione imminentem: Qualia, exempli gratia, ſunt ulcera & cancri luis ſoboles, vel etiamnum gonorrhϾ, virulentæ appellatæ, cuncta à me Luis nomine deſignata, non ſecus ac cætera vitia ſuperius indicata: Omnia enim germina ſunt attactus impuri ac materiæ Luis impreſſæ, cujus omnes effectus ſe produnt, etſi, ut dixi, adhuc membris particularibus affixa ſit, non ſecus ac cum per totum corpus diffuſa eſt: Nam, exempli gratia, coagulationis & corruptionis effectus, quos ipſi adſcripſi in ſubſtantiis liquidis, conſpicui fiunt in ſeminibus per gonorrhœas virulentas effluere ſolitis, vel præterea in fixatione ſucci alibilis partium, ulceribus venereis obſeſſarum, ea de cauſa in cancros aut in hyperſarcoſes tranſeuntium: Vellicatio, corroſio, ac carnium marcor initio quoque aliquando ſe produnt, & in augmento ac mutationibus dictis ulceribus accidentibus: Paucis, exoſtoſes, caries ac partium ſolidarum putredo quandoque priorum illorum omnium affectuum conſectariæ ſunt, cum partes oſſeas aut cartilagineas invadunt, adeo ut exinde perſpicuum ſit me legitima de cauſa pro Luis gradibus eos ſtatuere, quandoquidem experientia teſte per illa primum ſe prodit; ſed præterea vix unquam ſuperiorem gradum attingere videtur, modo curatio ex arte illis adhibeatur.

Id tamen conceſſum velim non alia de cauſa Lui Variolæ magnæ nomen inditum fuiſſe, quam ob aliqualem ſimilitudinem cum Variolis minoribus, ratione macularum & puſtularum, ut proinde videatur tunc temporis tantum illi nomen id competere, ubi eum gradum attigit quo puſtulæ dictæ erumpunt: Id vero obſervandum ſæpe illam ab uno gradu in alterum inſenſibiliter fere tranſire, adeo ut aliquando occaſio denominationis defutura eſſet, ſi ſtricte quis illi circumſtantiæ ſingulari ſe adſtringeret, adde his per nomina morborum eſſentiam non conſtitui, ac me judice parum intereſſe quocunque nomine iſta donetur, dummodo pro unica in ſua ſpecie habeatur.

IV. Cum Salia Variolica ſufficientem ad poros permeandos ſubtilitatem obtinent, nec adhæreſcunt locis per quos illis tranſitus (id quod in quibuſdam deprehenſum) at potius ubi illis adhæſerint, atque inibi lues particulares pepererint, de quibus ſuperius à me actum, neque tamen cura adhibita quo illorum ingreſſus & inſinuatio arceretur, ope remediorum vel impellentium vel extrahentium ab internis ad exteriora, Luem tandem

dem illam, cui univerſalis nomen indidi, inducunt, vaſa ſanguinem continentia ſubeundo, demum mediante ſanguinis circulatione per univerſum corpus ſe diffundendo.

Quibus authores, qui de hac materia conſcripſerunt, evoluti, abſurdum forte judicaturi ſunt quod Salia Variolica à partibus ſuperficiem conſtituentibus, de quibus ſuperius, in arterias & venas deducam, ſilentio involvens illam luis ſpeciem, quam illi ſitam tantummodo volunt in vaporibus ſubtilibus & ſpiritibus: at, ſicut jam ante monui, nullas differentes ſpecies Luis venereæ conſtituere decrevi; neque ullatenus rationi conſonum videtur ut quod hac de re ſtatuerunt pro ſingulari gradu illius conſtitui debeat, quandoquidem nequaquam veriſimile eſt ſpiritus illos, quos inquinatos cenſent, ex illorum ſententia circulatione mediante per totum deferri poſſe, poros etiam minimos pervadere, pruritus excitare, inquietudines, alopeciam, quin ſanguini remiſceantur, vaſa à me dicta ſubeundo, quæ ſat pororum in eum effectum obtinent, per univerſam præterea corporis molem diffuſa.

V. Cæterum illud ſciendum differentias ab accidentibus à Lue inductis deducendas, non parvi eſſe momenti, Nam, exempli gratia, mobilis ſtatui poteſt quamdiu ſanguis in vaſis effervеſcit, dum influit & movetur illius materia; hoc eſt, cum adhuc inducit dolores, quos vocant vagos & erroneos, vel alia accidentia quæ ſucceſſive emergunt aut deliteſcunt: Viceverſa autem tanquam Fixa perpendendi poteſt, ubi ab effluxu hujus materiæ ſpeciatim quibuſdam partibus inſedit, unde citra vim exire omnino inhabilis eſt, imo neque natura impellente, niſi in auxilium veniant remedia, parum vero levaminis allatura iis quibus partes interiores & principes læſæ ſunt ab adhæſione & actione ejuſmodi materiæ: Cum vero illius diffuſio, non ſecus ac cæterorum omnium liquorum è vaſis erumpentium, ut plurimum in extrema deſinat, hujus gradus exemplum maxime familiare adnotare licet in iis quibus dolores earundem partium fixi & nocturni moleſti ſunt, quorum oſſa & cartilagines exoſtoſes & cartilagines infeſtant: Ex dictis hactenus tandem perſpicuum eſt, ab ejuſmodi differentiis conſequentias non parvi momenti derivari poſſe ad legitimam prognoſis luis inſtitutionem, hoc enim ſatis manifeſtum eſt illum gradum, cujus materia adhuc in motu verſatur, non levi negotio dimoveri poſſe, nullis ejus pernicioſorum effectuum ſuperſtitibus veſtigiis; Ex oppoſito autem pro incurabili aliquando habendam in eo in quo materia pertinaciter adhæſit & fixa eſt, quippe cujus manifeſtus effectus in partibus vitæ neceſſariis ſe exſeruit; imo raro aufertur in iis quos adduxi in exemplum familiare, quin fœda & lugenda ejus activitatis veſtigia impreſſa ſint, quandoquidem aliquando impoſſibile eſt partium quæ conſumptæ ſunt regenerationem moliri, exempli

gratia oſſium, ac inter cætera palati & naſi, quæ ad eum uſque gradum ſæpe deducuntur, ut eorum deſtructionem inſignes deformitates conſequantur, eæque omnino irreparabiles.

Cap. IV.

De ſignis Luis Venereæ.

1. *Ejus Diviſio, & cur ea abutantur ignari & agyrtæ.* 2. *Impoſturarum inſignium circa eam exempla.* 3. *Diviſio generica ſignorum illum affectum indicantium.* 4. *Diviſio particularis ſymptomatum in ſingulis ejus gradibus accidentium, quorum ope certa prognoſis inſtitui poteſt.*

I. DE Lue judicium ſpectat vel ejus Eſſentiæ notitiam, vel Prognoſin, ſicut ante innui, facilis, difficilis, aut impoſſibilis curationis.

Signa quorum ope de his judicium fertur ſymptomata ſunt, morbum hunc in ſingulis ſuis gradibus concomitantia, eáque numero plurima, imperitis tamen fraudem facientia, eo quod non omnia ſimul concurrant, atque affinia quædam aliquando reperiantur, etſi alias cauſas productrices agnoſcant. Hinc anſa fraudulentis porrigitur imponendi credulis, & dubiis quo in ſtatu verſentur, qui eapropter conſilii ancipites opem & auxilium expoſcere coguntur ab iis, quod revera præſtolari deberent ſi probitate & charitate donati eſſent, dotibus requiſitis in omnibus Medicam artem facientibus.

Hæc vero eapropter pronuntio, quod hodierna die qui hujus morbi curationem ſuſcipiunt, vel minima ejus indicia pro indubiis Luis gradibus ſupponunt, nec verentur famam venari eorum diſpendio quibus ſatis verſutiæ non eſt ad eorum fraudem agnoſcendam, qui præterea fiducia ingenua periculo ſe exponunt, ſimul & munera & dignitates, facultates, imo propriam vitam, quo curationem adipiſcantur morbi imaginatione concepti vel ſuppoſitii.

Etſi mihi innumeræ impoſturæ ejuſmodi innotuerint, ex relatione eorum qui eapropter meum conſilium expetiverunt, alieno prius uſi; præter eas quarum ipſe teſtis ſum, dum lue me infectum ſimularem, aliiſque in occurſibus, nolim tamen ejuſmodi inutiliter turgere librum meum, ratus ſatis eſſe aliquas eáſque maxime inſignes attuliſſe, ac maxime familiares, exemplo iis futuras quos ſimilia in diſcrimen adductura ſunt.

II. Eorum maxima pars qui humanarum rerum notitiam ſe callere arbitrantur, in tuto ſe eſſe exiſtimant ſi Empiricorum manus declinarint, & arcanorum diſtributores; Interim illud conſtat quoſdam eſſe illis diſſimiles, ſpecie tantum probos, occaſiones omnes captantes & oblatas arripientes, quo

quo tales habeantur: Veritas hæc teſtes habitura eſt plurimos curioſos, qui ſe Lue inquinatos finxerunt, quique è ſerie eorum quos ante deſignavi, obvios habuere quoſdam rebus ſuis adeo conſulentes, ut ſuis opinionem eorum menti infigere ſategerint, leviſſimis innixi ſuppoſitionibus: Ego vero ipſe occaſione data nonnullos eo in numero obſervavi, qui ne fraudes quidem ſuas occultas eſſe ſatagunt adhibitis ſpecioſis prætextibus, impune ignaris imponentes, homines perfrictæ frontis, credula ſimplicitate eorum à quibus in conſilium adhibentur innixi: Hiſtoria à me jam afferenda eo appoſitior eſt in confirmationem eorum quæ à me hic producuntur, quod acciderit viro fidei probatæ, aura vitali adhuc fruenti, qui rei veritatis teſtimonium ferre poteſt: Is ante aliquot annos, quod puſtulis cruſtoſis univerſa cutis obſita eſſet, conſilium meum expetiit, Eapropter omnia quæ dubitationem dilucidarent animo verſabam, vitam anteactam, temperamentum, corporis ſtatum præſentem, uxoris etiam & liberorum: Examine illo inſtituto certior ſum factus illum non alio affectu quam quem Herpetis nomine indigitant Medici laborare, eóque eſthiomeno aut corroſivo: Propoſui illi uſum balnei aliorúmque remediorum, tum univerſalium tum particularium, in hujuſmodi affectuum curationem utilium, At vero cum ſe inquinatum Lue crederet, imminentia autem infortunia tanquam ſcopuli inevitabiles conſiderantur, metum ſibi incuſſum excutere non ſtuduit, méque poſt aliquot dies acceſſit rogans indicarem Practicum aliquem celebrem, quo cum conſilium inirem, ut mens tranquillitati redderetur: Quamobrem illum deduxi ad virum probitate, pietate, opibus & fama præ plurimis inſignem, qui tamen in caſu præſenti deſcivit à dotibus ipſi aſſignatis, ille enim nec conceſſa ægro, neque mihi loquendi venia, ea relaturo quo viſus pertingere nequit; nullo examine ægri inſtituto, ex ſola & præcipiti dictarum puſtularum inſpectione pronuntiavit illum intime inquinatum eſſe, atque ſeceſſu ad curationem in ſex hebdomadas opus eſſe.

Inaudita illa ratio de morbis pronuntiandi, in admirationem proculdubio eos pertrahet qui tales ab invicem ſecernendi difficultatem perpenderint, eorum præſertim quorum cauſæ partibus internis & occultis inſident, cujuſmodi eſt Lues univerſalis, quæ aliquando eum magnitudinis gradum attigit, ut medicorum ſolertiſſimi, peritiſſimi, imo eruditiſſimi aliquando decipiantur, morbum pro morbo ſupponentes; qua de cauſa, ad cautelam, regulam & axioma Juriſconſultorum ob oculos habent, quo prohibentur Iudices judiciū ultimū ferre unius teſtis relatione innixi: Sed præter adductas conſiderationes & hoc obiter animadvertendum, verba iſta indubiæ luis, (*fine*) eodem tempore deſignare & inſcitiam & fraudem eorum quibus in uſu ſunt familiati: id vero præſertim quid viro prædicto poſtmodum ſolatio fuit alius ſincerioris animi, qui dilucida & fuſa cognitione fretus circumſtantia-

tium nomine donanda, eo quod ut plurimum conſequantur ea quæ luem particularem comitantur, quas ante tetigi: interim cum vix liceat rectam hujus affectus inſtituere prognoſin, quin rita fiat diſtinctio graduum illius, omnino neceſſe eſt ad ea animum attendere quæ ſuperius dicta ſunt, quo innoteſcat ejus ab uno gradu in alium tranſitus, præterea cur quiſque eorum ſingulatim ſymptomata diſcrepantia inferat.

IV. Id vero jure merito dicere liceat ulcera quæ contactus impurus intulit, primum Luis gradum conſtituere, ſunt quippe effectus materiæ ſuperficie tenus adhærentis; quæ ab ordinariis, in ſuo exortu, per ſolum contactum præcedentem dignoſcuntur, ac partes quas obſident; imo etiamnum, eo in ſtatu beneficio deſiccantium uſurpari ſolitorum & communium, ſanationem admittunt: At vero ſi ſalia, per quæ inducta ſunt, his medii obſtiterint, vel aliis, certum eſt ea (ut ante innui) ipſa vaſa ſanguinem continentia ſubiiſſe, aut ſaltem humiditati naturali ea ſe commiſcuiſſe circa locum ulcere infectum, quam tantopere figunt, ut tandem in cancroſa degenerent; tunc temporis malignitatis ſuſpecta ſunt ac dyſepulota evadunt: eorum indicia dant labia albicantia & extuberantia, color fuſcus & obſcurus, ac durities.

At vero evidentius eſt Gonorrhœas virulentas uno gradu ulceribus ſupra dictis ſuperiora eſſe, humor enim eas pariens corporibus, quibus accidunt, penitius immerſus eſt, partes item, quæ ea de cauſa in conſenſum trahuntur, interiores ſunt & occultæ, veſica, exempli gratia, partéſque illi vicinæ aut connexæ, inflammatione protinus corripiuntur, ex ardore urinæ ſatis manifeſta, & doloribus inter meiendum infeſtis, imo aliquando integra iſchuria: Partes ſemen continentes, imo ipſum ſemen, non minorem alterationem ſubeunt, quandoquidem deſtructio, incraſſatio ac pretioſi iſtius liquoris corruptio indicia nulli dubio obnoxia præbent: Canales tandem ipſi impuras has materias deducentes non impune impuros hos humores traducunt, quandoquidem ulcera hinc contrahunt à ſalium inibi latentium acrimonia, atque iſtius exulcerationis cauſa dum tranſeunt lotia ardor intenſiſſimus & moleſtiſſimus percipitur.

Dum particularis hæc Lues adhuc recens eſt, curationem non difficulter nec dubiam admittit, ſi modo obviam eat Medicus conſectariis ſymptomatibus ſolitis, eo remoto quod jam manifeſtum, in uſum ducendo & admovendo remedia eam in rem idonea: at vero ubi in vetuſtatem abierit, à neglectis conſuetis præſidiis, eo difficilior curatu cenſenda eſt, & cacoethiæ majoris particeps, quod ſymptomata augeſcant, atque ſuſpecta eſſe debeat intima materiæ invaſio, hoc eſt, Lues univerſalis; quamobrem majore adhibita prophylaxi aggredienda eſt, ac prognoſis magis dubia adducenda.

Hoc

Hoc loco obſervare licet ſalia variolica ſæpenumero à partibus, quas modo indigitavi, in venas & arterias tranſilire; at præterea aliquando indirecte tenuitate ſua eo pertingere: Interim quacunque via illuc inducta ſint, certiſſimum eſt ea quibuſdam maſſæ ſanguinis inſignem æſtum inducere; ob diſpoſitiones in eo prævias, aut vi propriæ indolis, quo dum cietur impura inde ſecernuntur, ea propemodum ratione qua fæces dum vinum fermentationem ſubit; quæ deinceps à natura detruſa, aut potius à facultate expultrice, in inguinum glandulas, in iis Bubo exſurgit, criſi veluti quadam Luem ſolvens, ſi modo epiſpaſtica accedant, ſubſequaturque perfecta ſuppuratio.

Hic (*Bubo*) à cæteris tumoribus, iiſdem partibus innaſcentibus, notis his diſtinguitur, contactu impuro antecedente, (ſi modo de eo conſtet) gonorrhœa, dyſuria, ulceribus & cancris, ſæpius paulo ante præeuntibus, & præſertim ex paulatina eruptione, pertinacia durationis & bazi latiore.

At vero commixtionem à me deſignatam eventus non ſemper adeo ſalutaris excipit: ſalia Variolica plus aliquando Volatilitatis quam Fixitatis in ſe obtinent; ſanguis vero non æque omnibus hominibus cum ſubtilitate partium calet, adeo ut eorum cauſa in quibuſdam protinus concreſcat, eo prope modo quem curioſi quidam commenti ſunt, injectis liquoribus acidis in brutorum ſanguinem: quæ concretio, aut coagulatio, ſæpenumero cauſa eſt ſuppreſſionum à me deſignatarum, ciborum ac concubitus faſtidii; ea enim ſuperſtite circulatio ſanguinis lentius procedit, ac proinde functiones naturales inde oriundæ cæſpitant: Quamobrem à dicto tempore deſignari poteſt Luis gradus, qui nihilominus hidroticis interius ſumptis nequaquam obluctaturus eſt; quorum efficacia diſſolvitur ſanguis, effervescentiámque concipit; dummodo natura aliis irritamentis vacuantibus laceſſita fuerit.

Eo momento quo ſanguinis coagulatio ſolvitur, ſeparatione facta diſſidentium particularum quas ſinu ſuo continet, fermentationis illius initium deprehendere licet, quæ eo lenius ſemper procedit, & per gradus, quod præfuerint obſtacula & impedimenta actionis illius, quamobrem idem ſanguis paulatim tantum aſſurgit & ebullit, quamvis mitis illa effervescentia quędam inferat ſymptomata, multum ab iis diſcrepantia quæ ante recenſui, nec non ab inferius recenſendis; quamdiu enim in motu eſt, leves inde excitantur vapores, qui in omnes corporis partes diffunduntur, unde animi & corporis anxietudines oriuntur, cutis pruritus, capitis & barbæ depilatio, eapropter illi tempori alter veluti Luis gradus aſſignari poteſt, curationis non inidoneus, non ſecus ac præcedens, adhito remediorum convenientium uſu, aut ſuccedente alterius morbi ſupervenientis motu critico: At cum media hæc infallibilia non ſint, ſatius ſemper fuerit eo in ſtatu

levem excitaſſe ptyaliſmum, cujus beneficio ſperabilis eſt cita, facilis & tuta curatio.

Fermentatione promota, aut ſi ad ſummum pervenerit, ſerum venenatum à ſanguine ſegregatur, tunicarum vaſorum partium id continentium poros pervadit, poſtmodum juxta nervorum longitudinem decurrit, necnon membranarum, in quibus mobiles dolores inducit, modo in una parte percepiendos, modo in alia; adnitente aliquando natura id per poros extrapellere, ratione vero gravitatis & ſalſedinis poris cutis adhæreſcit, exitum non nactum, in qua ulcera excitantur ſi materiæ cuipiam putridæ immixtum fuerit: vel ſi contra ſalibus potiſſimum fixis turgeat, puſtulas latas & depreſſas inducit, ſquamoſas, ſiccas, ex rubro flaveſcentes: ſin ſalia volatilia majori inſint copia, amplius turgent, herpeteſque cruſtoſos pariunt, verrucas, gummata, porra, in pene, vulva, ano aliiſque partibus.

Luis iſte gradus non omnium difficillimæ eſt curationis, hoc tamen experientia manifeſtum facit à ſolo mercurio, inter remedia, expectandam criſin quę ipſi finem imponat.

Sæpenumero dictæ materiæ, exuto erroneo motu, omnino quibuſdam partibus ſe affigunt illiſque adhæreſcunt, quo pacto inde exſurgit ultimus & maxime terrificus Luis gradus: nam etiamſi aliquando ejuſmodi cohæſio in ſolis muſculis accidat, aut in perioſtio, in iis tamen ſymptomata admodum verenda enaſcuntur, avellicatione enim continua, corroſione & exſiccatione fibrarum nervearum quibus donantur illæ partes, oriuntur dolores fixi & nocturno tempore redivivi, à quibuſdam in exemplum adnotati eorum qui intolerabiles cenſentur: Cartilagines, oſſa autem præcipue, è numero quoque ſunt partium quibus à penetratione dictæ materiæ maxima imminet immutatio, fermentationis enim ſpeciem quandam ſuſcitant in medulla, vel in ſucco medulloſo in iis contento, ob quam in iis emergere cernuntur tumores quos vocant *Nodos*, qui nihil aliud ſunt quam propriæ illorum ſubſtantiæ elevatio, cariem tandem & putredinem à pręſentia & efficacia ejuſmodi colluviei ſuſcipiente.

Interim, etſi Lues difficillimæ ſit curationis ſi illius materia eo modo ſit impacta, partibuſque à me jam nominatis infiltrata, hoc tamen adnotare eſt etſi hunc gradum attigerit, curationis tamen ſemper fore capacem niſi eadem materia ſemper aliis partibus majoris momenti adhæreſceret, at id quorundam infortunium edocuit partes, quas nobiles vocant, ac nobilibus famulantes, ab ejus activitate tutas non eſſe aut pernitioſis effectibus; quamobrem prognoſis inde elicienda adeo lugubris eſt, ut ſecum ſemper inſignem difficultatem, aut curationis impoſſibilitatem invehat.

At præter generales huc adductas conſiderationes, ut Luis prognoſis quoad omnes gradus rite conſtituta ſit, in id præterea incumbendum ut ratio

ratio habeatur ejus quod unicuique ſujecto peculiare eſt, exempli gratia temperamenti, ſexus, ætatis, virium, imo vitæ conditionis ejus quem tractandum ſuſcipimus: experientia enim mihi compertum inquietudines animi exortas à curis gravibus fervorem ſpiritibus inducere, Mercurium in caput adducere, in quo ſæva demum accidentia ſuſcitaturus eſt.

Sectio II.

Obſervationes neceſſarias ad Luis curationem continens, cum ea adhuc partes aliquas tantum obſidet: Item circa motus naturales & criticos ſolutionem illius afferentes ſi univerſalis eſt, Atque circa medicamenta uſurpari ſolita cum criſes artificiales procurandæ.

Cap. I.

De Speciebus Luis particularis, quas vocant Vlcera & Cancros Venereos.

1 Cur primo loco de Lue particulari, Et de diviſione generali ejus ſpecierum agendum. 2. De ulceribus venereis in genere. 3. Methodus particularis ea tractandi. 4. Obſervatio circa purgantia in eorum curatione exhibenda. 5. De aliis præſidiis præſervatoriis. 6. Variæ obſervationes neceſſariæ quoad remedia curationi inſervientia, ubi cancroſam naturam adepta ſunt. 7. De Phimoſi & Paraphimoſi.

I. Genericis omnibus obſervationibus neceſſariis ad intelligentiam eorum quæ particulatim ſpectant artem curandæ Luis præmiſſis, tempeſtivum nunc eſt de ejus remediis verba facere, ac de circumſtantiis, dexterum & tutum eorum uſum ſpectantibus verba facere. Cum autem materia eam committens fere ſemper membra particularia invadat antequam ὁλομέλην obſideat: hic prius conſtituendæ ſunt animadverſiones faciendæ circa modos eam curandi cum adhuc particularis eſt; ac circa præſidia præſervatoria, quorum ope præpediri poteſt ne univerſalis evadat.

Repetitiones autem inutiles declinaturus, de Luibus particularibus nihil in genere dicturus ſum, neque rationes allaturus cur id illis nominis indiderim, eo quod prædicta ſufficienter tradita ſint ubi de differentiis & ſignis, dignotioni & prognoſi ſingulorum graduum iſtius affectus inſervientibus: ſufficiat hic loci enuntiaſſe poſſe illas dividi in oculis & tactui obvias, & in eas, quæ partes obſident ſenſibus noſtris impervias, adeo ut

juxta eam diviſionem varientur remedia ſi ad votum ſperandus eventus.

II. Priores ſunt Ulcera & Cancri venerei, quæ inducit materia ſuperficie tenus adhærens, quæque nondum interiora pervaſit: diſtinctio hæc eo fine à me additur, nec enim hic comprehendo ea quæ urethræ innaſcuntur, à tranſitu materiæ virulentæ in gonorrhœa; uti neque ea quæ ſymptomata ſunt Luis univerſalis, quandoquidem modi curandi alii ſunt, ab aliis gradibus oriundi.

Lues iſta particularis in ſuis primordiis nihil aliud eſt quam diſruptio aut dilaceratio ſuperficiaria cutis fibrarum, aut pellicularum partes quibus materia illius ſe affixit, inveſtientium, cui proinde non aliud nomen particulare aſſignandum quam Vlceris venerei: Si præſertim ab agyrtarum more diſcedendum, qui vel minimas excorationes ulcerum cancroſorum vix curationem recipientium nomine donant: quæ revera vix, tantum ſpatio temporis ſuperant, eo quod in uſum ducant medicamenta cauſtica & deurentia, à quorum uſu dolorifica redduntur, dura & in Suppuratum ab euntia, etſi ſæpiſſime leviſſimorum exſiccantium ope intra triduum aut quatriduum ſanationem admittant.

Ejuſmodi ulceribus omnes partes corporis exteriores patent, quocunque nempe contactus pertingit, at tenerioris rariorisque texturæ maxime obnoxiæ ſunt, eo quod ſalia impura majori facilitate illis ſe adfigant, quo fit ut coles in hominibus, vulva in mulieribus, nutricumque papillæ, & infantium os, ut plurimum ab illis inficiantur & afficiantur.

III. Dum in eo ſtatu adhuc verſantur, id præſertim requiritur ut aliorum ulcerum ritu exſiccentur, hoc tamen obſervato, ut ratione habita qualitatis materiæ ea committentis, in uſum ducantur exſiccantia, ſalium in iis contentorum aculeos obtundere idonea, eorum præterea penetrationi obſiſtatur, eo magis verendæ quod inſenſibiliter accidat.

Collyria ſequentia primam intentionem optime exequentur, ſi bis in die ulcera iis colluantur, ſuperimpoſitis ſpleniis iiſdem madidis, ſervata tamen proportione, reſpectuque habito temperamentorum particularium corporum, ac partium quibus admovenda ſint, aucta pulverum copia ſi vis eorum intendenda, aut liquorum ſi retundenda.

Recipe aquæ calcis ſepties lotæ libram unam, ſpiritus vitrioli, ſalis ſaturni, æruginis, cujuſque drachmam ſemis.

Aut potius, Accipe aquas roſarum & plantaginis cujuſque ſemilibram, aquæ vitæ uncias duas, auripigmenti drachman unam & ſemis, viridis æris ſcrupulos duos, aloës ſemidrachmam.

Vel iterum, Recipe vini albi librum unam, aquarum roſarum & plantaginis cujuſque uncias quatuor, auripigmenti drachmas duas, æruginis drachmam

mam unam, myrrhæ & aloës ſingulorum ſcrupulum unum, fiant ex lege artis Collyria in uſum ſupradictum.

Secundam intentionem à me deſignatam ſic expleturus eſt; æqualiter in uſum ducantur cathartica & diuretica, ſi ulcera penem obſideant, aut vulvam muliebrem, aut anum partes ambientes in utroque ſexu; aut hidrotica interius aſſumpta, quæ à centro ad circumferentiam impellant, ſi aliæ partes illis tententur.

IV. Id vero accurate adnotandum, Purgantia hoc nomine uſurpanda eo robore donata eſſe debere, ut naturam laceſſere idonea ſint & impellere ad expulſionem per anum, materiæ impuræ quæ altius quam ulcera viſui obvia ſe inſinuaverit; ea tamen adeo valida non ſint ut a partibus diſſitis attrahant: attractio enim ejuſmodi penetrationem juvare poſſet, quod hoc auxilio deſtituta non præſtitiſſet, unde metus immineret Luis univerſalis, acri tamen ſtudio præcavendæ: Eapropter hic obſervandum plurimos fallacias, quibus ipſis imponitur, ſibi accerſere; multi enim purgationem incompletam eſſe exiſtimant niſi interanea admodum conturbata fuerint, aut quindecies, imo vicies alvum exoneraverint: at vero hoc pacto vis ſemper naturæ infertur, unde functiones ejus ſolitas imminui aut depravari plane neceſſe eſt, quarum tamen præcipuum munus eſt ſegregatio & expulſio impuri.

Si enormitates has declinare libuerit, nihil ſalutarius præſcripſeris quam ſennæ infuſum addito ſale Tartari, in quo diluere licet ſyrupum florum roſ. pallidarum, aut florum Perſicorum, doſi majori aut minori pro ratione ætatis aut virium ægrorum.

V. Diuretica, quorum uſus eſt ad urinas movendas, ſint exempli gratia cryſtallum minerale, quod exhibere licet à drachma ſemis ad tres; Spiritus vitrioli & ſulphuris, à guttis ſex ad triginta ex aqua parietariæ aut priſana aperiendi vi prædita, concinnanda ex radicibus fragariæ, cichorii ſilveſtris, taraxici, & graminis.

Radices petroſelini, fœniculi, aſparagorum & ononidis præcedentibus inſigniore aperiendi vi pollent; è quibus præterea varia decoctionum genera concinnari queunt, quibuſdam utilium; iis vero qui temperamento impenſe calido ſunt & ſicco admodum noxiarum; ſicut & ſemen raphani, contritum & ex vino albo hauſtum, quod tamen remedium eſt eximia aperiendi vi præditum.

Quoad ſudorifica interius aſſumenda, utiliſſime in uſum duxeris ſpiritum cornu cervini, infuſum ſemi cyatho aquæ cardui benedicti, ejus inſtillando à ſex ad viginti guttas, aut grana tantundem numero ſalis ejuſdem volatilis, in eadem aqua diſſoluti.

Sed omnium maxime potentiſſimus eſt Pulvis aut ſal volatilis vipera-

rum, ſi prioris exhibeantur à decem ad triginta grana; poſterioris vero à quinque ad quindecim, cum partibus æqualis aquatum cinnamomi & cardui benedicti, aut ex aqua reſidua ab ejuſdem ſalis deſtillatione.

IV. Id vero addendum ſupereſt ejuſmodi vitia nunquam diu ſub ſimplici ulcerum nomine ſubſiſtere; hoc quippe notum materiam eorum cauſam, penitius aliquando pervadere, unde eo pacto alter Luis exſurgit gradus; imo præterea ſæpiſſime uſu venire ut intra locum ulcere tentatum ſubſiſtendo, cancroſam illam induat naturam, eo modo quem ante innui: quapropter utile fuerit obſervare tunc temporis curationem ea exigere per eſcharotica & ſuppurantia: durities enim ambientes abſumendæ ſunt, ne in partibus ſuperſtes ſit fermentum, unde inpoſterum vitium priori, cujus exitium intendis, deterius exoriturum eſſet.

Praxi ordinariæ qui adſtricti ſunt, nihil aliud præter Præcipitatum rubrum admovent, quod ſi legitimum ſit, eſcharam revera parit, at levem & ſuperficie tenus, à qua duritierum in latitudinem & profunditatem incrementum non prohibetur, imo ne etiam procurata cicatrice adhuc ſuperſtites ſint, quamvis diu earum conſumptioni adlaborent.

Nonnulli ſublimatum corroſivum in uſum ducunt, ſed præter dolores intolerabiles quos infert dum operatur, fluxiones præterea aqueorum humorum in partes quibus admovetur ciet, vix diſſipandas, imo gangrænam acerſere idoneas, in eas potiſſimum quæ proximæ ſunt canalibus expulſioni excrementorum dicatæ.

Infortunia ejuſmodi, imo plurima alia, invexit quorundam antiquorum ſcriptorum error, cuivis oculato manifeſtus, ex traduce tamen admiſſus à poſterioribus pleriſque, imo etiamnum à neotericis: finxerunt enim Mercurium viverræ ſimilem, qui materiam Veneream in cryptis ſuis & latebris omnibus adoriatur, inde excutiendam, non ſecus ac id animalculum cuniculos ex antris fugat & elicit; cujus tamen aſſertionis nullum aliud ſuppetit illis argumentum quam præconcepta opinio, nulli præterea fundamento innixa quam ſuppoſititiis qualitatibus, occultis & ſpecificis, omnium animis occultis: Conſtat interim ipſis cætera omnia remedia tanquam invalida & inutilia adverſus ejuſmodi mala cenſeri; ideoque mirum eſſe non debet quod pertinacia quidam ducti cætera omnia cauſtica reſpuant, ſolis uſi mercurialibus; certiſſimo revera remedio ad Luis univerſalis criſes promovendas, at tantummodo ratione ejuſdem motuum & actionum, quę definiri & cognoſci queunt; Quicquid vero ſit, id tibi experientia compertum eſſe poterit lapides cauſticos, ex calce viva & cineribus clavellatis paratos, certioris eſſe effectus, cum profundiorem eſcharam præcipitato rubro inducant, lenius autem & tutius quam ſublimatum corroſivum operationem ſuam perficiant.

Cau-

Cautione tamen adhibita illis vtendum, illud memoria recolendo partem aliquam, jam ulcere obſeſſam, admota facilius admittere, hæcque facilius ſubire quam ſi cutis propria adhuc obduceretur, ac proinde minorem quantitatem uſurpandam eſſe: cui etiam limites locis commodis præſcribendi ſunt, ope emplaſtri perforati ad præciſam magnitudinem eſcharæ inducendæ, cohibendæ ergo ſalium diffuſionis, poſt eorum ab humiditate ulceris diſſolutionem.

Sin tutius rem peragi velis, in uſum ducas lapidem Infernalem, cujus operatio, quæ in conſpectu eſt, uno momento regi poteſt.

Ab inducta, ope cujusdam ex prædictis mediis eſchara, præcipue vero binorum poſteriorum, caſus ejus procuretur ope ſuppurantis ordinarii; illi deinceps admiſcendo pauxillum præcipitati rubei & aluminis calcinati, augendæ ſuppurationis gratia, & abſumendæ ſuperſtitis duritiei; quæ ſi inſignis fuerit, aut ſi corpori ſtrigoſo aut melancholico inſederit, magnæ dicti unguenti copiæ pauxillum ſublimati corroſivi addendum, ulcus collues quoties medicamenta admoventur, ultimo collyrio præſcripto, addito, ſi neceſſitas requirat, pauco ůnguento Aegyptiaco fortiorioris deterſionis ergo.

Cooperiantur & ſplenia emplaſtro de mucilaginibus ſuperadmoto, cujus libræ uni mercurii unciæ quatuor aut ſex commixtæ fuerint, partis ambitum inungendo unguento Neapolitano, duplicata aut triplicata Mercurii dozi, non dimiſſis catharticis, quorum hoc in caſu uſus familiaris eſſe debet, non ſecus ac cæterorum remediorum univerſalium à me propoſitorum, ad præcavendam Luem univerſalem.

VII. Si ejuſmodi vitia Penem virilem invaſerint, Phymoſis aliquando præputium occupat, ex ægri negligentia, aut ejus cujus fidei committitur inſcitia, qua de cauſa in apertum non veniunt, nec manum admovere licet ulceribus aut cancris ſubjacentibus: Iſti malo obviam eundum methodo trita, facta una aut pluribus inciſionibus: quæ operatio eo magis obnoxia eſt periculoſis eventibus, quod pars alio vitio jam affecta ſit, ac proinde fluxioni excipiendæ opportunior facta: Quamobrem ſatius multo fuerit ad Fotus tranſire, cataplaſmata emollientia, ex decocto & magmate foliorum malvæ paranda, rudicum althææ, ſeminum lini, non prætermiſſis unguentorum frictionibus, atque emplaſtrorum ſuperius deſcriptorum admotionibus: Interim mundationi ulcerum ſtudendum & cancrorum, in uſum ducendo præſcripta collyria, ex quibus injectiones frequentes intra præputium fieri debent, ope parvi ſiphonis, paulatim id digitis diducendo, ac verſus penis radicem adducendo quoties ægrum curaveris, quouſque balanus integer in conſpectum veniat, alias ſuccedere poſſet Paraphimoſis, ſymptoma priore deterius, nam præter balani ſtrangulationem, con-

ſtrictio ejuſmodi dolorem inducit fluxionem protinus allicientem, inflammationem & gangrænam niſi cita adſit medicatio.

A quibusdam feliciter iſtiuſmodi affectui manus admota eſt ſimplici penis, aut imi ventris ex frigida Fotu, præſertim mox ab initio.

Remedia omnia adverſus Phimoſin præſcribi ſolita utilia ſunt, ſi per tempus liceat, at ſæpe ad inciſiones recurrendum, eæque aliis remediis potiores ſunt.

Cæterum omnino prætermittere animus eſt remedia cicatricem ulceribus & cancris inducentia, cum non aliunde quam à rita deterſione & mundatione eorum pendeant; ipſa vero ſponte natura diviſionem partium conjungere ſtudeat, ſi medicus obſtacula ex arte dimoveat.

Capvt II.

De cæteris particularibus Luis venereæ ſpeciebus, quas vocant Vrinæ ardorem & Gonorrhœam virulentam.

1. *Oſtenditur ſalia, ejuſmodi Luis ſpecies inducentia, admodum, volatilia eſſe, Ac quodammodo interſe convenire, quodammodo diſcrepare.* 2. *Variæ obſervationes circa illas curandi methodum neceſſariæ.* 3. *De Teſticulorum inflammatione & tumore, cum idoneis remediis.* 4. *De caruncunlis priora ejuſmodi vitia aliquando conſequentibus, Et de remediis eas abſumentibus* 5. *Obſervationes utiles circa Lues particulares.*

I. Cæteræ Lues particulares, quas dixi invadere partes ſenſibus noſtris non obvias, ſunt urinæ ardores & gonorrhϾ virulentæ, quas experimur eſſe effectum materiæ ſubtiliſſimæ, aut verius ſalis intenſe volatilis, quandoquidem in mulieribus ſæpe à vagina (in quam ſemen, id fovens, injectum eſt) in vaſa ejacularoria & teſticulos tranſilit; in maribus vero per longitudinem urethræ ſemper excurrit, in eadem vaſa irruptionem facturum & veſicam, in neutris tamen priorum partium veſtigiis ſui tranſitus relictis.

Quanquam ardores urinæ virulentæ abſque gonorrhœa nunquam accidant, hoc eſt abſque corruptione & effluxu ſeminis, non tamen indiſcriminatim utrumque accidens ſub eodem nomine involvi debet, quod perperam à quibuſdam authoribus factum, eo quod poſtremum horum ſymptomatum, priori ſæpe diu ſuperſtes eſſe ſolet, imo ſæpe ſolitarium accidere deprehenditur, hoc eſt abſque exulceratione & inflammatione manifeſta, etſi revera originem ducat à præſentia ſalium impurorum vaſa ſpermatica occupantium; nihilominus tamen cum gonorrhœa ardori urinæ inſeparabiliter cohæ-

cohæreat, remedia autem quæ illi tanquam accidenti conveniunt, curationi etiamnum inſerviant cum morbus eſt ſeparatus, nulla neceſſitas incumbit de ea ſeorſim agendi; id monuiſſe ſatis ſit in mulieribus ſæpiſſime pro fluore albo imponere, quia ſcilicet quidam non animadvertunt fluxum illius interruptum non eſſe, fluoris autem muliebris periodicum fere ſemper eſſe & menſtruum.

Cęterum alibi à me ſufficienter explicatum quid per Ardorem urinę virulentum intelligam, quove modo ejus generatio ſecundum meam mentem accidat, repetitionem vitaturus: id quoque ratus cunctas diviſiones à me tradendas fore inutiles, quandoquidem animus ſolum mihi eſt de iis verba facere quas parit introitus & adhęſus ſalis venerei: aut potius, eo quod ejus accidentia eam ſatis accurate diſtinguunt ab iis quas inducunt exercitia violentiora, uſus liquorum fermentatione exaltatorum, aliæve cauſę, quamobrem exiſtimo ſatis futurum hoc capite, ſi tradidero circumſtantias obſervatu neceſſarias ad felicem curationem accidentium eam concomitantium quam ſupra innui, vel ad certam & tutam pręcautionem univerſalis Luis imminentis.

II. Inflammatio, inter cuncta accidentia quę huic Luis gradui ſuccedunt, maxime urgens & metuendum jure cenſetur, ejus enim ratione materia effluens acrior & magis corroſiva efficitur, ulcera canalium ampliora & profundiora redduntur, dolores intolerabiles evadunt, exitus tandem lotii difficillimus, imo quandoque impoſſibilis evadit: quapropter maximi eſt momenti illico ejus adventum prævertere, vel ortam removere uſu remediorum refrigerantium, qualia ſunt mox adducenda.

Quidam, non imitando exemplo, initium ducunt à venæ ſectione in brachio, cujus ratione materia venerea poteſt attrahi aut in corpus deduci, quo nomine ſuſpecta eſſe debet: alii venæ in pede ſectionem non verentur, à qua nihilominus idem metuendus effectus, aut ſaltem ejuſdem materiæ in teſticulos deductio: quamobrem ab utraque abſtinendum, illi præferendo uſum ptiſanæ ſequentis, utilis præterea ad partium refrigerium, materiam exterius impellendam, ejuſque acrimoniam demulcendam.

Accipe radicum nymphæę, althæę, ſingularum libram unam, oxalidis manipulum ſemis, liquiritię quantum ſufficit, hordei integri manipulos tres, ſeminum lini uncias duas, aquæ communis libras viginti quatuor, paretur Ptiſana more ſolito, magmate fortiter compreſſo ad prolectandam mucilaginem.

Cuique lagenæ hujus ptiſanæ adde ſpiritus vitrioli guttas decem aut duodecim; bibat eam æger ad libitum & quantum ventriculi tonus excipere valuerit, nullo horarum diei vel noctis habito reſpectu.

Quamvis prædicta ptiſana non raro ſatis ſit in uſus à me expetitos, ſi modo

mature uſurpetur, in quibuſdam tamen quotidie obſervare eſt materiæ virulentiam, corporiſque ac partium eam eſſe diſpoſitionem, ut inflammatio inſigne adeo incrementum aſſumat, quę in renes & collum veſicæ uſque transfundatur, hinc ægri cum decumbunt, intenſis afficiantur doloribus, ſi tentigine penis corripitur & in urinæ emiſſione, nominatim verò in viris: convulſio nervorum penis, qui dum ad principium retrahuntur, intumeſcunt, à qua intumeſcentia incurvatur pars illa & inflectitur, unde gradus ardoris urinæ ſeu Gonorrhoeæ exurgit, quam vocant *chordatam.*, cujus ratione etiam ſpeciebus Priſanæ pręſcriptæ addendę ſunt unciæ duę ſeminum frigidorum, ſemiuncia ſeminum papaveris albi cum ſucco duorum aut trium malorum citriorum, quo anodynam magis acquirat qualitatem, refrigeratoriam & gratiorem.

Id etiam obſervandum, præter uſum pręd1ctæ ptiſanæ, cujus vi luis materia repelli poteſt & remeare gradum per partes quæ illi introitum conceſſerunt, Venæ ſectionem ſępenumero eſſe utilem, cum inflammatio urinæ difficultate ſe prodiderit, pulſus agitatione aliiſque effectibus.

Ex intervallis quoque exhibendę Emulſiones ex ſero lactis recenti, amygdalis dulcibus, ſeminibus, granis & ſucco ſuperius recenſitis.

Eundem in ſcopum inungere convenit renes & perinæum cerato Galeni, ſuperimpoſitis linteis oxycrato madidis, ex parte una aceti & ſex aquæ roſarum.

Uſus refrigerantium Enematum creber ſit, ut & Injectionum ſimilis facultatis, in penem factarum, ope parvuli ſiphonis, exempli gratia ex lacte tepido, mirifici hoc in caſu uſus, imo felicioris quam aquæ ſimplici immerſo pene cum urina reddenda eſt, huicque facilis commeatus procurandus.

Quidam ex iis quibus res vulgatæ ſordent, pręferunt aquas ſolani, roſarum & plantaginis, ex iiſque injectiones conficiunt, revera refrigerandi vi præditis & anodynis, eo quod materiæ effluxum impediant, eamque adſtrictione ſua repellant, quod tamen citra diſcrimen fieri nequit, quamobrem tunc temporis tantum uſurpari debent ubi eadem hæc materia craſſitiem adepta eſt, ſufficientique copia effluxit.

Terebinthina Chia, aut, ſi hæc deficiat, Veneta, admirandarum eſt virium in materia mitificanda eaque expellenda, eo quod facile in partes ſe inſinuet, præterea inſigni vi diuretica polleat: uſurpari poteſt Bolorum forma, vel Pilularum, à drachmis duabus ad unciam ſemis, vel Ejuſdem ſpiritus arte Spagirica elicitus, à guttis quinque ad quindecim ex ptiſana aut aqua aliqua aperiente.

Ab experientia didiceris Sali polychreſto eximias eſſe vires in extra pellendis Salibus Variolicis, ſi ejus drachmas duas diſſolvas cum duobus hauſtibus prioris ptiſanæ, vel aqua parietariæ, ſedataque inflammatione dederis

binis

binis vel ternis vicibus eo pacto exhibendo, drachmam unam adjiciendo unicuique doſi.

Ab horum remediorum uſu purgationibus lenibus locus eſſe debet, ex levi ſennæ infuſo, cryſtalli mineralis & caſſiæ, paucíſque poſt diebus iterato hoc purgante medicamento, aucta ingredientium dozi, aut additis aliis quæ conveniant diſpoſitionibus corporis præſentibus.

Ubi materia albidior effluxerit, craſſior, minorique copia, tunc cohibendo effluvio incumbendum, corroboratione facta vaſorum ſpermaticorum, uſu adſtringentium interius aſſumptorum, interim dum ſimul deterſioni & exſiccationi ulcerum urethræ opera navabitur, uſurpatis injectioninibus detergentibus & exſiccantibus.

Nonnulli ex iis qui arte ſiniſtre utuntur, remediaque perperam adhibent, materiam quæ per gonorrhœam effluit cohibere adlaborant ſolummodo ope injectionum adſtringentium, quo fit ut hoc pacto penitius partes internas ſubeat, ac proinde gravius malum priore quod curare ſatagebant emergat, aut ſaltem iterum erumpat ſtatim ac uſus ejuſmodi inanium remediorum intermiſſus; adeo ut aliquando ad eadem recurrere quindecies imo vicceſies cogantur, fine ſibi propoſito ſemper excidentes, Injectiones enim in viris non ultra extremitatem interiorem canalis communis emiſſioni urinæ & ſeminis pervadunt, In mulieribus collum uterinum non tranſgrediuntur aut veſicæ, ſed præſertim ea ratione nocent quia obnituntur exitui impuritatum, ſæpe reſiduarum à tranſitu & effectu priorum remediorum, quibus tamen ut plurimum ſolis adſcribi poteſt cauſa mali pertinaciæ; id quod nequaquam contingit ſi ex atte & cautione adhibita uſurpentur remedia ſtyptica interius aſſumpta; paulatim enim & ſenſim ab iis vaſa ſpermatica conſtringuntur, quæ ejuſmodi conſtrictionis ope ab impuritatibus reſiduis liberantur, adeo ut felici ſucceſſu perpetuo uſurpari queant, in id præſertim attendendo ut ab initio admodum exigua dozi concedantur, ac præmiſſis purgantibus memoratis: quibus nihilominus & iſtud addidero è re aliquando eſſe illorum uſui pertinacius non inhærere, cum occaſiones enaſcantur quibus ab illis abſtinere ſatius ſit, quod vel inutiliter exhibeantur vel cum periculo: In pleriſque enim qui eadem cauſa ægrotant, illud animadvertere licet, materiam ſub finem convaleſcentiæ exeuntem, nihil aliud eſſe quam ſaniem ex ulceribus canalium manantem, ac proinde effluxum ejuſmodi impediri non poſſe niſi ope remediorum ea mundantium & exſiccantium: Aliquando etiam viſcerum immodicus calor fovet inflammationem & dilatationem vaſorum ejaculantium, adeo ut ulceratio & ſeminis effluxus aliis mediis coerceri nequeant quam per accuratam diætam & remedia refrigerantia: Alias præterea Gonorrhœa fomentum habet à ſero virulento in teſticulos influente, quod aliter quam uſu decoctionis Chinæ, zarzę parillæ

aliarúmque plantarum hidroticarum : Poteſt tandem in continuitatem abire & curationem omnem reſpuere in viris, ſi caruncula mammillaris (à qua obrantur meatus per quos tranſitus ſemini à proſtatis in canalem communem) in infortunatis ægris à quopiam ulcere aut medicamentis cathęreticis conſumpta fuerit.

At vero notandum maximam partem hujuſmodi exceptionum non admodum vulgarem eſſe, atque adſtringentia à me memorata tanquam remedia omnium maxime tuta ad GonorrhϾ curationem perpendenda eſſe, adde ex eorum uſu, atque effectibus, de cęterorum neceſſitate judicandum eſſe, quapropter citra periculum imminens in uſum duci poſſe; quem in ſcopum uſurpari poteſt, exempli gratia, hauſtus aquæ amplus, in quo per ſemi quadrantem horæ incoxerit ſemi uncia myrobalanorum contritorum.

Vel etiamnum tinctura roſarum rubearum extracta cum aqua communi, vel ſucco oxyacanthæ, cum ſpiritu vitrioli, mane & ſero exhibita ab unciis duabus ad ſex.

Vel adhuc Electri partes quatuor, cui ſuccinum, poteſt ſubſtitui cum camphoræ portiuncula contrita, & cum æquali pondere conſervæ roſarum commixta, exhibendo ſingulis matutinis à drachma ſemis ad unam & ſemis.

Inter omnia vero remedia in eum finem utilia, tutius nullum Pilulis ſequentibus experieris.

Recipe maſtiches granulatæ, coralli rubri & carabes electæ ana drachmas duas, camphoræ drachmam unam, laudani grana octo, fiant Pilulæ ſecundum artem, cum ſufficienti quantitate ſyrupi cydoniorum ad effingendam maſſam : dozis earum à ſcrupulo uno ad drachmam unam.

Quoad ulcera in canalibus enaſcentia, mundari poterunt beneficio injectionum detergentium, conficiendarum cum decocto hordei & agrimoniæ, cui admiſcebitur ſyrupus abſynthites, aut mel roſar. rubr. cum guttis aliquot ſpiritus vitrioli.

Deterſione peracta, deſiccatio promoveri poterit ex aqua ſeptimæ elotionis calcis, in qua aliquid ſalis ſaturni diſſolutum fuerit.

Vel, accipe vitrioli albi, iridis Florentinæ, & camphoræ cujuſque ſemidrachmam, aluminis rupei drachmam unam, aquarum roſarum & plantaginis ſingularum uncias octo, fiat Collyrium in uſum prędictum.

Trochiſci albi Rhaſis dictis aquis commixti, aqua aluminis ſtillatitia, vel ejuſdem diſſolutio in aqua communi, in eundem quoque finem abeunt.

III. Si dięta ęgrorum legibus conſona non ſit, ex arbitrio ęgri pendens; vel potius ſi materia citius quam par eſt ope injectionum adſtringentium repulſa fuerit; vel tandem à vehementioribus catharticis, vel intempeſtive exhibitis commota fuerit, in membranas alterutrius, vel amborum teſticu-

teſticulorum ſimul diffunditur, ubi tumor inſignis & dolorificus exoritur, curationi quandoque magis quam cętera omnia accidentia obſiſtens.

A partium vitio obſeſſarum ſitu indigitatur hoc loco quietis neceſſitas: Ab humorum fluxione, inflammatione & dolore, quorum cauſa in illas alliciuntur, ſanguinis miſſionis revulſivæ, ac clyſterum anodynorum & refrigerantium, toties injiciendorum quoties ex uſu fuerit, ad materiæ motum cohibendum aut avertendum.

Cataplaſmata ex lacte vaccino comparata, mica panis albi, vitellis ovorum recentium, ac oleo amygdalino dulci, initio uſurpata utilitatis ſunt non exigæ.

Fotus & Cataplaſmata ex malvarum foliis, radicibus althęæ, floribus chamomillæ & meliloti, ac ſeminibus lini & pſyllii, plurimum in hujus affectus curatione concurrunt.

Cum inflammatio & dolor horum remediorum uſui ceſſerint, tumoris vero durities ad emollientia remiſerit, ad cataplaſmata reſolventia tranſitus fieri poterit, qualia comparantur ex quatuor farinis in oxymelite coctis, addito pauco unguento roſaceo & croco.

Semen cumini exacte contritum, oxymeliti ad conſiſtentiam cataplaſmatis incoctum.

Balſamus tandem ſulphuris, ſolus aut permixtus, admotus cum myrrha &c. in cerati conſiſtentiam, quomodo à Rulando traditur, conducit.

IV. Si canalium ulcera rite mundata non fuerint, aut exſiccata, id quod materiæ reſiduum eſt humorem affluentem ad partem ulcere obſeſſam cogit & inſpiſſat, adeo ut ibi caro dura adnaſcatur, quæ tandem membri virilis introductionem impedit, cum in collo uteri formatur, vel, quod frequentius in urethra utriuſvis ſexus, niſi antequam totam illius circumferentiam occuparit abſumatur.

At vero nominatim in viris non exigui momenti res eſt extremo illi periculo obviam ire, atque in id eniti ut caruncula illæ deſtruantur, ſtatim ac obſervatum fuerit urinam nõn eodem filo aut tenore ac ante prodire, aut bifurcatam ac oblique: Ubi enim guttatim tantum exilit, aut omnino intercipitur, utplurimum devenire impellit neceſſitas ad perinæi, inciſione ejus facta, apertionem, aut ſaltem ad catheteris in veſicam immiſſionem, à qua, dum introducitur, intenſiſſimi excitantur dolores.

Carunculam ab initio facili negotio abſumpſeris, excoriatione ejus per ſpecillum facta, ac deſuper admovendo (ope candelæ minutæ, ex cera & terebinthina confectæ) pręcipitatum rubrum, alumen calcinatum, æruginem, ſabinam pulveriſatam & ochram flavam, ex quibus ſimplicibus varias medicamentorum formulas concinnare licuerit: At ubi in inſignem magnitudinem & duritiem excreverit, illico mollitiem illi conciliare cona-

beris admotis remediis emollientibus, cujuſmodi ſunt Fotus à me præſcripti ad intumefactionem Teſticulorum; vel præterea decoctionis magma, ex quo cataplaſmata in eundem uſum parari poterunt, id contundendo & ad pultis conſiſtentiam excoquendo.

Necnon & Linimenta cum oleo liliorum alborum, axungia humana, aut unguento Neapolitano fieri poterunt, deſuper admoto Emplaſtro de *Vigo*, aut de mucilaginibus cum Mercurio.

Quibuſdam inſigni auxilio fuit fumus ex aqua vitæ aut aceto excitatus, lapidi aut lateri candentibus affuſis.

Cum tantiſper hoc pacto, vel aliis mediis, emollita fuerit, in uſum poterunt duci cathęretica ſuperius deſcripta, aut emplaſtrum de mucilaginibus, cujus unciæ uni addita fuerint ſublimati dulcis grana duodecim: probatiſſimi proculdubio effectus, ſi modo idonee uſurpentur, hoc eſt, ſi exigua quantitate atque ipſi carunculæ admoveris.

Cæterum, ſpeciatim de iis quæ mulieribus accidunt verba facturus non ſum, ſcilicet in canalibus à me deſignatis, eo quod iiſdem his remediis à me traditis etiam corrodi queant; imo majori multo facilitate quam quæ urethræ virili innaſcuntur.

V. Id obſervandum, aliquando Lues ſingulares, de quibus verba feci, univerſali complicatas occurrere, eo quod fieri poſſit ut eodem tempore pręciſe appareant, etiamſi diverſis contractæ ſint: aut quia ſalia variolica quandoque adeo volatilia ſunt & tam inſigni penetrandi vi pręditа, ut naturæ viribus & pręſervativorum medicaminum ſuperiora ſint: Eo in caſu inutilis uſus plerorumque remediorum particularium à me propoſitorum futurus eſt, quandoquidem univerſo corpore à Lue vindicato, univerſalium beneficio, deinceps exhibendorum, morbi cauſam in nihilum redacturus es, quancumque demum ſedem occupaverit, ſymptomatibus poſtmodum omnibus citra alia auxilia ſponte evaneſcentibus.

Cap. III.

De criſibus naturalibus Luis venereæ univerſalis.

1. *Diviſio generalis criſium Luis venereæ, Et cur vacuationes ſubſequi ſolitæ applicationem remediorum illi dicatorum, eo nomine inſigniendæ ſint.* 2. *De criſibus naturalibus Luis, ac primo de iis quæ illi & ſimul cæteris affectibus finem imponunt.* 3. *De iis quas excitat ſimplex naturæ oppoſitio.* 4. *De Bubonibus ſpeciatim.*

1. CUm Luis univerſalis eſſentia in inquinatione univerſi corporis ſita ſit, aliam ſolutionem admittere nequit quam mediantibus criſibus, quicquid

quicquid impuri adfuerit eliminantibus.

Ejuſmodi criſes à motibus mere naturalibus excitari poſſunt; aut ab actionibus propriis Mercurii aliorumque remediorum.

Nec me latet illos qui ne latum unguem diſcedunt ab antiquorum effatis, diviſionem hanc vitio laborare eſſe pronuntiaturos, eo quod, ex eorum mente, morborum criſes mera ſint naturæ producta, remediorum efficaciæ non adſcribenda: atvero de his obſervandum venit, eas vacuationes quæ admotionem remediorum Luem impugnantium ſequuntur, Mercurii pręſertim, ſimpliciter perpendi non debere quaſi affines ſint iis quas videmus apertionem vaſorum ſubſequi, aut uſum emeticorum & catharticorum, eo quod poſteriorum horum motus perpetuo definiti ſint; priorum vero aut per os peragantur, aut poros, aut per dejectiones, aut tandem vias lotii, pro varia inclinatione colluvici humorum, aut prout vaſa conſtituta fuerint: qua de cauſa facile inferre licet ejuſmodi vacuationes mera eſſe naturæ opera; remedia vero eum in finem tendentia, eo pręſertim nomine conferre quod eam laceſſant ad excretionem, corpora vero diſponant adeorum expurgationem, commotis illis humoribus.

II. Regreſſu autem facto ad eas vacuationes quas excitant motus mere naturales, hæc earum diſtinctio fieri poteſt; quod aliæ inducantur ab iiſdem cauſis quæ alios pariunt morbos, cum quibus Lues aliquando complicatur, vel in eas quas ſolummodo excitat naturæ nixus.

Morbi qui priores parere idonei, ſunt exempli gratia peſtis, pleuritis, ac in genere febris omne genus, inter has vero potiſſimum malignæ dictæ, quarum criſes Luem ſimul averruncare poſſunt; eo quod nequaquam oriuntur quin prius ab illarum cauſis inſignis fervor maſſæ ſanguineæ inductus fuerit, à quibus naturam tam violenter aliquando concuti contingit, ut omnes conatus adhibeat ad expulſionem & ſeparationem totius illuviei illi permixtæ: At vero, cum Lues venerea eo modo profligari poſſit, tot ſcilicet viis quot ſunt ſolutionis modi naturales, de his vero hoc loco citra confuſionem tractari nequeat, fuſius de iis acturus non ſum, ſatis ratus futurum ſi hoc capite cęteras criſium ſpecies explicavero, quæ lui peculiares cenſeri poſſunt.

III. Cum Luis materia veneni ſit particeps, ſubtilis & penetrandi vi prędita, raro contingit ut diutius partibus ſuperficiariis & extimis inſideat, quin vaſa ſubire parata ſit, ſanguiniſque maſſæ ſe commiſcere; Porrò cum nihil vulgatius ejuſmodi adhęſionis modo, nihil proinde etiamnum Lue univerſali vulgatius futurum eſſet, niſi natura illius introitui contranireretur, ac niſi omnes nervos intenderet ad arcendam commixtionem adeo ſibi adverſam: hinc experientia compertum ipſam pro viribus veneni malitiam retundere & repellere; ubi enim aditu interdicere non licuit, aliis mediis id in-

pugnare adgreditur, id ab humoribus ſinceris ſegregando, atque per vias ſolitas, excretioni deſtinatas expellendo.

Ejuſmodi viæ eędem eſſe queunt quæ eodem tempore purgationibus naturalibus famulantur, ſicuti menſtruorum in mulieribus, hęmorrhoidumque in quibuſdam viris ſtatus fluor; vel evacuationibus extraordinariis, cujuſmodi ſunt ulcera ſordida; vel tandem ſanguinis univerſali defęcationi, ſicuti emunctoriorum viæ: Porro ſicuti materia Luis inſenſibiliter fere per priores vias à me deſignatas expellitur, natura autem in hanc operationem nullo auxilio indiget, ulteriores explicationes allaturus non ſum, ſed tantummodo media per quæ criſis ultima via fieri ſolita promoveri poſſit.

IV. Quemadmodum partes Generationi dicatæ cęteris frequentius ſalia Luis venerea admittunt in penitiora corporis, ita Inguina illis vicina crebrius etiam cęteris emunctoriis afficiuntur, Impuri tumores, per quos exterius deferuntur, non ſecus ac ii qui in peſte criſis ratione eveniunt, ſub axillis frequentius exoriuntur, quia pectori viciniores ſunt, quod inſpirando aërem miaſmate infectum hauſit, peſtis cauſam; At quamvis illud ſatis perſpicuum ſit ejuſmodi Tumores motu critico ſemper erumpere, illud nihilominus notum conatus, quos tunc temporis natura adhibet, irritos ſępius futuros, niſi in ſubſidium venirent remedia ab arte medica ſuppeditata; Rei veritatem confirmat ſpeciatim exemplum à Bubonibus, in inguinibus ſępe emergentibus petitum, cum materia virulenta illuc impulſa fuerit; aliquando vero inconſpicuis, niſi ope remediorum attrahendi vi prędítorum illic cohibita fuerit; id quod nequaquam contingit in criſibus per alias vias à me ſignatas accidentibus; quandoquidem impuræ illuviei exitum nihil moratur, quia item liquores illac tranſitum nacti, pręterea ſimul conferunt diffuſioni & diſſolutioni ſalium variolicorum, facilem exitum his duobus mediis nanciſcentium: Impar autem eſt ratio ſi Bubonem pepererint, paucus enim humor illis commixtus à conjunctione iſta craſſeſcit, eo quod ſub cute diutius collectus hęreat, unde exitus aliter quam per illius diviſionem non patet; adeo ut ejuſmodi criſes raro admodum perfectæ ſint, niſi natura artem habuerit adjutricem.

Rem ut conſequi valeas, ſcopus hic pręcipuus eſto ut natura in orgaſmum & motum cieatur, & ſuppuratio promoveatur.

Naturæ motus augmentum duobus modis conſequi dabitur, primo ab internis ad exteriora, uſu alimentorum calefacientium impellendo, exempli gratia, vini; aut remediorum eadem facultate prędítorum, qualia ſunt theriaca vel aqua theriacalis; Secundo per attractionem ac topicorum beneficio reſolutionem.

Bubonum attractio & reſolutio methodo vulgari perficiuntur, emplaſtro diachylo, ex galbano, opopanace, aliiſque gummatibus calidis & electi-

ciſ,

cis, compoſito ; at vero, duce experientia, mihi innotuit invalida id attrahendi vi pollere, ſi gummata parca dozi addantur, reſolvendi vero majori, ubi copioſius induntur, adeo ut eo quanquam admoto, ſæpiſſime deliteſcant ejuſmodi tumores, præſertim in temperamento melancholico & pituitoſo donatis, quibus calor naturalis vegetus non eſt; quapropter eorum ſaltem gratia cataplaſma ſequens, probatioris effectus, uſurpandum erit.

Recipe limaces cum cochleis numero octo aut decem, liliorum alborum bulbos numero ſex, butyri recentis uncias duas; fermenti veteris ſecalini uncias tres, Ex his conficiantur Cataplaſmata, calida admovenda, ſingulis ſex horis innovanda; aucta tamen fermenti quantitate in corporibus robuſtioribus ubi generoſius attrahendum fuerit: eadem vero imminuta in iis quibus cutis rarior & tenera, ne excoriatio moleſta inde ſubſequatur: Cæterum, remedium hoc non modo attrahendi vi pollet, ſed præterea humorem in parte detinendi, unde facilior multo ſequitur ſuppuratio.

Si pertinax occurrat Tumor, nec ex voto ad exteriora promoveatur, bis in die, eximio cum ſucceſſu ampla cucurbita deſuper applicari poteſt, inibi detinenda una quaque vice quovſque inſignis facta fuerit attractio, Ea remota poſtmodum tumoris parti eminentiori ſplenium, denarii magnitudine imponatur, ùnguento imbutum, parando ex partibus æqualibus baſilici, & fermenti, cui major vis acceſſura eſt additione ſpiritus vitrioli, ſi poſtmodum ſuperaddatur emplaſtrum aut cataplaſma ordinarium.

Materiam poſtquam ad ſuppurationem deduxeris beneficio prædictorum omnium auxiliorum, apertio fiat Bubonis parte ejus eminentiori, leniter declivi ſequendo longitudinem rugarum inguinis, admoto cauſtico potentiali, ſimulque ſcalpello: apertionem ſubſequatur uſus ſuppurantium & detergentium ſolitorum, ſuperimpoſito ab initio Emplaſtro Diachylone, poſtea de mucilaginibus cum mercurio, cætera peragendo ſicut in Tumoribus impuris; hac tamen cautione adhibita ut frequens inſtituatur per alvum & veſicam expurgatio.

Notandum vero quoſdam agyrtas Pariſiis, & alibi reperiri, qui in malos uſus remedia iſthæc traducant, Bubonéſque artificio excitent in iis qui revera iis deſtituuntur, in dubio tamen hærent ob glandulas quaſdam ſero imbutas vel aliis humoribus, oedema inferre aptas natas, per decurſum luis alicujus ſingularis contingentes aut ea deſinente.

Oo

Cap. IV.

De Plantis ad Luem veneream per ſudores expellendam decantatis.

1. *Obſervationes generales circa ejuſmodi plantas ſudorem cientes, quibus probatum ſit illas neque in Europa, neque in ipſis Indiis luem expugnare poſſe.* 2. *Obſervationes ſingulares de Guaiaco.* 3. *De ligno Saſſafras.* 4. *De Chinaa radice.* 5. *De zarzaparilla.*

I. PRiuſquam criſes quæ artificio in Luis univerſalis curationem excitantur attingam, è re futurum credidi obſervationes quaſdam utiles circa plantas ſudorem moventes attuliſſe, quas indubiè eum effectum parere creditum eſt; Quaſdam item alias circa argentum vivum, ea præſertim ratione æſtimandas quod hodierna die certiſſima illius antidotus exiſtimetur, etſi nemo hactenus tradere ſategerit quamobrem & an revera id præſtet.

Ejuſmodi plantæ, vel partes earum quæ utplurimum in uſum veniunt ſunt, exempli gratia lignum Guajacinum, radices Saſſafras, Chinæ & Salſæ parillæ, ex variis utriuſque Indiæ locis allatæ, diverſiſque temporibus: Unaquæque viciſſim, pro more rerum recéns inventarum, præ aliis in pretio fuit: quæ majori vænierunt,& recentiſſimæ repertæ ſunt,maxime commendabiles fuerunt; imo pars maxima ſcriptorum occaſione data mire eas collaudarunt, atque animos occupare adnixi ſunt, adeo ut in cenſu remediorum generoſiorum repoſitæ ſint, ſpecificorum,& in morbi hujus curationem probatiſſimorum.

Horum abuſus alios errores ſequaces habuit, Empirici tanquam res admodum ſingulares invexerunt, Spagyrici ex iis extracta & quintas eſſentias concinnaverunt, auro contra caras. Empirici & arcanorum diſtributores admixtione aliorum ſimplicium medicamentorum adulterarunt, Imperiti tandem cæteris omnibus palmam præripere aſſerverunt.

Eo quod hiſtorici, & qui Indorum regiones peragraverunt, referrent populos illos à decoctis ejuſmodi plantarum perfectam adipiſci ſanitatem, fraudulenti porro Europæi obnixe curarent ut affectus illarum votis reſponderet, ſimulatos morbos fictitiis curationibus abigentes, nulla non regio ejuſmodi errorem fovit, ac unuſquiſque illarum uſui ſe addixit, quanquam experimenta de iis facta fallacia eſſent,ſiniſtro illarum uſui aſſignata, potius quam innatis vitiis: Quamobrem multæ tentatæ præparationum formulæ & uſurpandi rationes, omnium vero inutilitas æque ac vulgarium & uſu tritarum deprehenſa eſt: hinc factum ut qui ejuſmodi plantas celebriores reddere

voluerunt

confiteri neceſſe habuerint non eodem hic loci emolumento uſurpari ac in ſolo natali: At vero cum ridiculum ſit ea omnino improbare quæ alias applauſu excepta ſunt, à quibuſdam id excogitatum Providentiam quidem Divinam talia in uſum humanum condidiſſe, ſed ut tantum incolis regionum, in quibus morbus is endemius eſt, profutura eſſent, nec in diſſitas regiones, abſque virium inſigni detrimento poſſe extraferri.

At vero quæ de illis circumferuntur, non certo inferunt Indos facilius ab ejuſmodi remediis ſanitatem conſequi, quandoquidem alibi à me demonſtratum Luem Veneream ubique & ſemper viguiſſe: Illud vero præterea addendum, ſi ex Dei nutu morbus is in alias regiones migrare, citra formæ propriæ alterationem potuit, Illum eandem ob rationem conceſſurum fuiſſe remediorum illum expugnantium exportationem, nulla virium imminutione facta: adde quod id ſaltem contingere debuiſſet, ut ab auctis dozibus eorum compoſitiones exinde parandæ vim & efficaciam nanciſcerentur, Hoc vero conſpicuum facit dictos populos fucatam tantum & palliativam ſanationem à decoctionibus illorum ſimplicium acquirere, quod nempe corpora non minus, vel æque, ab eorum uſu quam in Indiis exſiccentur, quam deſiccationem ſymptomatum quædam remiſſio, & ſæpe abolitio ſequitur, unde comparatæ valetudinis ſpecies, adeo tamen ut iterum de novo illa emergant, ac deinceps terribiliora quam ante exſurgant.

Utut vero ſit, certe in confeſſo eſt de veritate hujus opinionis quoad nos aperte conſtitiſſe; maximam vero noſtratium medicorum partem errorem agnoviſſe, adeo ut varia experiri neceſſe fuerit ut remedium malo quæreretur: Pharmacopœi noſtri, exempli gratia, eapropter multa potionum genera, tum purgandi vi, tum vomitum ciendi facultate pollentium concinnavere, Antidotorum & Confectionum cardiacarum, Emplaſtrorum, Unguentorum, ac tandem omnium, quæ in officinis proſtant, compoſitionum, ex pharmacia Galenica depromptarum: Nec Chimici officio defuerunt, præparando Elixiria, Arcana, Magiſteria, Quintas eſſentias; Extracta emetica, cathartica & diaphoretica; Tandem poſt multas ejuſmodi periclitationes, hoc felicibus auſpiciis deprehenſum lue venerea inquinatos ſanitatem conſequi, frictione adhibita, ab unguëtis quorum compoſitionem hydrargyrum ingrediebatur, alias ad Lepræ impropriе dictæ, de qua ſupra, curationem uſurpatorum: At vero cum beneficio harum decoctionum hidroticarum extinctionis morbi ſpecies quædam appareret in nonnullis, non omnino illarum uſus repudiatus, fama vero ipſis jampridem parta multum contulit ut deinceps & hodierno tempore adhuc uſurpentur, eo fine ſcilicet ut prævia adſit corporum pręparatio, quę unctioni mercuriali deſtinantur.

Porro, illud captu non eſt difficile quomodo Luis venereę accidentia,

cauſa ejus inconcuſſa, aboleri queant, quandoquidem ex iis quę hujus libri prima ſectione à me allata ſunt, apertum eſt eſſentiam illius in ſale venenato fundatam eſſe, ſanguini commixto, à quo hic fermentationem ſubit, æſtu cietur, adeo ut durante fervore aſſiduo è vaſis eum continentibus, materię vaporoſę aut ſeroſę excidant, à quibus ſymptomata varia exoriuntur, pro varia eorum qualitate, copia, aut partium natura quibus adhęreſcunt: Cum vero eędem materiæ ſudorificorum efficacia facile abſumi poſſint, diureticorum, ac in genere remediorum exſiccantium, Mirum non eſt ſi eorum effectus deliteſcant ab uſu decoctionum ejuſmodi plantarum, nihilominus tamen fermento, à quo expulſæ, intra maſſam ſanguineam adhuc ſuperſtite, quod nihil aliud eſt quam ſal diſſolutum, fermentatione ſubactum illique intricatum, vi medicamentorum fluidorum, cito tranſmeantium, efficaciæ non cedens.

Id vero confiteor vix veriſimile eſſe Indos in fide tantum & imperfecte ſanatos fuiſſe, tantoque temporis ſpatio deceptos fuiſſe ut remedii fraudem non animadverterint, eventum vero hanc habuiſſe cauſam exiſtimo, Dictis in locis meretrices omnibus promiſcue proſtant, quibus Indi familiariter abutuntur, homines libidinis effrænatæ, quam nulla religionis vincula coërcent; qua de cauſa morbus is apud ipſos endemius eſt, ut veriſimile ſit ipſos eo defunctos, recens eundem contraxiſſe quotieſcunque ſymptomata recrudeſcunt: vix enim illud credibile eſt ipſos toties novæ curationi ſe ſubmittere neceſſe habere, ſi fides hiſtoricis, cum proſtent apud ipſos remedia luem veneream radicitus extirpare valentia.

Non inficias eo (quod jam ante innui) Luem univerſalem ab ejuſmodi ſudorificis ſuperari poſſe, aut ab aliis remediis vulgatioribus & familiaribus, cum adhuc in primo gradu conſtituta eſt, hoc eſt, cum nondum illius materia, fermentatione accedente, ſanguini exactè commixta fuerit, ſed, adde quod iſte gradus exiguæ durationis eſt, non ſemper is in notitiam venit, quem Mercurius præterea tanta celeritate & facilitate abigit, ut ſuperfluum eſſet ad alia tranſire remedia.

Interea, quamvis obſervationes hujuſmodi rationibus fulciri queant & experientia, atque his ambobus fundamentis innixæ, ejuſmodi plantas dictum morbum ſpecifice non impugnare oſtendant, concedendum nihilominus eſt quoſdam adeſſe caſus in quibus ad ejus curationem multum conferunt, quandoquidem corpora quædam omnino exſiccatione indigent ante Mercurii adplicationem; quamobrem neceſſe eſt obvias habere obſervationes à me de iis ſingulatim factas, quo definitius quomodo in uſum duci debeant apertum fiat.

II. Lignum Guajacinum decocto tincturam indit flaveſcentem, acriorem, ſuaviorem, ſed magis deſiccantem cæteris tribus ſimplicibus ſuperius deſigna-

deſignatis: Tradunt quidam ejuſmodi effectum vis illius ſudorificæ ſobolem eſſe: alii contra diureticam vim inſigniorem ipſi ineſſe contendunt; utut vero ſit, facultas abſumendi pituitam & ſeroſos humores illi denegari non poteſt, dum per ſudores & urinas illa exhaurit: diſcrepantes autem illi effectus præcipue aſſignandi ſunt diſpoſitionibus interioribus corporum illis utentium, hoc quippe experientia compertum eſt in quibuſdam id ſudores ciere, in aliis urinam promovere: à me tamen obſervatum reſerandis poris aptius fieri, hordeo communi ipſius decoctioni addito, à quo præterea dulcedinem & ſuavitatem acquirit.

Nec illud vero abſimile, modum illum quem uſurpant Americani non parum ad augendam vim ſudorificam conferre, exercitiis enim immodicis ante decocti hauſtum corpora fatigant: eo vero epoto imponunt ſe lectulis ſuſpenſis ex goſſypio confectis, iiſque cunarum in morem mobilibus, cujus agitationis auxilio nova commotio humoribus conciliatur, qua de cauſa vias ante diſpoſitas facilius trajiciunt.

Illud tamen concedendum Sal eſſentiale & volatile, cujus efficaciæ ſuum debet effectum, luxuriare magis in eo quem in uſum ducunt, quam eo qui ad nos transfertur, quod recens illud ex novellis arboribus, vel grandiorum ſurculis reſecare liceat, in quibus ſpiritus univerſalis, plantas vivificans, inſigniori proculdubio mobilitate viget, minuſque diffunditur, quamobrem quoque neceſſe eſt eligere minores ſurculos, magiſque flaveſcentes, craſſiores enim & nigriores proculdubio ab antiquis truncis deciſi ſunt.

Qui remediorum efficaciam in actionis eorum vehementia conſtituunt, ejuſdem ligni corticem uſurpant, in quo exſiccatoria facultas proculdubio inſignior quam in cæteris plantæ partibus, ſed tam intenſo calore, tantaque acrimonia præditum eſt, ut nemini illius uſum conceſſerim; neceſſitate vero urgente ſatius eſſe duco decoctionis ordinariæ uſum in longius tempus protrahere, aut frequentiorem reddere.

III. Ea pars ligni Saſſafras quæ ut plurimum in uſum ducitur, meoque judicio optima, radix eſt, quæ tamen hodierno tempore non admodum familiaris eſt, vel quod ejus vis nondum cognita ſit, vel quia aliæ radices ſudorificæ pretii majoris cauſa magis æſtimentur: Id vero conſtat ejus decoctum odoris & ſaporis gratiſſimi eſſe, idque, non ſecus ac Guajacinum in uſum duci poſſe, ut humiditates exuberantes abſorbeantur, illarum impulſione facta per ſudores, urinas, aut etiamnum per alvum, additis levioribus catharticis.

Id nihilominus mihi obſervare licuit radicem dictam non tanta vi deſiccatoria ac Guajacum pollere, ac proinde illis convenientiorem eſſe qui minore exſiccatione indigent: Inſignior autem vis ligni cortici ineſt, quæ tincturam quoque magis aromaticam imprimit, mordaciorem & acriorem.

IV. Quando quidem Chinæa radix inter ſudorifica ſimplicia maximo pretio quæ ad præparationem aut curationem Lue infectorum dicata ſunt, emitur, Nautæ & mercatores qui eam ad nos è loco natali invexerunt, præclaros ejus effectus omni conatu extulerunt quo vænalis evaderet, Ejus vero facultates à quibuſdam ſcriptoribus adeò decantatæ ſunt, ut majorem fidem illorum relationibus adhibuerint quam experientiæ & obſervationibus propriis; ineptam que & infauſtam Luis curationem ſuſcepturos ſe crederent ſi eam miſſam facerent: Id tamen confitendum ejuſmodi animi præoccupationem omnino damnandam eſſe, dictamque radicem celebritati nominis proportione nequaquam reſpondere, neque pretio ejus enormi, quandoquidem decocta ex dictis ſimplicibus parata idonea tantummodo ſunt quatenus corpora exſiccant, quæ vero ex duobus à me jam nominatis conficiuntur, eundem in effectum feliciori ſucceſſu uſurpari poſſunt.

Ejus tamen utilitatem eximiam eſſe non negaverim ad præparanda eorum corpora quæ leviori exſiccatione indigent: Ea nihilominus carere facile licet, validiorum imminuta dozi, vel debiliorum aucta.

V. Radix zarzæparillæ familiariſſime jam uſurpatur in uſum jam dictum, quod decocto tincturam, vini colori non admodum diſſimilem, impertiat, nec vero quicquam ingrati ſapiat vel olfactui vel guſtui oblata: Illud interim à me obſervatum minus etiamnum aliis tribus hidroticis à me recenſitis exſiccare, ac vias urinarias magis quam poros cutis affectare, quamobrem ad GonorrhϾ curationem, quæ fomentum ſuſcipit à ſeri virulenti præſentia, eximia eſt, cum teſticulos aliaſque partes, coctioni & diſtributioni ſeminis inſervientes, id occupat.

Caput V.

Obſervationes circa Mercurium neceſſariæ; Cur ejus applicationem varii effectus conſequantur.

1. Cur Mercurii qualitates non ſufficienter cognitæ, & neceſſitas earum inquiſitionis. 2. Facillime illum conjungi ſubſtantiis ſulphureis & metallicis, ac proinde neceſſe eſſe id iterum vivificari addita cinnabari, ut purius evadat. 3. Perpetuo illum eſſe in motu, mobilitatem autem exuere quam iterum induit: 4. A Sulphuribus illi admixtis volatile effici ac penetrandi vim adipiſci, ob pondus autem ima petere: 5. Subſtantias reſinoſas particularum illius diviſioni inſervire, ab acidis autem perfectius diſſolvi. 6. A calore illum ſublimari, ab Alkalibus vero præcipitari. 7. Ab acidis volatilitatem ejus retundi, atque eo corroſiva vi magis præditum eſſe quo plura illi commiſcentur. 8. A diverſitate corporum quibuſcum con-

conjungitur, pendere varietatem actionum ejus & effectuum. 9. Ex propria indole venenatum non eſſe; Varias autem ſubjectorum diſpoſitiones cui admovetur, varios effectus ex ejus actione prodeuntes parere.

1. SIcut ab antiquis medicamentorum qualitates tantum explicatæ fuere, ex gradibus differentibus petitæ, calidi & ſicci, frigidi & humidi, iidem autem gradus definitius neque cognoſci neque diſtingui potuere quam ab actionibus & effectibus ab iiſdem qualitatibus emergentibus, Nemo mirabitur ſi tam varia de Argenti vivi genio tradiderint, quandoquidem minerale id diſſimiles effectus edit, nō ſolum in diverſis corporibus id excipientibus, ſed pręterea quoad varia tempora juxta quæ in uno eodémque ſubjecto recipitur: qua de cauſa à quibuſdam frigidum judicatum eſt, ob morbos frigidos ab ipſo genitos: ab aliis calidum, eo quod pituitam conſumat, exſiccetque corpora ipſum admittentia: Imo quidam venenatum id cenſuerunt, ob ſymptomata eos fatigantia qui ipſum è mineris eruunt, Inauratores, & alios artifices qui illum pertractant: Alii contra contenderunt ipſum venenorum alexipharmacum eſſe, corruptionis hoſtem, eo quod pediculos lumbricóſque enecet, contra febres malignas utiliter imperetur, peſtem item & luem veneream: Eorum tandem cogitationes tam inter ſe adverſæ, adeo oppugnatæ fuerunt ut hactenus indiſcuſſæ perſtiterint, Neotericis autem ſcriptoribus, à quibus id genus remedii adverſus quoſdam morbos præſcriptum, ſatis fuit dixiſſe illum à tota ſubſtantia agere, mediantibus proprietatibus occultis.

Interim, etſi nihil in tota medicina magis cognitionem eludat, id tamen certum nullam rem magis examine dignam, quandoquidem hodierna die uſus illius æqualiter agnoſcatur familiaris, utilis & periculoſus, exiliſque notitia quæ de ejus motibus comparata fuit, forſan unica cauſa ſit improſperorum ſucceſſuum omnium qui ejus applicationem ſequuntur: Hęc ratio, Benevole Lector, æqualiter nos impellere debet ut omnem curam impendamus quo illos ſenſibiles reddere enitamur, declinaturos hoc pacto juſtas exprobationes, memoriæ noſtræ inurendas à poſteris, multo æquiores quam quæ in majores vibrari poſſunt, quandoquidem ævo vivimus magis illuſtrato, ac dilucidationes ab ipſis ſuppeditatæ idoneæ futuræ ſunt inventioni infinitarum rerum inſignium, dummodo ea quæ ab ipſis tradita ſunt, adhibito judicio conjungantur iis quæ hodierno tempore illuceſcunt per habitus acquiſitos, vel experimenta curioſa aut nova: Hoc ipſum vero mihi propoſitum eſt, exhibita ſerie mearum obſervationum, in id incumbere ut nihil eorum prętermittatur quod dilucidationi inſerviat rei quæ occulta permaneret: Cum tamen inſtitutum meum non ſit Phyſici habitum induere, ne ſperes hic hiſtoriam Mercurii abſolutam à me traditum iri: adeo

ut ſi etymologiam nominum ipſi inditorum ſcire aveas, varias ejus definitiones, mineras è quibus eruitur, eruendi modos, fictitium conficiendi rationes, infinitáque alias circumſtantias, plurimos ſcriptores conſulere neceſſe habeas, qui fusè de hac materia ſcripſerunt.

II. Modi uſitati in Pharmacia Galenica ad Mercurii diviſionem, manifeſtum faciunt facile ipſum omni ſulphuris ſpeciei conjungi, quandoquidem terebinthina, aliǫque reſinæ & pinguedines illi intentioni utiles, ſubſtantiæ ſunt ſulphureæ & inflammabiles, Rei autem veritas illuſtrior eſt in cinnabaris confectione, ex omnium conſenſu habitæ pro ſulphuris & mercurii mixtura, in viſceribus terræ naturaliter ſublimatorum, à vi caloris centrici, aut artis opera in fornacibus, per vim ignis actualis: id quod argumento eſt jure Chimicos ejus principia conſtituere terram ſubtilem & ſulphuream, cum illud verum ſit ſubſtantias homogeneas facile ſemper coire, ac particulas quorundam mixtorum ſponte corpora quibus conjungebantur deſerere, aliorum conſortium, quibus cum affinitate aut natura conjuncta ſunt, affectantia: quo fit ut aqua metallica (quæ alterum ejus principium ſtatuitur, idque maxime conſpicuum) admittat mixtionem, unionem, & amalgationem illius metalli cum maxima aliorum parte: qua de cauſa qui fraudibus utuntur, molem ejus additione plumbi vel ſtanni augent, ac ſincerum comparare arduum eſt, nec niſi admiſtione cinnabaris cum ferri limatura obtinendum, ad eliciendum media deſtillatione quicquid ineſt Mercurii: eo enim pacto puriſſimum nanciſci licet, quandoquidem aliis metallis non ea ineſt volatilitas ob quam cum illo evolare queant, implicatáque in retorta hærent, cum ſulphure & ferri limatura.

III. Etiamſi Mercurii cum cæteris metallicis conjugium ſit facile, ac in ejus compoſitione materia metallica facile deprehendatur, id tamen tantum imperfectis metallis accenſendum eſt, quandoquidem portionis aqueæ cruditas, ac ſulphurum quæ continet volatilitas impedimento ſunt ne ab igne diſſolvatur vel à malleo extenſile fiat; ambæ porro illæ ſubſtantiæ eo connexionis modo colligatæ ſunt, in motum idoneo, ut perpetuo eludat vim duorum agentium, neque eorum efficaciam unquam experiatur, niſi ab aliis corporibus irretitum fuerit, aut hęc indiſſolutum id teneant.

Mobilitatis illius inſignis, volubilitatis & fugitivæ naturæ, cauſa eſt figura illius rotunda aut ſphęrica nativa, cujus etiamnum tenax eſt in partium ſuarum ſeparatione, adeo ut eo diſſoluto per acida eóque in pulverem impalpabilem ſeu alkool reducto, eadem microſcopii ope adhuc manifeſta ſit: quamobrem inferre liceat admirabilem eſſe ejus naturam, cum impoſſibile ſit media reperire per quæ abſolute forma ejus accidentalis & externa aboleri queat.

At vero cum ejus rotunditas apparenter tantum non revera pereat, pronuntiare

nuntiare quoque licet mobilitatem ſuam tantum exuere ut illam iterum induat, quandoquidem poſterius hoc accidens prioris ſequela eſt; aliunde porro conſpicuum eſt à nulla re poſſe ipſum eo modo conſiſtentiam acquirere, ut accedente ignis efficacia iterum in vitam redeat, etſi fraudulenti quidam contrariam tueantur opinionem.

IV. Atvero in hoc minerali maxime ſtupenda eſt ejus gravitas, pręterea ejus ad minimum calorem ſublimatio, volatilitas autem in cauſa eſt; proprii vero ponderis ratione it pręceps & in fundum deturbatur: Prima contrarietas exinde innoteſcit, ſi carbonibus accenſis imponatur, vel ex obſervatione ſublimationum arti ſpagyricæ familiarium: Altera ſenſibilis fieri poteſt ſtanno illum imponendo, plumbo, ligno, ac pręcipue terræ, quam tanta vi pervadit, ut nonnulli etiam paludem exhauſturos ſe crediderint, affuſa ea mercurii copia quæ foramen tantæ magnitudinis efficiat, ut aquæ effluvium paret illius motum aſſequuturæ.

Ex Auri mallei ope ductilitate, & plumbi, apertum eſt pinguia illa eſſe & ſulphurea; atvero videntur ſulphuris ſpecies, quæ mercurii compoſitionem ingrediuntur, ex volatilitate tantum ejus dignoſcendas eſſe, ac conjunctione cum ſubſtantiis ſulphureis: Id tamen à me obſervatum metalla, eo principio ſcatentia, cęteris omnibus graviora eſſe, eo quod eorum partes illorum beneficio perfectius coeant & uniantur: adeo tamen ut eo minus talia ſint quo melius digeſta aut perfectiora, propterea quod particulæ illorum in digeſtione ab invicem ſecedant; vel potius quod maxima ſulphurum pars in aureas abeat, unde ſpatia inania in mixto ſuperſunt: Cum vero mercurius metallum ſit admodum crudum & grave, eamdem ob cauſam inferre licet plurimo illum ſulphure abundare, ſicut ex ante dictis apparet à ſulphuribus illum in motum maxime idoneum effici, qua de cauſa admirationi locus non ſit ſi volatilis evadat cum à calore ſuſcitatur; eo vero abſente penetrativa vi polleat & facile demergatur, quandoquidem ejus gravitas, fluiditas, ac ſulphurum in eo exagitatio, ſufficiunt ut is ad ima detrudatur.

V. Illud interea obſervandum non ſemper neceſſario illum ima petere, poſſeque revera penetrabilem evadere & volatilitatem conſequi, per partium ipſius diviſionem: Rei veritas conſpicua eſt in compoſitione & admotione emplaſtrorum & unguentorum mercurialium, in quibus in particulas imperceptibiles diviſus cohibetur ope reſinarum, quo magis idoneus evadat meatibus & poris ſubeundis ſingularum cutis partium cui admovetur.

Quamvis vero ejuſmodi diviſio admodum utilis ſit, imperfecta nihilominus & manca eſt, quandoquidem à minimo calore liqueſcere poſſunt materiæ reſinoſæ quibus mercurius intricatus adhęrebat; atque facile iterum eo pacto colligitur & coit, priſtinæ formæ reſtituendus, id quod non con-

tingit ſi ab acidis diſſolutus fuerit : ab admota enim igni ejus diſſolutione, humiditas in auras abit, mercurio in fundo vaſis ſubſiſtente cum acidis forma ſalis, vel ſaltem urgendo ignem, illo in ſublime elato ad medium uſque dicti vaſis, adeo ut per iteratam ſublimitationem tandem ſolitarius ſuperſit, vel pauciſſimis acidis commixtus, ſervata nihilominus forma ſalis.

VI. Nihil tamen obſtat quin Mercurius à calore ſublimari queat citra ſui diviſionem; id vero indubium intenſiorem illum aut remiſſiorem eſſe debere pro ejus corpuſculorum craſſitie aut gravitate ; qua de cauſa in particulas ſubtiles dividitur in trochiſcorum confectione, fumigationi deſtinatorum, quo minori violentia ſurſum compellatur.

Sed præterea, quamvis illi de pondere deceſſerit eo modo diviſo, ejuſque levitas præcipitationi ineptum ipſum reddat, experientia tamen notum à ſalibus alkalibus ipſum præcipitem agi, quandoquidem ab infuſa aqua calcis, vel oleo Tartari per deliquium parato, in diſſolutionem ſublimati corroſivi in aqua communi factam, conſpicua eſt mercurii præcipitatio in pulverem flaveſcentem, ab aqua calcis, & in viridem ab oleo tartari injecto.

VII. Cæterum cauſa me latet cur hodierna die Pulvis rubeus Mercurii Præcipitati nomine donetur, quandoquidem nihil aliud eſt quam ejuſdē diſſolutio cum aqua forti aut ſpiritu nitri, quæ poſtmodum ad ſiccitatem uſque evaporari ſinuntur ; ratio fortaſſis eſt, quia acida illi implicantur in ejuſmodi diſſolutionibus, eóque pacto fixior evadit, gravior, imo fortaſſis magis penetrabilis quam ope diviſionum ordinariarum per reſinas fieri ſolitarum: Quicquid ſit, nemo in dubium revocaverit præcipitationem revera non eſſe, acida vero in corpus unum cum mercurio reducta, non obſtare ejus ſublimationi, niſi ad eam altitudinem aſſurgere nequeat commixtus, quam ſolitarius attigiſſet, aut mixtus medicamentis reſinoſis, niſi minima adſit ejus quantitas, vel à calore vehementiori non impellatur.

Aliunde quoque innoteſcere poteſt à ſola acidorum copia majorem aut minorem corrodendi vim nanciſci, ſi ratio ſublimatum mercurium dulcificandi perpendatur ; Ejus, exempli gratia, portio una cum altera crudi per miſcetur, donec omnia colorem cinereum acquirant, poſtmodum iterum ſublimatur, peractâque ſecunda illa ſublimatione, multum remiſſa ejus corrodendi vis deprehenditur, eo quod portio acidorum nitri & vitrioli è vaſe ſublimatorio evadunt; alia vero ejuſdem collo pollinis in modum adhærent, à maſſa ſublimata facile eluibilem ; adde quod partes ſuperſtites diffuſiores ſunt per mercurii augmentum, adeo ut dum is conteritur, & ter vel quater ſublimatur, tandem eum in modum dulceſcit, ut interius impune aſſumi queat, etiam dozi non minima, etſi ante inſigni vi corrodendi polleret, venenorum cenſui annumerandus.

VIII. Ex obſervationibus præcedentibus exſurgunt plurimæ circum-ſtantiæ,

ſtantiæ, utiliſſimæ ad cognitionem motuum Mercurii, ſed præcipue in profundum ſe demergere ſuo pondere, ſi ſolitarius ſit, nativus & coactus; ac viceverſa indifferenter illum ſuperiora affectare, inferiora & latera, cum in partes ſubtiles dividitur, gravem eſſe & corrodendi vi præditum, ſi acidis remiſceatur: Ex oppoſito vero dulciſſimum eſſe & volatilem, cum dividitur & ſpargitur ope reſinarum: Ab alkalibus poſſe illum præcipitari, cum diſſolvitur & commiſcetur liquoribus quibuſdam, tandem à diverſitate corporum quibuſcum jungitur, actionum illius & effectuum differentiam pendere: quibus iterum ſequentia addere licet in comprobationem veritatis dictorum, atque animadverſionum inde à me deducendarum, in notitiam criſium quas excitat: Ac primo cinnabarim nativam, interius aſſumptam, quicquid impurum eſt per ſudores aut inſenſibilem tranſpirationem expellere, corpora autem noſtra ſulphura continere quibuſcum commiſceri poteſt, ſi ſola admittatur, eique vim impertiri ſimilem effectum producendi. Secundo, plurima præterea ineſſe acida quibus ſe adjungere poteſt, eo quod fermentationes omnes naturales eorum tantum ope contingunt, ſalia vero variolica univerſæ pituitæ in corpore exiſtenti ſimilem vim imprimunt. Tertio, Effervefcentias teſtes eſſe adeſſe præterea alkalia, præcipitationem quoque inferre idonea.

IX. Ex omnibus prædictis, ac ſpeciatim poſtremis tribus obſervationibus à me adductis, colligere eſt diverſas materias, iis corporibus copioſe incluſas quibus mercurius admovetur, cauſas cenſendas eſſe variarum illius productionum, ſicut id cernere licet etſi ex propria indole venenatus non ſit; pravos autem illius effectus originem præſertim ducere à diſpoſitionibus interioribus corporis aut animi: nam, exempli gratia, ſpiritus ab animi pathematis vehementioribus exagitati, ſublimem illum cum impetu efferre valent in cerebrum uſque, eóque pacto ſæviſſimorum accidentium, ejus admotionis ſuccedaneorum, authores eſſe, ſicut alia præterea accidere poſſunt æque periculoſa, quod medelam afferre non licuerit extremæ inanitioni, aut ſummæ corporum male conſtitutorum repletioni: Tandem nemini non notum eſt, aut eſſe debet, interius innoxie exhiberi contra affectum *miſerere mei* dictum, ſi præſertim ſat inſigni copia aſſumatur, ut proprio pondere interiora permeet; alias ſi intra inteſtina ſubſiſteret corroſivam vim poſſet induere, conjunctus ſuccis acidis illi occurrentibus.

Sectio III.

Exhibens veram methodum artificio excitandi criſes Luis Venereæ univerſalis.

Caput I.

De criſibus vi remediorum communium excitatis, & de tempeſtatibus ad inunctionem mercurialem tempeſtivis.

1. *Obſervationes generales, ſectionibus præcedentibus allatas, abſolute neceſſarias eſſe ad percipiendas particulares.* 2, *Diviſio generalis criſium artificialium, Et cur aliquando earum provocatio per remedia communia tentetur.* 3. *Cujuſmodi ſint illa remedia, Et cur de iis plene hic non agetur.* 4. *De electione tempeſtatum ad admotionem Mercurii idonearum.* 5. *Media emendandæ aëris & tempeſtatum intemperiei congrua.*

I. Cum natura ſponte in motus criticos non fertur, Lue autem infectus artis præſidia expetit ad affectus ſui exterminationem ope criſis artificialis, in mentem tunc tibi revocandæ ſunt ideæ generales à me ſupra traditæ, ac cunctæ circumſtantiæ in uſum particularem tibi propoſitum colligendæ, ſi modo optatum curationis affectus eventum conſequi velis: certiſſimum enim illas tanti eſſe momenti, ut iis non obſervatis ſucceſſus omnino votis defuturus ſit, Iis contra adhibito judicio collatis cum axiomatibus particularibus, in libelli hujus ſerie tradendis, conſtitutam tibi & cæteris certiſſimi eventus praxim adepturus ſis.

II. Id tibi à limine obſervandum, criſes Luis univerſalis, quæ artificio adhibito contingunt, poſſe diſtingui in eas quas excitant Evacuantia vulgaria, & in eas quas provocat Mercurius.

Etſi priora illa remedia minime omnium votis reſpondeant, in uſum nihilominus ſæpiſſime ducuntur, ſi præſertim ægri in dubio verſentur, eo quod apprime utilia ſint ad opem naturæ ferendam in malo præcavendo, imò ad eum propulſandum, ſi primum gradum nondum exceſſerit, ſatis eſſe queant: adde quod, juxta Medicinę leges, à facilioribus ducendum ſit exordium, ac præterea etſi luem non omnino expugnent, ſaltem expugnatæ opinionem & ſpeciem faciant: quæ circumſtantia non parum conducit cum ægris omnimodam ſanationem ſperare per negotia non licet.

III. Cæterum ejuſmodi remedia in numero eorum ſunt, quæ præcipuos humani

humani corporis ductus laxant & referant, ac humorum colluviem per vias naturæ maxime conſentaneas excludunt; cujuſmodi ſunt, exempli gratia, decocta hidrotica & diuretica, ex ſimplicibus à me notatis parata, quorum efficacia fœda illuvies per cutis poros & lotii vias defertur, vel præterea quævis alia ſimplicia eidem effectui deſtinata: Cathartica tandem omnia à quibus craſſiora excrementa per alvum deturbantur, imo, urgente neceſſitate, Emetica, per ſuperiora eadem eliminantia: At vero cum ejuſmodi remedia omnium maxime uſu trita ſint, & omnibus obvia, quorum nec qualitas nec copia non niſi adhibito judicio & experientia utentium definiri poteſt, non credo neceſſariam eſſe hujus rei accuratam tractationem ſingula ad examen revocando, quandoquidem peritorum notitiam ſimilia non effugiunt, imperitis autem rebus tanti momenti citra peritrum conſilium manum admovere non licet.

IV. Sin fruſtra omnia à me modo dicta remedia tentata fuerint, ſi Lues primos gradus prætergreſſa fuerit, ſi tandem æger ſanationem abſolutam requirat, recidivæ metu, temporis diſpendii, & ſumptuum iterandorum, morbi criſis ope mercurii procuranda tibi erit: ut vero ſucceſſus optatus adſit, eligendi ſunt menſes maxime temperati, quales, exempli gratia, ſunt Martius, Aprilis & Maijus, Medicis vernam tempeſtatem conſtituentes: vel præterea September & October, qui vernalem: æſtas enim fervore ſuo diſſipationem ſpirituum inducit, eóque pacto caloris naturalis imminutionem, ac proinde virium, quibus attritis ſanatio ſperabilis non eſt; Hyems autem algore ſuo poros cutis denſat, cunctos alios meatus naturales conſtringit, cogit, & ad centrum calorem nativum compellit ſpiritus & humores, quo pacto naturæ agenti obſtat ne criſin inſtituendam promoveat.

Nec proinde tamen neceſſarium menſes à me deſignatos ſtricte obſervare; etſi enim ut plurimum omnium maxime intentioni dictæ faveant, accidit nihilominus aliquando ut temperiem debitam non obſervent, ſicuti ex oppoſito cæteri temperiem idoneam nanciſcuntur, Nec proinde admodum refert ut quo tempore criſis inſtituitur dies omnes ſint temperati, ſufficitque, exempli gratia, hyeme, quo tempore provocatur, temperatum eſſe aërem, ut humores facilius commoveantur. Æſtate autem eum calorem obtinere qui ſufficienter poros apertos conſervet nec ſalivationis materiam per ſudores importunos abducat. Si enim natura aliquando rectam & ſalutarem injerit viam, illi inſiſtit, modo leviter auxiliatrices manus porrigat medicus.

V. Quanquam tempeſtatum temperies, aliæque circunſtantiæ ſuperius adductæ, admodum conducant ad operationis certitudinem, occurrunt tamen caſus in quibus ad amuſſim eas obſervare non datur, Symptomata à Lue inducta, aut ægros negotia diſtrahentia, ad ejus curationem vel maxime

iniquis tempeſtatibus ſuſcipiendam urgent, adeo ut operi manum adhibendi incumbat neceſſitas, dimiſſa impedimentorum periculum intentantium conſideratione: Nec tamen ideo ab opere deſiſtendum, conſtat enim vitioſam aëris qualitatem poſſe emendari accurata accedente diligentia. Sic, exempli gratia, ægrum ab æſtu æſtatis immodico defendere licebit, eum in ſpatioſo cubiculo collocando, cujus feneſtræ ſeptentrionalem plagam ſpectent, horis meridianis accurate clauſæ, arcendi ergo aëris introitus ac radiorum ſolis repercuſſus: cubile cingentia ſiparia levioris ſint texturæ, pavimentum circumcirca irroretur oxycrato ex una parte aceti & aquæ roſarum ſex parato; reliquum aqua puteali, cui aceti tantillum infundi poteſt: Feneſtræ tandem quibuſdam horis nocturnis reſerabuntur, admittendæ ergo auræ frigidioris.

Ex oppoſito, vigente bruma, anguſtum eligatur cubiculum, cujus feneſtræ meridiei obverſæ ſint, ſedulo obturando foraminula & rimas per quas auræ frigidiori patere poteſt ingreſſus, ſi licet cubile camino proximum ſit, accenſo indeſinenter igne luculento nocte dieque: multis quoque ſtragulis cooperiatur æger, imo lectum circumdet paries ductilis, aëris frigidi appulſum arcens: His mediis tandem, vel aliis artificioſis, naturæ, tempeſtatum, climatum vitia declinantur.

Caput II.

De præparatione corporum quibus Mercurius admovendus.

1. *Rejectio modorum uſitatorum corpora ad mercurii admiſſionem præparandi*, 2. *Legitimam ea præparandi methodum accurate tradi non poſſe, Dari tamen licere ideam iis qui non omnino ſunt imperiti:* 3. *Præparatio particularis corporum ritè conſtitutorum.* 4. *Qua arte emendari queat intemperies eorum quibus immodice calida eſt & ſicca.* 5. *Ratio nimiam repletionem eorum qui frigido & pituitoſo ſunt temperamento demendi.*

I. Ex eorum cenſu qui Mercurium uſurpant ad provocandas Luis univerſalis criſes, quidam ægros ſuos jejunio indicto præparant; ſuffumigiis, ſudoribus & decoctis exſiccandi vi præditis, ad abſumendum humorem pituitoſum, quem materiæ luis ſedem & focum nominatim ſtatuunt: Balnea alii, ptiſanas adhibent, ac quicquid humectandi & refrigerandi vi pollet, quo facilis ſuccedat ptyaliſmus, & Mercurii effectus innocentior fiat: Quidam utuntur partim humectantibus, partim exſiccantibus; alii præterea infinitos adhibent modos, omnes meo judicio riſu excipiendos, quod omnibus ſine diſcrimine utantur, ea tantum ratione diſcrepantes quod pluribus adhibeantur, & à plurimis, etſi revera ab ætate, ſexu, viribus, tempera-

peramento, ac in genere præſentibus ægrorum conſtitutionibus deducenda ſit eorum differentia.

Revera, ſi duntaxat Mercurii ope criſes Luis univerſales procurandæ ſint, ſupervacaneum eſt alia remedia, alterantia, aut evacuantia, ante eorum uſurpationem uſurpare, niſi fortaſſis reſerandorum aut laxandorum ductuum gratia, per quos excrementis patere debet exitus, in iis qui à natura ritam conſtitutionem obtinuerunt; aut potius emendationis gratia vitiorum in iis qui à proba conſtitutione deflectunt: nam exempli gratia, ſi deſiccaveris corpus ætatis mediæ, temperamenti mediocris, quod functionibus naturalibus ex naturæ legibus fungitur, nulli dubium eſt quin inde alterationem ſuſcepturum ſit, ob quam ab æqualitate in qua conſtitutum erat, deflectet, qui tamen ſtatus legitimus eſt, & naturæ omnino conſentaneus, à quo proinde ſperandus eſt omnino remediorum fauſtus eventus; Unde ſequitur minus eapropter idoneum reddi perficiendis motibus criticis, admotionem Mercurii ſequentibus, in iis quibus ſufficiens copia humorum acidorum ſuppetit, ad ipſum cohibendum in partibus quanto tempore neceſſe eſt.

Si ab ejuſmodi alteratione tantum damni iis imminet qui in ſtatu perfeperfecto jam dicto verſantur, nemini mirum eſſe debet, ſi ſalivatio in iis non ſuccedat quibus corpus ſtrigoſius eſt, bilioſo vel atrabilario temperamento donatum, cum ejuſmodi præparatio adhibita fuerit; at viceverſa injuria omnibus partibus ab activitate Mercurii inferatur, quandoquidem à calore extraordinario commovetur, neque quicquam quod eum retundat, occurrit.

Nec minus periculi in uſu rerum humectantium & refrigerantium, ad præparationem corpororum obeſorum & pituitoſorum; eo enim pacto augmentum fit plenitudinis, humoribuſque tanta concilatur fluiditas ut à Mercurio ubertim abripiantur, imo omnes oris partes inde adeo intumeſcant, ut ægri non periculum modo ſed & ſuffocationem ipſam incurrant.

At cum mentio facta ſit damni ab iiſdem remediis imminentis, nullo adhibito dioriſmo exhibitis, memini me alias legiſſe in celebri Scriptore, diſputationem ab eodem propoſitam & ſolutam, Num ſcilicet Lue infectis præparationis gratia ſanguis mittendus ſit? Adductis utrinque authoritatibus quibuſdam & rationibus, venæ ſectionem neceſſariam eſſe concludit, atque inde axioma tam generale ſtabilit, ut ne eos quos hectica febris prehendit exceptos velit: quamobrem effatum illud eo majoris videtur ponderis quod ab eximio Doctore prolatum fuerit, examini quoque & opinionum oppoſitarum comparationi innixum; quare inferendum videtur errores, ab iis commiſſos qui illud amplectuntur, æque eſſe venia dignos ac ſæpe irreparabiles ſunt: quandoquidem plurimi criminis ſe reos exiſtimant ſi ab au-

thorum, ſeu præceptorum ideis vel minimum diſcedant. Illud vero auſim dicere, arti medicæ probroſum eſſe quod plurimi illam profitentes res tanti momenti tam inique perpendant, Multos vero ex iis à quibus ſingularia quædam deprehenſa, adeo reſtrictos eſſe & parcos ut communia fieri recuſent, imo falſa communicationis ſpecie eadem occultent, Sed hæc obiter.

II. Nec tamen quiſpiam ſibi fingat certas, & errori non obnoxias, conſtitui poſſe regulas ad definitam reductionem & caſtigationem graduum temperamentorum, ac variarum corporum conſtitutionum, varie inter ſe diſcrepantium; nam prærerquam quod diſpoſitiones quædam internæ & occultæ, notitiam omnino ſubterfugiunt, earum, quæ in eam incurrunt, numerus eſt infinitus, ſedulitas autem, adhibita in iis deſignandis nihil præter confuſionem allatura eſſet: Interim, & nequaquam dubium ſufficientem ideam poſſe tradi methodi obſervandæ in rita lue venerea infectorum præparatione, copia facta remediorũ quæ cum ſucceſſu uſurpari queunt, ad idoneã commotionem corporum rite diſpoſitorum, & correctionem vitiorum in iis quæ admodum ab ejuſmodi ſtatu diſtant, repletionis vel inanitionis cauſa; ejuſmodi enim paradeigmata utilia erunt ad inveniendam comparationem medii cum duobus extremis, è qua facile erit formulas eruere ad omnes gradus, ſecundum magis aut minus congruas, ſi modo regulis & obſervationibus ſubſequentibus accedat accuratum judicium, rectus uſus & experientia, conditiones omnino neceſſariæ ad praxis certæ conſtitutionem.

III. In iis, exempli gratia, qui optimæ ſunt conſtitutionis, ætatis mediæ, levis excitabitur commotio per lene purgans, cujuſmodi eſt infuſio drachmarum duarum foliorum ſennæ, cui commixta ſit uncia una caſſiæ mundatæ, ſufficiens reſerationi viarum communium, ſi modo alternis diebus quater ut minimum propinetur.

Diebus intermediis balneo committendus æger, mane & ſero ad humorum concretorum diſſolutionem ac pororum cutis apertionem.

Toto illo octiduo Ptiſana ſequens potus ordinarii vices ſupplebit, cujus beneficio iidem pori hiabunt, necnon urinæ ductus ſeri excretioni dicati.

Accipe libram unam optimi vini albi, in quo prius infundantur & macerentur ſemiuncia Guajaci raſpati, hordei vulgaris manipuli duo, Aquæ communis ſextarios minores quatuor, liquiritiæ quantum ſufficit ut ptiſana guſtui grata evadat, quibus ſingulis inſtillabantur ſpiritus vitrioli guttæ decem aut duodecim.

IV. Vitia oppoſita optimæ corporis conſtitutioni, à me ſuperius dictæ, præcipua ſunt Inanitio & ſiccitas, vel iterum Repletio & humiditas.

Priora, exuperantis caloris ſoboles, correctionis gratia expoſcunt quicquid humectare ac ſimul refrigerare valet, quo fit ut venæ ſectio, quæ refrige-

frigerium ſanguini, ejus ebullitionem ſedando inducit, hoc tamen in caſu ſuſpecta ſit, eo quod copiam humorum, jam acciſam, imminuat.

Ex his inferre liceat Purgantia, vehementiora præſertim, periculi non eſſe expertia, nam adde quod paucam humiditatem ſuperſtitem abſumant, impenſe quoque calefaciunt; ambæ autem hæ qualitates omnino reluctantur intentioni medici.

Utile nihilominus fuerit alvum liberam ſervare, exhibendo quolibet mani ſeri lactis libram unam, cui ſingulis quaternis diebus immacerabitur ſennæ drachma una, cum drachma ſemis cryſtalli mineralis, diluendo poſtmodum caſſiæ mundatæ ſemi unciam.

Cum Enemata, eluendis inteſtinis dicata, alterationem aliquam inducere valeant, ab his abſtinendum erit, niſi parata fuerint ex decocto quopiam olerum refrigerantium, additis unicuique mellis nenupharini unciis duabus.

Toto quindecim dierum decurſu, mane & ſero, balneo immittendus æger; curando ne ea caliditate donatum ſit quæ ſudorem eliciat.

Paranda erit Priſana pro potu ordinario, ex hordeo communi & radicibus cichorii ſylveſtris, acetoſæ & nymphex, addita liquiritia & pauxillo citrio malo, ad ſaporis gratiam uberiuſque refrigerium.

In cibum venient juſcula & carnes elixæ, quorum quantitas paulatim accidenda erit, adeo ut tandem æger inſenſibili minutione facta, ad uſum ſolorum liquidorum ſub præparationis finem adducatur.

V. Immodica repletio & humiditas corporibus, præſertim frigidi & pituitoſi temperamenti familiaris eſt, quibus convenit evacuatio & exſiccatio per remedia ſequentia.

Crebra indantur Enemata ex decocto foliorum malvæ, althææ, & mercurialis, floribus chamomillæ & meliloti, ſeminibus aniſi & fœnugræci, addito melle mercuriali.

Venæ ſectio impune fieri poterit, imo ſæpius iterari, ſi modo plenitudinis vaſorum adſint indicia.

Infuſio ternarum drachmarum foliorum orientalium, drachmæ unius agarici trochiſcati, & tantundem ſalis polychreſti, addita ſemiuncia correctionis Hamech, atque ſemiuncia ſyrupi florum Perſicorum, catharticum dabit multam pituitam vacuans, ſi ſepties vel octies alternis diebus exhibitum fuerit.

Parabitur Priſana ex quatuor libris aquæ communis, hordei vulgaris manipulis duobus & tribus unciis Guajaci raſpati, prius macerati loco calido cum vini albi, quam guſtui gratiorem effeceris prædictis addendo tantillum cinnamomi, coriandri, liquiritiæ aut corticis mali citri, palati ægri habita ratione.

Singulis diebus circa veſperam excitabitur ſudor, exhibito magno hauſtu prædictæ ptiſanæ, cui inſtillabuntur quindecim aut viginti guttæ ſpiritus cornu cervini, cubili tamen exacte præcalefacto, ut & cubiculo, pedibus ſupponendo lagenas aqua calida plenas: quæ ſi necdum ſufficiant in quibuſdam, copioſus proculdubio promovebitur ſudor, nudo corpore excepto ab conopæo vapore vini.

Alimentorum copiæ ſenſim quid detrahendum erit, ſicut monui in præcedenti præparatione; jejunio tamen macerando ægros, de quibus mihi ſermo, minori quam cæteros damno, carnes aſſas præferendo, elixis proculdubio in exſiccando efficaciores, eo quod ignis particulæ directius in illas agant.

Præter temperiem in mediocritate poſitam, ac duo extrema cui hæc interjacet, occurrunt quædam corpora magis aut minus calefacienda: Eo in caſu adducenda in uſum remedia mediocres vires ſortita: e. g. in non multum obeſis & pituitoſis, omittenda erunt generoſiora ſudorifera, quibus ſatisfacient decocta ligni ſaſſafras, rad. chinæ & zarzæparillæ; prout plus aut minus corpus deſiccandum fuerit: Pari ratione balnei minus diuturnus erit uſus, in iis qui non admodum calidæ ſunt & ſiccæ intemperiei, imo detrahendum erit de cæteris refrigerantibus & humectantibus: In omnibus tandem id obſervandum erit ut augeatur vel imminuatur vis purgantium medicamentorum, ac in genere remediorum præparationi dicatorum, juxta adductas conditiones.

Cap. III.

De variis rationibus Mercuriúm Lue infectorum corporibus adhibendi.

1. Diviſio generalis ejuſmodi modorum, ubi per os exhibendi ratio non omnino probatur. 2. De præparatione Mercurii interius aſſumendi. 3. Variæ rationes illum per cutis poros ſuſcipiendi, Et primo de emplaſtris illi uſui deſtinatis. 4. De unguentis. 5. De Trochiſcis ad ſuffumigia.

1. Oſtenſis jam modis corpora preparandi quæ Mercurii ἐνέργειαν ſuſcipere debent, ſupereſt jam varios adducamus modos illum intromittendi, atque eorum electionem juxta affectus gradus, ſymptomata comitantia aut ſupervenientia, negotii multum faceſſentia.

Duo ſunt in genere modi quibus Lue infecti Mercurium admittere queunt, ſcilicet per Os, aut univerſos per Poros corporis.

Non minimi vero momenti eſt à limine obſervaſſe priorem horum modorum

dorum non optimum eſſe,mercurius enim ore aſſumptus in ventriculum ſtatim illabitur, à cujus calore quamprimum in ſublime effertur, quo fit ut ptyaliſmus ab ipſo excitatus utplurimum brevi deſinat, ac proinde lui univerſali finem non imponat, niſi ſubveniat calor nativus qui robore ſuo adſuvet, ejus motum impellendo.

Nec me latet purgantibus quoſdam mercurium commiſcere, quorum vi illius impeditur ſublimatio dum ad inferiora deturbatur; ſed nec iſte modus admodum tutus eſt, in tranſitu enim per inteſtina, vix ſecuudam regionem attingit ac mundat; nec enim veroſimile eſt ipſum ad maxime diſſitas partes deferri, quo ſeſe commiſceat quibuſvis acidis extra vaſa effuſis, eáque poſtmodum evehere poſſit in vias ante deſignatas, motu contrario ſuſcepto.

Harum rationum ad vim attentus,propriamque ac alienam experientiam, obſervare mihi licuit eos, qui ſine diſcrimine huic praxi adhęrent, ac pro tutiſſimo habent in omnibus Lue infectis, omnibúſque illius gradibus, pro imperitis, vel etiam impoſtoribus eſſe habendos; quin ægris perſpecta eſſe debet probitas & experientia ſyncerorum medicorum, quibus plurimæ ſuppetunt occaſiones veritatem hujus rei experimentis confirmandi; qui nec officio deſunt dum commonefaciunt, periculumque oſtenduntillis qui ſimulatæ ejuſmodi ſanationi ſeſe exponunt, falſæ ſuaſioni aurem prębentes; aut quia negotiis quibuſdam diſtricti, aliiſve de cauſis inducti, ad perquiſitionem remediorum facile parabilium,minúſq; negotii faceſſentium, feruntur:Revera quidē ſexcenti occurrent,uſu mercurii eo modo adhibiti ſublevatos ſe profitētes, at illud viciſſim obſervandum ex illorum numero plurimos imaginaria tantum Lue infectos fuiſſe, In quibuſdam naturā proprio impetu in motum criticum impulſam fuiſſe, eo propemodū tempore quo dicta remedia ab iis uſurpata: In aliis eandem vehementer commotam fuiſſe in eundem effectum ab efficacia cęterorum medicaminum ſępenumero commixtorum: Eos tandem qui ea in uſum duxerunt in primo hujus morbi gradu, hoc eſt cum ejus materia adhuc intra vaſa latitat, nec dum ſanguinis ebullitionem concitavit, ſerumque hac illac diffudit, forte omnimodam liberationem accepiſſe, hauſta & inſpiratione adducta per tracheam mercurii portione, in ſublime à ventriculo ad os elata, eóque modo in cor adducta, unde univerſim diffunditur in vaſa mediante circulatione; vel etiamnum forte allectis quibuſdam particulis per venas lacteas, ejus qui præcipiti lapſu à purgantibus infra defertur, unde iterum in cor meat, dehinc ſupradicto motu ſanguinis circulari abripiendus.

II. Si nihilominus tētare libuerit criſin Luis ad methodi pręd ictæ normam, ſuccedet forte diarrhœa aliquando ſalutifera, admiſto mercurio crudo, aut ſublimato dulci pulveribus purgantibus,exempli gratia aloë, colocynthide, ſcammonio pręparatis, quibus deinceps pilularum conſiſtentia conciliabi-

tur, quarum ſingulis diebus dozis congrua ægri conditioni exhibenda eſt.

Salivationem quoque provocare licebit uſu utriuſque mercurii nominati, prioris ſumendo quantum libuerit, ac commiſcendo cum terebinthina & cruſta panis ſiccata ac in pulverem redacta, quas exhibere poteris à drachma ſemis ad integram: vel pręterea poſteriorem mercurium addendo à quindecim ad triginta grana, in ſingulas dozes, cum exigua quantitate conſervæ roſarum, hac cautione ut ſecundus hic alteri ſemper præferatur, qui ſemper ſuſpectus eſſe debet, eo quod in ventriculo iterum coire queat, vel in inteſtinis poſt terebinthinam diſſolutam.

Pręter ſublimatum dulce, plurimæ aliæ proſtant pręparationes Chimicæ quæ purgantes cenſentur, ac revera per utrumque ventrem humores excludentes, qualia ſunt, exempli gratia, pręcipitatum album aut rubrum, quorum dozis eſt à granis quatuor ad octo; Turbith item minerale, à tribus ad ſex: Iſte vero effectus, quod notandum, pręcipue adſcribendus vellicationi & corroſioni ſalium erodentium, quorum vi mercurius ſub ejuſmodi formis detinetur, quamobrem ab uſu eorum interno periculum ſemper imminet, niſi prius acumina acidorum hujuſmodi infracta fuerint, accenſo ſpiritu vini, ſæpius iſtis pulveribus inſperſo.

Pleræque pręſcriptionum formulæ, aut arcana venditata ab Empiricis, ac in genere ab omnibus qui Luis curationem profitentur, ægris libertate conceſſa negotia ſolita pertractandi, aut ejuſdem obſervandi victus tenoris, in uſu pulveris Algaroth fundamentum habent, aliarumve quarundam antimonii pręparationum, quibus non alia efficacia quam ventriculum oblædendi, actionéſque omnes naturales lædendi: vel iterum in variis modis exhibendi turbith minerale, ac duas pręcipitatorum ſpecies ante deſignatas: Ex eorum enim numero quidam ſimpliciter dicta uſurpant, nullâque adhibita præparatione, cum conſerva roſarũ; rati commeatum illorum facilem futurum in ſigulas corporis partes, illico ab iis aſſumptis exhibendo ægris tantum vini generoſi quantum exhaurire queunt: at vero obſervandum eſt vinum copioſe hauſtum vi diuretica inſigni pollere, mercurium autem ſalibus eo modo complicatum facillime diſſolvi & cum urinis abripi, ſale & acidis quinetiam imprægnatis, qua de cauſa eorum minima pars vaſa ſubingredi valet ſanguinem continentia, idcóque nec inde inſigne auxilium ſperandum. Alii ejuſmodi pulveres commixtos exhibent cum gummi gotte, ſemine ricini, reſina Gialapæ, aliiſve ejuſmodi purgantibus vehementiſſimis, à quibus revera in motum continuum impelluntur, ac impedimento ſunt ne ventriculo aut inteſtinis adhæreſcant; at vero ſæpiſſime verenda ſymptomata invehunt, incendio in viſceribus excitato & activitatis ſuæ vehementia.

III. Cæterum Mercurius per poros cutis in corpus impellitur, admotis Emplaſtris & unguentis, quibus inditur, vel eo in fumum redacto ac commixto,

mixto medicamentis reſinoſis.

Emplaſtra & unguenta mercurialia iiſdem locis admoventur eundemque propemodum effectum edunt, nec uſus ratione etiamnum diſcrepant, hoc uno tantum, quod priora aluta inducantur ante applicationem, poſteriora autem cuti immediate admoveantur, ſuperimpoſito tantum linteolo.

Hoc vero ſingulare eſt quod mercurius emplaſtris admixtus difficilius ſubeat quam qui unguentis, eo quod ſolidiori materiæ intricatus hæreat, qua de cauſa rariſſime aut nunquam renovanda ſunt, ſtatim ea admovendo partibus quibus deſtinata ſunt.

Vulgo in ducum ducitur id quod deſcripſit *Vigo*, in officinis ſemper proſtans, ſimplici, duplicato aut triplicato mercurio: cum vero duriorem conſiſtentiam obtineat, cuti vero vix obhæreſcat, felicioris ſucceſſus erit quod paraveris ex mercurii unciis octo, terebinthinæ unciis quatuor ac libris duabus Emplaſtri mucilaginum.

IV. Id quod vulgus vocat E morbo, aut unguentum Griſeum, Medici autem Neapolitanum, in Pharmacopolarum officinis paratum reperitur, quo quidam ad frictionem utuntur, at vero quia mercurius minori quam par eſt dozi ingreditur, odore autem ingratiſſimo naribus moleſtum eſt, aliud certioris effectus concinnaveris ex mercurii unciis quatuor, terebinthinæ unciis duabus, olei laurini unica, croci drachmis duabus, ac libra una & ſemis unguenti roſacei.

Unguenti iſtius uncias circiter duas in primam unctionem inſumes, à malleolis ſolum ad ſumma genua illam inſtituendo, à carpo item ad homoplatas uſque.

Etſi deſignata quantitas raro ſufficiat, quæ naturam in motum criticum impellat, occurrunt tamen quidam delicatuli, aut qui facile commoventur, in quibus ſalivatio primam inunctionem excepit, ab iterata proculdubio damnum perpeſſuri, adeo ut ægro invigilandum ſit ſtatim ac mercurius illi adhibitus, accurate obſervando quicquid recens illi obvenerit, ut ſtatim ac ptyaliſmi ſigna apparuerunt inunctiones dimittantur, vitandæ cauſa ſuffocationis, ineluctabilis ſi humores uberius ad os confluxerint.

Ad ſecundam inunctionem, quæ priorem exactis horis viginti quatuor ſubſequi debet, unguenti unciæ quatuor integræ uſurpari poſſunt, ungendo tibias & femora, à medio pede ad ſumma uſque ilia, ſpinam dorſi, ab extremo oſſe ſacro uſque ad medium collum: & brachia à carpis uſque ad omoplatas, non omiſſis locis glandulis hoſpitium præbentibus, partium nobilium emunctoriis.

Secunda iſta inunctio aliquando ſatisfacit, ſed ſæpius ad tertiam tranſire impellit neceſſitas, iiſdem obſervatis circumſtantiis circa unguenti quantitatem, & partes inungendas, quam utplurimum optatus ſucceſſus ex-

cipit, ſi modo debita præceſſerit corporis præparatio.

Nec tamen deſperandum ſi non ſucceſſerit, at adhibita prudentia cave ne præceps ſis, ne natura illudat; exempli gratia; excurrat permitte dies unus vel alter antequam ad novam inunctionem te accingas, exiguam unguenti quantitatem admovendo. Si commotionis aliqua adſit ſpecies: ne pertinax ſis in frequentia inunctionum; corpus mercurii copia onerando, quindecies aut vicies frictiones adhibendo, quod perperam quidam ſuadent, periculi enim plena ejuſmodi praxis, cum criſis ſubſequens expectanda potius ſit à rita præparatione quam copia iſtius medicamenti.

Ab experientia tamen didicaris dozin unicam ſublimati dulcis maximam conferre opem, poſt ſufficientes inunctiones exhibitam.

Supereſt jam quædam adducamus circa tempus & modum illas parandi, eo quod circumſtantiæ quædam utiliſſimæ inde exoriantur, exempli gratia, frigidiori tempore ſi horam meridianam elegeris multum contulerit, & tunc ægros inunxeris; eo quod climatis noſtri aër dictis horis ob viciniam Solis quodammodo tepeſcat. Æſtivo contra matutinæ horæ eligendæ & veſpertinæ, ne intenſus ambientis calor, conjunctus igni, quem accendere neceſſe eſt, debilitatem nimiam inducat: tempore autem temperato nullum ſit horarum diſcrimen, hac tantum cautione adhibita ut alimentorum diſtributio peracta ſit, quo naturæ tantum incumbendum ſit, quæ junctis cum mercurio viribus, criſin procuret.

Modum adminiſtrandæ unctionis quod attinet, id monuiſſe neceſſe eſt proximum ſemper debere eſſe ignem, luculentum, præſertim hyeme, circumdatum pariete mobili, vel quopiam ſimili auræ appulſum arcente, ac reverberationem quandam caloris inducente, quo facilius mercurius ſubeat poros, aut ne æger frigus ullatenus admittat à quo occludantur; imo ſingulis corporis partibus manus cum frictione admoveri debent, quo facilior fiat dicta penetratio.

V. E tribus rationibus Mercurium in corpus per poros immittendi, experientia duce deprehendi eam quę per ſuffumigia fit omnium eſſe deterrimam, indéque periculum maxime impendere, eo quod perpetuo uſurpetur fumus cinnabaris artificialis, inter venena recenſendæ, cujus emendatio quæritur per ſublimati corroſivi admiſtionem, arſenici flavi, aliorúmque ejuſmodi, venenorum quoque cenſui maximeque pernicioſorum adſcribendorum.

Conceſſerim tamen ſi Lues ultimum attigerit gradum, à me deſcriptum, cæteris illam anteponendam, eo quod mercurius in vaporem ſolutus oſſa melius pervadit: Sin vero quodammodo innoxium efficere volueris, utere mercurio crudo in trochiſcos redacto, cum terebinthina, ſalicis carbone & pulvere iridis, dimiſſis cæteris omnibus formulis, iiſque concedendis qui ſolam imperitiam ducem habent & fallacem experientiam, ipſorum comitem individuam.

Ceterum

Cæterum ſuffumigiorum adminiſtrandi ratio notiſſima eſt, conopæum interius ſuccingitur panno; in medio collocatur ſedile inverſum, cui imponitur ſcutella, huic immittuntur prunæ accenſæ; injectis poſtmodum trochiſcis, quorum fumum æger nudo corpore excipit dicto conopæo incluſus, excepto tamen capite, ex intervallis ſolum demittendo, ſi ulcera naſum, os aliáſve partes obſideant.

Capvt IV.

De motibus criticis à Mercurii uſu excitatis.

1. *A nemine hactenus eſſe explicatas cauſas differentium illorum motuum, Et quæ neceſſitas illos tradendi.* 2. *Viæ per quas accidunt criſes à mercurio excitatæ, Et quomodo per ſudores contingant.* 3. *Evacuationes criticæ per alvum promotæ.* 4. *Quæ per vias urinarias ſuccedunt.* 5. *Quæ per Salivationem,* 6. *Signa per quæ innoteſcit in cunctis hujus temporibus.* 7. *Remedia ſymptomatum oriri conſuetorum, & regulæ generales circa tempus uſurpationis.*

I. SCriptorum nonnulli aſſerere auſi ſunt Mercurium exterius cuti admotum, actionem in corpus exſerere vi irradiativa, eo quod dozis illi effectui deſtinata linteis integra adhæſiſſe deprehendatur, & emplaſtris ab excitata criſi: Alii viceverſa conati ſunt apertum facere illum ipſum poros pervadere, partes omnes interiores attingere, eundémque adeo ſenſibiliter evadere è corpore cum impuritatibus in eo repertis, ut monetæ cupeæ ſaliva ex ore excreta eam defricãdo, albedo inducatur: ſed nemo hactenus ſollicitus fuit de inquirendis cauſis differentiarum adeo inſignium motuum, actionum & criſium inde prodeuntium, etſi eandem præparationis & exhibitionis formam obtineat.

His qui leviter hæc animadverterunt, ſatis fuit hujus mineralis naturam admirari, id tanquam hydram multiplici capite donatam perpendere, aut tanquam Protheum Medicina: cõparationem illius inſtituerunt cum Mercurio Aſtrologorum, à quo varii & diſcrepantes effectus pro diverſa cum cæteris Planetis conjunctione, nec tamen deſignant materias prodeunt quibus ſe, in diverſos agendi modos, poteſt adjungere: Vires ejus encomiis illuſtrarunt, dimiſſa effectuum explicatione: Id tandem ab ipſis traditum nullum extare medicamentum illi æquiparandum, aut ἀντιϐαλλόμενον, dari nec tamen quid ipſi inſit ſingulare explanarunt, quo factum ut ij, à quibus uſurpatus cæcorum inſtar eum pertractaverint, & tyrones, à quibus omnes libri evoluti quo dilucida fieret ipſius natura, in ignorantiæ luto non ſecus ac cæteri hæſerint, ægri denique, quibus eventus votis non reſpondebat, neminem

offenderint qui ſolido ratiocinio illos in ſpem erexerit.

Horum tamen explicatio in aperto erat, artis principia ad ea quæ à Natura conſtituta ſunt revocando, ac comparatione inſtituta eorum quæ è mechanico artificio exſurgunt, ſpeciatim Chimiæ ope, cum iis quæ lege naturæ in corporibus, à quibus mercurius admiſſus contingunt; Obſervationes ea de re à me factæ, omnibus æque ac mihi obviæ, id quod occultum erat in lucem adducere idoneæ erant, ſi res ad experimentum deducta fuiſſet: Paucis, experientia & eventus veritatem in apertam lucem intuliſſent iis qui illam appetiviſſent.

At ſive hujus rei cognitio inutilis credita ſit, ſive neminem hujus adiſpiſcendæ cupido inceſſerit, ſive ii, quos non latuit, occultam eſſe voluerint, hoc compertum eſt à nullo authore traditam fuiſſe, neç tamen à quoquam accurate & perfecte explicari poſſe criſes Luis artificiales, niſi ſimul patefecerit quamobrem inter ſe diſcrepent.

II. Viæ quas pertranſire ſolet materia Luis in hujuſmodi criſibus, dicatæ ſunt ſudorum tranſmiſſioni, urinæ excluſioni, fæcum excretioni, ac præſertim ſalivæ expulſioni.

Quæ per primas vias contingit à me deſignatas, cauſam habet cum Mercurius nactus eſt inſignem copiam ſulphureorum illorum vaporum qui materiam adipi ſubminiſtrant, in corporibus quæ ſubingreſſum eſt: cum enim ſulphuribus facillime ſemper commiſceatur, eámque diſpoſitionem jam ante adeptum eſt, ob diviſionem factam ubi reſinis admixtum fuit, facillime pinguibus illis materiis, in vapores ſolubilibus, comitem ſe adjungit, à quibus levitatem majorem acquirit, volatilitatemque, ac proinde aptitudinem majorem obtinet ut illorum motum à centro ad circumferentiam ſequatur: Porro, cum idem hic motus quodammodo adverſetur penetrationi, quæ à Mercurio expectatur ad ſanguinis depurationem, ſæpiſſime contingit criſin ad perfectionem non deduci, niſi forte jam ante Natura diſpoſitionem ad eam nacta ſit.

III. Corpora quædam ſale tartareo adeo abundant, aut aliis materiis Alkalium naturam redolentibus, ut Mercurius in ea detrudendus eorum cauſa præceps in inferiora deturbetur, ac colluvies humorum cum fæcibus devolvatur; at vero cum ejuſmodi materiæ impedimento non ſint quominus mercurius partes omnes pervadat, accidit ut criſis hæc præcedenti multo tutior ſit, ſi præſertim Medicus naturam in officium impellat, beneficio catharticorum & diureticorum ſæpius repetitorum illam laceſſendo.

IV. Si contingat Mercurium & ſalia Variolica aliquando ad vias urinarias deflectere, haſque abunde profundi, cauſa eſt quod acida quibuſdam in corporibus eadem propemodum copia luxurient ac alkalia à me dicta. Opinionis hæc veritas facile confirmari poteſt, nemini enim ignotum acida

interius

interius aſſumpta vi diuretica pollere, obſervationes item circa Mercurium factę oſtendunt poſſe illa ſublimari à calore ubi illi adjuncta fuerint; eadem quinimo ab alkalibus præcipitari poſſe, imo prægreſſa dicta ſublimatione: Ex dictis autem eluceſcit acidis inditam eſſe vim pituitam & ſerum per nominatas vias deducendi, illum verum eventum ſperabilem non eſſe ſi Mercurio conjungantur, & à calore naturali commoveantur, niſi occurrant alkalia ea copia à quibus infra deturbati queant: Cæterum, ſicut ſalia impura facillimè ab aqueis ſubſtantiis diſſolvuntur, criſis vero hæc magna affinitate conjuncta eſt illi quæ per ptyaliſmum contingit, meo judicio perfectior cenſenda erit duabus præcedentibus, ſi evacuationes ab illa concitatæ copioſę fuerint & diu protractæ.

V. Sicut Fermento innata eſt vis ſe diffundendi per intima rerum fermentationi ſubjectarum, iiſdem eandem impertiendi, pari ratione Salia Variolica ſanguini commixta, in ſingulas uſque corporis partes diffunduntur, eóque pacto quicquid pene ineſt humorum aciditate imbuunt. Eapropter ſalivatio criſium, quę a Mercurio excitantur, frequentiſſima eſſe conſuevit, eo quod fere ſemper cum liquoribus illis Acidis intime conjungitur, tamque inſigni çopia, ut nulla materia per alias vias, à me dictas, eum abripere valeat: quamobrem omnium ad curationem efficaciſſima cenſeri debet, nam adde quod raro contingat illam ſucceſſu carere ſi debitum regimen acceſſerit, comites præterea circumſtantiæ de ejus bonitate teſtimonium perhibent: Id primo loco animadvertendum motum ejus ab imis ad ſuperna ferri, atque ut plurimum æqualem eſſe; moderatum, nequaquam interruptum, unde arguendum naturam magis propriis viribus niti, quam à vi medicamenti impelli: Præterea humores omnes acidi & impuri adeo manifeſte cum Mercurio in ſuperna evehuntur, ut ejuſmodi mixtio non admodum diſſimilis ſit illi qualitati, quæ ex diſſolutione hujus mineralis cum ſpirtu nitri aut aqua forti emergit; adeo ut calore impellente exſurgat quædam ſpecies Mercurii corroſivi, à quo partes omnes gutturis & oris exulcerantur, eas adeo pervadentis, ut ea de cauſa reſerentur vaſa, ac per dierum aliquot decurſum ſanguis effundatur, donec materia mitior evadat, à minori acidorum affluxu.

Agyrtæ, qui ſalivationem cient in iis qui Lue immunes ſunt, ulcerum ejuſmodi originem adſcribunt malignitati ſalium Variolicorum, quo fallaciæ in occulto ſint illius uſum imperando; Id vero obſervandum non minus obnoxios eſſe dictis ulceribus qui lue inquinati quam illi qui expertes ſunt, eo quod non aliunde ortum ducant quam à mixtionę à me memorata; ſucci enim acidi in omnibus ſine diſcriminere reperiuntur: Paucis, ideo quod Mercurius ſubito ſublimatur, celeriter meat, leviterque tantum & per tranſennam os excalefacit in iis quibus minori copia datur ad motum ejus

frænandum, niſi aliæ materiæ à me dictæ, alio ipſum abripiant: adeo ut ulcera oris & faucium perpendi debeant tanquam accidentia hujus criſis inſeparabilia, cuicunque demum affectui idonea eſſe queat.

VI. Cæterum illam inchoantem noſcere eſt ex pulſus agitatione, animi & corporis inquietudine, imminutione aut etiam privatione appetitus, oculorum contractione, oris æſtu, gingivarum & labiorum intumeſcentia, linguæ craſſitie, oris fœtore, dolore dentium, palato albicante & ſomno interrupto.

Ubi imminens criſis his indiciis ſe prodiderit, à frictionibus abſtinendum, ſuffumigiis, omnibus tandem Mercurialibus remediis cavendum, ne ingruat ſuffocatio, aliáve ſymptomata Mercurii uberiorem admotionem ſubſequentia ſuboriantur: Sin eadem intra limites conſtiterit, in corpore rite præparato, mox memorata ſigna excipiet effluxus phlegmatis albi & viſcidi, primo quidem exigua copia ſtillantis, mox ſpatio novem dierum augeſcentis; adeo ut in quibus maxime pituita redundarit, horarum viginti quatuor ſpatio ad octo libras eam excernere poſſint, cæteri minus, proportione ſervata.

Primis diebus ob Mercurii ſublimationem, alvus ab ejus commeatu cietur; quam commotionem ſequitur ejus fluor pauco tempore durabilis; nullamque medelam poſcens: Sed præterea obſervandum circa ſalivationem, dum in augmento eſt, ulcera à me memorata in latitudinem & profunditatem extendi à materiæ prodeuntis efficacia; motum autem arteriæ æque validum reddi, ejuſdemque inæqualitatis quæ in febribus ardentibus, eo quod impuritates ſanguini admixtæ ab eo ſegregari non poſſunt, quin magna accedat ebullitio à motu Mercurii, aut caloris nativi contentione: Porro, cum prædicta ex neceſſitate accidant, eæque inevitabili, nec adverſentur efficaciæ Mercurii expectatæ, ſollicitus eſſe non debet medicus de illorum curatione per adhibita remedia contraria.

VII. Ventris tamen dolorem ſedare licet, ſi tormina acrius infeſtarint, ope enematum anodynorum & refrigerantium vel etiamnum obtuſa acrimonia corroſivi, à quo oris ulcera excitantur, beneficio gargariſmatum lenientium, qualia ſunt exempli gratia lac vaccinum tepidum, vel decoctio ſeminum hordei, lini & pſyllii: quibus adde, interdum neceſſe eſſe fungoſas carnes adnaſcentes, aut putreſcentes, per ſpiritum vini, vitrioli aut ſulphuris abſumere.

Supereſſet jam agendum de copia materiæ, de effluxus ejus tempore; at cum binæ iſtæ circumſtantiæ omnino ab ægrorum temperamento pendeant, ac affectus gradu, definite illas circumſcribere non licet, ſed tantum adhibito judicio, animadverſione ſedula, atque ejus, cujus fidei æger committitur, conſummata experientia, quapropter huic rei examinandæ temporis ja-

cturam non faciam, illud in genere dixiſſe ſufficiat, initium tantum numeri dierum cenſendum eſſe cum libræ circiter duæ, intra viginti quatuor horas ptyaliſmo excluſæ fuerint, qui ad quindecim dies ut minimum exporrigi debet, ad ſummum triginta.

Plurimi contendunt, ſymptomatis & ptyaliſmo deſinentibus, pro explorato habendum Luem ſuperatam eſſe, at regulam dictam non omnino fidam eſſe conſtat, alibi quippe à me oſtenſum poſſe Luis cauſam latitare adhuc poſſe etſi ſymptomata ſolita deſierint, alia ex oppoſito nunquam omnino evaneſcere quin remedia topica admoveantur, dum ad curam univerſalis totius corporis incumbit chirurgus, aut poſtquam ea peracta eſt, exempli gratia oſſium caries, quæ cauteriorum actualium ope emendatur, conſumptio carnis aut cutis, ab herpetibus aut ulceribus exedentibus inducta, quæ nonniſi deterſione adhibita carne veſtiuntur: Relaxatio tandem ac debilitas vaſorum ſpermaticorum, quarum cauſa in quibuſdam ſeminis perpetuum effluvium ſuperſtes eſt, donec per adſtringentia ſtyptica contracta & roborata fuerint: Demum experientia apertum facit ptyaliſmum ſæpenumero ante morbum deſinere, adeo ut iterum illum provocare incumbat neceſſitas, aut ſaltem evacuationem, beneficio remediorum, per alios ductus colluviem evehentium, perficere, ſi præſertim natura eo magis vergere videatur.

Nec tamen eos in exemplum tibi proponas qui lue infectorum corpora nunquam ſufficienter ſe exhauſiſſe arbitrantur, hocque pacto humidum radicale abſumunt, vitę fomentum, omnibus prope humoribus evacuatis; Id vero ex oppoſito in memoriam revoces, ęqualis eſſe momenti id quod ſecundum naturam eſt conſervare, atque id quod illi contrarium eſt deſtruere: Ne ad exceſſum illum devenias, obſervanda tibi accurate corporis exſiccatio, virium attritio, cętereque omnes circumſtantiæ à me deſignatę; quo finem imponas ſalivationi, aut aliis fluxibus, ſi evacuatio juſta pręceſſerit, immutatis linteis, cubili, imo aliquando cubiculo; aut Mercurium pręcipitatando, quod conſequi licebit beneficio ſalis Tartari ſimplicis, cum juſculo aſſumpti, aut cum purgantibus mixti, vel diureticis vulgaribus.

CAPVT V.

Diæta ab ægris obſervanda dum criſes univerſales Luis promoventur.

1. *Regiminis iſtius in genere conſtitutio, Et cur exempla illius afferre neceſſe ſit.* 2. *Regimen eorum qui optima corporis conſtitutione præditi ſunt*

3. Eorum qui temperie calida & ſicca donati ſunt. 4. Eorum qui frigidà & humida. 5. Obſervationes generales omnibus communes.

I. METhodus regendorum Lue infectorum, aut aliorum ęgrorum qui experiuntur criſes Mercurii beneficio ſuſcitatas, hoc in genere ſupponit ut ab iis injuriæ aëris arceantur, tempeſtatumque à recta temperie deflectentium; ut alimentorum medicamentorumque qualitati & quantitati norma adhibeatur, imo, ſi lubet, animi pathemata regantur.

Media per quæ primum requiſitum obtinueris, tradita ſunt ubi tempora idonea Luis curationi propoſita ſunt: quoad poſteriora, ea Medici vigilantiæ videntur aſſignanda: Interim, cum ſæpenumero impoſſibile ſit, dum præparationi conſulitur, perfecte emendare omnes diſpoſitiones contra naturam, ex varietate temperamentorum ægrotantium exurgentes, ac proinde ſæpe urgeat neceſſitas toto curationis decurſu iis uti quæ adverſantur vitioſis illorum qualitatibus, è re erit, id quod jam ante innui tradendo methodum præparandi corpora Lue infectorum, afferre regimen alimentorum & medicamentorum, in eorum uſum qui æquali temperie præditi ſunt, necnon eorum qui ab hac æqualitate deflectunt, ob repletionem aut inanitionem nimiam, poſtmodum occurrent etiamnum quædam circumſtantiæ quas obſervaſſe refert in genere ad omnes morbos qui mercurii ope expugnandi ſunt.

II. Duę præſertim regulæ maximi momenti ſe offerunt in regimine ægrorum qui moderata ſunt temperie, prior eſt ut tantum alimentorum exhibeatur quantum ſatis eſt ad virium conſervationem, ne copia excrementorum ſuperfluorumque augeatur: Poſterior eſt levibus tantum remediis locum eſſe, ac ſolummodo ad vacuationem primarum viarum, ne natura ab opere inſtituto avertatur, motibus contrariis inſtitutis.

Prius pręceptum expleturus eſt, Medicus exhibendo duo ova recentia hora meridiana; & juſculum quaternis horis interjectis, reliqua diei parte & noctis parandum, exempli gratia, ex volatilibus, carnis bubulæ fruſto ac cichorio.

Priſana à me præſcripta pro præparatione corporum eo modo conſtitutorum, utilis necnon eſſe poterit toto criſis decurſu; quo ſatisfiat poſteriori regulæ à me propoſitæ, eo quod ſudorifica ui polleat & diuretica; quę etiamnum ventris laxationi accommodari poteſt, infuſione facta, citra caloris adminiculum, ſpatio viginti quatuor horarum, drachmarum duarum ſennæ in frigidæ ſextario minore, quam alternis diebus, iteratis vicibus exhibuturus es.

III. Si tibi curandum obtigerit corpus admodum calidum & ſiccum, memineris periculum eſſe in exhibenda ciborum inſufficienti copia, aut nimis

mis calefacientia porrigendo, qua de cauſa juſcula ovis recentibus anteferenda ſunt, quę prębenda ſemel unoquoque trihorio, ex poplite vitulino facta, carne bubula & pullo gallinaceo, addita oxalide, lactuca & portulaca; ſin æger ejuſmodi alimenta faſtidierit, concinnanda erit gelatina ex iiſdem alimentis, hordeo mundato, pauxillis ſeminibus frigidis & ſaccharo.

In uſum quoque utiliter veniet Priſana humectans & refrigerans, à me præſcripta ubi de ratione illam præparandi, in cujus ſextario minore infundi curabis drachmam unam ſennæ, ac tantundem cryſtalli mineralis; ſingulo quatriduo præbendo.

Enemata humectandi & refrigerandi infimam alvum vi prædita apprime conducent, ſi ex ſero lactis parata fuerint, aut olerum decocto, unicuique addendo unam unciam mellis violacei aut nenupharini.

IV. Vice verſa ſi curandum habueris corpus admodum obeſum & pituiloſum, ſatis futurę non ſunt evacuationes criticæ quę per os fieri ſolent; ſed pręterea incumbendum in humorum exhauſtionem omnibus adhibitis mediis, quamobrem pauca juſcula, aut aliquot ova recentia bis in die exhibita in nutrimentum ſatis erunt, tantum enim exhibendum quantum ad vitę ſuſtentationem ſatis eſt.

Priſana cum Guajaco parato utilis pręterea admodum erit, ob deſiccandi vim, ſi ad eum modum, quem capite de præparationibus tradidi, concinnata fuerit.

Clyſteres crebro injicientur ex melle communi parati, ac decocto foliorum ſalviæ, abſynthii, rutæ & fœniculi.

Parabuntur & potiones laxantes in uſum frequentiorem ex decocto foliorum ſalviæ, infuſo ſennæ & hermodactylorum, cum ſyrupis roſarum pallidarum aut florum perſicorum, ſedulo cavendo ne ſalivationem præpediant inchoatam, nec eandem imminuant ubi ex voto procedit.

V. Exempla ſuperius adducta, & quæ prius propoſita ſunt ubi de modis præparandi corpora, & idonea efficiendi ad ſuſceptionem motuum & energiæ Mercurii, proclive tibi fuerit diverſas fingere methodos, in eorum gratiam qui magis aut minus ab his gradibus diſcedunt; ut ſupervacaneum fuerit eam in rem alia protuliſſe: At vero eo conducibilius erit adnotaſſe hic animadverſiones ſequentes, quod in genere omnibus profuturæ ſint, qui experiuntur criſes Mercurii adhibitionem conſequentes.

Si animi deliquium vel ſyncoque obrepſerit, vinum cæteris liquoribus fructibuſque acidis præferendum erit, cum experientia teſte certioris ſit effectus.

A pane dulciario, fructibus ſaccharo conditis; ac in genere mellitis omnibus & ſaccharatis abſtinendum erit, eo quod ab eorum uſu dentes ni-

greſcant, augeanturque humoris acrimonia, & dolor ab ægris in faucibus perceptus.

Sufficientibus peractis vacuationibus, ptyaliſmóque deſinente, cæteriſque excretionibus; paulatina alimentorum adjectione ægrum refocillabis, viréſque collapſæ ut reſurgant curaturus eris, per gradus procedendo eodem prope modo quo copia illorum acciſa eſt, ubi de præparatione actum, in memoriam illud revocando cavendum eſſe ne ab inanitione in repletionem ſubitus fiat tranſitus, ſuffocationis imminentis metu, aut cujuſpiam ægritudinis inſignis & lethalis.

Statim ac ægri dictis mediis utcunque reſtituti fuerint, ad purgantium uſum, diureticorum & ſudorificorum reditus faciendus erit, ad naturam iterum excitandam, ac impellendam ad excretionem impurorum humorum, aliquando reſiduorum à prioribus illis apparatibus.

Cæterum animi quies toto curationis decurſu admodum neceſſaria eſt, quæ niſi adfuerit præſto ſemper aderit periculum, adeo ut curantis diligentia intercedere debeat quo tranquillitas ægro concilietur, arceantúrque quæcunque animi pathemata excitare nata ſunt, timorem præſertim, iram, curã rerum arduarum, aut attentum ad alia ſtudium; adeo ut ægri perpetuo ſanitatis proſperæ & citæ conſequendæ ſpe demulcendi ſint; ea tantũmodo referendo quæ lętitiam parere valent, in omnibus illis quantum licet obſequendo, aut ſaltem leniter & grate objiciendo, quantum periculi immineat iis conceſſis quæ jure denegantur; ſatagendo præterea negotiorum ipſorum, revera aut ſimulate: Lectione tandem librorum arcendi ſunt, manuſcriptorum, ac in genere omnium quæ animum nimis objecto alicui adſtringunt, poſt admotum pręſertim hydrargyrium.

Cap. VI.

Circumſtantiæ particulares obſervandæ in rita methodo curandi mulieres & pueros.

1. *Obſervationes neceſſariæ circa curationem mulierum.* 2. *Infantes omni ætate Lue poſſe infici, Nec tamen neceſſe eſſe diverſas methodos tradere ad omnia juventutis tempora.* 3. *Ratio puſillos curandi, ubi conſilium notatu dignum circa eos.*

I. Quæcunque hactenus allata ſunt de Luis venereæ curatione, communia eſſe poterunt & æquæ curationi in utroque ſexu, imo omnibus ætatibus, proportione obſervata in dozibus remediorum ad ægri vires; ſuperſunt tamen quędam circumſtantiæ ſingulares, neceſſario obſervandæ, ſi

dæ, ſi modo curationem felicem optes in mulieribus & infantibus : Nam, exempli gratia, ſi in prioribus menſes ſuppreſſi fuerint, incumbendum proculdubio eſt ad illorum revocationem, quamdiu eas ad ſuſceptionem hydrargyri pręparabis; quandoquidem id ſemper admovendum eſt ſimul ac illorum fluor deſierit, ne à novo & citiori circuitu inſignis œconomiæ naturali ſuperveniat conturbatio, ob motum illi contrarium qui per os accidit.

Id prętera adnotandum urgentia quandoque accidere ſymptomata, quæ gravidarum curationem aggredi impellunt, quam impune ſuſcipi poſſe experientia oſtendit, modo caute & leniter proceſſus fiat, eligatur prętertim tempus quo graviditas aliquomodo provecta ſit, eo quod initio debilior ſit fœtus quam ut obſiſtere valeat commotioni ab hydrargyrio inductæ aliiſque remediis, ac demum ſub finem partus, ante debitum tempus promoveri poſſit, & perfectam fœtus maturitatem.

II. Aliquando Infantes Lue inquinantur, quod illam in utero materno contraxerint, vel quia nutricis infectæ ubera ſuxerint; paucis, ob oſcula data vel aliū quépiam contactū impurū: Quo fit ut juventutis quibuſvis temporibus accidere queat, ac proinde non ſimilem tractationem admittere queant, quandoquidem is qui ex mammis alimentum petit, multo minus idoneus eſt ferendæ remediorum efficaciæ eo qui communi cum cæteris vivendi genere fruitur, ætatis multo provectioris ratione.

Nec tamen incumbit neceſſitas diſcrepantes methodos tradendi ad omnes ætates, quandoquidem ſcopi, intentiones & remedia à me notata in curationem adultiorum, convenire quoque valent infantium ſanationi, eadem individuorum ſtatui pręſenti accommodando : E re tamen fuerit methodum particularem pręſcripſiſſe, dirigendam in parvulorum curationem quo ex voto ſuccedat, ut collatione facta exemplorum in eo quod magis eſt & minus, facilius feratur judicium de qualitate & quantitate rerum uſurpandarum in differentibus mediocritatis gradibus.

III. Cum tibi conſtiterit lue inquinatum eſſe infantem ubera ſugentem, perquirendum obnixe undenam contraxerit, antequam enim curatio ſuſcipiatur, removere inficientem expedit, deinceps nutrix probæ notæ eligenda, cujus ſanguinis depurationi invigilandum erit, proventum probi lactis procurando, cujus puritas omni arte ſervanda, pręſcripto recto vitæ regimine nutrici, à qua removendus alumnus, cui ex exiguo cochleari præbendum, vel ex linteo tenui illo imbuto, quod ſugendum dabitur; Id vero noſcendum lac capræ, probo alimento paſtæ, multo pręſtantius eſſe mulieris lacte mala valetudine fruentis.

Necnon neceſſe eſt infantem ab initio purgare exhibita pauca aqua caſſiæ, aut pauco ſyrupo roſarum pallidarum, iteratis vicibus id purgans por-

rigendo, prout plus aut minus obeſus fuerit.

Parabitur & Ptiſana ex hordei manipulo uno, & tribus aut quatuor obolis radicis Chinçæ, quæ ebulliat in tribus ſextariis minoribus aquæ communis quouſque evaporet tertia pars, ſub finem ebullitionis addendo parum liquiritiæ, eique colatæ grana decem cryſtalli mineralis, quæ potanda dabitur, ut ſugenda ex intervallis nocte diéque.

Reſeratis viis communibus, vacuatíſque excrementis ope amborum dictorum remediorum, plantæ pedum tertio quoque die unguenti ſequentis drachma una illinantur.

Accipe mercurii, cinnabaris additione vivificati, drachmam unam, vel drachmam unam & ſemis, extinguatur immixtus unciis duabus Balſami *Arcæi*, cui poſtmodum addendæ axungiæ porcinæ bene elotæ unciæ ſex, quo uteris ſexies aut octies modo ſupra dicto.

Si à prioribus inunctionibus ſaliva effluat, aut alia quæpiam criſis ſpecies excitetur, in earum uſu pergendum erit citra aliud præſidii genus quantum neceſſitas requiret: Sin validiorem vim imprimere velis, adde dozi unguenti ſuprà dicti ſemidrachmam, aut amplius, pro ſingula illitione, tum in pedibus tum in manibus.

Per decurſum evacuationum criticarum, ſexto quoque die porrigantur duo vel tria grana ſalis volatilis viperini, diſſoluta cum pauxillo Ptiſanæ præſcriptæ, quod remedium anteponendum omnibus aquis theriacalibus, philoſophicis & hidroticis, quas mire, ſed perperam prædicant plurimi.

Cæterum eximii momenti præceptum circa infantes communicatu'us ſum, ut ſcilicet virium illorum ſumma ratio habeatur, carúmque reſpectu curatio dirigatur, ſedulitati & labori nequaquam parcendo quo augeantur, vel ſaltem in eodem ſtatu conſerventur; ſi enim ab effectu remediorum deficiant, mors proculdubio lugenda præ foribus eſt, nedum ſanitas expectata: quandoquidem medicamentorum actio fere ſemper inutilis aut periculoſa eſt, niſi naturam adjutricem habuerit.

CAP. VII.

Quæ infortunia ſiniſtram Hydrargyrii admotionem ſequantur.

1. *Cauſa mortis Lue venerea infectorum, ut & ſymptomatum mercurii admotionem ſubſequentium.* 2. *Deſignatio illorum accidentium.* 3. *Remedia generalia eorum progreſſum inhibentia.* 4. *Remedia particularia ea extinguentia.*

1. ETſi lues affectibus lethalibus propria natura annumeranda non ſit, imo quocunque in gradu conſtituta ſit eam ſuperabilem aſſeram, conſtat tamen

tamen mortem aliquando, ſubſequi (ſicut ante ſcripſi) ſi ab ejus materia partibus ad vitam neceſſariis labes inuſta ſit; cum lue inquinatus in manus agyrtarum & imperitorum inciderit; ſi tandem ob medentis negligentiam celeritas in remediis non adfuerit nec ſymptomatis mercurii admotionem ſubſequentibus mature is obviam ierit.

Id quidem certum eſt pręcepta à me tradita indubii eſſe eventus ad curationem iſtius affectus cito, tuto & facile peragendam, cum vix è millibus unus intereat ſi accurata adfuerit edictorum obſervatio, adſunt tamen aliquando caſus infauſti quos declinare impoſſibile: Nam pręter fatalem mortis in omnibus neceſſitatem, cauſa mortis ſæpenumero latet, tempus illius pręvideri non poteſt, corporum autem cacochymia quandoq; adeo inſignis eſt, ut emēdationis ſit incapax: quibus & hoc addideris, latentes quaſdam in corpore ſubeſſe diſpoſitiones, quas eluere impoſſibile ſit: Quãobrem curandis conatus aliquãdo ſunt irriti, medentiſq; ſcopium ſæpe eluduntur eo quod ſubſequuntur ſymptomata, neutiquam prævisa, quibus tamē medicatio debetur, ſed adhibita ſingulari cura & diligentia, ſi nempe vitæ diſcrimen adfuerit.

II. Interim quamvis prædictæ cauſæ ejuſdem & æqualis ſint momenti, inutiliter media quibus eæ abſcindi queant, tradenda ſunt quandoquidem ex earum numero quaſdam noſcere non conceditur, alias vero exterminare: Sufficiat vero quædam adduxiſſe de vitioſis corporum temperamentis, & de ſuperflua hydrargyrii copia in illa immiſſa: hæ enim vulgatiſſimæ ſunt cauſæ ſymptomatum ejus admotionem ſubſequentium cum nullum non à dictis cauſis manare queat: Nam ſi, exempli gratia, in pręparatione inutiliter in uſum adducta ſint omnia refrigerantia & humectantia ad extinguendum æſtum emendandámque corporis admodum atrabiliarii ſqualliditatem; ſæpenumero oriri deprehenditur diarrhœa cum immanibus ventris torminibus; eo magis periculoſa quod paulo poſt ſubſiſtat, ad quam ſequitur adſtrictio, à qua non longe abeſt viſcerum inflammatio, pectoris, faucium, oris, cum difficultate reſpirandi, deglutiendi & ſermonis, unde febris initium ducit, cui ſatis vehementiæ accedit exiguo temporis intervallo ut ideo mercurius ſublimis in cerebrum deferatur, à quo proinde ſyncope excitatur, delirium, ſpaſmi, imo aliquando ſurditas & viſus amiſſio, apoplexia, paralyſis; ipſa tandem mors, niſi mature pręſidia admoveantur prædictáque ſymptomata impugnentur.

Eodem pacto, niſi dięta, decoctiones exſiccantes generoſioráque hidrotica ſufficientem alterationem induxerint in corpus admodum obeſum & pituiſo temperamento donatum; vel iterum ſi pręceps & intempeſtiva fuerit mercurii admotio, ſecum in ſublime tantam humorum copiam defert, ut ea de cauſa maxima recenſitorum ſymptomatum pars ſuccedat, ſed pręſertim faucium extraordinaria intumefactio, linguæ, genarum imo totius vul-

tus cum inſigni duritie, dentium commotio, immodicus ex oris ulceribus ſanguinis effluxus, parvo temporis ſpatio admodum ſe diffundentibus, vagis, nigris, fœtidis, & gangręnam ſapientibus, mortem tandem accerſentibus, niſi hęc illam occupet.

III. Hęc ſi ſimul concurrant non, alia via tutiuſque medelam adhibueris quam mercurio fręnum adhibendo, imminuta ejus quantitate, cubilis immutatione, linteaminum & cameræ; reliquias illius ad inferiora uſu gargariſmatum adſtringentium detrudendo, enematum, ſanguinis è pede emiſſionis, ac pręſertim purgantium crebrius exhibitorum, quibus ſemper ſal Tartari immiſcendum, cęterorum ingredientium proportione ſervata juxta ætatem, vires & ægri temperamentum.

Quidam pilulam auream ægro deglutiendam crebro exhibent, prius elutam, cujus ſuperficiei mercurii perpetuo aliquid adhęreſcit; at tantilla ejus eſt portio temporis habito reſpectu ut nonniſi levior effectus ſubſequi queat, nec illius uſus prępedire debeat adminiſtrationem priorum remediorum memoratorum.

IV. A tradita omnium ſymptomatum nominatorum providentia, per media à me adducta, ad ea tranſitus faciendus eſt quæ peculiaribus correctivis egent: exempli gratia, ratione delirii, convulſionum, apoplexiæ, ſurditatis, cæcitatis, ac in genere cerebri nervorúmque affectuum, admovendæ ſunt cervici, aut ſummo dorſo, cucurbitulæ cum ſcarificatione.

Gargariſmus ex decocto plantaginis, roſarum rubrarum, agrimoniæ, cui tantillum ſpiritus vitrioli infuderis, adſtringente vi pręditus erit, & retrudendi ſanguinem aut pituitam ex ore prodeuntes; & detergente ad ulcerum mundationem, quæ & ex intervallis, admotis ſpiritibus chimicis ſupra nominatis, inurere è re fuerit.

Notandum & eundem gargariſmum confirmationi dentium vacillantium utilem eſſe, gingivarum conſtrictione, cui tamen rei magis efficax fuerit admotio aquę ſecundę.

Oxyrrhodinum ex aceti parte una paratum, olei roſacei partibus duabus, exterius gutturis partibus admotum, dolorem mulcet, tumorem imminuit nec non inflammationem.

Eapropter & cerato *Galeni* uti licuerit oleo amygdalarum dulcium commixto.

Vini generoſi cochlearia aliquot exhibita adverſus leipothymiam & ſyncopen pręſentiſſimo ſunt pręſidio, ad cordis roborationem & ſpirituum conculcatorum diffuſionem, cujus uſus ſimili in caſu cunctis confectionibus, potionibus cardiacis aliiſque cordialibus anteponendus eſt.

Lac vaccinum tepidum ventris tormina certa efficacia ſedaturum eſt, fotu adhibitum & per clyſteres injectum, cui aliquot ovorum vitellos addere

addere poteris & grana laudani, ad anodynam vim augendam.

Præter trita hæc remedia, notitia tibi comparata remediorum ex arte depromptorum, lectio conjuncta, & conſilii adhibitio, infinita alia tibi ſuppeditatura ſunt in caſus urgentia.

Ejuſdem
NICOLAI DE BLEGNY
DISSERTATIO

Poſſibilem eſſe Luis Venereæ abſque Mercurii ope, aut Salivationis, curationem oſtendens.

INter partes Chirurgiæ, Ars Luis Venereæ curatrix plus cæteris probitatis, ſcientiæ & acuminis ingenii expoſcere videtur, Reliquæ omnes aut in quibuſdam Operationibus, quarum eventus à ſola ſolertia & peritia artificum pendet, conſiſtere videntur, Aut in quibuſdam curationibus quarum ſucceſſus ſalutaris ſperari poteſt, obſervatis quibuſdam circumſtantiis ſenſibus fere ſemper obviis. Quo vero hæc felicem exitum obtineat, non ſatis eſt dexterum manus regimen ut nihil ſiniſtri contingat, vel remedia externa accurato ſtudio adhibuiſſe, id præterea requiritur, ut in ſubſidium veniat quicquid arduum eſt in arte Medica, remedia interna legitimis cum cautelis exhibendo: Eorum quippe ſolum beneficio obviam eundum, aut ſuccurrendum affectibus quos Luis materia partibus interioribus inducere valet. Ejuſmodi ſcopus ad quem collimare æquum eſſet quotquot artem profitentur, ſcilicet perpetuo ſtudio rerum novarum diſquiſitioni incumberent, in pauciſſimis tantum reperitur: maximæ enim medentium parti ſatis eſt, ut vel juxta artis theoremata, à magiſtris tradita, operationes ſuas dirigant, aut ſequantur doctrinam eorum qui naturam illius morbi, remediorúmque illi dicatorum deſcripſerunt, eo tempore quo qualitates omnes, quæ caloris, frigoris, humiditatis aut ſiccitatis non eſſent ſoboles, occultæ habebantur: nequaquam penſitando, aut curioſo animo indagando an eorum dogmata fundamento aliquo ſolido inniterentur, vel num aliarum rerum diſquiſitio illorum methodo certitudinem majorem conciliare valeret, aut num ex novis oblatis obſervationibus liceret rariora quædam & utilia nanciſci, quarum rerum conſideratione neglecta fit ut jejuni & ſteriles ſint ubi praxis obſervatæ rationem reddere tenentur, perpetuo ſileant, cauſam ab effectu, agens à patiente, morbum à ſymptomatibus, id quod ſubjecto eſ-

ſentialiter ineſt aut per accidens nequaquam dirimere parati, cuncta hæc perturbantes. Quinimo falſas ideas & confuſas animo inducentes, conatus eorum irriti ſunt & periculi pleni hinc infortunium infelixque ſucceſſus eo crebrius comes eſt, ut nunquam eam peritiam adipiſcantur qua duce remedia variare norint, eaque accommodare inſignibus differentiis in affectuum indole occurrentibus, ac ſingularibus diſpoſitionibus eorum qui illis occupantur.

Sin ob ſtudii negligentiam infortuniis pateant à novorũ experimentorum contemptu inſignium beneficiorum jactura illis accedit; moleſtéque ferant neceſſe eſt inchoatam ab ipſis curationem per alios perfici, aut ſaltem doctores agnoſcant eos quos diſcipulos habere deberent, quippe cum per naturam à labore abhorreant, in eam opinionem facile vergant in rerum natura nihil abditum latere, neque artem Medicam deinceps meliora remedia, quam quæ uſitata ſunt adeptum iri.

Hac ratione plurimi authores commoti eſſeruerunt Mercurium unicum eſſe Luis Venereæ alexipharmacum, etſi nunquam diſquirere in animum induxerint, aut experimentis factis tentare, num res opinioni conceptæ quadret; eáque propter hodierna die adſtipulatores habet Practicos inſignes, non parvo numero; receptæ opinioni adhærentes, quod neminem diſſentientem videant, neque examini ſubjiciunt, labori ſcilicet animi & corporis parentes. Nec vero ſatis eſt illis errorem fovere, alios quoque in eundem ſecum deducere contendunt, recentérque ab aliis explorata pro figmentis habent, extra inuſitata remedia pro venenis traducunt, eorum vero authores deceptores vocant. Revera nullus non hodie confitetur ſanguinem à corde principium ducere, continuo motu eóque circulari ad ipſum deferri; reperta eſſe receptacula, & canales per quos chylus eo convehatur: Illud præterea in confeſſo ab iis non ita pridem admiſſa eſſe præſtantiſſima quædam remedia, quæ empiricis & chimiſtis debent. Illud præterea notum *Harvéum, Pecquetum, Paracelſum*, *Helmontium* alioſque illuſtres Exploratores tanquam improbam monetam repudiatos fuiſſe, dum in vivis eſſent, famam vero & laudem debitam tantummodo obitui ſucceſſiſſe, ubi eorum mors zelotypos irritare non valuit.

Utut ſit, conſtat quamplurimos adverſus quoſdam Medicos & Chirurgos inſurrexiſſe cum pro Luis Venereæ curatione remedia Mercurio faciliora inducere conati ſunt, mediáque naturæ magis conſentanea artificioſa ſalivatione, adeo ut ab hac ſententia diſcedere coacti fuerint. Sin quis cæteris minus trepidus propoſiti tenax fuerit, adverſariorum & contradicentium numero & mole obrutus, ſecedere neceſſe habuit.

Revera, quo pacto tutum quis ſe reddere poterit à tot adverſariis quibus nullus alius quam nocendi ſcopus eſt, quorum fama multos pellicit, ægros

eorum

eorum fide temere, ſe committentes? Sicut enim tanto facilius eſt ipſos, quo lubet inflectere, quod ſumma fiducia ejuſmodi impoſtores amplectantur, nec ea ſagacitate per imperitiam, polleant, qua ab illis propoſitionum rationem extorquere valeant. Si vel his nuntiatum eſt ſolum ptyaliſmum Luis Venereæ ῥιζότομον eſſe, ſoloſque agyrtas alia media quærere, obſurdeſcunt illico aures ad cætera quæ deinceps adducuntur; cenſentque omnia effata ab hoc diſſona, totidem errores eſſe & figmenta, imo vix credunt à Mercurio aliuſmodi ſalubres evacuationes excitari poſſe: hoc vero magis admirandum, quod etiam conquerendi libertas ipſis adempta ſit ſi ab uſu illius remedii male habuerint: ſin eo audaciæ quidam devenerint, phantaſiæ errore laborare cenſentur & accuſantur, ægrique tanquam deliri audiunt: Humoris Luem parientis pravi effectus, humoribus bilioſis & ſeroſis aſſignantur, ac (quaſi cum infantibus ageretur) de Mercurio hoc illis obtruditur Mercurium viverram eſſe, quam imminentem, nedum præſentem metuat: adeo ut perfecte ſe ab ea liberos inviti ſibi perſuadeant, etſi ſymptomata ſæva adhuc perpetiantur. Sin viceverſa quippiam vel leviſſima ægritudine tentatur, qui aliam curationis viam injerit, proculdubio cauſa priori morbo aſſignabitur, perſuadent illis poſteriorem circumſtantiam, alteri copulatam, quod curatio non proceſſerit rita & vera, & vocant, methodo, luculenta eſſe indiciæ, mancæ & imperfectæ ſed inchoatæ curationis, imo ſæpenumero ſi ſcabici puſtula, excitata ſit quo loco pulex pupugit & ad ſcalpendum impulit, ad Mercurii uſum miſer compelletur, ſed eo majori periculo, quod in corpore nulla amplius ſuperſtes ſit materia quæ mineralis illius impetui ſuſtinendo par ſit, quo fit ut à valido partium id admittentium, calore ſubactum, ſublime in caput deferatur, in quo ex neceſſitate terrifica ſymptomata ſuſcitantur.

Nec tamen inficias eundum ab ejuſmodi medicamento mirandos edi effectus, in ſubjectis ejus actionem recipere idoneis, atque innumeros valetudinis reſtitutionem unico huic remedio debere: Id quoque confitebor plurimos Medicos eruditos fruſtra plurimorum aliorum periculum feciſſe, ſoloſque imperitos, aut agyrtas leniora & faciliora jactitaſſe. Sed ſi Mercurius ut plurimum radice tenus Luem Veneream abſcindit non exinde tamen colligendum eſt nullum aliud in rerum natura ſubeſſe remedium à quo ſimilis effectus manare poſſit. Sin hactenus nondum publici juris facta ſint æquipollentia media, nec tamen inde ſequitur impoſſibile eſſe reapſa dari.

Revera, quotquot hodierna die Medicinam cum ſtudio profitentur, nunquid in remediis ab ipſis uſurpatis animadvertunt qualitates eo mirabiliores quod antea omnium cognitionem effugerint? Aut, ut verius dicam, an morbi aliquot ſpecies extitit quæ uni ſoli remedio ceſſerit? Sin forte Mercurius ad curationem non adeſſet iſtius an veriſimile ægros auxilio omnino

deſtituendos? Minime gentium; cùm certi ſimus regionem unam proferre ea quibus caret altera, morbi autem quorum una eadémque facies nobis videtur, nunquam tamen quoad eſſentiam uniformes eſſe, admodum veriſimile eſt Providentiam Divinam medicamentis tam varias qualitates eo fine tantum indidiſſe, quo uno deficiente alterum illius vicem gereret, aut infirmitatem ſublevaret.

Porro, an illud ignotum ad curationem morborum, quorum cauſæ humoribus inſident, ut in Lue Venerea, Naturam quicquid ſibi moleſtum eſt foras propellere, quoties ad ejuſmodi effectum edendum laceſſitur? Illud vero in dubium an revocare licet nullum in Medicina extare medicamentum à quo eadem efficacia commoveri queat ac à Mercurio? At vero, quamvis minerale id remediorum omnium generoſiſſimum foret, an inde colligendum neceſſario id ſemper in uſum ducendum, ad abigendum morbum de quo mihi ſermo, cum facilioris ſit quam plurima alia ſanationis? Denique poſito nullum hoc pertinaciorem dari affectum, an veroſimile iiſdem conatibus adhibitis illum oppugnandum in omnibus ſine diſcrimine ægris, quandoquidem Natura ſæpe propriis viribus, innatóque impetu morbificam cauſam extrapellere nititur, ſive per ſudores, ſive per alvum, lotium, aut in mulieribus per menſtruas evacuationes, vel excreto ſanguine craſſiori & melancholico in quibuſdam hominibus, quibus ſtatus eſt & conſuetus hæmorrhoidalis fluor; ſive tandem per media quibus uti conſuevit ad formandos abſceſſus exteriores id quod aperte conſpicuum eſt in Bubonibus venereis, quorum fixationem, maturationem & mundationem firma ſemper conſequitur valetudo?

Ideoque, etſi Angli, Germani, nonnullique Europæi Ptyaliſmum averſentur, qua de cauſa inunctiones utplurimum reſpuunt, & ſuffitus Mercuriales, non tamen contingit Luem, apud illos adeo familiarem, pluribus quam noſtris in oris pernicioſam eſſe; Id ſcio poſſe mihi objici, etſi perfectam non adipiſcantur ſanationem, poſſe quoque à ſupervenientibus ſymptomatis eoſdem liberari, vacuatione facta per uſitata remedia ſeri effuſi illa & parientis & foventis, poſſe & præcaveri eventus luis maxime metuendos, ex intervallis ad eadem præſidia reditu facto: At vero quam veroſimile defuturos Medicos exteros, non ſatis eruditos qui periculum ideo imminens non præviderent, aut eoſdem adeo eſſe improbos ut ægris imponere audeant, quos toto vitæ curriculo expoſitos & obnoxios velint curationibus toties repetendis? Sed tandem, omnibus his conſiderationibus prætermiſſis, cui dubium à cauſis diſcrepentibus eundem effectum emergere poſſe? Sin dogma hoc non æque receptum eſſet ac verum, quæ ratio quempiam impelleret ut ſe Medicis committeret, quibus omnibus per varia & diverſa media ad indicationes ſimplices & univocas iter eſt?

Quid

Quid plura? non uni mihi dictorum innotuit veritas: Eruditus *Fernelius*, cujus memoria in æternum excolenda eſt, ſuo de morbo venereo Tractatu, non ſolum contendit dictum affectum abſque Mercurii ope ſanabilem eſſe, ſed & præterea id remedii genus, ut pote pernitioſum, omnino explodit, illique ante ponendum cenſet regimen appropriatum, ſudorifica & purgantia: quam in rem quam plurima profert experimenta, ac inter cætera unum à ſe comprobatum in Domino de *Mezieres*, tunc temporis Priore Sancti Dyoniſii, quem parvo temporis ſpatio à ſe ſanatum ait beneficio remediorum facile parabilium, poſtquam duodecies curatio ſed irrita, per Mercurium tentata fuiſſet.

Erudius Dom. *Riverius*, libro obſervationum aſſerit ſe plurimos Lue infectos viginti dierum ſpatio curaſſe, ope purgantium & decoctorum hidroticorum, diverſis adductis exemplis, ac inter cætera cujuſdam à duodecennio lue inquinati, cui inutiliter repetitiſque vicibus imperata Diæta & Mercurii uſus, à ſe nihilominus ſanitati reſtituti crebro purgantium uſu, Decocti ſudorifici, ex putaminibus nucumjuglandium præparati & antimonii: Libro autem obſetvationum communicatarum, refert quendam Medicinam Pariſiis factitantem, perfectè lue liberaſſe *Henricum Tertium*, remedio euporiſto, à Turca communicato, quanquam dictus Princeps peritiſſimos tum medicos tum chirurgos regnicolas inutiliter in conſilium adhibuiſſet.

Laurentius, inter Anatomicos & medicos ſui ævi illuſtris, profitetur Guajacum, Chinam, & Zarzam parillam domandæ Lui ſufficere; imo aſſerit plurimos ab hoc affectu exercitiis violentis & repetitis liberationem obtinuiſſe: *Ranchinus* eundem in finem tria ſudorifica à me jam memorata præſcribit, addito ligno Saſſafras; Imo ratum habet lue inquinatos à commotione corporis vehementiori, adeo ut eam ſudor ſubſequatur, auxilium nanciſci poſſe: *Vigo*, cui Mercurius in uſu familiari fuit, plurimaſque compoſitiones eum admittentes commentus eſt, non tamen oblitus eſt in ſuis operibus methodi morbum aliis præſidiis debellandi: *Matthiolus* commentariis in *Dioſcoridem*, aſſerit plurimos ſanitati reſtitutos uſu vini ex Guajaco; aliiſque quibuſdam medicamentis compoſiti: *Garcias ab Horto*, Tractatu de Aromatis, *Dalechampius* hiſtoria ſua generali Plantarum, idem Guajacum conſtituunt remedium certiſſimi effectus contra dictum morbum, *Emanuel Aranda*, in Relatione de captivitate ſua Algeriana, refert Lue infectum valetudini reſtitutum, ope Dietę & exercitiorum triremibus damnatis indictorum: Tandem *Rondeletius*, *Liebaultius*, *Silvius*, *Mercurialis*, *Campanella*, plurimique alii medici, in ſuis Operibus varias medicamentorum formulas tradunt, quibus non minus certitudinis quam Mercurio tribuunt: Porro cum authoritatibus eatenus adhærendum ſit quatenus cer-

titudinem & evidentiam obtinent, ſatius eſt rem juxta propriam naturam perpendere, ad examen revocando id quod Luis eſſentiam & ideam conſtituit; quæ porro ſubſequi ſolent ſymptomata illi familiaria; à definita enim rite ejus natura, ejuſque accidentium, minor multò ſuberit difficultas in inveſtigandis qualitatibus medicamentorum illi adverſorum, ac inveniendis rationibus per alia quam per Mercurium luem expugnandi.

Sin obſervationes à me ſupra emiſſæ ſufficienter comprobant materiam Luis parentem venenorum indolis propemodum æmulam eſſe, hoc eſt, illi inſimul ineſſe aciditatem & volatilitatem; ejus eſſentiam ſitam eſſe in mixtione ejuſmodi materiæ cum ſanguine: accidentia autem ab ea inducta ſobolem tantummodo eſſe fermentationis quam in ea excitare apta eſt, effectuſque virium ſeri ſalſi vaſa elabentis quamdiu ebullitio perſeverat, Notum præterea à ſuffragiis tot celebrium Medicorum propoſitiones memoratas extra contentionis aleam eſſe.

His ſic conſtitutis, extra dubium eſt ſin in rerum univerſitate alia præter Mercurium extent medicamenta, ea volatilitate prædita, liquida & penetrabilia, ut cunctas corporis partes pervadere queant, cum acidis coire, illiſque commiſceri, exitumque demum nanciſci per vias naturæ legibus conſentaneas, aut quomodocunque idoneas, abſque dicti mineralis ſubſidio ſuperatum iri acidum venenatum Luis authorem cum porro experientia compertum ſit inter ſudorifica interna quædam ſufficienti volatilitate prædita eſſe, quæ rapido impetu à centro corporis ad ejus circumferentiam ferantur, eoque pacto ſecum corpuſcula heterogenea abripiant quæ eam aptitudinem nacta non ſunt ut perfecte cohærere valeant partibus liquidis aut ſolidis, inde colligendum inter medicamenta ejuſmodi, poſſe reperiri remedia quædam materiam luis parentem profligare apta: Præterea omnibus in confeſſo eſt maximam diureticorum partem, ratione liquiditatis & penetrandi facultatis, univerſæ maſſæ ſanguineæ inſinuare ſe poſſe, acidaque ibi obvia ſibi adjungere, eoque pacto corpus ab iis liberare, una cum urinis ea præcipitando: unde inferre licet, niſi omnino ſuperare valeant Luis accidentia, ſaltem radices ejus abſcindere à maſſa ſanguinea cauſam & fermentum, à quibus turgeſcunt & originem ducunt, ſeparando: Revera ſudorifica modo recenſita motum ſanguinis inſequuntur, & corporis circumferentiam nimio impetu invadunt, ut acida omnia in viſceribus & extra vaſa ſparſa, abripere valeant: Illud præterea certum diuretica ope ſanguinis tantum ad partes diſſitas deferri, hoc eſt, arterias & venas non egredi eas iterum ſubitura, quod præſtare deberent acida ſibi aſſumptura, carnibus & membranis artuum adfixa, poſtmodum per lotii vias excludenda: ſed ex prædictis nihil amplius inferendum quam neceſſe eſſe eodem tempore ſimulque ac ſemel utrumque remedii genus in uſum ducere: Nec in-

de

de colligendum nihil utilitatis ab iis ad iſtius morbi curationem ſperandum.

Concedendum nihilominus quicquid Acidi venerea Lue infecti obtinent, non ſemper auferri poſſe ope medicamentorum cunctas corporis partes celeritate ſumma pervadentium, eo quod aliquando partim craſſæ & viſcidæ putuitæ intricata hæreant, partim ulcerũ ſaniei, carnis excreſcentiis atque impuritatibus illis, ex quibus ejuſmodi abſceſſus oriuntur, quos frigidos vocant: ſed ſimili in caſu dictorum remediorum efficaciam augere ſemper licuerit additis aliis generoſioribus: abſque dubio enim craſſas illas materias crebro purgantium uſu, modo leniora non ſint, deturbare licet, vel etiamnum eaſdem ope decoctorum exſiccantium abſumere, à quibus ſuperfluitates corporis auferuntur, aucto ſenſibiliter caloris naturalis robore: eaſdem præterea impellendo partim per cutis poros, partim per vias urinarias.

Inferendum ergo æqualiter in uſum ducendo hidrotica ſubtilia, tum diuretica liquida, tum decocta ſiccandi vi pollentia, catharticis generoſioribus intermixtis, ſimul ac ſemel poſſe luis venereæ cauſam & ſymptomata abſcindi, Sin rei apertiorem confirmationem deſideraveris, in id ſolum attendendum cujuſcunque naturæ ſint materiæ impurę, morborum internorum genitrices, cum ſanguini commiſcentur, aut partibus interioribus adhęreſcunt, prædictis mediis poſſe illas inde removeri, quandoquidem, prędictorum auxiliorum præſertim beneficio, catarrhi, rheumatiſmi ſuperantur, apoplexia, paralyſis, ſpaſmi, hydrops, febris maligna petechialis, imo peſtis ipſa.

Si porro à generica hac conſideratione ad eam progreſſus fiat quæ ſingulariter probat ejuſmodi remediorum ope expugnari poſſe morbos, qui originem ab exuperante acido originem ducunt, ac in quibus ſerum omne acrimoniam & corrodendi vim acquirit, ſicut in lue venerea, perſpicuum fiet illis ſolis adſcribendam eſſe curationem ſexcentorum ægrorum quibus achores negotium fecerunt, ſcabies pſora, lepra alba, atque herpetes tum miliares tum eſthiomeni: unicuique vero, ubi ſe occaſio obtulerit, obvium ſiet ab iis integre debellari poſſe gonorrhoeas, cariem, alioſque præterea affectus quos acida venerea parere apta nata ſunt.

Si porro analogice inſtituenda ſit cõparatio quædam ægritudinum homini propriarum cum iis quæ equis accidunt, non multum aberraturus eſt qui ſcabiem, dictam le *Farcin*, cauſam propemodum ſimilem habere credat illi quæ morbos prædictos inducit; diſcere præterea licebit ab hippiatris, ſi ex his nonulli morbum dictum ope Mercurii ſuperant, maximam aliorum partem eundem effectum conſequi, expulſione facta beneficio aliorum remediorum, per poros cutis, alvum & urinæ vias vacuantium.

Revera, ſi diureticorum natura perpendatur, quis non conceſſurus eſt

eximia vi ea pollere acida è corpore eliminandi, quandoquidem aut ſuapte natura liquida ſunt, aut aquas deturbare idonea ſunt, quibus corpuſcula ejuſmodi familiarius quam ſanguini ſe aſſociant, vel cuivis alii liquori in corpore exiſtenti. Cui vero ignotum ea de cauſa urinas ſalſedinem ſemper referre, quamtumvis dulcia aut inſipida ſint quæ in potum aſſumuntur? Eo pacto nonnulli morborum à me poſtremo memoratorum expugnati fuere ſolo ſeri lactis uſu, aut taraxici decocto: Eo pacto Nobilis quidam nuperrime curavit equum morbo dicto *le Farcin* infectum, exhibita illi in plurimos dies copia ingenti aquæ communis: Denique, ſi fides viro cuidam probo & ingenuo adhibenda, mihi noto, eo pacto ſanitatem adepta mulier, anno proxime præterito, lue venerea laborans, aſſumpta ſola colocynthidis infuſione in vino albo facta.

Quicquid vero ſit, poſito huic remedio non ſufficientem ex ſe adfuiſſe efficaciam ad ejuſmodi effectum inducendum, quis in dubium revocaverit potuiſſe naturam in tantū laceſſere, ut inſurrexerit ad impuriæ illuviei, ipſam opprimentis excluſionem? aut id potuiſſe ſufficienter illius vires intendere, ut ſponte in purificationem totius corporis feratur, cum certum ſit hanc ſæpe contingere nullo accedente ſimili auxilio? Id porro notum ſit ſpontaneum urinæ profluvium non ſemel morbis univerſum corpus occupantibus finem impoſuiſſe, abſceſſibus aliiſve affectibus particularibus, pectoris, ventris, aliarumve corporis partium.

Sudorifica quod ſpectat, effectus non minus ſingulares proferunt, coagulationi enim ſanguinis obſtant, primo acidorum venereorum effectui; venenorum & materiæ peſtiferæ pretioſo iſti liquori impreſſo: Sin tempeſtive ad dictam coagulationem præcavendam exhibita non fuerint, illam deſtruunt facta ſalutari diſſolutione, tantaque vi ad expulſionem per poros rerum illi adverſarum tentandam laceſſunt, ut exploratiſſima ſint remedia contra morſus virulentorum animalium, horum ſolummodo beneficio ſæpenumero peſtis profligetur, Indi porro nullo validiori præſidio venereæ luis diros effectus expugnent: Id tamen non negaverim infidam eſſe, nec ſecuram earum ſanationem eo quod ſolas decoctiones plantarum hidroticarum, de quibus alias, in uſum ducant, quæ magis conferunt abſumendo ſero, ſymptomatum dicti morbi parente, quam è vaſis extrapellendæ impuræ materiæ illa foventis, Illud porro quoque verum ab iis quandoque ſanguini ſat vehementem ζυμωσιν induci, ut occaſio ideo ſuppetat naturæ ab eo ſegregandi acida cuncta, venereo inquinamento conſtantia, caque poſtmodum in carnium extremitates transferendi, è quibus eo majori facilitate educuntur, quod eorum ſemper diſſolutio accidat in ſero ſudori materiam præcente.

Sin effectus magis conſpicui & mirandi expectantur, quos nunquam ex actione

actione Mercurii, aut ſalivatione inde concitata conſequi liceat; compoſitiones, quas ille ingreditur, ex parte diureticæ efficiantur, tunc, exempli gratia, manifeſtum fiet à decoctis ejuſmodi facultatibus donatis, carnium durities, ligamentorum & membranarum durities emolliri, oſſium item & cartilaginum extuberántias diſſipari: Id quoque manifeſtum fiet à ſolo antimonio diaphoretico, liquori cuipiam aperienti commixto, pertinaciſſimas etiam gonorrhœas ſiſti: Experimento propemodum ſimili peritus quidam Equeſtris exercitii magiſter ante aliquot menſes, uſu antimonii eo modo præparati, ſanitati reſtituit equum ægrotantem cui omnia alia media irrita fuerant, ſingulis diebus uncias duas illius præbuit, trium ſeptimanarum decurſu, ex parietariæ decocto: unde poſtmodum vigorem adeptus eſt, maximæ puſtulæ in toto corio eruperunt, pauciſque exactis diebus decidentibus crinibus, adeo tamen ut cum novi erumperent abſcederent cruſtæ puſtuloſæ, parvoque elapſo tempore & ſanitatem & formam priſtinam recuperaverit.

Purgantia quod ſpectat, toties id compertum ab iis humorum illuviem ex omnibus corporis partibus eliminari, ut ii ipſi qui Luem abſque Mercurio impugnare nolunt, mancam curationem & imperfectam exiſtimarent, niſi ægris pluries exhibita eſſent ante remedii illius exhibitionem, peractaque ejus operatione: experientia quoque teſte ſæpenumero febres recurrunt, aliique morbi interni, iis quibus rarius cathartica exhibita; Sed ut producamus tantum proſperos effectus ab iis excitatos, in affectibus ab acidis inquinamenti venerei oriundis, cui ignotum ſaltem ea tantum conferre in curationem gonorrhœæ & cariei venereæ quantum cætera omnia remedia? Annon plurimi lue inquinati à puſtulis immunes facti ſunt, à doloribus, maximaque aliorum Luis ſymptomatum parte, aſſumptis ex intervallis purgantibus, quando differenda fuit curatio, ob iniquitatem tempeſtatum, aut alias circumſtantias.

Cæterum, ſi authoritates à me adductæ conſiderationem merentur; ſi argumenta, quibus ea fulcire ſum conatus, ſolida ſint, Experimenta publica, quæ emittere in publicum ſum paratus, media ſum etiam maxime incredulis fidem factura, veritatemque patefactura, quam proterve impugnaturi ſunt, Quoad ea quæ diverſis temporibus à me producta ſunt, fateor neceſſitatem mihi allatam ſupprimẽdi nomina ægrotorum quibus proficua fuere, anceps præterea judicium de Luis præſentia ferendum cujus ſigna aliquando dubia, experimentorum aliquid fidei derogare poſſe: Interea cum eorum quædam in quibuſdam tentata ſint, in quibus indubia dicti morbi ſe prodebant judicia, ejuſque profligati; curatio autem feliciter peracta præſentibus teſtibus nequaquam dubiæ fidei, eo fore utilius ea huc adducere exiſtimo, quod forte idonea futura ſint ſtabiliendæ fidei eorum quorum pertinacia inſeparabilis non eſt.

Nobili Anglo qui remediorum vim per trimeſtre ſuſtinuerat ad curationem cancri venerei, oborta eſt immanis cephalalgia, cujus cauſa bis ſanguinis miſſionem fieri voluit, ſed ſine ſucceſſu, ſuccedente paulo poſt omnimoda alopecia, erumpentibúſque aliquot in fronte puſtulis, quibus paulo poſt univerſus corporis habitus obſitus fuit: Conſilio expetito, didicit Lue ſe laborare, cujus indubia erant argumenta: Mercurialia vero medicamenta averſatus, quod nationi illi familiare, edixit malle ſe mori quam ſalivationem experiri, illam omnino faceſſere jubens: Me vero rogavit curationem alia quapiam ratione inſtituerem, quam tanto támque felici ſucceſſu conſequutus ſum, uſus remediis qualia ſuperius deſcripſi, ut in eorum decurſu inſumptis ſolum quinque hebdomadis, perfectæ ſanitati reſtitutus fuert, nec ab eo tempore vel minima invaletudo ſuperſtes ſit, etſi jam ab eo tempore integrum excurrerit biennium.

Medicinæ candidatus, luis ſuſpicione laborans, quod oris interiora tribus ulceribus affecta eſſent, in perinęo adeſſet puſtula cruſtoſa & latiſſima, doloribus fixis & nocturnis in mediis femoribus & tibiis, (ob prægreſſam gonorrhœam virulentam & Bubonem deliteſcentem) bis inunctionem mercurialem admiſit citra tamen dolorum levamen, ideo potius exaſperatorum: Cęterum, quamvis oris ulcera ac perinæi puſtula primæ curationi ceſſerint poſt paulo ſecundam infra pręputium & in ano exortę ſunt verrucę & ulcera, recentia affectus rebellantis indicia: Cum porro illi ex lectione quorundam authorum innotuiſſet plurimos Lue affectos ſalivationem, liberatione mali non ſubſequuta, expertos fuiſſe, deinceps tamen ſanatos uſurpatis remediis quibuſdam vulgaribus, animum non omnino deſpondit: at vero cum illi compertum fuiſſet à me plurimos ægros, mediis non vulgaribus & uſitatis, ſanitati reſtitutos fuiſſe, obnixe rogavit me manum operi admoverem, cui tam felix ſucceſſus adfuit, ut poſt ſeptem ſeptimanarum curationem ad matrimonium, urgentibus parentibus, convolarit, nullo ſuborto neque in uxore, neque in duobus liberis ex ea ſuſceptis, ullo ſymptomate quod curationem infidam reddat.

Vir Quęſtoriam exercens, poſt diutius neglectam ſanationem ulceris in fræno ſuborti, atrocibus tandem doloribus in omnibus fere corporis partibus correptus eſt, qui non modo non ceſſerunt remediis contra rheumatiſmum præſcribi ſolitis, ſed quos præterea ſubſequuta ſunt plurima tubercula duriſſima in capite ſuborta, nodus ſupra cubiti os, juxta carpum; duo præterea ſupra anticam tibiam dextram: Interea cum muneris exercitium curationi tempus non concederet, valedicere in animum induxit vulgatæ opinioni, periculum facturus experimenti, in amico quodam ſuo tentati à me, ſine cuſtodia, dimiſſóque mercurio: Quamobrem ſe mihi commiſit, vixque bimeſtre tranſactum cum illi manifeſtum, prout nonnullis aliis, fuiſſet

fuiſſet ea quæ non omnibus cognita non flocci ſemper facienda, breviori enim temporis ſpatio dolores illi ſedati, nodi inconſpicui, fuere; ſola capitis tubercula per tres hebdomadas pertinacia remediis tandem univerſalibus ſuccubuere.

At vero non ſatis eſt argumentis ſuperius adductis oſtendiſſe, poſſibilem eſſe Luis venereæ citra mercurii ſubſidium, aut ptyaliſmum, ſanationem; demonſtranda præterea neceſſitas eam expugnandi uſurpatis aliis mediis, quo Chirurgis innoteſcant, illorúmque uſui cum ſtudio ſe addicant: Hæc porro ſententia, etſi priori obſcurior videatur, confirmari tamen poterit: Tam multi hodierna die, præſertim exteri, ptyaliſmum reſpuunt, ut mortem ſatiorem ducant quam ut illi ſe ſubmittant; adeo ut moleſtum nobis futurum eſſet plurimos vitæ diſcrimini exponendo, pernitiem inquinamenti venerei non expugnantes, ſi alia præſidia, aliæque curationis viæ non ſuppeterent: Seceſſus præterea neceſſitas illis indicta qui per inunctiones, emplaſtra & ſuffitus mercuriales curandi, non poteſt non ſumme eſſe moleſta iis qui pœnas luunt criminis cujus rei non ſunt: iis ſcilicet qui ſacro matrimonii vinculo conjuncti ſunt cum impudicis; ſeceſſus, inquam, ille infamiæ notam ſemper inurit mulieribus, iis qui officiis publicis vacant, aut vitę genus regulę cuipiam additum ducunt: Sors quoque & fortuna proſpera aliquorum periculum ruinæ ſubit, ut res publicas tractantium, eorum qui à commiſſionibus, domeſticorum, ac in genere quotquot officia perpetua gerunt.

Interim ſi ægri, ſeceſſui addicti, ejus ope felicem ſemper ſucceſſum adipiſcerentur, ex infortunio proprio aliquid lucri conſequerentur, maxima autem pars eorum aut imperfectam experitur curationem, aut ſi perfecta, poſt varia perpeſſa tormenta; quidam letho exponuntur ab iis qui periculi liberationem polliciti fuerant: neque enim ubique periti proſtant Chirurgi, ſatíſque eruditi, qui mercurii rectum uſum norint; imo hodierna die eo temeritatis deveniunt, omnium maxime artis rudes, ut nunquam quenquam in conſilium adſciſcant quam cum admiſſi errores irreparabiles ſunt.

At vero quanquam ægris artis periti pręſto ſemper adeſſent, an vel unus de Mercurii effectibus ſponſorem & vadem ſe daturus eſt? cui ignotum temperiem & conſtitutionem non eandem omnibus ægris eſſe? alteri quippe ineſt diſpoſitio actioni medicamenti excipiendæ idonea, alteri eadem motus pernitioſos & extraordinarios inductura eſt.

Eapropter ab authoribus omnibus variæ medicamentorum formulæ, unicuique corporis diſpoſitioni accommodatæ pręſcriptæ ſunt; ac primo loco uſus leniorum & faciliorum; quo diſcant tyrones curationem morborum non ſolum ratione habita ſexus variandam eſſe, ætatis, temperamenti, virium, aliarúmque circumſtantiarum in ægris occurrentium, ſed etiamnum

juxta actionem eorum quæ prius in uſum adducta ſunt.

Ideoque, etiamſi mercurius plurimis familiaris fuerit, id quoque perſpectum in quibuſdam perperam eundem uſurpatum fuiſſe, imo aliis lethiferum venenum:in ſubjectis nemque quibuſdam energiæ illius ordinariæ obſtaculo fuere quædam ex inopinato ingruentia:Innata namq; quorundam debilitas, aut temperamenti mollities, impar fuit efficaciæ medicamenti, ac vacuationum ab eo excitatarum perennitati: Denique, ſi unicuique morbo unicum congrueret remedium, deplorati & deſperati ii eſſent cenſendi, quicunque diſpoſitiones mercurii actioni adverſas nacti eſſent: Id porro cum plerumque contingat, Ars medica tandem adeo manca & ſterilis cenſenda eſſet, ut cum parum auxilii inde expectandum foret,ab omnibus tandem explodenda eſſet.

FINIS.

INDEX RERUM MEMORABILIUM.

APONEVROSES *muſculorum abdominis admodum expanſæ* 44
Animalia *variarum ſpecierum in corpore humano generantur* 72
Microcoſpii ope detecta in liquoribus variis 72
Alimenta *corrupta in vermes abeunt* 73. *Diſtributio à nervis pendet* 30
Agens *patienti adplicari debet ad productionem entium phyſicorum* 74
Actus venereus impeditus 173
Alimenta *medicamenti vices aliquando obeunt* 101
Aëris calidioris, frigidioris, correctio 299.300
Abſceſſus *in thorace obſidens intervallum inter cor & orificium ventriculi ſuperius* 128
Pectoris per urinas evacuatus 142
In Inguine lapides continens 84
Anima rationalis *in homine quid præſtat* 77
Ejus ſedes 165.154
Amuletum *falſum contra calculum* 163
Antipathia *uxoris erga conjugem* 157
Aphoriſmi *medicorum agyrtarum* 169
Ariſtoteles ex obſervationibus multa conſcripſit 41
Animal *lampetræ ſimile per venæ ſectionem eductum* 184
Argenti vivi qualitates 293
Anguis per penem excretus 71
Abortus *cauſa* 8
Aqua *cryſtallina in terræ viſceribus concluſa, ſperma eſt vegetabilium & mineralium* 80
Aquæ libræ 110. *in hydropicæ abdomine* 102
E pectoris vulnere egreſſa 111
Hydropicorum à calore craſſeſcit 104
Abortus cauſa 8.58
Appetitus *dejectio in febribus unde* 117
Aqua *vulneraria & ophthalmica* 133

INDEX.

Reginæ Hungariæ 151.231 *Phagedenica* 151
Adipis formatio 35 *Abſceſſus in inguinibus verminoſus* 84 *Sub lingua* 99
Arthritis nodoſa ſingularis 173 *Aſthma cum tuſſi* 96 *Androgynos* 129
Aurum ex arena maris eductum 155
Acidi vis in corpore 35.36. *coagulationis parens* 40 *putredinem arcet* 55
Abdominis *vulnera* 57
Affectus *venereus luis non ſemper nota* 71
Abceſſuum *internorum notæ ex vultu* 111
Aqua *vulneraria* 132
Artium *principia in genere* 187
Annuli *in muſculis abdominis* 191.202
Ani *procidentia* 251

B

B*Ubo venereus* 271.286
Bufo *vivus deglutitus, per os expulſus* 87
Bronchoceles *remedia* 56.75 *apud Sabaudos epidemius morbus* 56
Bubonoceles *chirurgia* 44.201.217.220.242
Butyrum *à lacte quomodo ſecedit* 35
Bubonocele 210

C

C*Achexia cum febre curatio* 151
Chirurgorum *errores in curatione Bubonoceles* 44
Capitis dolor verme per nares excreto ſolutus 75
Cranii *Epilepticorum conformatio* 50
Caruncula *in urethra ſuperveniente gonorrhoea evulſa* 62
Corpus *lapideum fundo uteri adhærens* 14
Culter cum vagina deglutitus, excluſus foramine facto juxta lumborum vertebras 86
Capitis *vulnus* 105.181.182
Conceptio quomodo fiat 30
Corporum *mixtorum naturæ diſquiſitio prima* 74. *Secunda* 90. *Tertia* 161
Curſus *Chimicus D. Lemery* 177
Catarrhus epidemius 184
Cos *ferrea deglutita, per anum reddita* 87
Chylus *in cavitatem pectoris aliquando effunditur* 179
Calculus in cyſti fellis 78 *per virgam excreti* 82
Calor *febrilis unde* 114
Cadavera putredini non obnoxia Toloſæ in Cucullatorum coenobio 38
Caries oſſium 183
Caruncula urethræ 283

Cordis

Cordis *ſeptum pervium* 134
Corpora *extranea in cyſti fellea* 128. *Lapideum in fundo uteri* 14
Capitis *vulneus inſigne non lethale.* 78
Circumſtantiæ in eorum curatione obſervandæ, 62
Cavitas *in ſepto cordis bubuli reperta.* 135. *Colica nephritica.* 68
Carnis *eſus fructibus anteferundus.* 84. *De Corporum mixtorum natura diſceptationes.* 74. 50
Conceptio *extraordinaria, tubaria.* 178
Conſuetudinis *vires.* 88
Cerebri *portio è vulnere capitis egreſſa.* 181
Cancri *venerei.* 274
Cordis *oppreſſionis cauſa.* 27
Caſus *mulieris foetum necat potius quam abortum facit.* 58
Capitis *doloris cauſa.* 81
Cœcitatis *cauſa.* 81
Convulſionum *cauſa.* 106
Cuticula. 150
Cutis. 150
Chylus. 155
Chinæ *radix.* 292

D

Dura mater *inciſa.* 5
Delirium *in febribus.* 114
Dementia *ſingularis eſſe poteſt.* 159
Diuretica *in pleuritide utilia.* 143
Dentes *petrificati.* 160
Dialogus *vitæ & mortis.* 171
Deus *entium principium univerſale.* 76
Deglutiens *abſurda.* 86
Digitus *extremus contritus.* 132
Doctrina *quomodo promoveatur.* 74

E

Elixir D. Rabel, *ejuſque facultates.* 3
Elixir D. Blancherij *ejuſque vis ad vulnera.* 4
Epiploon. 135
Experimentum D. Roberdeau, *circa vulnus capitis.* 182
Ejuſdem *circa vulnus imi ventris penetrans.* 175
Emplaſtrum *ad Hernias.* 177
Epilepſia *tranſplantata in canem.* 50

Vu

Epileptici *ſerum multum congerunt in cerebro.* 50
Excreſcentia *venerea in orificio externo vulvæ.* 164. *curata.* 70
Epilepſia *pendet à vitio conformationis cerebri.* 50. *A multo ſero in cerebro* ibid. *remedium.* ibid.
Emplaſtrum *ad dolorem podagricum.* 106
Emulgens *ſiniſtra raræ conformationis.* 78
Excreſcentiæ *carnea in pedis digito curatio.* 124
Figuram quorundam animalium referentes. 124
Excrementa *varia pro varietate partium ſecernentium* 138 *Equa infibulata concepit.* 33
Excreſcentia *carnea in baſi cordis* 156
Exomphalos. 210.219.240
Enterocele. 211
Epiplocele. 211
Enteroepiplocele. 222

F

Foetus *in tuba uteri genitus* 178 *Extra uterum* 9.20 *Quomodo utero adhæreat* 2
Fæces *indurata.* 225
Faſciæ *ad herniam.* 232
Furoris *uterini cauſa.* 6
Foetum *quæ cauſa ad exitum impellat* 24. *an in utero reſpiret* 25. *quid ad exitum ex utero impellat.* 29. *epiploo adnexus.* 34. *putridi oſſa per abſceſſum abdominis excluſa* 57. *ſine ſexus diſcrimine* 78. *in tuba uterina.* 21. *quomodo utero adhæreat.* 21 *quomodo ab eo diſcedit* 23. 24. *cum fructu arboris collatio* 22. *ad egreſſum ex utero quæ cauſa impellat* 24.25.29.30. *an in utero reſpiret* 26. *vaſorum pulmonis in eo ſtructura* 26
Mortuus dolores partus ciet 59. *cur per fundum uteri exitum affectet* 60 Fructuum *eſus lumbricos parit* 84
Febrifugum *authoris* 2
Medici Angli 2. *expertum* 163. *D. du Clos* 79. *Varia* 140
Febrium *differentiæ unde petendæ* 144. *cauſarum primitivarum explicatio mechanica* 113.144
Foetus *quadrimeſtris, depreſſus, exſiccatus, in ſecundina cum foetu perfecto repertus* 8. *putridus retentionis in utero cauſa eſſe poteſt* 37. *putridus per uteri fundum potius exitum habet quam per orificium internum* 33. 52. 59
Foramen ovale in urinatoribus apertum eſt 28
Foetus per 25. *annos abdomine geſtatus* 9.18

Febris

Febris *continua aqua potu extincta & limonada* 100
Continuarum & intermitt, cauſæ & effectus 116 *Reditus quomodo contingit* 116. *cauſæ* 115.145. *Symptomatum cauſæ* 117
Filum *à puella deglutitum* 108
Fungi *apparatui Chirurgicæ innati* 119
Forma *principium corporum mixtorum* 161
Subſtantialis in phyſica non admittenda 161

G

Glandulæ *acido ſucco turgidæ in epiploo* 55
Gallorum *laudes* 42 *Generatio ex ovo* 147
Gemelli *in unica ſecundina, unus vitalis, alter vietus, aridus, mortuus* 8.173
Genu *tumor* 77 *Dolor* 183
Globuli *in ſanguine* 114
In ægri corpore dureſcunt 115 *Indurationis cauſa* 115
Gonorrhoea virulenta coitu contracta *in puero octenni* 122
Graviditas 25. *annorum* 9.51 *Simplex* 94 *Gilla Theophraſti* 141
Glandula pinealis 166 *Gonorrhoea virulenta* 264.278.280 *chordata ibid.*
Graviditas 28. *annorum* 20. *Guaacum lignum* 290
Gypſea *materia ex cantho oculi educta* 140

H

Hernia *inſignis molis intra* 15. *dies & orta* 43 *Infantium* 252 *remedia* 177 *Completa quæ* 201.222 *Vera quæ* 207 *cognitio & curatio neceſſaria* 185 *Signa* 209 *Cauſa* 206 *Differentiæ* 207.208 *analogica* 209
Hæmatoſeos *defæcatio* 138.157
Hæmorrhagiæ *remedium* 49
Hæmorrhoides *ad gangrænam deductæ, curatæ* 68 *dolor* 47.225 *cœca* 68
Hectici *anatomia* 128
Hydrops *non ſemper ſit ab hepate refrigerato* 104
Homo *ſtatum naſcendi non habet tempus* 19
Hiſtoria *infantis particulatim egreſſi ex imo ventre* 57
Hiſtoria puellæ lapides ex oculis emittentis 63
Hiſtoria viperæ per penem eductæ 71 *mulieris antipathiæ cum marito* 157
hydropicæ mulieris 129
Hymen *in puella* 78
Hydrops *particularis in tuba uteri* 102 *Variarum ſpecierum* 105
Enaſcitur citra tumores aquoſos ab obſtructionibus oriundos 104
Aſcites non ſemper fit in imo ventre 112 *morbus eſt melancholicus* 126
cauſæ 104 *Extraordinarius* 104
Humerum *reducendi ratio nova* 159

Hepar *veſiculis obſitum in hydropico* 104
Hydrops *aſcites febri continuæ ſuccedens* 128
Humor *viſcidus & niger cum lapillis in cyſti fellea* 128
Hydrargium. *nimia copia aſſumptum mortis cauſa* 156 *Hominis forma* 162
Hydrargyri *qualitates,* 293. 295 *præparandi ratio contra Luem Ven.* 204
Præcipitatam quid 296 *An venenatum* 297
Exterius admotum quomodo agat 309

I

ICterus *à lapide in cyſti fellis* 95
Ignivorus *per conſuetudinem talis* 88
Imaginationis *vires in gravida* 61. 62
Impetigo *fera* 133
Inflammationis *inteſtini curatio* 217. 225 *Luis Venereæ comes* 279
Infantes *quando ſeptimeſtres naſcuntur* 59 *monſtroſus, bicorporeus* 152
xii. xiii. xvi. & xxiv. menſe nati 19 *cur ſeptimo menſe naſcantur*
Sine ſexus diſcrimine. *extra uterum* 20
Inteſtina 194 *coecum* ibid. *colon* ibid. *Iejunum herniis maxima obnoxium* 200 *Recti deſcenſus* 214. 224. 249 *Per cicatricem non coeunt, ſi ſit ſubſtantiæ amiſſio* 85
Intermiſſio febrilis 115
Invalidi in venerem. 158

L

LAcrymarum *petrificatio* 63. 64. 65. &c. 79. 97
Linteum *à puella non menſtruata degiutitum* 108
Lapides *utero carent in quo generentur* 67 *In variis corporis partibus reperti* 67 *Principium habent ſeminale* 80 *In ſubſtantia nervorum opticorum repertus* 81 *Veſicæ atterens medicamentum* 135. 149. 175
Lapides *per penem excreti* 82 *In abſceſſibus reperti, in juncturis, ſub lingua* 67 *Ex abſceſſu inguinis prodeuntes* 118 *Ex abſceſſu in oculo* 67 *In veſicula fellis* 95 *Philoſophicus à D.* Beckero *repertus* 166
Luis Venereæ in muliere curatio 70
Lingua *varie afficitur in febribus.* 117
Lapidum *generatio* 80
Lien 196
Luis Venereæ *varia nomine* 252 *Defunctio* 257 *Origo* 258 *an ſit lepra* 259 *cauſæ* 260 *Contractus ſpecies* 262. 264 *contracta ex concubitu cum puris* 262 *Prognoſis* 265 *univerſalis, particularis* 265. 266. 284. 285 *Differentiæ* 267 *Signa* 268. 271 *fraudes plurimorum ejus curationem ſuſcipientium* 270 *Eius materia venenum ſapit* 285
Ligna ad Luis curationem decantata, an tantæ efficaciæ 288

Lympha è vulnere pectoris 115

M

MOrbus *extraordinarius* 158 *Cognitus facilis eſt ſanationis* 101
Internus non ſemper patet dum vivit æger 102
Mercurius aſſumptus variorum accidentiam cauſa 156
Monſtrum *capite vitulino* 61 *carens manibus, pedibus, cui oſſa effracta qua parte confringuntur in reis* 62 *Biceps* 165.156 *An duplici anima donatum* 157 *medſtruorum cauſa* 60 *Bicorporeum* 129
Melancholia eſt acida 35
Materia *prima quid* 93 *Aſpatio diſtinguenda* 93
Motus *abſque vacuo impoſſibilis* 92 *naturalis ſanguinis* 114
Materia *dura & gypſea coſtis adhærens juxta pulmones* 96 *circa uterum* 40
Materia à vacuo differt 93
Menſes *retenti gravium accidentium cauſa* 107
Menſium *mul. conſideratio* 30
Mulier *membro virili donata* 130
Mixtorum *compoſitio qualis* 67
Muſculi *abdominis membranei infra umbilicum* 7
Mulier *imperforata, gravida facta* 173 *Ova gerit* 53
Mola *in puellarum utero gigni poteſt* 148
Melancholici *humoris miri effectus* 159
Medici *trium S.S.S.* 168 *Medicorum vlmerenſium ſchola* 169
Mors *D. Præſidis de Iouſsé* 171
Dom. Renaudot *Medici S. Principis Eelphini* 176
Materiæ *partes parvitatis ſunt determinatæ in quas corpora tandem reſolvuntur* 91
Muſci *vires ad hæmorrhagiam* 49
Meningum cerebri apertio 5
Muſculi abdominis 54 *Menſtruus fluxus in puella trienni* 143
Muliebres morbi difficiles 41 *ova gerunt* 53
Morbi *quidam naturales cauſas habent veneficiis adſcripti* 158
Membrana *adipoſa* 191 *carnea* 191 *communis muſculorum* ibid.
Muſculi *imi ventris* ibid.
Meſenterium 195
Magnetis *vſus in Hernia* 229
Mercurius Luis venereæ antidotus 276

N

NAtura *quid* 76 *Nihil producit ſine vtero* 78
Nervorum origo animæ ſedes 166 *Naſcalia* 246.247

INDEX

O

OS parietale à reliquo cranio citra noxam abſcedens 78 Oſſa fœtus per abſceſſum excluſa 57 Omentum multis glandulis obſitum eſt 55
Operatio cæſarea an admittenda 17
Oſſis caries 183 Omentum exſcindi poteſt 201

P

PArtus impeditus 79 naturalis cauſæ 29 Pus inter meninges collectum 5 Placenta vterina 22 Partus venæ ſectione in pede promotus 32 varii termini 51 Partes membraneæ diviſæ non coaleſcunt 85 Potio limonata 101
Podagra non incurabilis 106 Plantarum analyſis nova tentata 147
Pulmonum & renum conſenſus 143 Putredinis cauſæ humiditas 54
Ptyaliſmus criticus 160 Pylori vitio excitatus vomitus 46 Peritonæum 192
Pancreas 195 Penis virilis 198 Partium procidentia veras Hernias parit 207 Peſſaria 247.248 Phimoſis 277 Partus conceptionem tubariam ſequutus 178 Principiorum phyſicorum indagatio 75 Eſſentia ignota non realitas 75 Peritonæum in Herniis aliquando illacerum 44 Penis & teſtium amputatio non lethalis 49 Penna ſcriptoria integra deglutita 47 Privatio non eſt principium 75 Principium eſſentiale & compoſitionis quodnam 175 Podagra ſingularis 173 Podagricus dolor 106 Pectoris abſceſſus per urinas judicatus 142
Pes ollæ ferreæ deglutitus, per abſceſſum in inguine erumpens 86
Pilulæ emeticæ contra febres intermittentes 141 Pica virginum 107
Pulvis catharticus & febrifugus 242 Phthiſicus vulnere facto in pectore ſanatus 180 Pulſus elatioris cauſa in febribus 117 Puella triennis menſtrualis 143 Puteus lethifer 174 Pectoris vulnus inſigne 179

Q

Quinquina 2

R

RApin Ieſuitæ laus 41 Rabel inſignis empiricus 3
Remedium vulnera citra ſuppurationem ſanans 131 contra colicam nephriticam 68 contra bronchocelen 56.75 ad hæmorrhoides 47.68 gonorrhoeam ſimplicem 94 Impetigines malignas 133 catarrhum 184 melancholicos morbos 125
D. Regis Diſceptationes privatim habitæ 176 D. Renaudotii obitus 176
Realitas principiorum agnoſci poteſt, non eorum eſſentia 75 Ros in cryſtallum abit in antris ſubterraneis 80 Reſpirationis impeditæ cauſa 115
Rigor febrium quomodo fiat 115 Reſpirationis neceſſitas &c. 26.27
Rigor frequens ſuppurati ſignum 181 Renes 196 Reductio quid 216

S

SAſſafras 291 Sal omnibus mixtis ineſt 37 differentiæ 38 vires ibid. Variolica ſalia 266.271 Scrophuloſi tumores in pede 96

Sanguinis

Sanguinis motus in corpore 114 *Scirrhus in regione umbilicali* 119
Simiæ morſus 132 *Suffocationis cauſa* 28 *Spiritus inter principia rerum nat. numerandi* 76 *Sulphur in ſanguine æſtus, ejus cauſa* 101 *Spiritus animales in ventriculis cerebri non generantur* 106 *Serum coctione craſſeſcit* 113 *Sanguinis partes duæ* 144 *Subligacula* 218. 232 *&c. elaſticum* 238 *Strangulatio inteſtinorum in hernia* 219 *Sublimatum dulce* 307. 308 *Sal tartareum in quibuſdam abundat* 310
Sanguinis *motui immutationes quæ accidant* 114 *coacretur in tuba uteri* 13
Speculum *ſoli expoſitum lapides calcinans* 147
Situs *extraordinarius partium imi ventris ab herniis inteſtinalibus inductus* 44
Syrupus *emeticus & antepilepticus* 51 Scientia *& ambitio ſecum pugnant* 74
Sabulum *craſſeſcit & lapidis formam induit* 80 *In conchas abiens* 80
Sanguinis *miſſio repudiata à D.* D'aulede 100 Sanguis *ratione ſulphuris tantum ebullit* 101 *Ex globulis rubeis conſtat & humore cryſtallino* 113
Sanguinis *miſſio minus refrigerat quam liquores frigidi & acidi* 100
Solutio *continui in meningibus non ſemper convulſionem inducit* 109
Sitis *in febribus cauſa* 101 Scirrhus *multorum accidentium cauſa* 119
Septum *cordis tribus foraminibus pervium* 134 Signa *vulneris pulmonum* 180 Spiritus *ſunt ſanguinis immediati impulſores* 114 *animalium conſtitutio in melancholicis* 158 *Sanguinis miſſio partum adjuvat* 31

T

Teſticulus *in puellæ cadavere pugni magnitudine* 7
Tabellæ *menſtrua provocantes* 89
Tractatus *de vulneribus capitis D.* Boirel 106 *De lithotomia D.* Tolet 176
Tuba *uteri admodū craſſa & magna* 13 *Inſignis dilatationis capax eſt* ibid. *Obſervatio de tubis uteri* ibid. Tempus *reditus paroxyſmorum febrilium* 115
Tinctura k*arabes vulnera citra ſuppurationem ſanat* 131
Titulus *recens Exploratorum mutatus* 178 *Tabes à pulmonis vomica* 120
Tranſpiratio pulmonum 28 *Tibiæ vulnus* 183
Teſtes *viriles* 197 *deliteſcentes in inguine Herniæ opinionem faciunt* 20
Tumorum *differentiæ* 205

V

Vas *ejaculatorium in puella, durum, magnum calloſum* 7
Vaſorum *lymphaticorum ruptio aliquando cauſa effuſionis aquæ in pectoris cavitatem* 112 *Vacuum datur in rerum natura, juxta* Gaſſendum 91
Vaporum *origo, remedia* 126 Vena *Emulgens ex duobus ramis conſtans, è quorum altero azygos oriebatur.*
Vermes *per nares excluſi* 75 *magni, craſſi, hirſuti, vivi ex abſceſſu in inguine exeuntes* 84 *per venam ſectam eductus* 95. 129. 184 *membrana obvolutus in rene canis* 98. 134 *Ex umbilico & inguinibus prodeuntes* 99 *Ex vulnere pectoris* 11

Vermes *ex variis corporis partibus* 112 *In omnibus gigni poſſunt* 111
Hirſutus per penem egreſſus 122 *Longus tres ulnæ quadrantes in rene canis fœmellæ* 134 *Ex umbilico* 98
Vipera cum urina emiſſa. Vide anguis.
Vitrioli *vomitivi nova compoſitio* 141 *Vertigo ptyaliſmo deſinent* 160
Vomicæ *pulmonis curatio* 120 *Virilia vita ſuperſtite abſciſſa* 49
Ulcera *capitis cum cranii carie à ſumpto mercuriali medicamento* 108
venerea 108
Ventriculi *cerebri ſpirituum animalium non ſunt conceptaculum* 106
Urina *hora una poſt emiſſionem petrificata* 67
Urgentia *caſuum remediorum inventioni aliquando anſam præbet* 48
Vulnerarium *medicamentum* 4 Vulnus *capitis* 5.78.105 *Abdominis* 57
Brachii dextri 3 Umbilici *vulnus* 6 *Brachii dextri* 3
Ventriculi *prolapſus* 44 Vomitus *à vitio pylori* 46 Vermes *in renibus geniti* 122 *in rene canis* 134 Ulcus *cum tuberculo in pollice pedis* 124
Vitriolum *emesicum* 141 Vacuum *à materia differt* 90 Vermium *in corpore generatio* 112 Vinum *medicatum* 126 Ventriculus 193
Venę *lacteæ* 195 *Vena Porta* 196 Vaſa *majora imi ventris* 19d Veſica 196
Vulnera capitis 182 *Inſigne* 187 *Pectoris è quo vermes excluſi* 111
Inteſtini jejuni ſanatum 6 *In gravida fœtum interimens citra abortum* 61 *Vteri à motu violentiori inductum* 50
Vaporum *condenſatio in Epilepticis* 50 Ventriculi *prolapſus cauſæ, ſigna, curatio* 44 Vulnera *citra ſuppurationem curandi ratio* 130 *Pectoris* 179
Tibiæ 185 *Vteri ſitus* 54
Uterus *circa fundũ craſſiſſimus in puerpera* 53 *fundus perforatus à fœtu* 33.52
Uterus *muliebris* 198 Uterus *gallinæ animal feli ſimile includens* 148
Vteri deſcenſus 214. 222. 244 *Vlceris generatio* 53 *venerea* 270. 273
Vulneris *pectoris curatio* 179 *Vulva* 179
Vaſa *Spermatica virilia* 197.198
Muliebra 198
Umbilicalis *Herniæ*, vide Exomphalos.
Urinæ ardor *virulentus* 278.279
Ungu. griſeum 307

Z

Zarza parilla 292

FINIS.


Inuentum Medicina meum eſt

ZODIACVS MEDICO-GALLICVS,

SIVE

MISCELLANEORVM

Medico-Phyſicorum Gallicorum,

TITVLO

RECENS IN RE MEDICA ET NATVRALI

Exploratorum, vnoquoque menſe Pariſiis

Gallicè prodeuntium

ANNVS SECVNDVS

Sçilicet M. DC. LXXX.

Authore NICOLAO DE BLEGNY

R. G. C. O.



GENEVÆ,

Sumptibus LEONARDI CHOUËT, & Soc.

M. DC. LXXXII.

Illuſtriſsimo & Generoſiſsimo Domino

DOMINO

JO. SIGISMVNDO MORDAX

Libero Baroni de Porttendorff & Zäilsburg, Domino in Ehrenfelß/ Pach/ Hertendorff & Graben &c.

TEMERARIO auſu ad Te accedo, Baro Illuſtriſſime, *tenue hoc munuſculum oblaturus, Sed nec accedendi omnino nulla eſt occaſio, Qui enim valetudinem Tuam nuperrime afflictam curæ meæ committere voluiſti, Idem huic opuſculo Te conveniendi anſam præbuiſti, non illi quidem genuino, quippe quod alium parentem agnoſcat, ſed adoptivo, vtpote cui aliam formam aliudque nomen indidi. Symbola complectitur plurimorum, ab erudito Gallo Gallice emiſſa, idiomate Latino à me donata:*

Quæ porro cauſa Generoſitatem Tuam *impulit vt ad tempus Patriæ valediceret, peregrinandi per alias nationes, præſertim Galliam, gratia, laudabili & vtili inſtituto, mores hominem multorum viſuram & vrbes, Eadem me permovit vt alieno iſti foetui habitum Latinum inducerem, quo exteras nationes (præſertim inclytam Germaniam) apud quas Gallica lingua trita non eſt, pervagari poſſet. Gratuletur vero ſibi Tua Gens, in qua laudabile id inſtitutum, orbi literario adeo vtile, primos natales obtinuit, quo præſtantiſsimi quique Medici quicquid ſingulare in re Medica & Naturali occurrit in communem theſaurum convehunt: Hos deinceps ſequuti Galli, ſimili gloriæ œſtro perciti, rariora quævis, nec ſemper obvia, in vaſtum illum Oceanum Lutetiam Pariſiorum corrivant: Si quid inde beneficii in cæteras nationes redundat, id mihi acceptum ferendum eſt. Patrocinio tamen opuſculum indigebat, quod in Te,* Illuſtriſsime Baro, *Illuſtre nactus ſum, qui Avitæ virtutis & gloriæ veſtigia premens, ætate immatura præcox ſubtiléque Ingenium & acre Iudicium omnibus exhibes, politioriſque literaturæ luminibus emines, Nec enim haſtatæ ſolum Palladi ſacra facis,*

ſed

ſed & togatæ, Muſas, eáſque ſeveriores acri ſtudio excolens: Earum alumnos Benevolentia Tua proſequere, atque opuſculum, quod in clientelam Tuam ſe recipit, excipe tanquam devotæ obſervantiæ monumentum, & meæ in Te devotiſsimæ voluntatis teſtimonium firmiſsimum, Vale.

Dabam Genevæ IV. Non. Martii.
anno M.DC.LXXXII.

Generoſitatis Tuæ obſervantiſſimus &
ad obſequia quævis paratiſſimus
THEOPHILUS BONETUS.

ZODIACI MEDICO GALLICI

SIVE

Exploratorum recentium in Re Medica, Anni Secundi, qui M. DC. LXXX.

IANVARIVS.

OBSERVATIO I.

* Anonymi.

De cauſis & effectibus Extaſis.

EXTASIS, aut vehemens animi occupatio, quam Theologi perpendunt tanquam Gratiæ effectum ordinarium, à cauſis quoque naturalibus ortum ducere poteſt, Fidem faciet hiſtoria ſequens: Nobilis puella, cuius nomen prætermitto, Ardente febre æſtate præterita correpta fuit, quam mœrores anteceſſerant: Nihil eorum omiſſum quæ ſimili in caſu peragi ſolent, at incaſſum omnia, febris enim ingraveſcit, accedit delirium, imo animus in furorem à ſeptima morbi die abripitur, adeo vt brachia & tibias vinculis coërcere neceſſe fuerit, ac rem poſtmodum fortunæ vel naturæ committere: Etſi arcte conſtricta, tota nocte tamen, quæ ſextam & ſeptimam intercedebat, ſumma inquietudine agitata fuit, vix autem dies illuceſcere cœpit cum calor toto corpore illico deferbuit, motu & ſenſu abolitis, adeo vt aſſidentibus, mortuam eſſe ratis, de funere tantum cogitatio obverſaretur: Panno ex more conſuta fuit, accerſuntur Sacerdotes, & libitinæ iam deſtinata erat, cum emiſſo ex imo pectore ſuſpirio vitæ

ſuperſtitis indicia edidit: Illico removentur quæcunque reſpirationi liberæ impedimento erant: guttæ aliquot ſpiritus vini in nares inſtillantur, manus contutiuntur, igni admovetur, ac tantum his præſidiis efficitur vt ſpiritus animales, qui omnes in cerebrum confluxerant, ad cæteras corporis partes revocarentur, ac vita amiſſa rediret: Reſtituta non gratias agit officiorum in revocanda vita præſtitorum, ſed querelas fudit quod erepta ſibi fuerit incomprehenſa & ineffabilis animi tranquillitas, voluptas gratiſſima, ac felicitas, qua mortales frui nequeant niſi ad ſtatum illum deducti fuerint: quicquid gaudii nomine venit, leviſſimam tantum ideam exhibere eius quo gaviſa fuerat: Addidit à ſe perceptos quidem auribus parentum lugubres gemitus, ac quicquid illi circa funus & exequias meditarentur menti obverſatum eſſe, nequicquam vero illorum vel minimam partem excuſſiſſe tranquillitatis qua potita fuerat; animum quippe deliciis illis tam profunde immerſum fuiſſe, vt mundi & mundanarum rerum omnino oblivifceretur, nedum de conſervando corpore cogitatio incideret.

En diſquiſitionis anſam amplam porrectam neotericis Philoſophis, ex quorum mente hominis corpus ſimplex eſt machina: Quibuſdam necnon Medicis, qui vitæ arbitri cenſeri, ac de reali morte ſemper dubij eſſe volunt; Sed præſertim Atheis, quibus incomprehenſibilis eſt eſſentia Animæ rationalis: quæ roto vitæ decurſu per vniverſum corpus diffuſa, ipſo obitus momento, aut Extaſis, quæ expreſſa eſt illius imago, in ſeipſam concentrari poteſt, per arctam illius partium in vnum collectionem, ac demum componere ſe ad reditum ad Deum, qui illius eſt principium, immortalitate fruituram, abſque qua inutilis foret prædicta vnitas.

OBSERVATIO II.

AVTHORIS.

Febrifugum certum in Intermittentibus Febribus.

EN Febri-fugum non omnibus ignotum, experimentis vero comprobatum, & tam indextere vt plurimum in vſum deductum, vt gratam rem me facturum crediderim ſi fidelem illius deſcriptionem tradidero.

Accipe duo mala Aurantia amara, incorrupta, mediocris magnitudinis, admove prunis ardentibus quoad molleſcant; integra contunde in mortario rite deterſo, ac poſtmodum affunde vini albi optimi cotylam vnam

vnam ; macerentur hæc vaſe concluſa ſpatio viginti quatuor horarum : colatura demum ægro exhibeatur horrore invadente : quem poſtea operimentis coopertum dimitte toto paroxyſmi tempore, nullo exhibito potu : Ab hoc remedii genere vber abmodum cietur ſudor, etſi ſimul copioſa profluant lotia : hoc pacto fermentum febrile tam certo extinguitur, vt vna vel altera dozis ſufficiat ad febris profligationem.

Sed cum Febrifugorum mentio inciderit, dubito an aliquod proſtet continuis dicatum febribus at : vero circa poſſibilitatem inventionis hoc notum facio, Dom. M. Ammonium, medicum origine Italum Pariſiis degentem, aſſerere ſibi quoddam eſſe compertum, tot experimentis confirmatum, vt de certitudine iam nullus dubitet, doſis illius grana ait eſſe quatuor aut quinque. Quaſcunque febres continuas ſiſtit, ſemel aut bis, ad ſummum ter exhibitum, ſi ſcilicet nulla comitentur ſæva ſymptomata : cauſa febrili expulſa aut per ſudores, aut vrinas, aut dejectiones, pro diſpoſitione corporis quod illo vſum fuerit, cum tamen non inſignes ſint excitatæ ab illo vacuationes : Si quid præterea de illo in notitiam venerit, publici juris facturus ſum.

Observatio III.

Dom. BIMEL Chirurgi Iurati Lugdun.

De veſicæ Punctione.

NOn ignotum forte tibi id quod à Riolano traditum in Enchiridio Anatomico, de Punctione veſicæ inſtituenda (cum catherer illam ſubire nequit) vel in hypogaſtrio, iuxta os pubis, vel eo in loco, (perinæo,) cui novacula admovetur ad eductionem lapidis : In confirmationem ſententiæ Illuſtris dicti Anatomici, Dom. *Marqueſius* Medicus Lugdunenſis, ad me tranſmiſit obſeruationem hic inſertam, à Chirurgo celeberrimo emiſſam, non modo Anatomes, ſed & cunctarum operationum Chirugicarum, vel maxime difficilium peritia inſignem.

Ante aliquot annos ad me Maſſilia epiſtola perſcripta eſt, per quam conſilium meum expetebatur de affectu quodam, qui meo judicio alius non erat quam præſentia calculi : vt certius de re conſtaret, nihil aliud ſupererat peragendum quam vt cathereris exploratione deprehenderetur ; At vero cum plurimi incaſſum omnes conatus adhibuiſſent quo in veſicam imitteretur, quæſitum eſt a pluribus an poſſi-

bilis eſſet lithotomia abſque ſpecilli auxilio : Vnanimi conſenſu ab omnibus pronuntiatum non omnino impoſſibilem eſſe; Atvero cum affirmative reſpondiſſem, de agri ſalute non deſperans: aſſidentes porro crederent non in omnibus aqualem eſſe immitendi cathereris peritiam, Dom. *Romanius*, (hoc nomen eſt ægri) mercator Ferrarius, ad portam vrbis habitans, ex conſilio medicorum qui illius curam gerebant, generum ſuum ad me miſit, rogaturum illuc auxilii gratia properarem quod res in anguſto eſſet: Revera anguſia ſumma erat, ſexageſimum quippe & quintum annum exceſſerat æger, atrocibus adeo doloribus divexatus vt dies noctesque conducti adeſſent viri robuſti, quos arcte amplectebatur ſtringebatque circa renum regionem, quo ex motu & agitatione indeſinenti corporis promoveretur vrinæ exitus, guttatim ex veſica deſtillantis, adeo calidæ & vrentis vt verba hæc idiomate ſuo Provinciali perpetuo in ore eſſent, *y ou piſſou du fiot*; Ignem mingo : A dolorum vehementia, quos comitabantur vigiliæ, adeo caro & adeps effluxerant, vt cutis femorum & pedum inſtar ſacci vel peræ propenderet; Introductio catheteris æque mihi ac cæteris impoſſibilis fuit, quandoquidem introitus in veſicam denegatus fuit: Immenſi conatus quos adhibebat æger ad propellendas vrinas, tantam humorum ſaburram invexerant in eam partem; venæ vero hæmorrhoidales ſanguine adeo turgebant, vt inacceſſa eſſent omnia loca, His in anguſtijs conſtitutus, ægri conſanguineis alios prætetea in auxilium convocarent ſuaſi: Quatuor medici, totidemque Chirurgi adfuerunt, præſentibus illis edixi apud me nullum eſſe dubium quin æger calculo veſicæ laboraret, à quo affectu nulla ſpes liberationis affulgeret quam per cyſtotomiam; at cum nulla ſpes ſupereſſet quam introducto cathetere, ſententiam illorum me expetere num arrideret inſtitutum meum, ſcilicet ipſam impetere veſicam ſcalpello incurvo, mihi vſitato vbi punctim ferienda eſt illa pars, quæ Chirurgia nunquam mihi fallax fuiſſet, ſi cætera remedia incaſſum eſſent adhibita, cuius auxilii quoque ope occaſio porrigatur extrahendi lapidem non interveniente ſtylo exploratorio : Aſſenſere omnes, hortati manum operi admoverem, eo quod vnicuique illorum probe perſpectum eſſet me nihil niſi duce experientia tentaturum, atque à temeritate alienum eſſe : Poſtridie operi me accinxi, non eo tamen ſucceſſu quem ſperaveram, ſcalpello enim incurvo integumenta ad veſicam vſque cum diviſiſſem, ad latera illa hinc inde hæc inclinabat, cultri aciem effuglens, adeo vt ferire nulla arte mihi illam licuerit, Erraſſe me tunc agnovi, quod diſtinctione vſus non eſſem inter veſicam turgidam vrinaque ditentam; & veſicam lapillos aliquot cavitate

ſua

ſua continentem, ideoque neque extendi apta,eſt neque reniti valet, adeoq; attactui facile cedit. Experimentũ illud infelix, quod ſanationis omnem ſpem præſcindere videbatur,in ægri noſtri ſalutem ceſſit; inde enim ſucceſſit ſuppuratio in loco per ſcapellum diſciſſo, vnde per totã circumferentiam excitata eſt eſchara dimenſionis tranſverſi digiti; intuentibus ignis veſtigium exhibebens; Cira ſeptimam diem excidente eſchara, vas hæmorrhoidale reſeratum eſt, è quo adeo inſignis ſanguinis effuſio ſequuta eſt vt æger in agone conſtitutus videretur; monitus protinus ad eum confugi, at in extremis verſantem comperi; Lectum ſanguine madidum, & vulnus mundavi, poſt canterium punctale ori vaſis admovi, cuius efficacia deſiit hæmorrhagia: Interim quæcumque ad cadaveris diſſectionem requiſira erant adparantur ægri vita defuncti: Sed à me nihil pæterm iſſum eſt eorum quæ ad ſalutem ejus neceſſaria erant,præſcripta à Dom.D.Ioannis, ægri Medico familiari, ad virium inſtaurationem:ſic per Dei miſericordiam paulatim à languore illo,viriumque inſigni exolutione emerſit; adeo vt decima octava die,a prima illa punctione, de robore virium cum mihi conſtaret, ad lecti ſpondam pro more illum deduxerim, ſitum convenientem eiuſmodi chirurgiæ quæſiturus: cum vero nihil catheteris intromiſſioni obſtaret, nullo negotio & dolore, ſequutus illius ſulcum ſeu foſſam, diſcidi membranam vrethræ, intactam à primo ſcapelli incurvi ictu: Forcipe extractorio in veſicã intromiſſo per hiatum eduxi lapidem magnitudinis globuli maioris e ſapone confecti(*Savonnette de Bologne*,)qui cum læviſſimus eſſet, præſertim ex vna parte, intuli ſolitarium illum non eſſe; intromiſſoque iterum forcipe extractorio, eiuſdem molis lapidem arripui, qui cum etiamnum vndique lævore donatus eſſet, coactus ſum iterum tertia vice operationem aggredi: perſpecta autem facilitate qua prodibant, compendium facturus temporis,& virium ægri tuendarum gratia,quæ ſupererant peragenda ad tempus vſque ſuppurationis vulneris diſtuli:Incogitante vero me,& manus à ſorditie eluente,ecce exclamat æger ſe tertium excluſiſſe lapidẽ:cuius ſuperficiei attentus illam à cæteris diverſam eſſe deprehendi; quamobrẽ cenſui nullum præterea latitare: Eum ſitum inter ſe obſeruabant quam porta ſuperna parte concamerata, adeo vt vno lapide commoto eodem tempore reliquos collabi neceſſe ſit: Exinde tranquille dormiit æger,ac extrema illa macie excuſſa,ope alimentorum, quę lubentiſſime aſſumebat,exiguo tempore ad ſanitatem rediit:Affulſiſſe videbatur Dei providentia, a ipſius operationis directrix fuiſſe, ſi enim dicto tempore inſtituta fuiſſet inſignis ſuppuratio, in gangrænam propemodum vergens, quæ primam ſectionem conſequuta eſt, ad veſicam vſque pro-

pagata fuiſſet, inde ſequuta eſſent accidentia ad quæ mors præſto ſemper eſt.

Aſſentiendum ergo Hippocrati, Experientiam eſſe fallacem, Iudicium autem difficile; ſed præterea palam eſt in morbis deſperatis artem aliquãdo mira præſtare ſi recte in vſum revocentur remedia ſpecie tenus temeraria.

APPENDIX

Obſervationes de Febribus & Febrifugis Viri Clariſſ. I. S. D. M. L.

DOMINE,

Miratus non ſum nuperam illam Tuam animi occupationem à lectione priorum paginarum libelli cui titulus eſt *Admirandum remedium Anglum patefactum per Dom. de Blegny* &c. At vero cum quid de dicto libello ſentiam, & de Febrifugis, in omnium ore iam verſantibus, ſatius eſſe duxi rem calamo quam verbis efferre.

Librum dictum à *D. de Blegny* emiſſum, cuius curæ debemus *recens in re Medica detecta*, vix in vrbem delatum. avidiſſime evolvi, exploraturus num remedium, ac ratio idem exhibendi, cum iis convenirent quæ ante quinquemeſtre aut ſemeſtre, non irrito, ſed fauſto ſucceſſu vſurpavi in febribus Tertianis, duplicibus Tertianis & Quartanis, imo & Continuis ac Malignis, quas tamen non eadem certitudine ſuperat ac Intermittentes, à quibus exiguo dierum numero expugnantur, Perlegi ergo, vel vt verius dicam, abſorpſi dictum librum, ratus me in illo reperturum id cui animus inhiabat; At vero præter modum quo arcanum in ipſius notitiam pervenit, ac fidem datam ſe poſcentibus id commnicaturum, nihil vltra nactus ſum.

Agendi illa ratio nonnihil prima fronte mihi diſplicuit, nec dubito mecum alios Lectores eodem animo fuiſſe, ſed re aliquandiu penſitata, agnovi tandem Authorem ſapientis & prudentis partes egiſſe: Revera evulgatum remedium, & publici iuris factum, contemptui foret, occaſionemque plurimam fraudis præberet quibuſdam Pharmacopoeis, qui febribus nullum imponi finem optarent: multis præterea Medicis, qui iampridem in verba *Hippocratis* & *Galeni* iurarunt, quos puderet diverſis & aliis inſiſtere veſtigiis quam quæ trita ſunt

ſunt ab eorum majoribus; Imo forte accidiſſet vt viles Barbitonſores ruſticani, mulierculæ, ipſæque plebecula, de re medica cum peritiſſimis medicis contendere auderent: remedium quippe id non omnium manibus ſine diſcrimine terendum, cum non minus ſit periculi quam ſi lopetum teneat infans, ne in improbum vſum ducatur.

Iniquum præterea me iudice fuiſſet ſi vigiliæ & curæ artis ſtudioſi ignaris in prædam caderent, ac mel ab ingenioſa api collectum ignari fuci eſca foret: Eiuſmodi deſiderium, ac accuratum ſtudium ad rem occultam detegendã, via aperta eſt & aditus ad aliarum rerum abſtruſarum notitiam, etſi inani forſan ſucceſſu res ipſa indagarerur: Arbitror enim non paucos in aliis provinciis medicos eodem mecum impetu percitos fuiſſe, à quo tempore celebria fuere Febrifuga, vt novis experimentis confirmarent: Tandem conſtat remedia quædam faſtidium parere ſi eorum compoſitio innotuerit, ad omnium vero guſtum ſecreti velo ſi ſint involuta.

Obiiciet fortiſſis mihi quiſpiam D. Auguſtini dictum, *non decere Chriſtianos rem in occulto habere quæ generi humano vtilis & ſalutifera ſit*: Imo & illud addi quod tradit *Sydenham*, eriditus Medicus Anglus, *Si cuiquã innotuerit remediũ aliquod ſpecificum, aut certa quædam ratio febres intermittentes curandi, improbi eſſe civis aut imprudentis qui in apertam lucẽ non proferat rem humano generi adeo vtilem: Nec enim probum civem decere in rem peculiarem convertere id à quo in humanam ſocietatem tantum commodi redundare poteſt: Neque virum prudentem benedictionem divinam à ſe arcere, expectandam à ſummo bonorum largitore erga eos qui commodis publicis invigilant, virtutem & ſapientiam pluris faciunt quam divitias & inanem famam.*

Dictis reſponderi poteſt, ſi de vtilitate remedij publici iuris facti conſtaret, & in vulgus emiſſa medicamenti compoſitione, à viro generoſo illæſa conſcientia non poſſe id ſupprimi ſed contra ſatius eſſe id ipſum non evulgari; illum enim probi civis & prudentis partes agere qui id in occulto eſſe curat cuilibet tamen facta poteſtate id ipſum conquirendi ſi perquiratur: Rationes proxime ante paucis adduxi: In exemplum prodeat ipſe nominatus Dom. *Sydenham*; Remedium aliquod etſi typis commiſſum non ideo tamen pro rato habendum: Ante quatuor aut quinque annos in lucem emiſit *Obſervationes* ſuas *in morbis acutis*, præſtantiſſimam methodum curatricem plurimorum morborum, imo & febrium (quarum curandarum adeo peritus eſt artifex vt medici febricitantium Londini nomen gerat) exhibentes: Nec tamen methodum ab ipſo traditam cæte... [illegible] fuiſſe nobis conſ-

ſtat: Prodierunt itidem eruditiſſimi de cura febrium aliorumque morborum libri, plurimis grati & accepti, non ideo tamen tanquam exẽplar curationis habiti, quanquam ratione & experientia fulti, quin potius pro acuti ingenij partu conſiderati.

At vero vbi primum medicus Anglus curationibus inſignibus illuſtrem ſe præſtitit, nemo non ejus methodum vndequaque perquirere anxius fuit, ac plurimi eius arcanũ ſe poſſidere publice profeſſi ſunt, imo venale expoſuerunt, titulo *Remedij Medici Angli*, & inter Pariſienſes & vbique per totam Galliam diſſeminarunt; tantum valuit nomen arcani remedio illi inditum ad famæ conciliationem: Hinc cum arcani vox omnium mentes iuvaſerit, æquum eſt arcani velo omnia tegere, vt veritas adagio concilietur, *Populus vult decipi, decipiatur.*

Abſit vt medico Anglo perſonati nomen imponam, quin ingenue profiteor artem medicam multum ipſi debere: Poro etſi in patria Pharmacopœi tantum titulo inſigniatur, ob non vulgares dotes illuſtris Febricitantium Medici nomen merito adeptus eſt, Qui vero huius methodum, illis imperviam, deſpectui habent, genuini Medici nomine minus digni ſunt.

Non ideo tamen mihi probatur aut myſterij nomen quo remedium jnvoluit, aut eius enorme pretium; per quæ detegitur animus lucri avidus & charitatis expers; ſi non defodiat talentum certe plus iuſto lucro inhiat.

Vt æqua lance res procedat, ac chriſtiani ſimul & probi civis ſimul Medicus famam conſequatur, ſequentes me iudice obſervandæ ſunt cautiones & regulæ, quo illis ſatisfiat qui remedium omnibus æque expoſitum volunt & ſimul iis qui arcanum volunt.

1. Gratis pauperibus, ſi licet, (id quod pollicetur Dom. de Blegny) id remedium, aut illi affine, elargiendum.

2. Non eam ſibi neceſſitatem imponat Medicus vnamquamque dozin ægro porrigendi: neque curioſos medicos ab examine remedij prohibeat: Qui enim adhibita cura voti compos factus fuerit, idem propalare cavebit, ac manifeſtum facere illis qui curam inveſtigandi non adhibuerint.

3. Libere artis magiſtris communicetur, quibuſcum nobis intercedit neceſſitudo. aut affinitas, iis præſertim qui procul à nobis diſſiti ſunt, ad quos transferri remedium non ita proclive ſit, ſed adhibita cautione vt ne publici iuris per ipſos fiat.

4. Remedium experimentorum frequentia per duos aut tres annos confirmetur, antequam communicatio eius fiat: Sin poſtmodum per literas ideam quandam impertire lubeat, ea ſit quæ peritos per artificioſam

ficioſam conjecturam ad eius notitiam manu velut deducat , ac ideam quandam concipiant a re ipſa non diſſonam,adeo vt imperitiores nucleum non attingant.

5, Nec obſtinate nimis negandum remedium hoc vel illud eſſe memedicamentũ,imo aunuendum non aliud eſſe quam ſolam infuſionem Quinquinæ, cen taurii , imo, ſi lubet, putaminum nucum , dummodo valetudini cito reſtituatur æger , tuto & jucunde , quantum licet per Medicum,cui non eſt acceſſum penetralia corporis ægri tanquam per feneſtram introſpicere.

Quamobrem Dom. de Blegny , cui non aljus ſcopus propoſitus fuit quam publicum & egenorum commodum , ægre non ferer ſi præterea cuipiam iunotuerit , ex ſaporis obſervatione,coloris , ſubſidentiæ & remedij effectibus : quandoquidem eo ſagacitatis devenerit vt remedij medici Angli cognitionem aſſequutus ſit , ab hoc ſacris involucris obtecti.

Capite tertio , quo de vtilitate ex hac remedij in publicum extractitione emergente , videre eſt effigiem accuratam quorundam Medicorum , quibus non alia ad morborum curationem in parato ſunt remedia , quam ſanguinis emiſſio , caſſiæ, ſennæ & clyſterum vſus ; quorum ſermocinationes ambagibus irretitæ ; eo demum collineantes vt ægro curioſo illudant , mulieri clinicæ , popello omnium rerum notitiam affectanti : Abſonum eſt priſcorum authoritatem tam pertinaciter amplecti , quin potius ad incudem revocanda quæ neoterici arti medicæ recens adiecerunt , tam quoad humani corporis œconomiam , quam morborum cauſas & remediorum inventionem : Nonnulli enim medici in Hippocrate omnia latere aſſerunt , nec defuturos credo qui propediem aſſerturi ſint(cum febrifuga iam plurimo ſint in vſu) neotericos ex hoc fonte illa hauſiſſe.

Libelli Dom. *de Blegny* caput, in quo medicos perſonatos & fucum facientes (charlatans)depingit, elegans eſt & lectione dignum,digitoque aperte indicat quibus revera id nominis aſſignandum ſit ; Eos etiamnum qui ſequipedalibus, Græcis aut Latinis verbis, ægro ſanitatem pollicentur , neque eam aſſequntur ; vt & illos qui Græcæ aut Latinæ linguæ parum periti , ægros tamen ſibi commiſſos exiguo temporis ſpatio valetudini priſtinæ reſtituunt : Sed iniqueſi, bene ſentio,quoſdam plurimi facit,ampiæ revera famæ ,exempli gratia medicum *de Bœufs* , & patrem Angelum , prodigiorum authores quæ vel fortuna , vel præoccupatus animus admirantium ſuggeſſit : Quinimo , quamvis à ſatyricorum aculeis alienum ſe profitetur, ſuperciliose tamen nimis inſultat Medicis ordinariis.

Remedij Medici Angli excellentia potiſſimum conſtituta eſt in fauſto ſucceſſu,& quod ægro moleſtiam non pariat: At vero ſi id quod Dom. de Blegny in vſu eſt eaſdem poſſidet dotes,nemo non in lucro poſuerit ſi temere non profuderit quadraginta nummos aureos, quandoquidem Anglus quinquaginta extorquebat: Vix enim quiſpiam ſanæmentis illius famulo fidem habuerit, inepte iactitanti ſe poſſidere arcanum Domini, cum Medicæ artis notitia imbutus non ſit,& morbus pro morbi illi imponere facile poſſit:

Quoad diſſitarum Provinciarum incolas, proculdubio ii cautiores erunt in remedio e diſſitis ſibi comparando,cum corruptionis in tranſvectione metus immineat; Præterea nullus non potius in Medico experto fiduciam collocaturus eſt, quam in remedio ignoto, cuius latet compoſitio: Sed præterea nullibi deſunt induſtrii Medici, inanis famæ non aucupes, penes quos tamen curandarum febrium peritia eſt.

Conſilium captum à me & Dom.*Villæo* comparandi notitiam naturæ Febrifugorum, cauſa fuit vt nuper Medicum Spagiricum Germanum, ex America, in qua medicinam per decennium integrum fecerat, nuper reducem,vellet hic commorari impelleremus: Sed miſellus ille, qui ad ſtuporem miranda nobis narraverat de illius gentis medicina, infortunio quodam ex domus ſcala delapſus illico obiit: Ante menſem circiter hanc in vrbem appulerat; ac patefecerat nobis curationes inſignium quorundam morborum, exempli gratia febrium intermittentium, ac nominatim Quartanæ, Cancri vlcerati, Podagræ, Vlceris pulmonum, Epilepſiæ & aliorum, (in opprobrium Medicorum etiam (peritiſſimorum) corpus fatigantium: Imo nobis præſentibus remedia quædam paraverat, non abſimilia iis quæ in illius ſcriniis ab obitu reperta ſunt, de quorum efficacia quotidiana experientia certos nos fecit:

Liceat hic mihi; cum bona Lectoris venia, digredi ad medicinam Americanorum Virginianorum, cuius regionis diu incola fuerat,nec enim narrationem hanc ingratam fore ſpero; neque omnino intempeſtivam, vt conſtet quam parva noſtris in oris adhibeatur diligentia in perveſtigandis plãtarum facultatibus: Aſſerebat ille comperta habere ſe remedia eximia e genere ſimplicium,in omnibus morbis; ac vidiſſe ſe curationes omnino admirandas: Narrabat Americanos vti arundinum cuſpidibus ad cutis inciſionem, vicem ſcapellorum gerentium; poſtmodum ægri ſanguinem oris ſuctu citra deglutitionem extrahere; atque hæc remedia vicaria eſſe venæ ſectionis & cucurbitularum. In cura hydropicorum illos more plane inſolito procedere, teſtem ſe adfuiſſe aſſerens: Silices candentes, (aiebat ille) proiiciebant in foveam in terra excavatam, admovebant ægri abdomen candentibus ſilicibus, irrora-

tis

tis decocto trium herbarum quas inter erat Eſula: Poſt huius fumi calentiſſimi abdomine ſuſcepti emiſſionem hiare ægri vmbilicum, e quo ad Medici libitum exire permitteretur aqua, ac pro ægri tolerantia: Poſtmodum illum, vt coaleſceret foramen, muſci quamdam ſpeciem admovere; remedium eundem quoties vſus poſtularet, & vacuandi abdominis neceſſitas impelleret iterare. Quomodo ſplenem durum emollirent nos edocuit, vii nempe cataplaſmate compoſito e radice veſicas excitandi facultatẽ nacta, ichoris copiam alliciente: quæ methodus non abludit ab illa quæ antiquis fuit in vſu, qui Lienis regionem cauteriis actualibus inurebant: Explicandam & rationem ſuſceperat ingenioſam qua Luem veneream oppugnabant, & lethargum, dum Virginianam regionem nobis depingeret meo rogatu: Americanus, vt referebat, nomine *Raocomoco*, Medici munere fungens, numerata pecunia copiam illi fecit radicis cuiusdam, qua maſticata, & manibus illita, impune quodlibet Serpentum genus contrectare liceret: Sibi ſoli tribuebat notitiam virium illius plantæ, quam vocabat *Kikaſchkondo*, h.e. mortem ſerpentum: forma quodammado referre aiunt plantam quam *Dictamnum Virginium* vocant, in Virginia naſcentem: Acta philoſophica Societatis Regiæ Londinenſis anni 1665. referunt ope iſtius plantæ tritæ, & extremo baculo alligatæ interfici illud ſerpentis genus quos vocant Angues ſonoros, dummodo odor ad illos perveniat, quippe quos intra ſemihoram necat: vbicunque naſcitur hæc planta omne abeſſe ſerpentum genus: Eodem libro docemur apud Virginianos reperiri radicem quam dicunt *Vichacan*. cuius ope vulnera ſanant. *Raocomoco* apud illos adeo inſignis habebatur Magus, vt invocato numine quopiam vocato *Heian ſougli*, fugitivos ſervos revocaret, imo carbones ardentes contrectaret: Sibi ipſi mortem violentam imminere prædixerat, quomobrem amicitiam Anglorum magis quam indigenarum excolebat, cum ab his ſibi metueret: Revera iubente quodam Regulo interfectus eſt, quod in Carolina regione cum Anglis diutius cunctatus eſſet, ideo illi proditionis ſuſpectus habitus eſt. Virtutis virium tot plantarum apud illos naſcentium notitia inter barbaras gentes admirationem meretur: Imo admodum veriſimile eſt Dæmones, Sacerdotum magiſtros, à quibus medicinam diſcunt, morbos ſanare non alia ratione quam quarundam plantarum cognitione, vel mineralium, quorum virtus ipſis perſpecta eſt, neutiquam abſque externis mediis.

Apud *Gruterum* extat fragmentum Oraculorum Aeſculapij, in quo remedia à Deo illo, (vel potius Dæmone) ægris conſilium ab illo exposcentibus praſcripta naturalia ſunt & morbo appropriata, Tria exhibeo à me Gallice reddita.

1. LVCIO DOLORE LATERIS LABORANTE, OMNINO DEPLORATO, DEVS ÆSCVLAPIVS HOC EDIDIT ORACVLVM, ACCEDERET, IN SVMMO ALTARI DESVMERET CINEREM, HVNC VINO COMMISCERET, AC LATERI DOLENTI APPLICARET: QVO FACTO ILLICO SANITATEM ADEPTVS EST, AC GRATIAS PVBLICAS EGIT DEO, POPVLVSQVE GRATVLATVS EST SANITATEM ADEPTAM.

En remedium quo vtuntur mulierculæ ad dolores lateris; in more enim illis eſt ſacculum cineribus calidis refertum parti dolenti admovere: Virtus cinerum vini additione augetur, hinc diſcutiuntur flatus, vt plurimum eiuſmodi doloris cauſa: At cum Medicis tantum ſit dignoſcere num dolor à tali cauſa pendeat, ideo ſæpius contingit plebeculam errare in vſu illius remedii, ac plus noxæ ſequi quam beneficii adferri, vnde augmentum phlegmones inchoatæ.

2. IVLIANVS SANGVINEM EXPVEBAT, AB OMNIBVS DERELICTVS; INTERROGATVS DEVS IVSSIT ACCEDERE, IN ALTARI SVMMO SVMERE NVCES PINEAS, ILLAS CVM MELLE COMEDERE PER TRIDVVM; HINC SANVS FACTVS EST, DEO CORAM VNIVERSO POPVLO GRATIAS REDDIDIT.

Pineæ pectoris malis conducunt, leniunt, atque inſtar balſami reſerata vaſa occludunt; quapropter in phthiſi commendantur & hæmoptyſi: neminem præterea latet mel præſtantiſſimum eſſe thoracicum medicamentum: Hippocrates (quem plerique cenſent ſua remedia ex templo Aeſculapii excerpſiſſe) pineis vtitur cum myrrha, pectorale remedium compoſiturus.

3. VALERIVS APER VIDENDI FACVLTATE DESTITVTVS, ORACVLI CONSVLTO PRÆCEPIT DEVS, ACCEDERET, SVMERET SANGVINEM GALLI GALLINACEI ALBI, MEL ADMISIERET AC CONFICERET COLLYRIVM PRO OCVLIS, TRIDVO ADMOVENDVM: HINC RESTITVTVS VISVS, AC PVBLICE NVMINI GRATIAS REDDIDIT.

Sanguis galli gallinacei calore ſuo efficaciſſime maculas oculorum incipientes delet, à melle autem viſus acutior fit: Ideoque prodigium non eſt ſi remedium ex duobus his ſimplicibus confectum, viſum reſtituerit ægro cœcitate tantum inchoata laborante: Revera eidem marmori inſcripta eſt ſanatio alterius cœci, cui à Deo imperatum eſt vt quinque digitos altari imponeret, demum oculis admoveret, ſed hæc

naturæ

naturæ vires excedunt.

Ad Febrifuga reditu facto, ſperandum eſt ab vlteriore diſquiſitione multa nobis occulta deinceps patefactum iri: Sed eapropter cenſeo e re eſſe exuere eam animi occupationem qua plurimi cum antiquis nil niſi bilis, pituitæ aut melancholiæ putredinem culpant: ac remedia refrigerantia & vacuantia, nequaquam admittentes nova hæc explorata; quod ab ipſis conſtitutis principiis aduerſatur, ac progreſſum ad vlteriora prohibet: Ecce vero, ex mea ſententia, ideas ſatis apertas naturæ & cauſas febris exhibentes, non multum abludentes ab iis quas præſtantiſſimi neoterici edidere; quibus poſitis non arduum erit eius accidentia & curationem ſuperſtruere.

Febris eſt agitatio extraordinaria maſſæ ſanguineæ, œconomiam corporis humani perturbãs. Dicta *agitatio* à plurimis cauſis externis cietur, cuiuſmodi ſunt immodica exercitia; Solares radij, caſus, obiecta in nobis excandeſcentiam, iram, triſtitiam, timorem excitantia, aliaque ſanguini nimium impetũ conciliantia: At vero febrium vulgatiſſima cauſa, a qua non ſolum exitantur Ephemeræ, & quæ cito deſinunt, ſed & Intemittentes, & Continuæ cum typicis exacerbationibus, imo malignæ, *Fermentum* eſt, aut *Chylus juſto accidior*, qui ſanguineæ maſſæ infuſus illi extraordinariam agitationem inducit, vnde diverſa emergunt ſymptomata.

Huius rei hæc aſſignanda ratio, quod omnes liquores acidi, vel acida quæcunque aliis oppoſitæ naturæ remixta, quæ artis magiſtris Alkali vocant, effervеſcentiam in iis concitant: Exempli gratia, ſi oleum vitrioli oleo tartari commiſcueris, inſignis excitatur æſtus, & manifeſtus exſurgit calor: In ſexcentis aliis liquoribus idem deprehendere licet, quos præterea, quia fuſe hæc docet D. *Grew* libro edito de *Mixtione Liquorum*, ex Anglica lingua in Galicam à D. *Meſmin* Medico Pariſienſi, converſo.

Sed & alio argumento eoque demonſtrativo idem confirmare licet, quod ſcilicet Chylus, dum ſanguini infunditur, quotidie, etiam in proſpera valetudine fruentibus, febris quandam, vt ſit dicam, vmbram inducit, à vera tantummodo in eo quod magis & minus eſt diſcrepantem: Semihora enim vel hora vna à paſtu, quo tempore chyli pars ſubtiliſſima, aut eiuſdem vapor, quem prævium immittit, à fermentatione in ſanguinis maſſam convehitur, leve frigus in manibus & pedibus ſuboritur, à multis non ſine cauſa pro ſanitatis indicio habitum.

Imo in quibuſdam oſcitationes accidunt & in ſomnum inclinatio, pulſus minor ac citatior fit: Diſcuſſo miti illo frigore calor per vniverſum corpus diffunditur, imo acrimoniæ junctus in volis manuum &

 plantis

plantis pedum eorum qui temperie biliosa donati ſunt manifeſtus, eodémque tempore pulſus attollitur,validiuſque digitos ferit: En calorem & febris vigorem; Quatuor aut quinque à paſtu horis, quo tempore totus chylus ſanguini confuſus eſt, atque beneficio circulationis perfectionis partem adeptus eſt, ſedatur calor, pulſus ad conſtitutionem ſuam naturalem redit, appetitus ſe exſerit; En febris declinationem: Si demum decem aut duodecim ſine alimento tranſiguntur horæ, pulſus de ſua celeritate admodum remittit, ac corporis robori priſtino multum decedit: En ſtatum hominis febre omnino defuncti: At cum non omnia alimenta eiuſdem ſint naturæ, multumque temperamenta inter ſe diſcrepent, inde eſt quod quibuſdam paucum aut nullum à paſtu ſuccedit frigus; quod aliis à cibo multus calor accidit, quod quidam leviores aut graviores ſeipſis evadunt; qua in re convenientia eſt quoad accidentia febrem concomitari ſolita.

Quin ſi chylus ſanguinem plus iuſto ſubtiliorem & exaltatum nanciſcatur, inde emergit febris lenta, præſertim poſt paſtum manifeſta, ægrum ad maciem & virium deiectionem adducens.

Ex dictis colligere eſt quamobrem ab aſſumptis poſt cibum Caphé & Thée arceatur ſomnus, in iis quibus poſt paſtum obrepit, niſi à longiori aſſuetudine inefficacia reddita fuerint; Illorum ſcilicet amaror & moderatus calor chyli craſſiores fumos diſcutit: Ex his quoque innoteſcit ratio cur, vt Phyſici tradunt, Leones & Capræ perpetuo febricitent, in his quippe animalibus, cum temperamenti ſint calidi & ſicci, chylus ab illis productus minus congruit cum ſanguine, cui cum remiſcetur, majorem pugnam quam in cæteris animalibus inducit: *Plinius* meminit cuiuſdam *Caij Mæcenatis* per totam vitam febricitantis, ac poſtremis tribus vitæ ſuæ annis ſomno omnino carentis: Ex adverſo Cervi, quibus temperies frigida eſt & ſicca, quorum proinde ſanguis ad fermentationem inidoneus eſt, eodem *Plinio* teſte febre nunquam tentantur: Addit idem plurimas matronas illuſtres ex continuo eſu carnis cervinæ, quolibet mane, diu febris immunitatem obtinuiſſe.

Sedem habet id fermentum in febribus Intermittentibus in glandulis tunicæ Pannoſæ Ventriculi & inteſtinorum, à Nobil. & Clar. Domino *Peyero* deſcriptis: Harum glandularum vnaquæque canaliculum obtinet exeretorium, effundentem ſerum admodum limpidum, eiuſdem cum lympha naturæ, in circulum per totum corpus actæ; Subtilis eiuſmodi liquor, illi coniunctus quem continuo canales ſalivares effundunt, ac ſucco pancreatico, fermenti vices & diſſolventis erga chylú obtinet.

Eiuſmodi, diſſolvens ſi iuſto acidius ſit, chylum acore ſuo imbuit, non

non ſecus ac ab acidis coagulatur lac : adeo vt is chylus venas & arterias ingreſſus, cum perfectionem vltimam per circulationem ordinariam adipiſci nequeat, ſi ea copia redundat vt in ſanguine fermentationem,illa quæ poſt paſtum accidit vehementiorem ſubeat, febrilis paroxyſmi initium fiet, quouſque chylus ille acidus factus diſſipetur, & per ſudores expellatur,aut per inſenſibilem inſpirationem.

Prout autem Fermentum majori reperitur copia, aut ſanguis plus aut minus ad ebulitionem ſponte vergit, febres fiunt vel Tertianæ vel duplices Tertianæ, vel Quartanæ, vel duplices Quartanæ ; Sic bilioſi, fervidiore ſanguine prædíti,ac ſubtiliore,tertianis aut duplicibus tertianis vt plurimnm occupantur.

Hæc ratio antiquos impulit, nec multum à vero abludit, vt crederent bilem febris tertianæ cauſam eſſe, tum intermittentis tum continuæ : veriſimile enim eſt id quod febrem Intermittentem excitaturum eſt, Continuam quoque eiuſdem ſpeciei inferre, quandoquidem vnuſquiſque intermittentis paroxyſmus parvam febrem continuam refert, Continua autem productiorem intermittentis acceſſionem, Continuitatis enim alia cauſa non eſt, quam quod eiuſmodi chylus in ſanguinem introductus perfectionem obtinere non potuit, nec proinde ſanguinea maſſa idoneum perfectæ alimentorum concoctioni ſuppeditare fermentum valuit : Et hoc notatu dignum eſt, cum maſſa ſanguinea acriorem diatheſin, & inflãmationi ſuſcipiendæ magis idoneam conſequitur, chylum, etſi naturalem, itidem febrem inferre continuam ; id quod in praxi obſeruandum ; quandoquidem tum temporis & phlebotomia,& alimenta,& medicamenta refrigerantia tempeſtivius exhibentur : acida præſertim, à quibus ſanguinis æſtus compeſcitur, craſſitiem & refrigerium illi impertiendo, ac præcipitatione facta partium ſulphurearum eiuſmodi tumultus autorum.

His ea ratione conſtitutis non arduum erit plurimas quæſtiones elucidare de Febre & Febrifugis, ac primo.

QVÆSTIO I.

Quæ ſit cauſa Horroris febrilis, Et cur in Quartana Rigor ſit gravior?

A Liquoribus acidis dum craſſeſcit ſanguis,cui ſe commiſcere incipiunt, prohibetur quominus caloris ſibi innati participes faciat partes ſolidas : Porro, prout ſanguis quo magis à corde diſſitus eſt, eo minus caloris obtinet, inde eſt quod horrores & rigores ab extremis partibus initium ducunt ; eo vſque producti quoad a cordis & arteriarum conatu in ſanguine depurando, ope pulſationum crebrius iterata-

rum, fumus ille omnino diſcutiatur, calore ſanguinis, æſtu perciti, frigori ſuccedente. Quartanarum fermentum acidius eſt & viſcoſius, ac ſanguis craſſior, hinc plerumque frigus intenſius: Cum porro vapores illi acrimonia polleant, illis adſcribenda eſt vellicatio partium membranoſarum quas pertranſeunt, adeo vt non ſecus doleant ægri ac ſi corpori infigerentur aciculæ: Quibus ſanguis ſubtilior eſt, ac chylus minus craſſus, ij paroxyſmos inſignis frigoris expertes patiuntur.

QVÆSTIO II.

Quæ cauſa caloris, frigoris in febricitantibus ſuccedanei, ſitis, lumborum doloris & capitis?

Calor ortum debet anomalo motui particularum ſanguinis, qui, ex Anglorum obſeruationibus ope microſcopij, conſtat infinitis globulis rubeis aquæ limpidæ innatantibus: Omnium enim corporum calor non aliam agnoſcit cauſam quam inteſtinum particularum illarum motum: ſubſequitur Sitis conſumptionem ſeroſitatis chyli à calore factam: Lumborum dolores, modo frigoris modo caloris comites, excitantur ab æſtu ſanguineæ maſſæ in majoribus vaſis lumborum regioni accumbentibus: Capitis tandem dolor effectus eſt vehementis pulſationis arteriarum in capite, & alliſionis ad membranas id ambientes: Sic quibus ſanguis magis æſtuat, aut amplius ferit, aut quibus membranæ acriori ſenſu præditæ ſunt, ij præ cæteris cephalalgiæ magis obnoxij ſunt.

QVÆSTIO III.

Cur melancholici, in quibus redundant humores acidi, aliis minus febribus obnoxij ſunt?

Maſſa ſanguinea acido eiuſmodi infecta & imbuta, ideoque fermentationi minus idonea, quanquam chylus in illorum ventriculis ſæpe aceſcat, nullam nihilominus excitat febrem, cum eiuſdem ac ſanguis ſit indolis: duo enim liquores, nequaquam ſibi adverſi, fermentationi non ſunt obnoxij, non ſecus ac duo in opinionibus non diſſentanei mutuo non altercantur aut rixantur: Ideo mirum eſſe non debet ſi regionum frigidiorum incolæ minus febribus obnoxij ſint quam calidarum: Nec non ſi quibus ſanguis craſſior aut melancholicus ii minus cæteris febribus infeſtentur: Qua de cauſa Hippocrates protulit *Eos qui acidum eructant raro fieri pleuriticos*: ſanguis quippe illorum craſſior eſt, minuſque idoneus qui violento impetu in latus decumbat, ibi phlegmonem excitaturus; Memini me Monſpelij Danum vidiſſe, qui tentatus melancholico pathemate ex ſecunda contignatio-

ctura

ne domus præcipitem ſe dederat, vnde femorum & brachiorum fractura ſequuta eſt, febre tamen toto curationis decurſu omnino caruit.

Qvæstio IIII

Cur febres Autumno freqentius ingruunt & pertinaciores ſunt quam aliis anni temporibus?

Quia ob æſtatem præcedentem ſanguis, in inflammationem proclivior factus eſt, ideoque febri aptior: adde tempeſtatis inæqualitatem ad chyli corruptionem multum conferre: Porro fructuum vbertas, iis qui abutuntur, fermentum febribus longis excitandis idoneum, iiſque chronicis & pertinacibus ſuppeditat, ſpeciatim quartanis, ad alterum annum, ex ſententia Hippocratis productis, & normam tritam & veterem eas curandi: *Plinius* aſſerit Quartanas hyeme non incipere, idque revera rariſſime contingit: At tempeſtates non ſemper tempeſtivæ ſunt, ac ſæpe media hyeme dies autumnales aut vernales obſervantur.

Qvæstio V.

Quomodo Tertianæ ſimplices in duplices & quartanas tranſmutantur, Demum quartanæ in tertianas?

Febres Tertianæ ſimplices abeunt in duplices, & Quartanæ ſimplices in duplices, quando inter chylum & ſanguinem minus intercedit convenientiæ, hi vero ambo liquores cum inter ſe non conſentiant, invicem congrediuntur: Tertianæ commutantur in Quattanas, cum ab exhibitis alimentis impenſius refrigerantibus, aut remediis eiuſdem naturæ intempeſtive datis, fermentum acidius evadit, vel ſanguis amplius craſſeſcit: Vice verſa Quartanæ fiunt Tertianæ, cum à diæta, vel remediis nimis calidis fermentum ac maſſa ſanguinea attenuantur, ob id facilius ignem concipiunt: In genere Intermittentes Continuarum naturam adipiſcuntur a pravo victus regimine & medicamentis nimiopere calidis, quornm cauſa totum fermentum iu venas traducitur; & maſſa ſanguinea aptior evadit ad ſuſcipiendam diuturniorem agitationem, Continuæ autem Intermittentium naturam induunt, cum natura ab eiuſmodi fermento ſe liberare idque excutere conatur in primas vias; non ſecus ac ebullitione oleorum vitrioli & tartari invitem commixtorum peracta in fundum vaſis præceps defertur materia albicans, quam vocant Tartarum Vitriolatum.

Qvæstio VI.

Quæ cauſa eſt reditus periodici febrium?

Etſi aliquid abditum lateat & inexplicabile in reditu febrium, non

C

minus aliquando certum & ſtatum quam eſt æſtus maris, exiſtimo veriſimile eſſe illum originem ducere ab æquali alimentorum aſſumptorum proportione, ac chyli inde producti: Revera qui largius comedunt, ij paroxyſmum anticipare faciunt, etſi aliis de cauſis idem accidere poſſit; vt pote cum ſanguis excalefactus a præcedentibus paroxyſmis fermentationi magis idoneus evadit: Ex adverſo poſtpoſitio accidit ſi minus alimenti aſſumit æger, vel ſi fermentum acorem exuere incipiat: Tandem dantur febres quædam anomalæ; vnde indicatur ἀταξία in organis vel maſſa ſanguinea, qua de cauſa febris difficilius curationem ſuſcipit, ac recidivæ facilius contingunt: quapropter vocari poteſt ſymptomatica, cuiuſmodi eſt quæ obſtructionum ſoboles.

QVÆSTIO VII.

Cur febricitantes non illico à paſtu occupat febris?

Rationem reddere arduum non erit, dum modo quivis perpendat ab vltima febris acceſſione diſcuſſam fuiſſe ac per tranſpirationem inſignem, imo quamdoque ſudorem copioſum, expulſam maximam acidioris lymphæ portionem, eiuſmodi perturbationum autorem: adeo vt immediate poſt paroxyſmum neque ſatis virium poſſideat, neque ea adſit copia quæ chylo illum aciditatis gradum conciliet, qui ſi maſſæ ſanguineæ commiſcatur inducere valeat fermentationem, eamque commotionem quam vocamus Febrem: Eiuſmodi vero fermentum, redintegratis viribus, moleque auctius, ſucceſſu temporis & alimentorum acceſſione, novam in maſſa ſanguinea pugnam, iteratoſque tumultus ciet: Qui rerum Chymicarum notitia vel leviter imbuti ſunt, ac ad Naturæ operationes animum adplicarunt. ſententiæ meæ proculdubio accedent: Illis enim obſervare licuit diuturnas requiri fermentationes quo liquor natura dulcis acorem contrahat; ac præterea neceſſariam eſſe determinatam liquorum quantitatem, ſibi oppoſitorum, quo fermentatio inſignis conſequatur: Ex his pronum erit rationem reddere, cur ij qui nulli ſe addicunt vitæ regimini, gulæque indulgent, paroxyſmos anticipare cogunt eoſque protrahi in cauſa ſunt: Eos ex oppoſito qui appetitui imperant. inquilinum hoſtem citius profligare: Nec non hinc apparebit ratio cur deſinat febris, ſi fermentum illud ope remedij contrarij priſtinam induat naturam, etiam nulla accedente inſigni vacuatione: Si librum integrum conſcribere fuiſſet animus, non epiſtolam, aliquot tradendæ fuiſſent obſervationes de natura Acidorum eorúmque origine, varietáteque fermentationum; at vero hæc ingenioſiſſime traduntur à Vvilliſio & Majou, adeo vt publico parum profuiſſe exiſtimarem ſi quæ Latine ii conſcripſerunt, Idiomate noſtro efferrem.

QVÆ-

QVÆSTIO VIII.

Quamobrem febricitantibus pedes & manus, imo & vultus quandoque intumeſcunt?

Quia aquea chyli portio corrupta ad extremitates à natuta protruditur; exiguum autem caloré pedes & manus cum obtineant, ſi ad cæteras partes collatio fiat, ideo tranſmiſſum humorem diſcutere non valent: faciem autem cum obtegat cutis durior & denſior, aëris iniuriis perpetuo expoſita, ideo difficilior fit humorum tranſpiratio; Id ipſum in pedibus & manibus conſiderandum eſt; in quibus cutis ob inceſſum & laborem craſſior & durior efficitur: Cæterum ex vſu practico diſcendum eſt familiares eſſe tumores eiuſmodi illis quibus pauca permeant lotia, qui ſudores non profundunt; debilibus item & ætate provectioribus; Eapropter tumefactiones illæ minus periculi inuehunt, dummodo nullum ſubſit viſcerum vitium, ac febris in declinatione ſit; facillime enim poſtmodum cedunt catharticis & cardiacis.

QVÆSTIO IX.

Cur febres quartanæ ſi pertinaces ſint ad hydropem deducunt, Iecoris duritiem invehunt vel Lienis, ac Icterum?

Subſequitur hydrops eadem de cauſa qua artuum tumor, quando ſerum, quod in pedes & manus amandari debuit, in cauitatem abdominis effunditur: aut cum non ad prædictas partes iam ante tumidas, ſed ad tibias, ad femora & ventris cavitatem decumbit humor: vel ſi tumor ab illis partibus initium duxerit, inde ad tibias femora aut ventrem tumoris propagatio fiat, vel, quod peius eſt, ſi per morbi decurſum viſcera reſiccata fuerint & indurata, quapropter defæcationi ſanguinis in donea ſint, nec ſerum a maſſa ſanguinea rite deinceps ſegregent: Indurationes eiuſmodi, & ſcirrhi Iecoris & Lienis, producta ſunt perennis diſſipationis humoris nutritii á calore febrili inductæ; Icterus autem ſoboles eſt eiuſmodi indurationum, vel obſtructionum imi ventris, ab acido fermento productarum; qua de cauſa bilis in venas refluit, obturatis meatibus illam in fellis cyſtin deferentibus: Ab Acidis autem obſtrui ac coagulari ſanguinem in partibus in quibus dominium obtinent, certum eſt: Quapropter effatum Hippocratis de febre quartana, eam non modo periculi expertem eſſe, ſed & ab aliis affectibus illa obſeſſum immunem tueri, in Græcia verum experimur, quæ quod climati, noſtro calidiori, exponatur, febres quartanas minus quam in noſtris regionibus periculoſas experitur, nõ tam quia apud eos ſanguis minus craſſus eſt, quam quod corporum tranſpiratio libe-

rior ſit: Revera pro climatum varietate diverſam indolem nanciſcuntur morbi, cum apud nos ignotæ ſint febres Quintanæ, Septanæ & Nonanæ; quarum periodi quinta quaque die procedunt, vel ſeptima quaque, vel nona; quarum febrium idem meminit Hippocrates: Collega quidam meus aſſeruit non ita pridem a ſe obſervatam ſeptanam, quæ periodos quinque aut ſex ordinate obſervarit: Ac nuper febris octonæ ſe mihi tres periodi obtulerunt, quam tamen fortuitæ cauſæ potius quam ſtatæ adſcripſerim.

QVÆSTIO X.

An longa aſtinentia febris medela eſſe poteſt?

Dubitandi & quærendi locus inde eſt quod pronuper adduxi, à chylo corrupto & acidiore febres vt plurimum induci & generari: vnde inferendum videtur, ſi alimenti abſtinentia ab vno paroxyſmo ad alterum acceſſerit, febris reditum ſic præpediri poſſe: His reſpondeo id genus remedij apud Græcos familiare eſſe, apud quos pauci reperiuntur Medici: Aegri triduanam aut quatriduanam ſervant inediam, ne juſculis quidem vſi, aqua ſola, in qua aliquot amygdalæ contritæ ſint contenti; atque vt plurimum intra id ſpatium febre defunguntur, ſive continua ſit ſive intermittens; ſpeciatim tertiana aut duplex tertiana: At in exemplum his in regionibus pertrahi non debet ille mos; Græci enim duabus anni partibus carniſprivium obſervant, ac ſæpe jeiuni ſunt per dies integros, quare admirationi eſſe non debet ſi tamdiu ab alimento abſtinere queant; In climatibus autem noſtris cum plurimus cibus familiaris ſit, iſque multi nutrimenti, ingens incurreret periculum qui huic mori aſſueſcere vellet: Imo proſtat exemplum viri apud nos illuſtris, defuncti quod pertinaciter intervallum ab vno paroxyſmo quartanæ ad alterum ſine cibo tranſigere voluerit: Obiiciet quis propterea Græcos intra vnum vel alterum diem a febre liberandos eſſe, at conſiderandum eſt potum illorum, cui alquid alimentarij ineſt, pauxillum chylum producere, per quem occaſio datur aliquot paroxyſmis, ſed levioribus quam ſi ſolidius aſſumeretur alimentum: at interim calor digeſtioni aſſumptorum non intentus fermenti reliquias facilius diſcutit: Plerorumque Medicorum Italorum mos inhumanior eſt, minuſque rationi conſonus, potu enim ægros totius paroxyſmi decurſu interdicunt, vnde corpus mirum quantum incaleſcit, nec propterea curatio celerior eſt.

QVÆSTIO XI.
An ſanguinis miſſio Febrifugis annumeranda?

Cum febrifugi nonem in ſe comprehendat quicquid Febri expellendæ confert, nulli dubium eſt ſanguinis miſſionem ſæpiſſime Febrifugam eſſe, ſi præſertim febris à cauſa quapiam exteriori, quæ æſtum ſanguini conciliarit originem trahat; cujuſmodi ſunt exercitia, inſolatio, vini potus, ira: tunc enim temporis á venæ ſectione idem propemodum effectus expectandus eſt ac dum vino in dolio ebullienti aer conceditur ne id diſſiliat; vel cum ex vaſe aqua nimis repleto portio eximitur ne præ agitatione effundatur: Niſi ſanguis demeretur, cum majorem ſolito locum occupet, ab hoc vaſa pulmonum forſan dehiſcerent, aut cerebri, vnde hæmoptyſis metus, aut phreniti-dis, aliuſve cuiuſdam ſymptomatis gravioris: At in febribus intermittentibus, quarum acidum fermentum potiſſima cauſa eſt, ſanguinis miſſio nequaquam febrifuga eſt: Non inficias tamen ivero ſæpiſſime ab illa exordium curationis ducendum eſſe, præſertim in duplicibus tertianis, quæ cum continuis congruunt; eumque in finem vt ſanguis æſtu minus cieatur, vel minuendæ ergo plenitudinis; at vt plurimum venæ ſectionē in quartanis formido, quod inde prorogatio morbi metuenda ſit: niſi alia quæpiam ſubſit indicatio ob quam requiratur, cuius notitia penes ſolum medicum.

QVÆSTIO XII.
An Ptiſanæ laxativæ, aliave Purgantia febrifuga cenſenda ſint?

Sicubi fermentum febrile a ventriculi cruditatibus fovetur, Purgatio febrifugis annumeranda eſt; vt pote quæ paroxyſmos imminentes arcere valeat, hoc modo onere gravante liberata organa, & adepta contractionis libertatem, reliquum fermentum expellunt: At vero ſi fermentum originem habuerit in fomitibus à nobis aſſignatis; vel ſi ventriculus quopiam vitio laboret, cuius cauſa corrumpantur alimenta, Purgatio ex accidenti tantum febrifuga erit, hoc eſt, exempli gratia excitata diarrhœa, ægro nonnunquam ſalutifera; Imo purgationes vt plurimum in vſum venire debent quo via febrifugis ſternatur: alias purgantia febri non medentur, vel quia fermentum nondum naturæ gratiam adeptum eſt, ideoque ab illis exaſperatur, vel quia venas tantum & arterias ſubeunt: Imo non infrequenter contingit à purgantibus, ob crebram partium agitationem, harum functiones vitiari, ægrum robore deſtitui, ac copioſiorem bilem eliminari, quæ erga chylum & ſanguinem balſami vires gerit, niſi concitata fuerit.

QVÆSTIO XIII.

An Emetica ſint Febrifuga?

Emetica aliquando requiruntur in Febricitantibus, ſi præſertim ad Vomitum inclinet æger; efficaciſſime enim ventriculum ab impuris humoribus, functiones illius interturbantibus liberant; ac evacuatione humorum, fermento febrili materiam ſubminiſtrantium proficua ſunt, adeoque ex accidenti tantum Febrifuga ſunt: Imo in illorum vſu ſæpe ingens periculum ſubeſt, ægro quippe inſignem moleſtiam faceſſunt, ventriculo iniuriam pariunt; vaſaque pulmonum aliquando reſerant: In Quartana febre, preſertim diutius producta, illis locus non eſt, fermentum quippe illius cum admodum viſcidum ſit, primis viis tenaciter affixum, inde nonniſi ægerrime & maximis conatibus avellitur: Si enim leviora ſint, humorem tantum commovent; Si vehementiora, ægrum in vitæ diſcrimen adducunt, niſi admodum robuſtæ is fuerit conſtitutionis: Quæ ratio me impellit, vt publice moneam a Barbitonſoribus cavendum, empiricis & agyrtis, qui morbos ope puluiſculi profligaturos ſe impudenter pollicentur, aut aquæ limpidæ & inſipidæ; vt plurimum enim eiuſmodi medicamenta antimonialia ſunt, e mochlicorum genere, exigua mole comprehenſorum; cuiuſmodi ſunt aqua in qua ebulierit vitriolum, arſenicum vel auripigmentum; effectum non alia ratione depromentia quam per ſummam ventriculi irritationem aut eiuſdem convulſionem; quorum vſum, etſi profligata febris, ſequuntur empyreuma viſceribus impreſſum, ventriculi dolores, ſanguinis exſpultiones: Atque vtinam Magiſtratus à Rege conſtitutus ad veneficorum indagationem, in illos etiamnum animadverteret qui ægros eiuſmodi venenorum exhibitione neci dederunt: Etſi enim obiiciant ab exigua copia illorum medicamentorum mortem induci non poſſe: id indubitanter aſſero, ſi talia præbeantur illis qui conſtitutionis debilioris ſunt, hique occumbant, vere eos exhibiti veneni reos eſſe: adde venefico proclive eſſe, ſpecie medicamenti generoſi, aucta dozi illius, in excuſationem afferre ſe Vomitorium tantum præbere in animo habuiſſe.

QVÆSTIO XIV.

An inebriatio per vinum aut vini ſpiritum febris medela eſſe queat?

Vinum immoderatius ſumptum inſignem in maſſa ſanguinea æſtum excitat, ac ſæpe per varias vias extra pellit cauſam febrem committentem, nec deſunt exempla quorundam hac ratione ſanitatem adeptorum, ſed hęc imitari nō licet, de virium enim tenore prius optime conſtare debet,

bet, ac num corpus antehac à febre quaſſatum ebrietatis inſultus perferre queat, cuiuſmodi ſunt lethargus, phrenitis, imo mors ipſa: Ideoque & bona mens illos deficit, & pietas, qui corporis probam valetudinem per periculoſum & anceps remedium ſibi cōparare ſtudent, animæ ſic male conſulentes: An veriſimile in moribundo aut ebrio animam rite eſſe conſtitutam? Quoad Aquam vitæ quam vocant, Hollandis hæc concedatur, quibus familiaris, & à cuius vſu minus periculi ſubeunt: vt plurimum antequam inſultum febrile invadat vini ſpiritum illi hauriunt, à qua quidem temperari poteſt frigus, ſed viciſſim ſubſequens calor admodum intenditur: ſin febrem omnino profligare animus ſit, cantharos integros exhauriunt, felici interdum in nautis & robuſtioribus ſucceſſu.

QVÆSTIO XV.
An Aquæ minerales ſint Febrifugæ?

Certiſſimum eſt Aquas minerales inſigni auxilio eſſe ad curationem febrium intermittentium longius productarum; At obſervandum eſt illas tantummodo medelam eſſe quæ calidæ ſunt, ſale nitro impregnatæ, vero antiquorum nitro analogæ cum parte aliqua ſulphuris, cuiuſmodi ſunt Aquæ Borbonenſes Archambaudicæ & Vichienſes: Id quod mihi obſervare licuit vere præterito, necnon Dominis Garnerio filio, & Villæo Collegis meis, in itinere examinis illarum aquarum cauſa inſtituto, innotuit nobis natura eiuſmodi Piſcinarum inſignium, e quibus revera plurimi ægri cum inſigni ſolatio emergunt: At præte a manifeſtum nobis factum remedia catholica illas non eſſe, ſicuti a plurimis hiſtoriis proditum eſt, quibus animus fuit potius tradere Thermarum elegantem ſtructuram, Crateres, ac ædificia connexa, quam crebris experimentis adhibitis in naturam ſalium & mineralium, e quibus conſtant, inquirre: Qui vero in id operam navarunt, vel earum analyſis inſtituendæ ignari, vel rati forſan ab vnico ſale tam diverſos effectus induci non poſſe, modo pronuntiarunt Aquas nitro, vitriolo & ſulphure ſimul conſtare; modo ſulphure, vitriolo & alumine, modo quandoque ferro, nitro & vitriolo; at opinionis argumenta nulla præter ſanationes ſubſequutas afferentes: Sed ſi negotium debite ſuſcepiſſent, quod ab erudito Dom. Coſſæo præſtitum, quem ſequutus Dom. Fouetius medicus Vichienſis, pepercıſſemus moleſtiæ itineris, per ſex vel ſeptem ſeptimanas inſtituti, examinis ergo triginta fontiū mineralium viciniam noſtram ambientium, quorum vſus hactenus erit dubius, donec labor requiſitus acceſſerit & plurimis experimentis illorum natura explorata fuerit: Inde ratio aperte patebit cur quidam ex

fontibus illis magis quam ante acceſſum ægri redeant: Qui plerorumque medicorum error adeo frequens anſam præbuit Comicorum neotericorum acutiſſimo illis acriter inſultandi: Ad inſtitutum vt redeam, Aquæ Borbonenſes Archambaudicæ & Vichienſes, dummodo dexterus adſit illarum vſus, ac ægrorum conſtitutio perſpecta ſi ſit, Febrifugæ ſæpenumero ſunt, vi ſalis nitri in iis prædominantis, ac partis ſulphureæ & balſamicæ illis vbertim inhærentis: Eiuſmodi miſtura, inquam, lymphæ aciditatem temperat eximie, viſcera nutritioni dicata admodum roborat, hinc calor natiuus ab illis inſtauratur, primarum viarum obſtructiones reſerantur; quicquid tandem extraneum & inutile maſſæ ſanguineæ commixtum eſt, à centro ad peripheriam per tranſpirationem expellitur, per ſudores & vrinas: Si nihilominus ante dictarum aquarum vſum æger præparationē non ſubierit, vel catarrhis acrioribus in pectus ruentibus obnoxius fuerit; aut hypochondria obſtructionibus admodum ſcateant, tum temporis aquæ minerales nitri inſigni copia turgidæ, ad occurſum maſſæ ſanguineæ ſulphure admodum ſcatentis & æſtu percitæ, proculdubio in illa agitationem inſignem excitaturæ ſunt, vnde intermittentis febris in continuam acutiſſimam commigratio imminet, ac ægri vltima pernicies: id quod vſuvenire experientia quotidiana comprobat in iis qui periti medici conſiliis auſcultare nolunt.

QVÆSTIO XVI.

An Theriaca, Antidotus Orvietana ſimiliſque Febres profligare valeant?

Poſſibile eſt corpora rite praparata præmiſſis ſanguinis miſſionibus, purgationibus, aliiſpue remediis diminutæ virtutis, adiumentum cepiſſe ex vna vel altera Theriacæ, aut alterius antidoti calidioris dozi, a quibus attenuati fuerint humores: Porro cum plebs hoc remedium citra delectum & iudicium adhibeat, vſu ſæpenumero evenit vt ſanguis exinde fermentationi aptior fiat, vnde ſitis augmentum, cephalalgiæ, imo ipſius febris: Quinimo & quidam ad curationem Quartanæ, ſed levioris, vtuntur theriaca, illinendo ſpinam dorſi illa aquæ vitæ remixta, vnde attenuatur ſanguis & fermentum tranſpirationi inſenſibili magis idoneum redditur; ſed vt plurimum generoſioribus pręſidiis impugnandus pertinax ille hoſtis.

QVÆSTIO XVII.

Quomodo a Terrore ſanetur Quartana febris?

Quidam ob Quartanam rigentes, incuſſo ſubito terrore ſanati ſunt, imo

imo referunt Henricum IV. febricitantem hoc modo curaſſe; Expugnaverat Caſtellum, in quo decumbebat Nobilis paroxyſmo febris Quartanæ prehenſus: Indignabundum vultum aſſumpſit Rex, ac febrem Quartanam ſe populſurum ait, chartam poſtulavit cui quatuor hos verſus Gallicos inſcripſit,

Fiévre Quarte ie te conjure,
De par la barbe de Mercure
Que hors de ce corps tu déloges
Comme d'icy à fait Deſloges,

quæ Latinę reddita ſic ſonāt. *Febris Quartana conjuro te per Mercurij barbam, vt hoc ex corpore migres, ſicuti ex his ædibus Deſloges*: Aeger morti ſe adiudicatum credens, adeo inſigni terrore perculſus eſt vt febris diſceſſerit: Cauſa pendet à ſpirituum extraordinaria commotione, ſanguinem craſſiſſimum Quartanam committentem attenuante, ac fermentum vel per ſudores vel per alvum expellente: Nihilominus tamen id remedij genus in vſum ducendum non eſt, terror enim ſi mediocris, inutilis futurus eſt, ſi inſignis, lethum inferre valet, nonnullos enim pavor enecat, ſive illico, ſive deinceps, a conturbata naturali œconomia.

QVÆSTIO XVIII.

Cur loca paludoſa & humida Febrium ſunt feracia?

Quia indeſinenter ex locis illis efferuntur corpuſcula acida quæ ſanguini commiſcentur mediante reſpiratione, & lympham ſuæ aciditatis participem faciunt, vnde diverſarum febrium productio, pro varia corporis diſpoſitione: Atque id omnino extra dubitationis aleam conſtitutum eſt, vt ipſiſſimum etiam ferrum in omni loco humido rubiginem contrahat exiguo admodum tempore, nemini autem ignotum rubiginem à quovis acido induci: Quinimo ſi in locis humidis concamerationes adſint, quæ atomos iſtiuſmodi cohibeant, vbertim illic concreſcunt, & nitrum exhibent, tantæ aciditatis particeps vt exinde aqua fortis exurgat: Eapropter navigatio febricitantibus opportuna non eſt, præſertim in aqua dulci: námque ſæpius febrim infert, nedum fovet; maritimus enim aër ſalſis atomis abunde ſcatet, quæ acidis contrariæ ſunt: Portuum tamen quorundam maritimorum incolæ febribus admodum tentantur, ob aquas deſides, & aëris ambientis infectionem à vaporibus exinde elatis, cum iis qui e terra ſuſcitantur commixtis: Ea de cauſa vix locus datur febribus magis opportunus Alexandretta, quo vbi quis appulerit febre illico fere prehenditur: Neque mirum, cum enim locus ex ſe paludoſus ſit, quia portus depreſſior,

vicinum prætetea habet montem excelſum parti orientali obverſum, Soli aditum ante productam diem prohibentem: Non aliud ſecurius adverſus eas remedium quam cita e loco evaſio, quo gratiori liceat frui aura: Itidem Smyrna, quæ fundum anſæ cuiuſdam Archipelagi occupat, paludéſque proximas habet, autumnali tempore febribus admodum patet; Eadem de cauſa Lugdunenſes Galli febribus vt plurimum implicantur ſi Dumbenſem provinciam adeunt, regionem paludibus obſitam: E quibus conſequentias ad praxin vtiles elicere facile eſt, exempli gratia, e re eſſe febricitantes non commorari in cubiculis inferioribus, vel ædificiis fluvio proximis; demum aëris mutationem imperandam iis qui ex inſpirato pravo aëre febricitant.

QVÆSTIO XIX.

An pellicula ex teſta ovi detracta, extremitati digiti admota, Vel Tinca viva ſpinæ dorſi admota aut plantis pedum, febris remedium eſſe queat?

Hæc & ſimilia popularia ſunt remedia, quæ quod vni ex centenario numero proficua fuerint, in vſum ducuntur quaſi vi quapiam ſpecifica pollerent: Attamen plerumque eiuſmodi irrita eſſe quotidiana oſtendit experientia: Sin quiſpiam illorum ope ſanitatem adeptus fuerit, id contigit aut efficacia phantaſiæ ægri, aut ratione doloris ab illorum frigore excitati, vel etiam ſtrictioris ligaturæ partium nervoſarum excalefactarum: à dolore enim inducitur ſanguinis inconſueta commotio, adeo vt apud nos obſervatum ſit quendam interiiſſe ob ſæva accidentia, inducta ad admota plantis pedum tinca: Piſcis is ſæpenumero detractus nigrorem contrahit, plebs vero inde cenſet malignitatem ex ægri corpore in piſcem migraſſe: at vero hæc caloris tantum effectus ſunt & humiditatis, quorum ratione in corruptionem abit: Antiqui, referente *Plinio*, febrifuga multo abſurdiora in vſum ducebant, & ſuperſtitionem magis redolentia, quæ ipſe contemptim habet, exempli gratia cæſuras vngutum ante Solis ortum inquirendas, atque ex cera affigendas ianuæ domus cuiuſpiam, cuius dominum poſtmodum invadebat febris: Tres guttas ſanguinis ex vena auriculæ aſini pertuſa elicitas, ac ex duobus aquæ cantharis hauſtas: Iecur feli declinante luna exemtum, & ſale conditum, ante paroxyſmum febris Quartanæ ex vino potum: Dentes oculo reſpondentes crocodili, thure repletos, & brachio dextro ægri adalligatos: Aſſerit ipſe Dioſcorides tres araneos contuſos, & ex linteo fronti admotos ac temporibus, tertianam febrem ſanare.

QVÆSTIO XX.

Qua ratione Veſicatoria febres curent, ſpeciatim malignas?

Apud Hollandos admoventur Veſicantia brachiis, femoribus tibiis, non in malignis modo febribus, ſed & ſimplicibus tertianis: Galli teneriorem coſtitutionem ſortiti vix ea tolerant, vſurpanda demum ſi accedat delirium, ſopor aut ſpaſmodicæ contractiones: Remedium revera immite ſed certi effectus: Natura duce in vſum id trahitur in febribus malignis, in quibus abceſſus & metaſtaſes humorum acrium contingunt, quibus gangræna ſuccedit, præſertim in coccyge, conferente lecti tepore à quo pars illa incaleſcit: Imo nonnunquam gangræna iſtiuſmodi, quæ lethi prænuntia judicata eſt, in ægri ſalutem conceſſit, ſuccedente ſuppuratione &c. expulſione facta humorum malignorum, à natura ſuſcepta, quam ars aggredi auſa non fuit: Eapropter excluſioni ſeri acrioris adſcribenda ſanatio, quam admota veſicatoria produxerunt.

QVÆSTIO XXI.

An remedia carpis admota, Epicarpia dicta, Febrem profligare valeant?

Eiuſmodi remedia, quibus plebs multam fidem adhibet, ſæpenumero e veſicatoriorum ſunt claſſe, ſi e ſale conficiantur, aceto, pulvere pyrio, vrticis, fuligine caminis, radice ranunculi, alliis aliiſque eiuſmodi: Imo ipſis veſicatoriis nonnunquam magis obſunt, quia carpo admoventur, parti membraneæ & nerveæ potius quam carnoſæ: Conficiuntur etiam ex rebus exulcerandi cutim facultate carentibus, at vero ſanguineæ maſſæ caliditatem imprimendi vim nactis, vel acidum præcipitandi, cuiuſmodi parantur ex camphora & aqua vitæ, vel quoquomodo ſanguinem fixandi, exempli gratia quæ conficiuntur ex telis araneorum, ex limacibus, burſa paſtoris, planta adſtringendi vi prædita: Attamen ex ſimilibus remediis exiguus ſucceſſus deprehenditur, niſi fortiter ægri phantaſia commoveatur ab illis qui ea admovent & efficaciam prædicant, & exinde celerem & indubiam ſanitatem pollicentur: Poſſibile quoque eſt, cum ad eiuſmodi remedia tantūmodo tranſitus fiat vbi cætera faſtidium pariunt, à quibus ex parte ſuperatus morbus, febrem triduo aut quatriduo poſt deſinere, at non ſecus res contigiſſet ſi nil eiuſmodi tentatum fuiſſet: Speciatim infantibus conferre poſſunt, remedia interna fere reſpuentibus, quorum ſanguis facilius ſuſcipit remedij exterius adhibiti impreſſionem.

Qvæstio XXII.

An Centaurium minus & Chamædrys Febrifugis annumeranda?

Nominatæ plantæ inſigni amarore præditæ ſunt; attamen cum ſanitatis gratia omnia ſuſcipiantut, ruſtici earum decocto ad febrium intermittentium curationem vtuntur: Plurimi centaurium minus magni faciunt, cui febrifugi nomen inditum eſt: Dioſcorides autem in Tertiana chamædrin admodum commendat: quamobrem nulli dubium eſt, ſi modo methodice exhibeantur, dictas plantas proficuas fore; non ideo tamen expectatus ſemper adeſt ſucceſſus ſive quia perperam & intempeſtive præbentur, , ſive quia conceduntur tenerioris conſtitutionis ægris, inde in intemperiem calidiorem abreptis, Demum in iis deſiderantur veri febrifugi dotes, in quo ſimul adeſſe debet vis diuretica, diaphoretica vel hidrotica, ad fermenti febrilis expulſionem: balſamica ad reſtitutionem virium proſtratarum; ſtyptica vel adſtringens, ad robur fibrarum partium confirmandum; quandoque narcotica, ad nimium ſanguinis orgaſmum compeſcendum, ac tandem illis ineſſe debet verum alkali, ad obtundendum & infringendum acidorum acumen: Hippocrates in febribus intermittentibus radice pentaphylli vtitur: ſed niſi hæc planta majoribus pollat viribus in Græcia, exiguæ his in regionibus deprehenduntur, etſi levis adſtrictionis ſit particeps; quamobrem addit, niſi deſinat febris. exhibeatur ægro ſuccus trifolii cum ſucco ſilphij ex vino æquali portioni aquæ remixto: Maximo rei medicæ damno non innoteſcit nobis celeberrima illa planta, *ſilphium* dicta, aut *laſerpitium*, quam antiqui ad tot morborum curationem magni faciebant, Plinius integro capite eius virtutes exequitur: In Lybia natales habebat, ejuſque figura adhucdum obſervatur in numiſmate antiquo Cyreniorum, in quo quodammodo refert apium vel ſeſeli, quomodo Theophraſtus & Dioſcorides eam expreſſerunt libris editis de Plantis: Hippocrates in Quartana jubet dari ſuccum dictarum plantarum ex mero: Ex his manifeſtum eſt ipſum à vino non adeo abhorruiſſe ac Medici neoterici, etſi hi ſe ipſius diſcipulos profiteantur: Imo in dicta febre præſcribit allium contuſum & melli mixtum, vnde maior quam ex vino metuenda excalefactio: Dioſcorides, & Serenus, & Sammonicus illis addunt cimices, ſcilicet ad ſaporis gratiam & ſuavitatem opſonij. In genere medicamenta, ab antiquis λυσηπύρετα dicta, à nobis febrifuga, ex calidioribus rebus conſtabant, vt ex Galeno, Marcello, Tralliano &c. patet.

Qvæ-

QVÆSTIO XXIII.

Cur Labiorum Tumores & Puſtulæ febris declinationem indicent?

Quia indicio eſt Naturam aut remedia impetu facto expuliſſe fermentum acre & acidum febrile, quod in tranſitu ſui veſtigia reliquit in labris molliori & ſpongioſa ſubſtantia donatis: Eadem ratione ſcabies Quartanæ febris ſuperveniens huic finem imponit; qua deliteſcente febris iterum reſurgit: Nec tamen ideo non purgandus æger, ad excluſionem nempe fæcum, poſt ſudorem aut inſenſibilem tranſpirationem ſuperſtitum, à quibus recidiva metuenda.

QVÆSTIO XXIV.

Quæ cauſa faſtidij ciborum, & oris amaroris poſt febrem relictorum?

Faſtidium ſequitur ventriculi vitioſam conſtitutionem, qui male iampridem functus eſt officio: vel vitium fermenti à calore febrili depravat, & frequenti potu obruti & diluti: *Oris amarorem* pariunt fumi & fuligines ſuperſtites ab æſtu ſanguinis in venis, ac ebullitione chyli in ventriculo, linguæ, parti admodum ſpongioſæ diutius inhærentes: neminem enim latet fumum & fuligines omnes amaricare, adeo vt recurrendum non ſit ad bilis amaritudinem, inique ſæpe culpatam.

QVÆSTIO XXV.

Cur lacticinia, Fructus crudi & muſtum ſæpe febrem revocant?

Lacticinia, fructus crudi, & vinum recens abunde turgent partibus acidis, quarum ſegregatio facta in ventriculo debili, demum febrem ante diſcuſſam, eiuſque ſymptomata revocat: Ideóque in rem Plinius uvas recentes febricitantibus noxias eſſe tradit: Ex accidenti tamen aliquando ab illis diſcuſſam fuiſſe febrem conſtat, ſi larga copia vindemiarum tempore ingeruntur; vt plurimum enim alvi fluxum excitant, ſecum pravos & vitioſos, quoſcunque humores obvios abripientem cum fermento febrili: Idem de vino pendulo quod de recentiori iudicium ferendum eſt, quandoquidem eius tartarus, vel fæx, vino iterum ſi remiſceantur, acorem ipſi conciliavit, ac proinde idoneum reddidit ad fermenti febrilis reſtaurationem: Eadem de cauſa per aliquod temporis intervallum, ſanitate adepta, abſtinendum à piſtoriis operibus, ſalſamentis, opſoniis, condimentis, & ſimilibus. quæ quod fere partibus acidis, acribus & igneis conſtent, in ventriculo debili æſtum & tumultum cient, nec facile concoctionem ſubeunt, vnde labor &

moleſtia partium coctioni & digeſtioni dicatarum, qua de cauſa incaleſcit maſſa ſanguinea: Ideoque minime mirum ſi ſæpenumero recidivi occurrant morbi, quandoquidnm non pauci ægri in medicos imperium affectant, nec ab iis ſe regi patiuntur, appetitui & gulæ indulgentes: Alij ſtatim ac à morbo liberati ſunt, medicina ſe omnino carere poſſe exiſtimant, ac Medicos cum Pharmacopœis convenire, in augmentum rationum nominum: Quæ forſitan ratio eſt cur aſſumpto remedio Medici Angli, ægri minus recidivis patent, enorme enim pretium quo comparatum eſt, in cauſa eſt vt nullus in dozibus reſtrctus ſit, ſed liberaliter aſſumat: Revera enim veriſimile non eſt dum id genus remedii vſurpatur conceſſum eſſe ægro nullis ſe diætæ legibus obſtringere; atq; ſatis illi virium eſſe ad arcendam generationem novorum fermentorum, quæ error in victus ratione accerſere valet in eo qui fruitur valetudine reduce, ſemeſtri aut menſis ſpatio poſtquam ab illius vſu deſtitit. Cæterum febres quæ pertinaces fuere, & organis inſignem iniuriam intulere, in recidivas multo procliviores ſunt quam ſi poſt priores paroxyſmos expugnatæ ſint.

QVÆSTIO XXVI.

An detur remedium aliquod Febrifugum ſpecificum, febribus qualitate occultiori adverſum, Idémque univerſale?

Qualitates occultæ ignorantiæ humanæ commodiſſimum aſylum & perfugium, quod naturæ penetralia nequaquam attingit, nec ſat eſſentiam naturæ operum detegit: Porro in confeſſo eſt id quod nos latet, non immerito occultum vocandum eſſe; imo plurima in rerum natura extare, quæ ſemper facilius ſit, atque etiam decentius adminirari quam penitius ſcrutari: Attamen, quantum dabitur, declinandum erit illud aſylum, atque me iudice, iuxta principia à me conſtituta, non adeo arduum erit naturam exploratam habere remediorum quæ vulgò ſpecifica audiunt: Quin quinam nequaquam in ſcenam adduxi, eo quod medicus quidam Pariſienſis celeberrimus, quem ſubmiſſe veneror, ſuppreſſo nomine libellum de ab eo remedio edidit; Idem eſt libellus quem Dom. de Blegny, partum eſſe credidit medici Lugdunenſis, quia prior illius editio Lugduni facta: Id porro addidero, vbique, in plantis, & in animalibus reperiri poſſe, atque inde deduci Febrifuga; Neque enim animo fingendum Naturam adeo parcam fuiſſe & iniquam noſtris regionibus, vt neglexerit productionem alimentornm & medicamentorum conſervandæ vitæ idoneorum: ſæpiſſime occupati animi vitium eſt, quo ex Indiis, cæteriſque exteris regionibus, allata medicamenta ſuſpicimus, & veneramar, deſpi-

cimus

cimus ea quæ horti noſtri proferunt : Si nobis deſint ſena , rhabarbarum & caſſia, in vicem proſtant & conceſſa ſunt folia & flores perſicorum, roſæ, rhamnus catharticus, & mille alia purgantia, fructu non inani exhibenda : Itidem dummodo planta aliqua, aut plura ſimplicia ad vnius compoſitionem congeſta, arte Chimica, aut vulgata præpararione Galenica, polleant dotibus quas requiri diximus ad veri Febrifugi conſtitutionem, nemini dubium ſit quin ſperatum edant effectum, ita vt nequaquam neceſſe ſit ad qualitatem occultam confugere. Hoc vero conſideratione dignum, atque ad firmandam noſtram hypotheſin de Febrium cauſa plurimum facit, plantas ſcilicet omnes, aliaque medicamenta, hactenns ad curationem febrium jactata, omni aciditate, quæ cum fermento acido convenientiam habeat, orbata eſſe, ex oppoſito amatitiem poſſidere, adſtrictionem, calorem, ac præterea ſalia volatilia & alkalia, omnibus acidis infenſa & contraria, qualitatibus manifeſtis febres oppugnantia : ideoque vtiliter, (adhibitis præcautionibus & præparationibus requiſitis) in vſum ducere licebit pulverem viperarum, earundem ſalem, piper, nucem moſchatam, ſulphur, abſinthium, fraxini corticem, radicem contrayervæ, verbaſcum, gentianam, valerianam ſylveſtrem, ſemen ſinapi, ſalem armoniacum, ſalem tartari, ſalem centaurii, veronicam, panacem carduum benedictum, angelicam, chamæmelum, iuniperum, ſalviam, rutam, hypericum, galegam, verbenam, plantaginem. centaurium, chamedryn, vrticam, aſarum, chelidonium, betonicam, théam, caphé, opium, antimonium, ſuſſafras, gaiacum, ipſum etiam mercurium.

Ex mea quoque ſententia veriſimile non eſt vnum idemque remedium omnibus febribus æque convenire, quibus ſexcentæ circumſtantiæ varietatem inducere poſſunt : Nec tamen inficias ierim quædam extare, quæ vel natura vel arte omnes fere dotes, in legitimis febrifugis requiſitas, poſſideant: Porro ſicut imperitus coquus ex optimis cibariis ingratum ferculum paraverit; qui contra artem callet ex vilibus opſonia optima confecerit; idem iudicium eſto de Medico in arte parum exercitato, qui fortuna tantum duce voti compos fiet : cum vice verſa is qui arti ſeriam navaverit operam. aut per crebra experimenta peritiam adeptus erit, is ægros ſuos citius à morbis liberaturus eſt, etſi pancis vſus remediis.

Id denique ratum habeo à quovis Medico excogitari poſſe febrifuga, eaque tempeſtive exhiberi, dummodo illi recte perſpecta fuerit febris indoles in genere, ac ægrorum ſingularis conſtitutio ; Illuſtris Dominus de Mayerne, Regis Britanniæ Medicus, cui inter cæteras dotes inſignis erat notitia materiæ Medicæ, in parato habebat aquas &

alias compoſitiones febrifugas, ex plantis noſtratibus confectas; qua de re mihi conſtat ex manuſcriptis penes me aſſervandis.

Eapropter cenſeo decere Medicum nihil prætermittere, imo periculum facere remediorum quæ inſolentia videntur, dummodo in vitæ diſcrimen ægrum non coniiciant: Iecur leporis, aut felis, in fumo ſiccatum, & ex vino hauſtum, cuipiam riſum movebit, attamen a peritis quibuſdam commendantur: nec ſine ratione Febrifugi nomen adipiſci queunt, quandoquidem partes illæ ſale alkali volatili abundant, non ſecus ac ſanguis ex quo conflatæ ſunt: Authorum libri ſimilibus turgent, quorum electioni proculdubio animus adhibendus, ne forſan ab illis temere exhibitis æger in peiorem morbi ſtatum adducatur, Sed Epiſtolæ metas tranſgredior Vale &c.

Lugduni 12. Decembris 1680.

ZODIACI MEDICO GALLICI

SIVE

Recens in Re Medica & Naturali Exploratorum Februarius Anni 1680.

OBSERVATIO I.

STOICHEIOLOGIA.

VEL

Proluſiones novæ PHYSICÆ Magiſtri Mailloti, Medici Thireenſis.

CAPUT I.

De Gravitate & Levitate.

NISI in idem coinciderent Philoſophiæ & veritatis ſtudium, adhibitus quivis labor pro re ipſa qua ſenſibus tantum illuderent, reportaret & phantaſiæ tantum figmenta, non reapſe exiſtentia homini compararet, quæ ſpecie veri animo oblata avium illum per mille errores à veritatis tramite abducerent: Effari enim liceat de iis qui dogmata Socratis, Platonis, Ariſtotelis, aliorumq; plurimorum celebrium authorum ſectantur, ſola nominis celebritate, & authoritate inde comparata inter doctos inſignium, ipſos non philoſophiam ſectari, ſed cœcorum more dogmata ſingularia & fallacia amplexari tanquam principia indubiæ veritatis, tanquã faſcino aliquo occupatos, quaſi adſtricti eſſent totam genii & in-

E

genii,vim ſubmittere duræ ſervitutis iugo: Quiſquis ergo fallaciam declinare intendit,ratum habere debet veritatem gaudere privilegiis & libertate, omnino anteponendis philoſophorum omnium maxime ſplendidis ſententiis, ac fucatis omnibus argumentis ab arte excogitatis:Eam in rem memoriæ occurrit ſermo olim à Sapiente quodam Hebræo coram Rege tunc tẽporis potentiſſimo habitus, *Veritas maxima eſt*, ait ille, *ac cæteris omnibus rebus ſupereminet: Omnis terra veritatem profitetur, cœlum illi benedicit: Illius cauſa omnia contremiſcunt, illámque timenti nihil quicquam iniquum cohæret; ſtat illa, valida & inconcuſſa in æternum, vivit & regnat in ſæcula ſæculorum.* Totius ſermonis hoc ſolum fragmentum adduco, vt conſtet Hebræum illum præmium retuliſſe,illi deſtinatum qui omnium elegantiſſimam & validiſſimam ſententiam proferret.

In ea etiamnum ſemper fui, nemini vnquam fidem adhibendam qui à veritate aberraret, ſervata penes nos poteſtate ad examen revocandi præcepta à præceptoribus noſtris tradita, quibus iniuriam proculdubio nullam illaturi ſumus ſi compertam veritatem amplexi fuerimus. Quamobrem æque mihi ac cæteris concedendum iudico ius ad trutinam ponderandi quæcunque mihi occurrunt, nemini adſtricto; rei ipſi non minus quam authori cedendo: Propoſiti tenaci contigit mihi evolventi quoſdam libros Ariſtotelis, vt fortuito inciderem in primum caput libri quarti de Cœlo, in quo inſignis ille Philoſophus de Gravitate & Levitate agit; quæ res mihi ſingulari quadam ſpeculatione indigere viſa eſt, ac tandem impulit ad examen naturæ Elementorum.

Quo materia hæc vt decet in cognitionem veniat, id primo perpendum Philoſophum hac vti diviſione,*Gravia* ait, *& Levia conſiderantur partim ſimpliciter in ſe ipſis, partim comparative ac relative ad alias res*: Si Leve, aut Levitas, abſolute & per ſe conſiderentur, *eſt id quod ſurſum fertur*, ait,*hoc eſt quod ad extremum fertur*: Grave autem,aut Gravitas,*id quod deorſum fertur*, hoc eſt id quod ſponte vergit aut tendit ad centrum mundi: At vero ſi perpendatur Levitas comparatione facta ad majorem Gravitatem, demonſtrat *id eſſe quod minus celeriter deorſum fertur*: Itidem Gravitas, reſpective ad majorem Levitatem conſiderata, ex illius ſententia *Id eſt quod celerius deorſum fertur*: Exempli gratia plumbum & ſuber, corpora duo ſunt gravia, ad centrum tendentia; at vero quia plumbum celerius deorſum fertur quam ſuber, dicimus plumbum eſſe grave, ſuber autem leve, idque reſpectu & comparatione facta vnius ad alterum: En explicationem diviſionis Ariſtotelicæ.

Ergo

Ergo, iuxta illius ſententiam, ignis ſemper à medio fertur ad extremum, vel ab inferioribus ad ſuperiora; hoc eſt, ille tranſcendit cætera elementa: Terra autem, motu contrario donata, perpetuo ad centrum mundi vergit, in quo quieſcit naturaliter: Ex eiuſdem quoque placitis, Aër & Aqua, ab ipſo locata inter Ignem & Terram, motus etiam ſibi invicem contrarjos obtinent, hoc eſt, Aër verſus ignem accedit, & aqua ad terram, pro cuiuſque elementi prædominio: Atque huiu modi ſurbordinationis partium ratione habita, dicimus Aërem eſſe levem, Aquam autem gravem.

At ſi paulo exactius ad rationis trutinam motus illos contrarios, Aſcenſus & Deſcenſus, quos Ariſtoteles Elementis aſſignat, revocaverimus, manifeſtum fiet Levitatem illam, quam ait à centro ad extremum tendere, neque in commodum Naturæ, neque vniverſi perfectionem quicquam conferre: Gravitatem autem, hoc eſt, vergentiam aut inclinationem elementorum omnium ad centrum, multo magis illis competere; Nemo enim non facile percipiat gravitatem, aut inclinationem elementorum omnium, cum ad vnicum punctum vergit, colligere & coadunare ſimul partes omnes elegantis iſtius machinæ; ac Levitatem, quæ à centro ad circumferentiam fertur, non alio vergere quam ad diſſolutionem iſtius vnitatis, ac compagis admirandæ partium vniverſi divulſionem: His conſtitutis, dicimus Levitatem, comparatione facta ad rem aliam quæ minus gravitet, à Philoſophis admitti debere, eo quod non alio ſpectet quam ad vniverſi conſervationem in ſua perfectione: At vero Levitatem in ſe conſideratam & ſimpliciter, à Philoſophia explodendam, quippe quæ vniverſi deſtructionem ſpectet: quæ in ſequentibus manifeſtiora fient.

Iuxta hanc noſtram hypotheſin Levitas, quæ minor eſt gravitas, ac maior, Gravitas, ſibi invicem non adverſabuntur, quin potius correlativæ erunt: Perpendendæ enim tanquam lances bilancis alicuius, duo pondera inæqualia continentes, quarum quæ deprimitur, gravis dicitur; quæ ſurſum fertur, levis, etſi vtraque gravitate ſit donata, ac per motum naturalem ſponteve ad centrum ferantur: Reſpectus tantum, aut relatio, iuxta maius aut minus, inter duo hæc pondera, in cauſa eſt vt dicamus alterum altero gravius eſſe, aliud levius aut minus grave:

Ex dictis non difficulter quivis percipiat Elementa verſus centrum mundi ferri debere: Si rationes id ipſum evincentes accurate conſideratæ fuerint, res extra dubium evadet: conſtat apud omnes Mundum ex partibus diſcrepantibus conſtitutum eſſe, illius perfectionem in vnitate poſitam eſſe, ac proinde neceſſario requiri centrum aliquod

illius vnitatis, quo partes omnes ſpontaneo motu & inclinatione naturali ferantur: Hæc demonſtrationis legibus fulta ſunt: Si ergo ex partibus mundi aliæ ad centrum vnitatis ferrentur, aliæ ab eodem centro recederent, pulchritudo eius & perfectio ſtare neutiquam poſſet, quin tumultus & confuſio excitaretur: Et hæc quoque in confeſſo eſſe debent, ſi enim motus ad centrum cauſa eſt illius vnitatis, motus, per quem partes recedunt, illius interitum & confuſionem tantum portendit.

Et hoc præterea addidero, ſi motus quiſpiam naturaliter ad centrum ferretur, alius vero ad extrema, motus illos diverſi fore generis: Primus finitus eſſet actu & potentia, eo quod centrum finitum eſt & terminatum, atque in eo deſinit omnis motus tanquam in quiete perpetua: Alter ex oppoſito finitus eſſet forte actu, ſed infinitus potentia; motus enim quia ad extremum fertur nullos habet terminos ac procedit in infinitum: At motus eiuſmodi conſentire nequit ordini a natura conſtituto.

His tertia accedat ratio, cum figura rotunda omnium ſit perfectiſſima, illam vaſtæ illi machinæ cenceſſam fuiſſe liquet, ac præcipuis illius partibus: Res ſenſibus patet, Terra eſt rotunda, & Aqua (ſi illius ſufficiens eſſet copia qua altiſſimos montes cooperiret) æquilibraret vniverſam terram, ac ſimul cum ea globum mathematicum conſtitueret: Nec dubium eſt Aërem, qui fluidus eſt, eodem modo ad æquilibramen aquæ circumfuſum iri, globum cum cæteris duobus elementis producturum: Rotunditas illa aliunde non deducenda eſt quam à motu quo elementa verſus centrum vergunt: Si enim ex iis quædam ſurſum ferrentur, alia vero deorſum, non globus inde exſurgeret, ſed figuræ tantum angulares & inæquales, vnde proditura eſſet enormis deformitas in mundo, ac admirabilis illius ſymmetriæ deſtructio.

Nulla me iudice ſubeſt difficultas circa ea quæ protuli, de Aëre, Aqua & Terra; moveri autem forte dubitatio aliqua poſſit de Igne, cuius motus eſt ad ſuperiora; Sed cum quædam ſingularia meditemur quoad id elementum, paucula hic ættingere lubet; Primo ratione motus Ignis, dico ipſum aut vi inſita in infinitum ſurſum aſcenſurum, niſi a Lunæ cœlo cohiberetur, ſicuti finxit Ariſtoteles, aut ſolum ad ſupremam aëris regionem delatum iri, in quo ſubſiſteret tanquam in loco quieti illius aſſignato; Prior ille motus naturæ commodo repugnat, Poſterior hypotheſim noſtram non deſtruit: Si enim in ſuprema aëris regione conſiſtit, indicio eſt illum Aëre leviorem eſſe: Aqua terræ ſupereminet, quia hæc illa levior eſt; Aër autem ſupra

Aaquam

Aquam evehitur, quia hac minus gravis eſt: Etſi ergo Ignis ſupra aërem conſiſteret, ideo non prohiberetur quin ignis, non ſecus ac cætera elementa, verſus centrum inclinaret, vna cum illis orbis globum conſtituturus, perfectionemque illius & vnitatem conſervaturus.

At contra hunc motum Ignis, cuius rationem mox tradituri ſumus, dico ſi Ignis aſcenderet, & Terra deſcenderet, Igni & Terræ naturam & qualitates, contrarias adfuturas, iuxta Ariſtotelem, ex cuius mente ſuperius & inferius, medium & extrema ſunt oppoſita, nihilominus tamen conſpicimus terram & ignem ſimul ſubſiſtere, nec qualitates incongruas habere.

Forſan iterum quiſpiam obiecerit, ſi Ignis materiæ craſſiori & graviori non cohæreret, illum ſupra cætera elementa evectum iri; Concedo vltro Ignem in culinis noſtris vſitatum, vel flammiam illam quæ materiæ terreſtri adnexa eſt, ſurſum pyramidali forma evehi; At vero quem latet res plurimas craſſiores & terreſtres eodem motu donatas eſſe, ſicuti fumum, vapores, exhalationes, quæ demum in imbrem reſolvuntur, grandines, ventos, ignem, fulgura, centrum verſus demum reditura? Non ergo quicquid ſurſum fertur motum illum obtinet a principio interno ac ſpontanea inclinatione.

Si porro ratio quæratur, cur corpora gravia, contra propenſionem nativam aſcendant? Reſpondeo rationem in promptu eſſe: Perpendendum quippe eſt omnem rem motu donatam, aut moveri quoquo pacto habilem, ſive à principio interno ſive ab externo, neceſſario opus habere ſpatio in quo moveatur, alias immobilem eſſe: Ex naturæ decreto hæc pendent; Exempli gratia, ſi pila ſphæriſterij incidat in corpus durum & læve, illa reflectitur & reſilit, quia vis & motus illi impreſſus non ſatis validus eſt vt eius ope obtinere poſſit ſpatium pro ſuo motu perficiendo vltra ſuperficiem illius corporis duri: Tranſitus ergo cum illi denegatur a reſiſtentia & duritie prædicti corporis duri, in motu ſuo pergit reſiliendo; Sin corpus illam excipiens non tanta ſit reſiſtentia donatum ac motus pilæ ſit validus, perdurat illius motus vltra ſuperficiem illius corporis, vt videre eſt ſi ceciderit in aquam, vel quampiam materiam mollem & friabilem.

Quo res clarius præterea innoteſcat, familiaria aliquot exempla adducturus ſum, primum hoc eſto, Si aquam baculo firmiter percuſſeris, plurimæ guttæ ſurſum exiliunt contra motum illius naturalem, ac contra baculi intentionen (ſi ita loqui fas eſt) aquam verſus centrum deprimentis quo naturaliter vergit: Cum ergo ſpatium non habeat aqua quo ſe movere poſſit verſus centrum, in aëre movetur aſcendendo: Demum, Si in vaſe aliquo aquam circumagitaveris, nun-

quam niſi aſcendendo movetur, quia ſpatio caret verſus fundum vaſis ad quod ſe movere queat: Idem contingit ebulienti aquæ, quo enim maior ebulitio, eo celerius aſcendit:

Dicimus ergo eadem ratione ignem aſcendere, aut potius movere, ac ad aſcenſum impellere materiam cui adhæret: Cum enim naturalium agentium ſit vehementiſſimum, motu perpetuo ab inſito principio donatum, neceſſe eſt vt moveat materiem, à qua detinetur, in aërem, in quo nullam nanciſcitur reſiſtentiam, aut ſaltem admodum debilem; non vero verſus centrum, in quo aqua & terra illius motui adverſantur, nec vllnm concedunt quo libere actionem ſuam exerat ſpatium.

Sed revera accurata diſtinctio adhibenda eſt inter Ignem noſtrum, materiæ terreſtri intricatum & craſſiori; & Ignem ab ea expeditum, ſcilicet Lumen, proprie dictum ignem: Ignis noſter dum commovet materiam cui adhæret, illam ſurſum evehit; Lumen autem vndique diffundens radios forma ſphærica, neque ſurſum neque deorſum inclinat, ſicuti lumen ſolis ac cuiuſvis lucidi corporis: Rei veritas aperta eſt in candela accenſa, illius flamma materiam agitans, ac aërem contiguum, inferne ſurſum illam commovet: Novus aër ſuccedens eundem motum ſequitur, adeo vt motus ille aëris ſuperne deorſum, ac compreſſio flammæ ab ipſo facta, vndique illam arctando, pyramidis formam illi inducat: Lumen autem ab eiuſmodi flamma productum, nulli materiæ craſſæ adnexum, in formam ſphæricam diffunditur, ac radios circumquaque ſpargit, ſicuti ſuperius diximus.

OBSERVATIO II.

Magiſtri CARONII, Chirurgi Iurati Belovacenſis.

Teſticuli duplices.

MAgiſter Caronius ſub cura ſua habens quendam ægrum, in eo deprehendit duos Teſticulos ex vtraq; ſcroti parte, non procul à ſe invicem diſſitos: quorum vnuſquiſque differentia vaſa ſpermatica obtinebat: Vnde colligere eſt quanti momenti ſit in iudicio ferendo de Herniis, vt prius partes illæ ad examen accuratiſſimum revocentur: ne partes numero excedentes in ſpeciem veniant ſarcomatis, aut alterius tumoris contra naturam.

OBSERVA-

OBSERVATIO III.

Eiuſdem.

Vulnus capitis inſigne non lethale.

QVidam lapide acuto vulnus in capite inflictum fuit, per quem non ſolum tranſverſim totus muſculus crotophita inciſus fuit, hoc eſt fibræ illius carneæ, eius tendo, imo arteria temporalis illum percurrens, vnde inſignis hæmorrhagia vix cohibita, ſed & præterea tam valide contuſum cranium, ac membrana id obvolvens, vt exinde prodierit ſquamma triangularis pollicem magnitudine æquans: Nihilominus tamen æger intra ſeſquibimeſtre omnino convaluit; nulla ſuperveniente febre neque phrenitide, aut convulſione, imo ne muſculi illius actione læſa: Hinc collige prognoſim de huiuſmodi vulneribus non adeo funeſtam inſtituendam ac vulgo authores iubent.

OBSERVATIO IV.

Eiuſdem.

Epiploon totum in hypochondrio dextro collocatum.

APerto cadavere D. Fayeti Bracheenſis, quem hydrops pectoris extinxit, Epiploon integrum in hypochondrio dextro repertum, inter diaphragma & iecur detruſum; præter modum pingue, trium librarum pondus excedens: Vnde manifeſtum fit partem illam ad diverſas imi ventris partes deferri poſſe, inibique inducere tumores, de quibus incertum ſemper ferendum iudicium, eo quod illorum materia præciſe internoſci nequeat.

OBSERVATIO V.

Authoris.

Vrinarum diſtributio per corpus.

ANtequam ſanguinis circulatio innoteſceret, Vrinarum diſtributionis ratio admodum intricata erat & obſcura: In aperto erat excipi illas à renibus antequam in veſicam deferrentur; at nullus mente concipiebat quomodo prædictæ partes illas allicerent ex ſingulis & cæteris corporis partibus; vt nec quo alio pacto illuc poſſent abſcedere: at vero à quo tempore manifeſtum fuit ſanguinem perpetuo

in gyrum volvi in arteriis & venis, mediantibus anaſtomoſibus, illarumq;ue continuitate, iure illatum fuit ſerum totius maſſæ ſanguineæ evadere poſſe per poros vaſorum emulgentium, ſicque in pelvim renum inſtillari, per vreteres poſtmodum in veſicam vſque deſcenſurum.

Interim ij qui accuratius nuperrime inſpexere quæ in corpore humano geruntur, poſtquam obſervare terebinthinam, allium, aſparagos, & alia eiuſmodi ore aſſumpta vrinæ odorem conciliare, quæ in ſero ſanguinis non deprehenditur: Vtrunque hunc liquorem raro quoad conſiſtentiam & colorem ſibi invicem reſpondere: porro aquas minerales, vel alios liquores diuretica vi præditos, pauciſſimo tempore poſtquam aſſumpti ſunt effundi, multa cum veriſimilitudine iudicarunt vrinas, ex parte ſaltem, aliquod excrementum eſſe primæ concoctionis, ad cuius ſeparationem fabricata eſſent organa magis idonea quam quæ ſanguinem continent.

Revera, non ſecus ac chylus neceſſario expurgandus eſt a ſuperflua quantitate maxime terreſtrium, & craſſiorum partium in eo contentarum, quo propemodum acquirat fluiditatem ſanguinis, cuius eſt propinqua materia, aquea corpuſcula, quæ liquiditatem nimiam illi conciliarent, ab illo ſegreganda ſunt priuſquam in cor deferatur, quandoquidem immediate ab hoc viſcere in vaſa ſanguifera deſertur, nulla vtique prius facta in illo puri ab impuro ſegregatione; alias contingeret iis qui paucum cibum, multum vero potum ingerunt, maſſam ſanguinis multo perpetuo ſero ſcatere, & plus quam ad nutrimentum partium requiritur; ſicuti e contra futurum eſſet vt qui plurimum comedunt, parum vero bibunt, proculdubio in iis craſſiorem futuram, viſcidiorem & motui qui illi neceſſarius eſt, ineptiorem, ſi quæ materia fæces alvi conſtituit commeatum haberet cum cæteris chyli partibus in venas lacteas, ad eoſdem vſus.

Admodum ergo veriſimile eſt eam partem chyli quæ ad cor defertur, in ſanguinis materiam ceſſuram, prius defæcatam fuiſſe & liberatam a quibuſcunque ſordibus craſſioribus, imo etiam liquidioribus, ac proinde chylificationem conſequi duo excretionum genera, quarum quæ ſeri eſt forte non minimi eſt momenti: Atque hinc ratio petenda cur Lac, quod revera aliud nihil eſt quam portio chyli, recta ad mammas delata, conſiſtentiam ſanguini propemodum ſimilem ſemper obtineat, ſaltem in nutricibus proba valetudine fruentibus.

Cuncta hæc probant dari organa per quæ chyli pars feroſa filtratur, & directe transfertur in renes, atvero res in obſcuro eſt quænam ſint illa organa: Ego vero iudico illa vaſa eſſe Lymphatica, à Rudbec-

Rudbeckio, Anatomico Sueco reperta, à glandulis meſaraicis ad renes vſque exporrecta: Fateor quidem ab Autore alium non aſſignari vſum præter quam ex renibus haurire ſerum, quod, ex illius mente, ad glandulas meſenterij deferri debet, vt concedatur chylo fluiditas, quam in illo neceſſariam credit: Sed præterquam quod prædictum ſerum non modo foret inutile, ſed etiamnum noxium in iis quorum alimentum conſuetum pene totum liguidum eſt, non video quo innixus fundamento quiſpiam ſtatuat, id quod iam à maſſa ſanguinea ſecretum eſt, tanquam excrementum ſecundæ coctionis, poſſit iterum chylo commiſceri, deinceps referendum in cor, in partium alimentum ceſſurum.

At ex mea ſententia aliter res procedit, quam firmis rationum momentis confirmare licet, imo ad oculum demonſtrare, Nam Dom. *Buſſerius*, Chirurgus ſatellitum Regiorum, exactiſſimus Anatomicus, qui publice & ſæpius in diverſis animalibus vaſa lymphatica ſupra à me deſignata viſui obiecit, cum aliquando in mentem illi veniſſet filo circa medium illa conſtringere in animali, cui paulo ante apertionem eſcam dederat, obſervavit eam portionem dictorum vaſorum, quæ à ligatura renes ſpectabat, omnino inanem fuiſſe, ex oppoſito illam quæ ad glandulas meſenterij vergebat, ſero vrinæ omnino ſimili refertam.

At vero in Anatome nihil non deprehendimus huic opinioni conſentaneum; Venæ Lacteæ, devehendo in receptacula chylo dicatæ, non ſecus ac glandulæ meſenterij, intra duplicaturam eius membranæ deferuntur: Glandulæ dictæ idoneam nactæ ſunt conſiſtentiam ad exſorbendum id quod in chylo ſeri exuperat: Vaſa Lymphatica, de quibus hic agimus, eo modo conſtituta ſunt vt facile haurire poſſint ſerum in dictis glandulis contentum, atque illud ad pelvim vſque renum, quo pertingunt, deferre: Tandem, quæcunque ſit copia illius ſeri, exiguo admodum temporis ſpatio id convehere valent, quia vtrinque numeroſa exiſtunt, ſufficienterque ampla & cava vt eorum aditus inveniri queant, etiamnum in cadaveribus, ope ſetæ porcinæ craſſiuſculæ.

Cæterum præter multos vſus ex hac exploratione hauriendos, hic meo iudicio eximius eſt, ſcilicet cum de morbis internis iudicium ferendum eſt, inutilem eſſe vrinarum inſpectionem effuſarum, paulo poſt hauſtos liquores aperiendi vi præditos, quandoquidem maxima illorum pars ſolum vias a me memoratas permeavit, ac proinde nulla adhuc illis inducta alteratio ab affectibus aliarum partium.

OBSERVATIO VI.

Dom. BELINI Medici Vaſlanienſis.

Menſtrua per oculos excreta.

Puella macilenta & parvæ ſtaturæ, octodecim annos nata. hæmorrhagiam oculorum paſſa eſt, nam lacrymarum inſtar extillans humor in illis dolorem & inflammationem pariebat: Id genus ſymptomatis, quod prima vice pene quatriduanum fuit, toto illo tem poris decurſu comitem habuit inſignem cephalalgiam, ad tempus deſituram, ſed menſe elapſo cum iiſdem ſymtomatis recurrentem: Duobus iterum menſibus elapſis, ac periodico ſemper reditu & ſtato prædicti affectus, in dubium revocare nolui menſtrualiſne eſſet ea excretio, quæ cũ liber nõ concederetur exitus ſanguini obſtante in viis aliquo impedimento quo minus ad vterum perveniret, is ad cerebrum vſque confluxiſſet per quas partes deinceps exitum nactus eſſet, ritu lacrymarum, iuxta ſententiam Dom. Carteſij: Ac revera Puella dicta certiorem me fecit à tempore pubertatis per nullam viam ſanguinem exitum molitum eſſe: Quamobrem ſanguinem e brachio primum, deinde e pede mittendũ curavi, nec non vſum ſyrupi ex artemiſiæ foliis & melle albo recenti confecti, quorum ope adeo feliciter revocati fuere, vt deinceps ſtato & tempore & ordine redierint, nec toto illorum decurſu, vel inter vtramque periodum intervallo quicquam moleſtiæ vel in oculis, vel in cæteris partibus ſuperioribus perceperit, etſi exactum ſit ab iſta cura integrum nonimeſtre intervallum.

OBSERAATIO VII.

Dom. GVENIOTI.

Febris Quartana Singularis, & Fruſtulum Carneum vomitu rejectum.

Medici eruditi & periti, quanquam conſervandæ valetudini conſulant, multiſque periculis obviam eant, quibus plerique obnoxij vivunt ſuſque deque vivendo: non tamen accuratæ diætæ præſcriptio eos perpetuo immunes & tutos à periculoſis morbis reddit; tot enim & tamvalidæ ſunt cauſæ, vt ſingulis obviam ire nequaquam Medicis conceſſum datum ſit, quin majora ſæpe emergant damma, & ipſis morbis quibus obviam ire intendunt, pejora; Quamobrem illis non ſecus ac cæteris incumbit neceſſitas præſidia vſurpandi aliis profutura, nec

nec ad curationem ſolum ſed & præſervationem: Rei veritatem declarabit exemplum ſequens.

Dom Gueniotus, Medicus Lagnienſis, affectu laboravit qui per bimeſtre ſpatium ſingulare nihil exhibuit. ac tandem in febrem quartanam abiit, a cæterarum ſorte abſimilem: Binos enim quotidie paroxyſmos patiebatur, quorum periodi erant ratæ, vnaquaque enim abſolvebatur tribus horis horroris, & ſeptem horis caloris, adeo vt intermiſſione ad ſummum trium aut quatuor horarum gauderet: Atque paroxyſmus Quartanæ reſpondens non modo cæteris duabus tribuſue horis productior eſſet, præterea ea vehementia conſpicuus vt etiam accederet delirium: Pituita, veriſimiliter illius febris cauſa, indeſinenter in ventriculi ſuperius orificium decumbebat, ac inducta nauſea cum ciborum faſtidio ad inteſtina vſque præceps deferebatur, vbi ſubſiſtens fermentationem quandam inducebat. ex qua qui excitabantur fumi intolerabilem ſitim excitabant, ac dolorem capitis ſine intermiſſione vexantem: Neque ſanguinis miſſio e brachio & pede inſtituta, neq; cætera remedia vſurpari ſolita, prohibere potuerunt quin prædicta febris ad ſex ſeptimanas extenderetur; ſed tandem catharticum exhibitum curationi colophonem impoſuit, quod, contra ægri aſſuetudinem, non antequam horæ quatuor exactæ eſſent operationi ſe accinxit; quo tempore elapſo intenſus vomendi conatus adfuit, ad ſyncopen vſque ipſum deducens; ex qua rediens, poſt multos impetus irritos aquarum inſignem copiam excluſit, ac præterea maſſam quandam pollicis magnitudine, longam tres tranſverſos digitos: quod corpus extraneum ſtatim ac reiectum in ſeſe contractum fuit, poſtquam vero aliquandiu in aqua, qua cum excluſum eſt, ſubſtitit explicatum eſt; Aſſidentes animalculum quoddam informe & vivens credidere, at re ſedulo explorata, nihil aliud eſſe deprehenſum eſt quam carnem fibroſam, albam, ſolidã, duobus extremis æqualim, ac per totam longitudinem membrana æque valida ac eſt cutis humana coopertam.

Ab hac vacuatione æger ad ſummam debilitatem deductus eſt; expertus præterea pituitæ e capite in ſuperius ventriculi orificium delabentis pertinaciam, vnde faſtidium ad interitum deducens, nominatim vero alimentorum dulcium, iuſculorum, elixorum vel humectantium; ſuperſtite quoque ignis voracis ſenſu in viſceribus, fumos adeo acres in caput tranſmittentis, vt vehemens & indeſinens in eo pulſatio deprehenderetur: Attamen purgantium beneficio, ex intervallis repetitorum, adeo commodam nactus eſt valetudinem, vt iam ſe curru vehi patiatur, quam integerrimam vere proximo ſperat.

Cæterum inter plurima quæ ex morbi huius deſcriptione elicienda

eſſent, hoc vel maxime in conſiderationem veniat, nil magis metuendum quam à Medici meticuloſitate; qui hoc fundamento innixus, venæ ſectionem deberi humori orgaſmo agitati, purgationem autem quieſcenti, methodi violatæ reum ſe crederet ſi purgans præſcriberet priuſquam febris manifeſte de fervore remiſerit; Nam adde quod ſanguinis miſſione fermentum illius non demitur, etiamſi in vaſis conſiſtat, ex modo dictis colligere eſt ſæpiſſime febres foveri & induci ab humoribus, quos non alia ratione quam catharſi aut emetico eduxeris; à Medico tum demum præſcribendo cum æger illis ferendis amplius par non eſt.

Observatio VIII.

Authoris

Remedia adverſus Hydropem vterinum.

CVm duce experientia innotuerit remedium, certiſſimi plerumque effectus adverſus Hidropem vterinum, diutius illud latere non volui, ſed publici iuris facere.

Accipe foliorum ſabinæ & artemiſiæ ſiccatorum & pulveriſatorum cuiuſque vnciam ſemis, baccarum rhamni cathartici contritarum drachmas ſex, turbith drachmas duas, Salis armoniaci drachmam vnam: reducantur cuncta in opiatæ formam, addito melle, prius more ſolito præparato cum decocto abſinthij.

Exhibeatur prædictæ Opiatæ drachma vna cum ſemiſſe, horis matutinis. ieiunæ ægræ, & ſex horis à prandio per plures dies:

In huius remedij decurſu ſingulis diebus circa veſperam, paulo ante ingreſſum lecti, iniiciendus chyſter ſequenti forma parandus.

Accipe folior. Nicotianæ, vel herbæ Reginæ manipulum vnum, folior. abſinth. manipulum ſemis, radicum aſari tantundem: bulliant omnia per tres horæ quadrantes in tribus vini albi heminis; accipe prædicti decocti tertiam partem, in qua diſſolve ſalis ſabinæ drachmam ſemis, cum tribus vnciis melis mercurialis & matricariæ fiat Chyſter.

Eadem remedia menſibus revocandis ideonea ſunt, imo etiam Lochiis ſubſiſtentibus, ſi modo ægra febre careat: Expertus, nec ſemel, hæc propono.

OBSERVATIO IX.

Dom. BOIRELLI, Chirurgi Regij Argentanenſis.
Vullnus capitis inſigne, lethale.

VIr quidam ex oppido Carrouges, in venatione ſclopetum explodens, inſigni infortunio tubus à ligno diſſolvitur, adeo vt hoc retrorſum vi pulveris pyrij excuſſo, exemptilis cauſa integra fronti impacta fuerit, & animo prædæ ſpe occupato vulnus lethale non perciperet: Comites enim mirabundi prædam inſectantem intuentur, fiſtulam catapultariam, quatuor aut quinque pedes regios longam, extantem vnicornu inſtar gerentem: major vero illos admiratio ſubiit, tum demum rem ab ipſo animadverſam cum inclinato corpore prædam arripere voluit; fiſtulæ enim extremo terram feriente quid fronte gereret percepit, & quo in periculo verſaretur: Innixus ergo arbori, virium reſumendarum gratia, corpus illud extraneum manibus arreptum eximit, ſed eo majori conatu adhibito, quod oſſi frontis æque tenaciter affixum foret, ac ſi fabri ferrarii tenaculis pluteo infixis cohiberetur: Neque tamen ictus vehementia illum detinere illo in loco valuit, ſatis enim virium ſuperfuit ad domicilium repetendum, ſtadiis aliquot diſſitum: Primum vulneri apparatum adpoſuit M. Guernonius, Chirurgus in prædicto oppido, quo poſtridie conſilii cauſa advocatus fui: In oſſe coronali hiatum ſufficientem qui ſanguini extravaſato exitum concederet deprehendi; at cum nihilominus pauciſſimus prodiret, quod plurimæ occurrerent ſquammæ, ex ſecunda tabula oſſis coronalis deciſæ, quadamtenus loco motæ dum vi tubus catapultarius decuteretur, illas omnino eximere conſultum fuit, ſicque copiæ ſanguinis congeſti exiendi poteſtatem feci, prodeunte ſimul ſubſtantiæ cerebri fruſtulo, nucem iuglandem magnitudine æquante: Vulneratum tamen abſque febre atque graviori quopiam ſymptomate dimiſi; etſi inſignia vtplurimum grandia vulnera conſequi ſoleant: at ſuperveniens ſexto die febris, quam mox excepit ſpaſmus, circa finem ſeptimæ ægro lethum attulit.

Res prorſus admiratione digna eam vim fuiſſe oſſis coronalis, vt per aliquod temporis & ſpatii curriculum ſuſtinere valuerit pondus tubi ferrei inſignis longitudinis, implantata ſola cauda illius exemptilis. Vnde colligere eſt cōnexionem & contextum oſſium capitis, quæ ſimul coniuncta fornicis ſpeciem conſtituunt, ſoliditatem eam ipſis concedere qua validiſſimos impetus ſuſtinere valeat: At vero hoc in caſu maxime ſtupendum tantam fuiſſe mentis occupationem præ prædæ po-

tiundæ deſiderio, vt ictus vehementiam non perceperit; At tandem vitam tamdiu conſtitiſſe, adeo integris mentis & corporis functionibus, quarum integritatem (ſi excipias locum vulneratum) teſtatam fecit ſymptomatum conſequi ſolitorum abſentia.

OBSERVATIO X.

Authoris.

De Natura corporum mixtorum.

ETſi jam ante a me hypotheſis loco conſtitutum ſit, Formam principium eſſe æque vniverſale ac Materiam; inter vtrumque tamen hoc intercedit diſcriminis, Materiam ſufficientem ſui exhibere notitiam, ope ideæ genericæ à me traditæ; Ex oppoſito Formam vix animo recte intelligi poſſe, quo corporum natura nobis innoteſcat, quin progreſſus fiat deſcendendo in conſiderationem Formarum omnium particularium: quivis enim percipiet Materiam ſe ſibi ſimilem & vniformem ſemper exhibituram, & in omnibus corporibus, niſi accederent variæ diſpoſitiones quæ illi à Formis inducuntur: At vero res aliter ſe habet quoad alterum principium; certum enim eſt quicquid reperire eſt in rerum natura, cui Corporis nomen aſſignari poteſt, id nihil aliud eſſe quam congeriem & contextum plurium Materiæ partium, diverſimode figuratarum & formatarum, adeo vt, exempli gratia, ſi forma arboris pereat, detractis illi foliis, ramis, cortice & radicibus, non ſolum vna quæque illarum partium ſuam peculiarem formam habitura ſit, ſed iterum eadem illa forma arte chimica deſtrui poſſit, ac diſſolutione facta quinque numero diſcrepantes formas nobis exhibere, quarum itidem vnaquæque peculiarem ſibi formam obtineat, e quibus ſingulis iterum infinitæ aliæ omnino diſſimiles oriri queant, ſi res diviſionem ad vltimam vſque ſimplicitatem pateretur.

Conſpicuum ergo eſt vnicam eſſe Materiam in omnibus corporibus, ac quæ maxime inter ea compoſita ſunt, mixti nomen ea demum ratione admittere, quod diverſæ materiæ partes, quæ eorum compoſitionem ſubeunt, iam ante alias admiſere formas; Ideo, cum dentur corpora admodum ſimplicia, e quibus ea quæ mixta vocantur conſtant & compoſita ſunt; Eorum porro ſimplicitas inde tantum æſtimanda ſit quod vnica forma donata ſint, Formarum diviſio recte inſtituetur in ſimplices & compoſitas: Ac iuxta hanc diviſionem explorandum eſt primo, quomodo Natura primas illas Formas Materiæ indat, ac qualia ſint corpora ſimplicia ex iis formata.

Porro

Porro, non ſecus ac diverſitas entium materialium neceſſitatem denotat diviſibilitatis materiæ, ex diviſibilitate hac infertur nullum corpus citra motum oriri poſſe, quandoquidem abſente motu dividi non poteſt: Vnde ſequitur Naturam neceſſario & primo movere debere materiam cui formam indere vult.

Perſpicuum ergo eſt materiam, etſi ex ſe ſit diviſibilis, reapſe tamen dividi non poſſe niſi motus acceſſerit, vnde ſequitur motum primum eſſe accidentium quæ materiæ adveniunt in corporum productione: Eapropter plurimi Philoſophi pronuntiavere eum qui ſcientiæ naturalis notitiam habere voluerit, prius diſcere debere quid ſit motus, adeo vt ipſe Ariſtoteles crediderit neminem qui eum ignoraverit in Naturæ cognitionem devenire poſſe.

Iuxta hoc axioma, qui de rebus naturalibus aliquid conſcripſere, adeo diffuſe motus naturam tradiderunt, vt ſi quis referre vellet omnes definitiones, diviſiones, ſubdiviſiones & explicationes ab ipſis allatas, ingens proditurum eſſet volumen eam ſolum materiam complectens, at vero ideo magis inutile quod in rerum natnra motu nihil ſit notius, ac vel ipſi idiotæ citra actionem producere ſe nihil poſſe agnoſcant, & tandem, dum plurima ab ipſis eduntur in lucem, varias motus ſpecies ab ipſis induci, vnde conſtat quicquid de motu efferri poteſt, parum conducere ad augendam notitiam eorum quam a natura iam vnusquiſque nactus eſt, ac quicquid doctrinæ huius rei accedere poteſt, fere tantum ſpectare ordinem & rationem de eo diſſerendi.

Interim cum antiqui & recentiores Philoſophi varia de hac materia ſenſerint, ac præterea vtile ſit præciſe ſtatuiſſe quo ſenſu accipienda ſint ea quæ e Phyſica pendent, in quinta Diſſertatione daturus ſum obſervationes, meo iudicio neceſſarias ed exactam intelligentiam eorum omnium quæ in poſterum adducenda ſunt de motu corporum.

Observatio XI.

Dom. MOTTEI Chirurgi Illuſtris Domini Colbertij.

Bronchocelee curatio fortuita.

QVidam patria Munikenſis, quadraginta annos natus, cuius iampridem deturpabat collum Bronchocele inſignis magnitudinis, aſſidens fabro ferrario, ſoleas ferreas equo affixuro; dum vrget fabri miniſtrum vt compendium temporis faciat, veru ferreo acuto, recentiſſime è fornace educto, clavorum formationi deſtinato, percutitur; Ictus ille, quo Bronchocele tranſadacta eſt, primo horrorem in uſſit,

ſed qui poſtmodum in ingens gaudium ceſſit, exiliente enim affatim humore multo in grumos concreto, calculiformibus corpuſculis, lentibus ſimilibus admixtis, vno pene momento ſubſedit tumor, qui ante ad pectoris vſque regionem devoluebatur, vnde ſubſequuta ſuppuratione curatio integra breviſſime ſucceſſit.

Observatio XII.
Eiuſdem.
Hydrops Tubæ vterinæ.

Illuſtriſſima Comes à Nieupert, cum per duos annos ab inito matrimonio ſterilis fuiſſet, ventrem tamen in dies intumeſcere animadvertiſſet, ſpem veræ graviditatis animo concepit ad decimum vſque circiter menſem, quo tempore elapſo non abſque cauſa dubitatum eſt lateret ne mola vel falſum, vt aiunt, germen; At vero cum opinata illa graviditas diutius perſtaret, atque interim intumeſcentia amplius pergeret, irritis quibuſcunque remediis ad expulſionem eiuſmodi cauſæ præſcribi ſolitis, Vterus porro ab eū attrectantibus cum nec admodum gravis neque vltra modum tenſus deprehenderetur, affectus in illorum numerum relatus eſt qui & cognitionem eludunt & curationem reſpuunt: Interim duodecennio poſt graviditatis opinionem, & decubitum catharhi in Ægræ pectus, vnde excitata tuſſis imum ventrem concutiens; Imo cum recentis affectus gratia aperientes aliquas Potiones hauſiſſet, ex vtero inſignis aquarum copia effuſa eſt, quæ veriſimiliter ex Tuba vterina, in qua hydrops particularis excitatus fuerat, prodiens, non abſimilis illi quam paſſa eſt mulier Vltrajectina, valetudinem attulit, quam nulla ats medica conciliare valuit.

Observatio XIII.
Authoris.
Spina dorſi poſt obitum diſrupta.

Qvidam ſpatio quatuor aut quinque annorum inſignes dolores, vniverſam dorſi ſpinam per eius longitudinem occupantes paſſus eſt, quorum cauſa incaſſum adhibita fuere remedia quaſi renum inflammatione laboraſſet, nephritide, calculis, aliove quopiam renum affectu, appetitu interim ſalvo; quandoquidem edebat, & bibebat, alimenta

menta

menta optime concoquebat ad ipſam vſque obitus diem, qui ante circiter ſex hebdomadas contigit, Ea die cum proximis pro more prandium ſumpſit, à prandio in aliud cubiculum illi feceſſere; ad ægrum cum elapſa quarta horæ parte reverſi eſſent, eum mortuum humi ſtratum deprehendunt, cum ſpinæ dorſi diſruptione; id quod illi contigit veriſimiliter dum inclinato corpore matulam arrepturus fuit.

Relatio eorum quæ in cadavere, cuiuſdam Guillemar Pariſini, in vico dicto Mazarino commorantis deprehenſa ſunt à D. Amiens Chirurgo Regio.

Nos ſubſignati D. Medicus ac Mag. Chirurgi Iurati Pariſienſes, certum facimus vocatos nos fuiſſe aperiendi cauſa corpus defuncti Mag. Guillemar, quo quoad exteriora luſtrato, in iis nihil ſingulare à nobis deprehenſum eſſe; Diſſectione autem inſtituta primo infimi ventris, ex eo illicò inſignis copia ſanguinis profiliſſe, poſtmodum ſublato ſterno, vniverſam thoracis regionem ſiniſtram ſanguine refertam à nobis repertam eſſe, ſed in grumos concreto: quamobrem cum ſtudio inquiſita cauſa tam prodigioſæ effuſionis, à nobis repertum tumorem inſignem, à ſexta dorſi vertebra ad primam vſque lumborum exporrectum, membrana validiſſima præditum coronati argenti craſſitie; lacera iuxta primam dictam lumborum vertebram, ea parte perioſtio deſtitutam, adeo vt poſtremæ duæ coſtæ nothæ ſpinæ amplius non cohærerent, conſideratis, membranaque abſciſſa Tumoris, hunc refertum comperiiſſe ingenti copia carnis carcinomate affectæ, imbutæ & obductæ pauco pure ac ſanguine in grumos concreto: Obſervaſſe præterea priores ſex vertebras inferiores dorſi,& primam lumborum, carue omninò corruptas, quaſi teredine corroſas, adeo vt ibi loci ſpina careret fere ſoliditate ac ſtabilitate; Imo ipſum diaphragma pertuſum, vt duobus digitis iunctis introitum concederet, Renem ſiniſtrũ & venam emulgentem eiuſdem lateris præterea diſcerptam ſe exhibuiſſe, totum vero imum ventrem ſanguine turgentem: Quamobrem cenſuimus paulo ante obitum cecidiſſe ægrum, ac tunc temporis diſrupta ſpina, ac vi & ſubito divulſis coſtis, quaſi motu elaſtico, inde ortum traxiſſe lacerationem partium ante deſignatarum, ac ſimul hæmorrhagiam inde conſequutam: Cæteras porro cunctas partes rite fuiſſe conſtitutas & conformatas, exceptis pulmonibus, qui flaccidi fuerunt iuxta lobos tumori proximos &c.

Observatio XIV.

Authoris

De natura Dentium, illarum ægritudinibus, & remediis illis deſtinatis?

Qvæstio I.

Cur dentes, cæteris oſſibus duriores carrei tamen magis obnoxij ſunt?

Responsio.

AD certiorem quæſiti, affirmative poſiti, ſolutionem, à limine diſquirendum In quo conſiſtat durities corporum; Ex Peripateticorum ſententia, qui corpus durum eſſe volunt id quod plurimam materiam ſub exigua mole comprehendit, in condenſatione illam conſtituunt: At hæc opinio cum concidat aquæ exemplo, quæ dilatatur vbi in glaciem denſatur, ſatius eſt Carteſianorum ſententiam amplecti, qui ſtatuunt duritiem effectum quietis partium ex quibus corpora conflata ſunt: ſicut Liquiditatem motus earum quæ Liquorem conſtituunt: At vero cum exinde ſequatur corpora, in quibus plus reperire eſt partium immediate ſeſe citra motum coutingentium, maxime omnium dura eſſe debere, conſequens proinde eſt validius illa reſiſtere debere partium ſuarum diviſioni, quamobrem proprie Duri vox illis competit.

Obſervandum autem eiuſmodi reſiſtentiam pro ea tantum accipiendam eſſe quæ nobis per contactum innoteſcit, cuius ope, exempli gratia, iudicamus corallia duritiora eſſe fibra cetacea: Si enim durities explicanda eſſet collatione facta ad effectus emergentes ex actione quorundam agentium, dicendum eſſet corallium, quod malleo ſtatim diffringitur, minori duritie præditum eſſe quam cetaceam fibram; quæ repetitis jctibus diutius reſiſtit, ac vix longoque tempore diſſolvitur; quæ propoſitio riſu eſſet excipienda.

Ideoque durities corporum, quæ tactus beneficio quoad maius tantum & minus diiudicatur, in differentes ſpecies dividitur reſpectu rerum eas diſſolvere valentium: Quapropter eorum quædam vocantur Ductilia, cuiuſmodi ſunt quæ, quod eorum partes invicem annulorum catenæ inſtar connexæ ſint, aut inſtar filorum funis, complicari & inflecti citra rupturam poſſunt, Alia Fragilia, qualia ſuntquæ quod contextu ſimplici gaudent, ac à ſola partium approximatione

ne conſtant, à ſe invicem divelli citra ruptionem nequeunt ac continuitatis jacturam.

Sicuti autem glacies, opera encauſta, talcum, quodcunque taudem corpus lucidum nobis cognitum, lumini ea tantum de cauſa tranſitum præbent quod poris gaudeant plurimis, ac ſingulis in compoſito partibus magnitudine pene æqualibus, non conflatis ex partibus inflexis, contortis & invicem complicatis, ſequitur exinde Dentes, qui diaphani ſunt, non modo fragiles eſſe, ac proinde inflexiles, ſed præterea penetrationi maxime obnoxios, ratione multitudinis & rectitudinis pororum, ad diſcrimen cæterorum oſſium, quorum partes ſatis intricatæ ſunt, pori autem quoque contorti, adeo vt inde opaca fiant, imo etiamnum flexibilia ſint, niſi à calore naturali inſignem nacta fuerint exſiccationem, aut per ætatem vt in ſenibus, aut ab aëre, vt in ſceletis.

QVÆSTIO II.

Cur à thure inducitur diſſolutio Dentium, citra gingivarum corroſionem, illis multo molliorum?

SOLVTIO.

Aromatica omnia in ſe obtinere debent inſignem corpuſculorum acidorum copiam, quo excitentur & commoveantur nervi odoratus ſenſui dicati: Acida hæc coniuncta habere debent plurima iguea corpuſcula, quo moveantur & ſurſum evehantur, quantum in illis eſt eo momento quo exhalatio contingit; illorum vero aculei quoquomodo retundi debent ab inſigni copia particularum ætherearum & in ramuſculos diffiſſarum, vt inde excitetur ſenſus gratus cum ad nares deferuntur; dolorificus alias futurus niſi quid corroſivam vim illis innatam obtundetet.

Ex his conſpicuum fit thuris particulas ſubtilliſſimas eſſe, acutiſſimas, ſumma penetrandi vi præditas, ac proinde mirum non eſſe ſi dum ab oris calore commoventur & agitantur, Dentium poros ſubeant qui recti ſunt, & poſtmodum hinc inde illorum particus ab invicem divellant, quæ (vt ante innui) per ſolam partium adpoſitionem connectuntur.

Gingivas quod attinet, quandoquidem ideo tantum molles ſunt quod conſtent ex materia ductili, de qua ſuperius actum eſt, tantum abeſt vt ratione iſtius partium mollitiei magis pateant actioni diſſolventium, ſubtilitate partium donatorum, vt potius ad reſiſtendum magis idoneæ ſint, non ſolum eo quod illarum pori ſatis aperti ſint ad concedendum introitum & exitum partibus dictorum diſſol-

ventium, ſed præterea eo quod iidem pori, cum neque recti ſint, neque ſibi invicem è directo reſpondeant, penetrationi locum concedere nequeant, neceſſariæ alias ad diſſidium & rupionem fibrarum gingivas componentium.

Qvæstio III.

Cur frequenter allia comedentes, cæteris cariei Dentium magis obnoxii?

Solvtio.

Itidem & hoc accidit quod Allium iiſdem propemodum partibus quibus aromatica conſtat; Revera odor illius ex eorum numero non eſt qui grate feriunt nares, at vero id ſolummodo contingit quod Acida, eius compoſitionem ingredientia, violenter agitantur ab inſigni copia corpuſculorum igneorum, ſicuti contingit in moſcho cum recens exemptum eſt ex animali in quo gignitur; quapropter penetrandi vi maiore pollet, ac proinde diſſolvendi quam corpora odorata, quæ leviter tantum narium nervos feriunt, adeo vt pruritus tantum gratus excitetur.

Qvæstio IV.

Cur ſaccharata Dentibus infeſta ſunt, nec tamen gingivas corrodunt?

Solvtio.

Ratio eſt, quia acidorum, quibus conſtat ſaccharum, magnitudo in proportione reſpondet magnitudini pororum dentium; quibus facile cum adhæreſcant, ratione humoris mucilaginei quo naturaliter obducuntur, levem ſaltem impreſſionem ibi initio relinquunt, quæ continuatione actionis augmentum ſuſcipiens, tandem hæc vſque eo pergit vt id quod vocamus cariem inducat.

Qvæstio V.

Quomodo fit vt caro inter dentes ſubſiſtens, ibique corrupta cariem pariat?

Solvtio.

Caro dum manditur dentium diſſolutionem inducere nono valet, at accedente putredine corpuſcula elementaria, quæ eius compoſitionem ingreſſa fuerant, ab invicem ſeiunguntur, diſgregantur & volatilizantur, atque acquirunt penetrationem a nobis aſſignatam corporibus, quæ ſat multas poſſident partes volatiles vt ex ſe fundere valeant exhalationes fortes & continuas.

Qvæstio

QVÆSTIO VI.

Cur Dentes magis afficiuntur à calore & frigore quam cæteræ partes corporis?

SOLVTIO.

RAtio eſt, quia duplex illud ſenſationis genus nunquam excitatur quam à corporibus ſubtilibus, quæ eo facilius dentium pervadunt ſubſtantiam ad nervos vſque eorum, quod, vti ante dictum eſt, donati ſunt ingenti numero pororum rectorum.

QVÆSTIO VII.

Cur Dentes minus ſunt duri interius quam in ſuperficie?

SOLVTIO.

QVia vaſa alimentum illis deferentia ad incrementum, partem illorum mediam attingunt, ramos ad exteriora vſque non diffundunt.

QVÆSTIO VIII.

Cur homo ſicut cætera animalia, dentibus exertis non naſcitur?

SOLVTIO

QVia his non æque cito ac illa indiget, cum ex cæteris animalibus ſolus homo diutiſſime illis carere poſſit. Id vero proportione reſpondet augmenti dentium tarditati, ad quod pene tertia pars ævi humani impenditur.

QVÆSTIO IX.

Cur opium denti carie eroſo immiſſum dolorem illius non ſedat?

SOLVTIO.

OPium cum interius aſſumitur, partes illius in vaporem ſolubiles ad aſcenſum impelluntur a viſcerum calore, adeo vt ad cerebrum vſque impulſi, eiuſque partem in qua nerui ſcaturiunt, valent (quantumvis craſſi) ſat alte eorum ramos pervadere ad intercipiendum ſpirituum animalium influxum; qui nimio impetu, & confuſe delati ad partes interiores, cum male affectæ ſunt, in illis dolorem pariunt: At vero etiamnum per experientiam notum eſt id cuti vt plurimum incaſſum admoveri, ſi dolores arthritici mulcendi, luis venereæ aut rheumatiſmi comites: Cum vero id tantum contingat eo quod illius medicamenti partes ea ſubtilitate non pollent, & penetrandi vi

qua ſubire valeant exilia nervorum filamenta quæ ad integumenta pertingunt, ſequitur inde non poſſe id inferri in nervulos dentibus ſenſum impertientes, niſi interius aſſumptum fuerit, illos ſubingreſſuram qua parte originem e cerebro ducunt.

QVÆSTIO X.

Cur Zinziber in pulverem contritum, ac ſpiritui vini inditum, per nares attractum, dolorem dentium mulcet?

SOLVTIO.

Ratio non petenda eſt ex eo quod partes horum medicaminum nervos ſubeant; ſicuti accidit opio per os aſſumpto: nam præterquam quod iſtiuſmodi miſtura ſoporiferorum naturam non ſapit, neque ea ſubtilitate partium pollet, neque volatilitate idonea qua eo vſque pervadere queat; At vero id potius contingit quod paulo validius concutiendo nervos odoratorios, ad ſe, verſus nares, poſſunt allicere ſerum ante in dentes carie affectos delabi ſolitum, tanquam in partes maxime debiles.

QVÆSTIO XI.

Cur fortia corrodentia dolorem dentium non ſedant, quandoquidem apta nata ſunt deſtruere nervum, quo deſtituti ſenſu carerent?

SOLVTIO.

Hoc accidit quia nervus in vnumquemque dentem fertur vſque ad radicis illius extremum inſertum, vbi admodum compactus eſt, adeo vt corrodendi vi prædita non vlterius agant quam in portionem quæ in cavitate dentis latet, illa quæ radici inſerta eſt corroſioni reſiſtente, ob rationem ſupra dictam, niſi violenta & diuturna diſſolutio acceſſerit, doloris augmentum potius inductura, quam illius diminutionem.

QVÆSTIO XII.

Cur lac tithimali, fel Vrſi, elleborus niger melli commiſtus, ac plurima eiuſmodi, minori vi corrodendi vi prædita quam ſuperius enumerata, nihilominus tamen dolorem citius tollunt, ac cariem dentium melius ſiſtunt?

SOLVTIO.

Ratio eſt quod iis plures inſint partes tenuiſſimæ, majori volatilitate & penetrandi vi donatæ quam acida, in corroſivis exuperantia; ac præterea cum minori vi deducant dentis partes quas permeant, illius

illius diſpoſitionem citra irritationem immutant; etſi illorum actio ſatis valida ſit ad obtundendum illico nervi ſenſum, ac deinceps per otam longitudinem illum conſumendum.

QVÆSTIO XIII.

Cur neceſſaria non eſt Dentium extractio poſtquam eorum vaſa vi remediorum ſuperius notatorum comſumpta fuere, cum nullum deinceps illis adveniat alimentum?

SOLVTIO.

DEntes intus & extra eam conſtitutionem ſortiti ſunt, qua ſeſe tueri ex propria natura contra corruptionem valent; hinc cum alimentum tantum neceſſarium ſit ad illorum incrementum, citra vllum diſcriminis metum licet eos in ſuo ſitu conſervare ac in vſu naturali poſtquam eorum vaſa conſumpta fuere, ſive ex accidenti ſive artificio adhibito.

QVÆSTIO XIV.

Cur plurimi diutius dolore Dentium vexati, tandem citra vllum auxilium, citra illorum evulſionem, omnino doloris expertes facti ſunt?

SOLVTIO.

DEntes dolor vexat ſolummodo ratione nervi illis inſerti: Nervus ille quanquam mollis & ductilis, ac proinde aptior ad reſiſtendum actioni diſſolventium liquidorum, ſucceſſu tamen temporis omnino abſumi poteſt à ſero acri & corroſivo; hinc doloris ſenſu privari.

QVÆSTIO XV.

Cur Dentes aliquando præter naturæ ordinem numero excedunt, deformes ſunt, vitioſe ſiti, cum in generatione animalium natura tantum erret conformationis tempore, ac dentes in homine demum nato emergant?

SOLVTIO.

COnſtat ex Plutarcho Pyrum, Epirotarum Regem, vnico dente donatum fuiſſe, totam maxillam occupante, inciſuris tantum quibuſdam ſignato, ſpecie tenus in plures illum dividentibus: Ex Valerio, qui idem tradit de Rege quodam Boruſſo: Agellius itidem refert de celebri illo Sicinio, cui ea de cauſa Dentati nomen obtigit: Bernadinus Genga, celeberrimus Romæ Anatomicus aſſerit à ſe repertum in cœmeterio Noſodochij Sancti Spiritus caput cui deeſſet maxilla inferior, ſuperiori autem inſerti eſſent tantummodo tres den-

tes, duo ſcilicet molares, quorum vnuſquiſque in quinque alios diviſus erat cum ſuis radicibus ſeparatis, & tertium, ex quo conſtabant quatuor inciſorij ac duo canini: Dom. Renardus, Chirurgus Illuſtriſſimæ Principis Guimenéenſis, teſtatum mihi fecit Nanum quendam illius Principis duplici dentium ſerie, ſupra & infra præditum fuiſſe: Tandem veriſimile eſt eiuſmodi dentes propemodum tempore ſtatuto erupiſſe, ſcilicet anno poſt. aut biennio à puero nato: Sed præterquam quod forte ſic conſtituti fuere intra gingivas, a tempore conformationis fœtus, ſufficit naturam aberraſſe in conformatione alveolorum, vt in iis Dentes formam inſolitam acquiſierint, quibus proplaſmatis inſtar fuere.

Observatio XV.

Authoris

De Cervitauro.

HOc anno 1680. exhibuerunt nundinæ Sangermanenſes Tauri quandam ſpeciem, quem genitum ex cervo & vacca aſſerunt; revera præter pilum & roſtrum cervinum, in medio tergore eminet pes cervinus rite conformatus, membro cuidam vtcumque genitale referenti, conjunctus, cui circiter pedalis longitudo, adſtantque duo teſticuli, infra animalis corium demerſi: genitale id membrum continuo effundit ſperma quoddam corruptum, ſimile illi quod per gonorrhœam prodit; Alterum membrum genitale conformationem pene naturalem obtinet, non ſecus ac cæteræ iſtius monſtri partes, excepta capitis parte ſuperna, in qua fovea inſignis adeſt, & cauda quæ in ſui extremo bifurcata eſt.

Finis Februarii anni 1680.

ZODIACI

ZODIACI MEDICO GALLICI

SIVE

Recens exploratorum in re Medica & Naturali, MARTIVS Anni 1680.

OBSERVATIO I.

SEV

Diſſertatio de Generatione Hominis, per quam validis rationum momentis, & demonſtrationibus, palam fit erroneam eſſe conceptionis per OVA doctrinam.

Dom. DV VERNEY, *Chirurgi Regij Magiſtri & Iurati Pariſienſis.*

RERVM novarum cupido homines adeo occupat, vt ſæpiſſime illis illudat phantaſmata pro corporibus obtrudens, ac ideas tantum rerum non res ipſas: Id nuperrime contigit, cum plurimi, imo celeberrimi Anatomici, deſpectui habuerint quicquid à priſcis circa generationem hominis traditum eſt, ſyſtemati inhærentes quod nulli alij fundamento innixum eſt quam ignorantiæ, imponendi deſiderio, aut parum accurato judicio.

Syſtema illud quo quidam probare nituntur ad hominis generationem mulieres Ova ſuppeditare, illius præcipuam materiam, revera animo gratiſſime obverſatur; error enim quo includitur plurimis ſimilitudinibus innitur, quæ magis primo obtutu naturales videntur

quam ingenioſæ, Primi vero illius authores in id incubuerunt vt rem velo ſacro involverent, quod attenta tantum mentis acies pervadere valeat; Interim cum experientia duce impervium id non eſſe agnoverim, ſi modo quis accurate & ſincere circumſtantias omnes inde deducendas ad examen revocare voluerit, animus mihi eſt palam facere nihil in eo invento præter ſolertiam authoris egregium eſſe: ſin vero propugnatores habuerit acris ingenij viros, id tantum eo animo feciſſe vt famam ab emiſſa nova opinione ſibi compararent; aut lites & diſceptationes foverent, quas ad inveſtigationem veritatis vtiles crediderunt.

Vt Veritatem meæ ſententiæ afferam, mearum eſſe partium videretur attuliſſe omnia argumenta quibus ſulciunt opinionem à me oppugnandam, ac demum firmis rationibus meam ſtabilientibus illa refellere: At cum hæc iam a plurimis peracta ſint, ac nuperrime Dom. Lamy quoad maximam partem id præſtiterit, ſatis mihi fuerit quædam examini ſubieciſſe, meo iudicio leviter attacta, eius tamen momenti vt rei cardo in illis vertatur: En paucis rei ſtatum.

Aiunt Teſticulos muliebres proprie aliud nihil eſſe quam Ovaria, vnumquemque illorum globulum aut veſiculam, ex quibus conſtantur, (illis ovi nomen indiderunt,) minutatim continere lineamenta fœtus, ſecundinæ at membranarũ eius: Mediantibus fictitiis illis ovis fœminas non ſecus ac gallinas ſuppeditare vniverſam materiam ad generationem; mares autem, ſicut gallos gallinaceos, ſpiritus tantum quoſdam effundere, à natura deſtinatos dictis ovis prolificis reddendis: ſpiritus dictos mediantibus Tubis ad teſticulos vſque deferri, in quibus, ex illorum mente, conceptio peragitur; aut ſaltem poros, vteri pervadendo, vaſis ſanguiferis inſinuari, ex iis iterum mediante circulatione ſanguinis ad teſticulos deferri, Vnumquodque memoratorum Ovorum creſcere & maturitatem adipiſci iuvante membrana teſticuli, à quo obtinet tunicam ſingularem caliciformem, etiamſi per adpoſitionem tantum illi adiungatur: Increſcentibus dictis ovis dehiſcere dictam tunicam, ideoque ova excidere, tunc temporis ab his extendi teſticuli membranam propriam, eoque pacto commeatus commoditatem parare ſibi, & viam in tubam vterinam: Ex animadverſione loci vnde Ova illa excidere, anatome facta cadaveris muliebris, enumerari poſſe quot fœtus geſtaverit: Ex illorum tandem ſententia omnia ex Ovis originem ducunt, Inſecta & Plantæ eidem legi ſubiiciuntur, denique garyophyllus, nux moſchata, piper, zinziber, ex remotis regionibus ad nos delata, ova continent in plicis membranarum quibus exterius obvolvuntur deliteſcentia, quæ ſi liquoribus idoneis infundantur,

tur facile ſit ad excluſionem illa promovere.

Sed vt hæc omnia deliramenta eſſe pateat; id primo examini ſubiiciendum, quo fundamento innixi ſtatuant Teſticulos muliebres eſſe Ovaria; Eapropter aſſerunt compoſitionem partium harum nullo modo convenire cum conformatione Teſticulorum virilium, nec aliam materiam, generationi idoneam continere præter eam quæ concluditur in ſuppoſitiis illis ovis, vnde egredi illi non liceat, & cui nihil ſimilitudinis cum ſemine maſculino intercedat.

At omnino facile eſt vtramque hanc propoſitionem refellere, nam primam quod attinet, obſervandum eſt teſticulos muliebres, non ſecus ac viriles omnino neceſſarios eſſe ad generationem, quandoquidem fœmellæ brutæ, quibus illi exſecti fuere, neutiquam admittunt marium blanditias & acceſſus; vnde liquet illos legitimas eſſe ſcaturigines liquoris animalia ad concubitum invitantis, atque vtrique ſexui ſenſum impertiri gratæ titillationis vnde in coitu exoritur voluptas: Concedo tamen in illorum conſtructione nihil fere ſimilitudinis intereſſe cum virilibus: at hac in re maxime admirationi eſſe debet induſtria Authoris Naturæ: nec enim neceſſariũ erat res eo modo cõſtitui eo quod conceptio fieri debeat interveniente miſtione duarum rerum diſſimilinm, quo inde exiliat compoſitum alterius naturæ; ſi quicquid a mare & fœmina ſuppeditatur partium materialium ad generationem homogeneum foret, eorum vnitas & commixtio in vtero nihil quicquam diverſum ab illis gignere valeret; non ſecus ac oleum tartari, exempli gratia, duobus vaſculis exceptum, ac demum in vnicum infuſum, naturam nequaquam exuit, ac vt ante conſiſtentiam olei tartari conſervat.

Ovariorum ergo patroni male ſtatuunt diſcrimen quod inter teſtes vtriuſque ſexus intercedit, fulcire conceptam de illis opinionem, quandoquidem cum antiquorum ſententia multo minus congruit; ex quorum mente conceptio nihil aliud eſt quam exacta commiſtio ſeminum maſculini & fœmini in vteri capicitate: Atque etiamnum videre eſt inter diverſa animalia quæ mundus continet, partes iiſdem vſibus dicatas non ideo tamen eandem conformationem obtinere: Exempli gratia teſticuli Volucrium figura multum abſunt a teſticulis quadrupedum in colore & ſubſtantia, in eundum finem tamen convenientia; ac licet in inſigni avium numero conceſſum non ſit canalẽ deferentem ad inſertionem vſque perſequi, eius tamen vſus ideo in dubium revocandus eſt, qui alius non eſt quam ſemen ad penis radicem deferre: Etſi plerorumque Inſectorum cor a capite ad caudam vſque protendatur, id quod facile animadvertere eſt in bombycibus & vermi-

bus Spondillis dictis,dum vita fruuntur, non tamen alium in finem conditum eſt quam ad ſanguinis confectionem,non ſecus ac in animalibus perfectioribus Renes avium ac piſcium,etſi figura polleant multũ abſimili a renibus animalium terreſtrium, attamen hi & illi inſerviunt filtrationi & diſtributioni vrinarum: Tandem, quantumvis diſcrepet ſtructura pulmonum in diverſis animalibus, itidem in his & illis ſunt organa reſpirationis: Aqua autem hinc inde branchias piſcium præterfluens, earumque fibras ex quibus conſtant, fluiditatem ſanguini concedit, id quod præſtat aër in cæteris animalibus.

Tranſeamus ad examen globulorum, vel veſicularum ab adverſariis noſtris Ovariorum nomine donatorum; perpendamuſque num a teſticulis ſecedant ac divellantur, vt inde integra ad tubas vterinas defeтantur: Si enim propoſitio hæc vera foret, non ſolum neceſſe eſſet tubas immediate annecti teſticulis, ſed præterea illis ineſſe amplitudinem proportione reſpondentem magnitudini ovorum, quo commeatum illis cencederent facilem; ſaltem in mulieribus pubertate donatis, vel conceptionis tempore; quandoquidem vnicuique mecum obſervare facile eſt, in avibus canalem, Oviductus nomine inſignitum, pene inſenſibilem eſſe priuſquam fœminæ ova pepererint; at vero quo magis accedunt ad tempus quo incubare geſtiunt, eam amplitudinem acquirere quæ ovis illum commeantibus tranſitum concedere valeat: At vero id ipſum obſervare non licet in fœminis animalium terreſtrium:Certiſſimum eſt, adprobantibus omnibus experimentis à me hactenus inſtitutis, neque pubertatem, neque conceptionis tempus vllam tubarum conſtitutioni immutationem inferre; quod tamen conſequi neceſſe foret ſi revera per illarum cavitatem ova deferrentur,quæ cum multo maiora ſint quam vt per illarum auguſtam cavitatem permeare valeant, proculdubio ab illis dilatandæ eſſent, non ſecus ac ovum gallinæ canalem, per quem illi tranſitus eſt,ampliorem reddit,etſi duritiem ſub exitus tantum finem conſequatur, hoc eſt poſtquam ductum illum pene integrum traiecerit: Vt rei huius veritas melius innoteſceret, quo tempore à me propoſita fuit in Diſceptatione apud Dominum de Blegny habita, in medium protuli matricem ſuillam, cuius ego hic exhibeo figuram,quo innoteſceret quantũ interſit inter magnitudinem globulorum, quos ova eſſe tradunt, ac Tubarum capacitatem, quam traiicere illa ſtatuunt; globuli enim illi ad minimum æquabant magnitudine avellanam; at viceverſa canalis tubarius vix minimum ſtylum admittebat, etſi ſcrofa illa recentiſſime porcellos peperiſſet: Vnde clare patet partes illas in alios vſus conſtructas eſſe quam quos ovariorum aſſertores illis aſſignant; Ac veriſimile

ſimile eſſe liquorem in prædictis ovis contentum ſolam eſſe materiam fœminis ad generationem ſuppeditatam, quæ coitus tempore ab iis exprimitur, ac verſus vaſa deferentia extruditur poſtea in vterum evehenda, iuxta vulgatiſſimam ſententiam,

At non hac in re ſolum hallucinantur Ovariorum patroni, temere enuntiata, non minus enim falluntur cum aſſerunt phantaſtica illa ova idealiter continere partes omnes fœtus, id enim ſi foret nihil aliud in illis ovis requireretur quam vt irrigui à ſuccis vtero inhærentibus fœcunditatem acquirerent, quandoquidem ſemina, in quibus, iuxta eorum opinionem, continentur partes omnes vegetabilium idealiter, nihil præterea quo germinent deſiderant quam vt terræ mandentur, atque vt ſuccis in ea obviis impregnentur, ad productionem plantarum quarum germina in ſe continent: Conceſſa enim illis ovorum, vti ſupponunt, præſentia, inutile eſt adiungere ſeminis maſculini vim vt excludantur, quandoquidem calor vteri ſolus ad hunc effectum edendum ſatis eſſet, commotis quibuſdam ſuccis qui penetrare valerent dicta ova, ac materiam in illis contentam eo modo exagitare quæ illam ex potentia in actum deduceret.

Eadem quoque ratione aſſerere licet, ſi dicta ova idealiter partes omnes fœtus in ſe continerent, in illis aliquando repertum iri id qui quod ſæpenumero in cepis, aut bulbis florum depredendimus, qui etiamnum extra terram folia emittunt, imo & nonnulli ex iis flores, id quod videre eſt in ſempervivo maiore, & aliis quibusdam eiuſmodi, eam ſcilicet ob cauſam quod in iis contineatur quædam humiditas, quæ a particulis aëris exagitata, vegetativam vim ſuſcitat, Concedentibus etiam adverſariis in prædictis ovis, præter lineamenta fœtus, contineri ſubtilem quendam liquorem; qui illi vice alimenti eſt prioribus conceptionis diebus; eo quod tunc temporis vterus, ex eorum mente, ſatis ſubtilem & idoneam ſuppeditare nequeat.

Ex prædictis ergo manifeſtum evadit illos veritati reluctari, cum aſſerunt Ova hæc imaginaria vnicam eſſe & ſolam generationis materiam congruam, quandoquidem hanc fieri impoſſibile eſt abſque ſemine maſculino quod nequit recipi & in vetero contineri (id quod fit ipſo conceptionis momento) niſi ſubiiciatur, non ſecus ac fœmininum, actioni cauſæ informantis.


Sed & iterum reſponſionem meretur id quod obiiciunt adverſarij, ſupponentes ſpiritus, qui, ad eorum placita, ſola ſunt materia ad generationem à mare ſuppeditata, per tubas aut vaſa ſanguifera ad teſticulos vſque deferri ſtatuunt, in quibus conceptionem fieri credunt: Hypotheſes eiuſmodi, quæ nullo alio innituntur fundamento

quam meris conjecturis, facillime concidunt, oppugnatæ demonſtrationibus & ratiocinio: nam præterquam quod Tubæ pollicis ad minimum diſtantia a teſticulis diſtant, ac latum ligamentum has amplectens multo amplius eſt quam requiritur ad exacte eas cooperiendas, neceſſe eſt ſperma virile diſſipari antequam eo pertingere queat: Imo vero tanquam certiſſimum pronuntio ſecundum naturæ leges impoſſibile eſſe materiam illam tranſmeare membranam propriam teſticuli, quam vocant calicem, ac membranulas fictitiorum ovorum; quandoquidem omnes illæ tunicæ nimium læves ſunt & terſæ, vt materiæ illius particulas admittere valeant.

Nec firmiori fundamento innituntur cum ſtatuunt maxime ſubtilem ſeminis virilis partem poros matricis permeare; inde vaſa ſanguifera ſubituram, deinceps deferendam mediante circulatione ad teſticulos: Cui enim dubium quin ſemen illud ſic commixtum maſſæ ſanguineæ confundatur, eapropter effœtum omnino evadat?

Quod porro addunt vnumquodque dictorum ovorum tunicæ propriæ per appoſitionem tantum coniungi, quæ nihilominus illorum nutritioni & incremento ſubſerviat, poſtulatum eſt præcedentibus non minus abſurdum: Revera conſtitutionem illam in gallinis reperire eſt, at & hoc concedendũ poſtquam illarum Ova inde exciderunt, tunicas, aut calices vnde prodierunt, admodum manifeſte apparere & ſenſibus ſubiici: at vero idipſum in mulieribus nunquam deprehenſum eſt, neque in vllo animali terreſtri, quibus perperam ova etiam aſſignant: Intercedit quippe inſigne diſcrimen inter avium Ovaria ac teſticulos fœmineos; nam in illis ovariis vnicuique ovo ſuus calix aſſignatus eſt, cuius ſolius ope illi adhæret, cum globuli, aut veſiculæ, in mulieribus latentes non ſolum tegumentum obtineant à membrana teſticulorum, ſed præterea vnuſquiſque globulus tunica gaudeat omnino diſſimili ab ovorum calicibus, cui etiam intimius coniunguntur, ac ſatis arcte vt inde deducere valeant materiam ſibi congruam immediate ex arteriis & venis.

Cum porro adiiciunt ab incremento ovorum muliebrium diſrumpi tandem calicem quo continebantur, vt ex illo excidant, rem probandã pro explorata invehunt, quam demonſtrare nunquam illis dabitur; ſi enim hactenus quædam veſtigia illius exitus ſuppoſiti adparuiſſent, proculdubio egregiam navaſſent operam in demonſtrando, & publici iuris faciendo tam valido argumento Syſtema hoc confirmante: At vero vt conſtet in poſterum ſpem omnem illis præcidi probationis, id ſciant velim à me adapertis brutis animantibus fœmellis non exiguo numero, poſtquam in venerem ruiſſent, à me nunquam deprehenſos neque



Zod Med Gall ann: secund: pag. 63.

que calices, neque locellos, neque cicatrices, neque vlla veſtigia aut notas deciſionis aut divulſionis ab ipſis ſuppoſitæ: Quicquid vero immutationis a me deprenſum eſt in teſticulorum diſpoſitione, nihil aliud fuit quam concidentia quædam globulorum aut veſicularum; ortum eo veriſimilius ducens ab illarum exinanitione tempore concubitus: quod nonnunquam mihi obviam factus fuerit exiguus globulorum numerus, ſanguine repletorum, cui nondum ſeminis formam inducere potuerant.

Ad hæc demonſtrare pronum eſſet quantum aberrent qui cenſent, mediante divulſione modo memorata, adaperto cadavere mulieris poſſe enuntiari quot fœtus geſtaverit: Poſſem quoque latius evagari circa ea quæ proferunt de aromatibus aliiſque miſtis ſuperius adductis, ſed præterquam quod propoſitiones eiuſmodi ſponte concidunt, ea quæ de cætero adducta ſunt ſufficiunt refellendis iis quæ ab iis producuntur: Subſequenti Diſſertatione oſtenſurus ſum quam ſententiam amplecti debeant qui erronea declinare ſtudent.

Explicatio Figuræ præcedentis.

AAA. Collum aut orificium internum prædicti vteri, adaperti quo apparerent rugæ partis illius interioris,
BB. Extrema duo cornuum, aut cellularum quæ coniunguntur ſub initium colli interni.
CCCCCC. Cellulæ aut Cornua.
DD. Teſticuli.
EEEE Tubæ.
FF. Ligamentum latum, aut tegumentum Tubarum, cucullum non male referens.
GGGGGGG. Arteriæ & venæ hypogaſtricæ.
HH. Arteriæ & venæ ſpermaticæ.

Observatio II.

Dom. SEGNETTE Medici Rupellenſis.

Hiſtoria Cete aut Balenæ ad littora Rupellæ propulſæ.

Circa medium Februarium præſentis anni, in Inſulæ Re, prope Pharum, alias Turrim Balænarum conſpectus eſt, ingentis magnitudinis Piſcis, inſtratus & involutus arena, adeo vt tantum eminerent vnus oculus, cauda, & portio

ventris: Remotis quantum licuit arenis, dimenſiones ſequentes obſeruatę ſunt, ſcilicet à ſummo roſtro ad caudæ vſque bifurcationem dinumerati ſunt quadraginta ſeptem pedes & ſemis regij: Circumferentia habuit viginti ſeptem aut octo; A ſummo roſtro ad oculum interceſſere pedes vndecim cum duobus pollicibus: Ab oculo ad pinnam proxime ſubjacentem, pedes duo: A pinna ad matricem viginti pedes: Tres pedes ab extremo vno matricis ad aliud: Ab extremo matricis ad caudæ bifurcationem, quatuordecim pedes & quatuor pollices; A furca vna caudæ ad alteram interiacebant ſexdecim pedes; ac tandem, vt nihil prætermittam, pinnæ totius longitudo fuit trium pedum & aliquot pollicum; latitudo autem quatuor pedum, ſi excipias aliquot pollices.

Vniverſum corpus grandis illius Piſcis, cui Sufflonis nomen inditum, ab aliis Balenæ, amictum erat nigra pelle, lævi, & bombycini inſtar ad tactum lenis exteriori parte; craſſitie circiter digiti tranſverſi: interna vero ſuperficie propemodum lanuginoſa, aut potius ad inſtar interioris partis fungi: Nonnullis referentibus illico apparuere quædam ſtellulæ per ſuperficiem ſparſæ; ac revera à me obſervatæ, nominatim circa caput, nonnullæ figuræ quaſi exſculptæ, coronam quandam non male referentes: proxime autem extremitatem maxillæ inferioris repertus à me cumulus concharum quarundam, quas vocant *ails* ou *couteliere*, carni at profunde infixarum.

Porro cum crederem intereſſe Medici vlterius progredi, data commoditate examinis accuratioris, & perluſtrandi ſingula, ratus mearum eſſe partium indagaſſe qua in re conformes eſſent aut diſſiderent partes dicti piſcis a partibus humani corporis; Ea propter ab ore initium indagandi feci, ac comperi maxillam ſuperiorem obtinere ſaltem ſeptem octóve pedes latitudinis, ſemicircularem illam eſſe, interius cute candida coopertam, rugis pluribus donatam, coronati craſſitie, vbi digiti longitudine circa initium, longioribus tamen ac craſſioribus vbi ad guttur vergerent; inter quas, circiter ad medium oris, reperiuntur duæ laminæ ſibi invicem accumbentes, propemodum corneæ duritiei, ad quarum latera pendula erant infinita filamenta longa, & ſetarum porcinarum inſtar rigida; Subtus hanc cutem, circa quam pauciſſimam carnem comperi, conſpiciendam ſe exhibuit concameratio oſſea, vniverſum palatum oris conſtituens, parum firmæ ſoliditatis: ſed quam compenſaverat triplex tabula, vnaquæque coronatum argenteum craſſitie æquans, ac foraminibus pervia, ligamenta tranſmittentibus: Hoc diſtabat maxilla a me modo memorata ab inferiori, quod poſterior hæc multo latior eſſet, duodecim pedum & amplius latitudinis,

latitudinis, ex duobus ſemicirculis conſtructa, magnam cavitatem depreſſamque ad exteriora vergentem efformantibus, cum extuberantia inſigni ad intra: Cutis interius obtegens non multum abſimilis erat priori, nigricans enim erat, abſque rugis, atque in ambitu coronati tantum craſſitiem obtinebat: Tota pars inferior iſtius cutis carnea erat, præſertim ad medium, vbi conſpicua erat maſſa carnea ad guttur vſque exporrecta, trium pedum latitudinis, craſſitudinis ſeſquipedalis? Cæterum duo oſſa, craſſitudinis femoris humani, firmamenti vices & baſis obtinebant in hac maxilla, cuius pars tertia acetabulum conſtituebat excipiendæ maxillæ ſuperiori.

Lingua inſigniter erat craſſa & longa, vndique alba cute obducta, lævis, craſſiei ſemicoronati argentei; Impulit me curioſitas inveſtigandi infra hanc cutem contextum, aut congeriem filamentorum nervorum, qui ex ſententia quorundam ſaporum diſcretioni dicati ſunt, at nequaquam obvia illa mihi fuere: Interim obſervare licuit ab eius extremo ad medium vſque conflatam illam eſſe ex ſubſtantia alba; levi, ſpongioſa, pingui, infinitis veſiculis interſperſis: adeo vt tamen quo plus ad radicem accederes, eo magis muſculoſa appareret, rubicunda & cruenta; Baſin illius fulciebant quatuor aut quinque inſignes nervi, me iudice dicati delationi ſpirituum ad motum illius neceſſariorum.

Quoad Gutturis partes, ſtructuram illius conſpicere non licuit, qui enim piſcem iſtum pretio ſibi comparaverant, id quod in vſus proprios redundare poterat præferebant meæ curioſitati; ideoque inhærendum mihi fuit conſiderationi duorum hiatuum in maxilla ſuperiori conſpicuorum, reſpondentium duabus cavitatibus, aut foraminibus, quæ vocant Fontes, quia Piſcis iſte in vndis ad inſignem altitudinem eiaculatur aquam: Situm obtinebant verſus capitis medium trium digitorum longitudine a ſe diſtantia, adeo vt ab eorum ſuperiori parte, ad fundum vſque maxillæ ſuperioris, quo pertingebant, intercederet fere menſura ſeptem pedum regiorum in longitudine Ab his fontibus ad alterum oculorum ſeptem pedum aderat diſtantia, adeo vt oculi ab invicem diſſiderent ad minus quatuordecim pedum intervallo: Vterque minimus erat comparatione facta ad belluæ magnitudinem: Forma exteriori non multum diſſidebant ab oculis cæterorum animalium: hoc excepto quod vndique pilis deſtituerentur, nec non in palpebrarum extremitatibus: Ex orbita alterum, ſed multo labore eduxi, quem eruendo animadvertere mihi licuit à palpebris quam exactiſſime coërceri, quarum origo erat in interioribus, ſumma donatarum craſſitie: Globus extractus a figura ſolita non diſcrepabat, ſed vix pugni craſſitie: Pupilla proculdubio a fluctibus marinis divulſa

erat, in cuius ſede nihil aliud deprehendere licuit quam cavitatem ad ovalem accedentem,latitudinis nummi ſemi coronati , tranſverſi pollicis profunditatis , in cuius medio conſpicuus erat nervus opticus , craſſitiei minimi digiti, candidiſſimus : globuli pars reliqua referebat ſubſtantiam propemodum colore & conſiſtentia taleolarum exſiccatarum radicis bryoniæ.

Examen oculi excepit vteri conſideratio, eo magis mihi conſideratione digni quod exteriori facie non multum abludetet à matrice muliebri:nymphæ,clitoris , labia & rima diſtincte ſatis apparebant : id vero ſingulare deprehenſum eſt,quod in vtroque vteri latere , fere ad labiorum marginem, aderant duæ mammæ papillis donatæ, quæ etſi ab agitatione maris & procellis flaccidæ, duorum pugnorum magnitudinem ſimul conjunctorum ſuperabant : Diſſecto vtero , initio ducto à media rima, illico fundum attigi , neque collo neque vagina, ſicuti in cæteris animalibus obviis : vniverſus eius ambitus capitis virilis magnitudinem non excedebat ; In vtroque autem latere conſpicua erat origo Tubarum Fallopianarum tantopere extenſarum vt vni homini obvolvendo eſſent ſatis : Partem illarum interiorem conſtituebat membrana alba & lævis , in reduplicationes adducta variis in locis, ſed omnis humoris expers; quapropter errore liberabuntur qui credunt ſperma Ceti, cuius vſus eſt in coſmetice & ornando vultu, vere ſeminalem eſſe ſubſtantiam : Quoad partem earum exteriorem, pinguedine obducta erat, originem præbens ligamentis ipſam partibus vicinis adjungentibus.

Præter vteri ligamenta, diſſecantibus obſervanda exhibui duo oſſa, quorum vnum tranſverſim ferebatur à fundi illius initio, alterum a poſteriori parte, vtrumque coloris flaveſcentis, trium digitorum craſſitudinis, proculdubio vices oſſium pubis quæ in cæteris animalibus exiſtunt, obtinentia : A parte ſuperiori & inferiori vteri,qua mammis reſpondet, aderat maſſa carnea caput humanum duplo magnitudine excedens, in glandularum congeriem deſinens, in cuius medio deprehendi canalem minimi digiti magnitudine, veriſimiliter devehendo lacti dicatum : Ad latus vteri incumbebat inteſtinum femore humano craſſius quod interna facie tingebat humor flaveſcens, exteriore obductum erat tunica alba : Iudicavi canalem eſſe cuius ductu vacuabantur excrementa per rimas vteri, cum nulla alia mihi eſſet conſpicua per quam efferrentur.

Tandem vniverſum corpus grandis illius Piſcis, immediate ſub cute, larido coopertum erat, pedalis craſſitudinis qua maxime ſpiſſum erat, ſub quo apparebat caro rubicunda, referta venis, arteriis & nervis : ſub

ſub ſola maxilla inferiore laridum carni ſubſtratum erat.

M. Saignette Pharmacopoeus Rupellanus, obſervavit hunc piſcem caudam alio ritu ac cætera animalia gerere; qua de cauſa, animadverſione adhibita, revera compertum ipſam originem trahere ſemipedali diſtantia à medio dorſo, eademq; à medio ventre, cum in maxima piſcium parte immediate initium ducat à medio extremitatis dorſi ac ventris qua de cauſa piſcis hic caudam depreſſam habet: Nonnulli quoque caudæ nervi à nobis diſſecti fuere, craſſitie brachio æquales: nihil à nobis in illis deprehenſum præter infinita filamenta, aut fibræ quædam nivis inſtar candicantes aliquatenus diaphanæ, ſibi invicem connexæ, adeo tamen vt interjacerent plurimæ eæque exiguæ lineæ, aut pori ſibi invicem continui, in quibus nullam cavitatem manifeſtam nobis animadvertere licuit vehendo ſucco nerveo dicatam, ſicuti obtendunt quidam Anatomici: Id quod tamen facilius obſervare eſſet in prægrandibus illis animalibus, quibus nulla æquiparanda.

plura obſervare conceſſum non fuit, eo quod a procellis & æſtu cætera adeo attrita, vt vlterius ſatisfacere meæ curioſitati non licuerit: Sceleti examini forte operam navaturus ſum, quod ſi contigerit, & voto potitus fuerim, ſtabo promiſſis &c.

OBSERVATIO III.

Dom. Du VERNAY Chirurgi Regij Magiſtri & Iurati Pariſiis.

SEV

Diſceptatio de Structura & vſibus partium genitalium in vtroque ſexu.

INitium ducturus a ſtructura Teſticulorum Virilium, dicam jampridem obſervatum fuiſſe illos de natura eſſe glandularum: Recentiores autem huic obſervationi addiderunt illos revera nihil aliud eſſe quam congeriem ingentis numeri minimarum glandularum, e quibus etiamnum prodeunt multiplicia exigua filamenta, ex eorum mente quædam conceptacula eius partis ſanguinis quæ per ipſas tranſcolata & filtrata fuit, vt inde generetur ſemen: Prædictam congeriem vnicum conſtituere corpus aiunt mediante integumento, cui nomen tunicæ Vaginalis aſſignarunt; quæ in vno extremo perforata, per quod admittit vaſa præparantia, ac ſanguinem in illis contentum, in altero quoque ſui extremo aliud foramen obtinet, tranſmittendis quibuſdam dictis filamentis dicatum, quæ collecta & inflexa a dextra ad ſiniſtram,

atque à ſumma ad imam in exteriore parte vaginæ, conſtituunt corpus illud longiuſculum cui ea de cauſa Epidydimis nomen inditum, quod expanſum originem præbet canali deferenti vel ejaculatorio. Præterea cætera involucra teſticulorum, vt pote cuivis notiſſima; ſufficiat hic quoſdam illorum vſus recenſuiſſe.

Quoad vaſa ſpermatica, Arteriæ ex aorta originem ducunt, infra arterias emulgentes, recta linea ad teſticulos vſque delatæ, vbi in tres quatuórve ramos dirimuntur, per totam eorum, atque in ipſam epidydimis ſubſtantiam diſſeminatos: Ex ramis illis, qui teſticulos ſubingreſſi ſunt, ii ſubdividuntur in infinitos alios ramuſculos, ſanguinem ſuppeditantes, alimentum glandularum futurum & ſeminis materiam: Venæ contra e Teſticulis originem trahunt, atque in aſcenſu diverſos ramos emittunt, qui vario inflexu delati, atque ſibi invicem communicantes, contextum illum efformant quem Anatomici Pampiniformem vocant, ac demum in vnicum canalem colliguntur, qui parte dextra trunco venæ cavæ inſeritur, ſiniſtra autem perpetuo in emulgentem: Nervos quod attinet, etſi eorum quidam ab octavo pari deriventur, alii vero à medulla ſpinali, eo tamen modo concurrunt vt arteriis comites ſe adiungant, in itinere illarum ſemper comites.

Cæterum inter hominis partes generationi dicatas accurate perpendere oportet, ad Syſtematis mei explicationem, I. Proſtatas, ſeu Veſiculas ſeminales, corpora oblonga & anfractibus involuta, poſteriori parti colli veſicæ incumbentia, quorum vnumquodque hiat in canalem ſingularem penis radici inſertum: In prædictis corporibus vt plurimum continetur materia crudo ovi albumini non abſimilis: II. Paraſtatas, hæc Corpora ſunt rotunda, infinitis foraminulis prædita, in vrethram hiantia; Hæc materiam continent vtcumque priori ſimilem, at multo ſeroſiorem: III. *Verumontanum*, papillam quodammodo referens corpus, intra vrethram ſitum habens, qua parte deſinunt proſtatæ & paraſtatæ. IV. Penem, alias membrum virile, ex duobus corporibus ſpongioſis conſtructum, cuius intumeſcentia erectionem parit, Et Canali, a me ſuperius Vrethra dicto, ſeminis & vrinæ excretioni ſimul inſerviente.

Tranſeo jam ad examen partium genitalium Muliebrium, atque, vt prius, initium a Teſticulis ducam: In mulieribus, non ſecus ac in viris, duo ſunt corpora glanduloſa, infinitis ramuſculis conſperſa, arteriis, venis & nervis, a prioribus tamen ſitu & magnitudine differentia, in interioribus collocata, ligamentis latis inſtrata, amygdalo vix majora: at vero differentia eſſentialis in hoc præſertim ſita eſt, quod

quod vice filamentorum, quæ in glandulis virilibus reperinntur, in quæ deponatur ſemen ab jis filtratum, inſignis numerus adſit veſicularum, quæ eo veriſimilius iiſdem vſibus dicantur, quod ipſas repleat materia fluida & muccilaginoſa, pro ſemine proculdubio habenda.

Ex ſingulo quoque Teſticulo prodit canalis, qui quod directe ad vterum tendat, ac Vaſi deferenti cum omnino ſimile ſit, in dubium revocari nequit num in mulieribus ſeminis ejaculationi dicatum ſit.

Vterus, ſicuti omnibus notum, corpus eſt ſpongioſum, rotundum, oblongum, vnica cavitate donatum, parte ſua inferiori in vaginam aut collum deſinens, pro diverſis vſibus inans, mediante orificio interno, quod vocant, ad differentiam vulvæ, verſus exteriora magis vergentis.

Præter ſuperius enarrata, plurima reperiuntur notatu digna in harum partium ſtructura, quæ prætermitto cum jam ſatis mihi ſit adnotaſſe maxime eſſentialia, officiorum illarum explicationi conferentia, quibus jam maxime attendo.

Cum ergo præcipuus Teſticulorum vſus in vtroque ſexu (quorum priore loco a me facta mentio) ſeminis generatio, hoc jam agendum ſupereſt vt quæ illius liquoris natura ſit tradamus; Ea propter ſatis mihi ſit explicationem à Domino de Blegny in eius libro de morbo venereo allatam tradidiſſe; quandoquidem nemo meliorem hactenus in medium protulit, ac vix me iudice quiſquam melius hac de re iudicium fecit: En verba quibus vtitur. Sciendum, ait, id quod vocant ſemen, aut ſperma, in animalibus, nihil aliud eſſe quam extractum illorum eſſentiæ, hoc eſt, compendium principiorum elementarium commixtorum certa quadam quantitate & proportione, juxta ſubiectum e quo ſunt educta.

Si bene judico, etiamſi ejuſmodi compendium, aut compoſitum, forma ſua peculiari donatum ſit, ſi animadvertamus id dum adhuc latet in partibus in quibus generationem habet, nondum aſſequutum eſſe finem ad quem tendit, idipſum tunc temporis perpendendum erit tanquam Ens informe, nondum donatum charactere ipſi proprio adhuc futuro; Sic, exempli gratia, in homine, in vtroque ſexu ſubſtantia eſt fluida, alba, fervida, naturaliter inſtituta vt inſerviat generationi animalis eiuſdem ſpeciei: at tantum abeſt vt tunc ſimilitudinem vllam gerat corporis quod ex ea emergere debet, vt manifeſte & ad ſenſum homogenea ſit: Neceſſe ergo eſt vt novam formam ſuſcipiat, quo tranſeat in rem cuius eſt principium materiale: Sicut porro Anima propria eſt hominis forma, ſi conſideretur ſcilicet tanquam animal vivens, oportet ad novi indi-

Ideoque, ne tempus amplius conteram in fuſiori horum explicatione, finem dicendi faciam quoad vſus partium genitalium, poſtquam tradidero quemnam habeant glandulæ hiantes inter vaginæ introitum & nymphas; quibus, me iudice, nullus alius aſſignandus quam vt partes genitales, præſertim exteriores, humectet quo perpetuo præ madore lubricæ ſint & molles, ac idoneæ fiant quibuſcunque functionibus illas deſtinavit natura; quicquid dixerit neotericus quidam Anatomicus, a quo ingens ſyſtema conſtructum vt probet in illis ſitam eſſe veram originem humoris illius quem vocant *ſemen muliebre*, quo effugium ſibi comparet adverſus inſuperabiles difficultates allatas ad everſionem opinionis de Ovis conceptæ, cujus arbiter eſſe voluit.

Finem facio adductis ſingularibus quibuſdam circa conceptionem animadverſionibus, quibus addo, vt perfectæ illæ evadant, non ſatis eſſe ſemen maſculinum & muliebre excipi & retineri in vtero, at præterea requiri eorum mutuam quandam & certam proportionem; Ex Chimia argumenta confirmandæ huic propoſitioni deſumi queunt: nam Dom. Greuvv, Academiæ Regiæ Londinenſis ſocius, refert ſi commiſceatur ſpiritus vini aquæ forti, excitari effervefcentiam inſignem, at deſignatam requiri proportionem; nam ſi ſex guttis ſpiritus vini affuderis tantum duas tréſve guttas aquæ fortis, nullam inde futuram agitationem aut commotionem, non ſecus ac ſi aqua communis inſtillata fuiſſet; at ſi ad ſex vſque guttas vini ſpiritus affundantur ſeptem aut octo aquæ fortis, ex illa commiſtione oriri fervorem illico vehementiſſimum.

Ab experimento hoc ratio deduci poteſt cur mulieres aliquando ad tempus ſteriles ſint; ſed & præterea aliæ rationes adduci poſſunt; nam ſi ſemen muliebre citius in vterum perveniat quam maſculinum, contingit ab illius calore in hoc agente id adeo alterari, vt partes maxime ſubtiles in auras abeant, hinc non ſolum minori copia ſupereſſe, ſed præterea ineptum evadere vſui cui dicatum erat; adde quod ſæpe in vaginam exiliat dum ab attritione membri virilis nimiopere concutitur vterus: Eadem ratione ſi ſemen maris in vterum longe antequam muliebre admittatur, in idem diſcrimen res recidet: Aliud conceptionis ſubeſt impedimentum, cum ſcilicet ob varias in concubitu clunium ſuccuſſationes & agitationes ſemen maris ad latera vaginæ eiaculatum impingit, adeo vt actione ſua privetur, ac quod cavitatem vteri ſubire debet id extra effunditur ac proinde inutile evadit.

Tandem afferenda ratio cur citra voluptatem mulieres ſæpe concon cipiant; cenſeo id adſcribendum ſuperfluæ ſeminis copiæ, ob quam contingat extenſio extraordinaria vaſorum id continentium, qua-

propter

propter obſtupeſcat ſenſus filamentorum nerveorum eorum ſtructuram conſtituentium : Cujus rei præterea cauſa eſſe poteſt diuturnior Seminis in illis mora,per quam longior fermentatio inducitur, cauſa diſſipationis partium maxime ſpirituoſarum , vnde aciditas quædam illi conciliatur , qualitas minime omnium idonea, ac multum diſcrepans ab ea quæ requiritur ad titillationis excitationem quæ, ex plurimorum Philoſophorum ſententia ſextum ſenſum conſtituit : Quibus & hoc addere eſt, tempore repletionis tuborum ſemen continentium, cum vterus magis madeſcat, tunc hunc ſuppeditare poſſe omnibus partibus genitalibus humorem mucilaginoſum , qui obducens nervorum extremitates eos ſenſus acumine privat,vnde imminutio vel abolitio voluptatis ; hinc cum nihilominus integra perſtet natura ſeminis muliebris , conceptio tamen locum habet , quæ contingit ea commixtione ſeminis muliebris cum vlrili tempore coitus.

Quæ hactenus protuli, revera compendioſe continent hiſtoriam generationis humanæ, ſed hoc nomine conſideratione dignam quod exacte,ſincere & vere tradita ſit, procul remota à futilibus earum ſubtilitatibus & figmentis qui generationem ex Ovo tuentur:Si,id quod præſtiti,rem citra occupationem animi perpendiſſent , ac aliis tradidiſſem miſſo omni figmento perſpecta illis fuiſſet veritas eorum quæ adduxi,nec à veritate aliena intuliſſent. Obſervatio à Dom. Lamy allata , eorum ſententiam impugnans , rei veritatem in aperto poſuit : Ac forte ſi ſincere diſquiſiviſſent , nobis conſentirent, quandoquidem eiuſmodi diſpoſitiones crebrius accurunt, ac à me ipſo obſervatum dum cadaver mulieris aperirem in xenodochio Lugdunenſi, coram Chirurgis illius Noſodochij vtram ac Tubam vterinam (omnino ſimilem cœco inteſtino avium) valide adſtrictam inteſtino recto , in extremis lacinis ; omnino deſtitutam , ne minimis earum reliquiis adparentibus, etſi mulier illa iam tres partu edidiſſet; ac ſex hebdomadis ab vltimo iuteriiſſet.

Ex hae obſervatione, aliiſque huius generis, manifeſtum evadit vbique locorum diſcendi occaſionem adeſſe, ſi modo attento animo rerum naturam perſcrutemur ; cum inutiliter ſæpe multi plurimas regiones citraprofectum peragrent eo ſcopo, aiunt, vt exercendi ingenii occaſio ſemper ſe offerat ; ſolo famæ aucupio huc illuc excurrentes , quaſi vnica vrbs eaque ampla , explere animum illorum nequeat, ac votis vndiquaque ſatisfacere.

Nec præterea celeriori greſſu incedendum ſi perfecta humani corporis notitia requiratur : machina id eſt cuius ſinguli elateres non illico oculis ſe ſubiiciunt : Qui aſſequi id cupit , vel minima filamenta ex-

cutienda ſunt, vel exigui etiam ductus quo ſtructura cuiuſque partis in notitiam veniat; accurata adhibita diligentia in inveſtiganda vnaquaque diſpoſitione, ſubiectis idoneis electis, ne eorum morem imitemur qui tempus terunt in diſſectione brutorum animalium, quo œconomia corporis humani exinde innoteſcat; cum perpendere debuiſſent eorum organa æque diſcrepare ac eorum actiones diſſimiles ſunt, exempli gratia reptilium ſtructuram aliam eſſe quam piſcium aut volucrium.

Observatio IV.

Authoris

De Seminis petrificatione.

Dom. de la Savlx antiquus Magiſter Scriba Iuratus Pariſienſis, quanquam ex prima conjuge plurimos ſuſcepiſſet liberos, ac demũ jam pridem viduus, ad ſecundas tamen propemodum ſexagenarius convolavit nuptias: nec enim ab ætate provecta de valetudine & robore quicquam illi deceſſerat; Sed inſtitutum infelix ſucceſſus excepit, etſi enim libidinis æſtu continuo impelleretur, ac ſæpe rigida erectio illius comes eſſet, coitus tamen ſemper imperfectus fuit, illius culpa, nec enim ejaculatio vnquam conſequuta eſt, quapropter fruſtra adhibitis irritis conatibus quo votis potiretur, fracta tamen naturali & vniverſali corporis œconomia, in morbum incidit brevi funeſtum ſub finem anni præteriti, decimo octavo menſe a poſtremis nuptiis.

D. Prou, Mag. Chirurgus Iuratus Pariſienſis, ex mandato ſuperiorum cadaveris diſſectionem inſtituit, coram Dom. Deniſio, Medico & Roberdeau Chirurgo Ser. Principis Aurelianenſis: Deprehendit ille glandulam Verumontanum dictam, adeo tumefactam & induratam, vt molem exiguæ nucis iuglandis æquaret, ideoque ſemini tranſitum omnino præcluderet: qui effectus à longo tempòre inductus videbatur, nulla manifeſta deprehenſa cauſa: Hoc vero præterea admiratione dignum, quod materia ſpermatica cohibita in vaſis, ibi in lapidem obduruerit, adeo vt vaſa ejaculantia lapidibus duriſſimis ſcaterent, pleriſque fere rotundis, magnitudinis prope & formæ piſorum quadrageſimæ tempore in eſcam venientium.

Obser-

OBSERVATIO V.

Authoris.

Naſi omnino præciſi conjunctio.

DVbito num verum id quod circumfertur de homine quodam cui naſus omnino præciſus ab aliquot diebus, hunc ex proprio conſilio naſi reliquias, refricato vulnere, adplicuiſſe famuli ſui recens reſectum naſum, ſuccedente vtriuſque conjunctione & coalitu: adveniente autem dicti famuli obitu in necroſin abjiſſe, prout corpus, cui ademptus fuerat naſus, ad corruptionem vergebat: De veritate vero ſequentis caſus certiſſime conſtat; anno ſcilicet proxime prærerito militem, cui naſum decuſſerat acinaces, rogaſſe D. Vinſaultium, Chirurgum primarium Legionis Burgundicæ, vellet ſibi reſarcire adhibita ſutura, quod tam egregie præſtitit; vt naſus reſtitutus æque ac antea vſui ſit, nulla ſuperſtite in vultu deformitate, imo ne cicatrice relicta manifeſta.

OBSERVATIO VI.

Authoris.

Remedium ad Colicam pituitoſam & flatulentam.

TRes mihi noti, experimento facto in ſemetipſis, comprobarunt folia buxi teneriora, magna copia, infuſa in vini albi ſeſquihemina, calide colatura aſſumpta, certiſſime colicam pituitoſam & flatulentam perſanare.

OBSERVATIO VII.

Eiuſdem.

Ratio ptyaliſmum interceptum revocandi.

CHirurgus Germanus mihi aſſeruit lac pingue, vel eius cremorem, aut butyrum nondum concuſſione a lacte ſecretum, per intervalla e cochleari exhibitum, certo ptyaliſmum ſuppreſſum revocare: Id præſidium citta noxam in vſum duci poſſe exiſtimo.

OBSERVATIO VIII.

Eiuſdem.

Vermis per venam ſectam egreſſus.

VErisimile eſt in maſſa ſanguinea gigni vermes ex illius corruptione, nam præter plurimas obſervationes non abſimiles, D. Du-Puy, Medicus Fonteniaci Comitis, dum præſens venam ſecari curat mulieri, febre laboranti ante bimeſtre, ac ſanguinem ſubſiſtere cum animadverteret ob corpus extraneum vaſis orificium occludens, eduxit vermem craſſum inſtar pennæ ſcriptoriæ, longum tres digitos tranſverſos.

OBSERVATIO IX.

Dom. DEMERY, Medici Regij ordinarij, Profeſſoris Regij in collegio Medicorum Burdegalenſi.

De motibus Vterinis.

NOn ita pridem D. Ferboſius, Mag. Chirurgus Iuratus Burdegalenſis, adeo obſtetricio officio celeberrimus fuit, vt nulla non mulier eius opem in difficili partu imploraret: Natura, vt ſic dicam, eum illum in vſum condidiſſe videbatur, adeo ſuæ conſervationis eſt avida: manibus donatus erat tam mollibus & exiguis, vt nullo negotio exitum fœtui in hanc lucem pararet, eumque facillimum redderet: Eius fama cum perveniſſet ad aures puellæ, non obſcuro loco oriundæ, ad ſe eum accerſit: Iam ab anno, & amplius, de dolore vterino ſibi infeſto conquerebatur, eo magis moleſto quod nemini revelare voluerit: ac quamvis ex intervallis colici cruciatus, ac dyſuria frequens eius conſtantiam concuteret, pudor tamen prævaluit vt occulta mallet eſſe ſua mala, quam vt manus loco dolenti inferri ſuſtineret: Conſcia tamen fuit ſeipſam ægritudinis ſibi fuiſſe authorem: Sæpe occultos veneris ſtimulos & aculeos, quibus obnoxiæ puellæ, experta erat, præ impatientia, lenimen quæſitura, acum crinalem locis pudendis ſeditionem moventibus intruſerat: Sed tamen dominari in œſtrum libidinis non ſemper licuit, vterus titillatione avidior redditus acum abripit, ac ſibi aſſervat in orificio interno cohibitam, quo loco retrahere puellæ nequaquam conceſſum, quocunque demum conatu, iubente ſic pudore, adhibito; Initio proprio marte excogitata remedia

remedia in vſum duxit, corpus illud extraneum excutere molita, metu imminentium noxarum; Nihil non intentatum reliquit, ſed irritos conatus animadvertens, hinc pudore, hinc dolore ex æquo vrgentibus, tandem maluit priorem in diſcrimen adduci quam vitam, quamobrem advocari curat dictum D. Ferboſium, qui ignarus petulantiæ puellæ & ante actorum, ſciſcitatus tantum eſt de ſpecie doloris, quem inſignem eſſe in partibus quas ſinus abſcondit confeſſa eſt: Interim cum hujus Chirurgi manus organorum vice fungantur, illico in locos dictos eas intulit, digitoque corpus extraneum deprehendit, admodum longum & acutiſſimum: Vim adhibuit in extrahendo, ſed invalidiores fuere manus, forcipémque inſerere coactus fuit, cuius ope tenaciter apprehenſam acum eduxit citra ſanguinis effuſionem, puris aut ſordis cuiuſpiam, indicum parti iniuriæ illatæ: Acus circa mediam ſui partem incruſtata erat materia tartarea, gypſea & arenoſa, illi non abſimili ex qua coagmentantur lapides in veſica, ſed ea duritie quæ ſole malleo conſtingi potuerit: Dicta materia vndiquaque acum incruſtabat; non ſecus ac vertibulum fuſo circumductum, pollicis craſſitie, imo amplius.

Veriſimile eſt partem craſſiſſimam & maxime terreſtrem ſanguinis menſtrui in tranſitu acui prædictæ adhæſiſſe, ac paulatim in lapideam eiuſmodi materiam induratam fuiſſe, quæ augmentum ſuſcipiens orificium vteri internum extendebat, inibi dolores aliaſque moleſtias pariens, quibus cruciabatur puella.

Prædictam acum inter rariora aſſervat dictus D. Ferboſius, quam mihi ſæpius conſpiciendam exhibuit, meæ curioſitati & amicorum ſatisfacturus; quorum ſententiæ ſemper calculum adieci, non minus calculoſa materia ſcatere ſanguinem quam vrinas; ac propemodum omnem ſcirrhum in vtero genitum, non ſecus ac in liene, originem ducere a ſanguine in calculum concreſcente.

OBSERVATIO X.

Dom. MAILLOTII, Medici Thireenſis.

Stoicheiologiæ Sive Diſceptationum Phyſicarum Novarum.

CAPVT II.

VT recte intelligatur quomodo vnumquodque Elementum ſibi aſſignatum locum proprium occupet, id ſolum ſupponendum eſt Elementa invicem confuſa eſſe, adeo vt Aër centrum mundi occupet, aqua autem & terra aëris ſedem teneant, Eo enim ſuppoſito non ar-

dum erit percipere terram, quæ corpus eſt ſolidum, compactum, grave, verſus centrum ruituram, ac aërem vt inde diſcedat coacturam, adeo tamen vt, cum perpetuam habeat inclinationem ad locum e quo per vim receſſerit, vndique ſuperficie tenus illam ambiat, ſicut itidem aqua superveniens terræ ſuperficiem operit, aërem præterea vt locum ſibi cedat impellens, ac proinde ab ea recedere, ſaltem a locis quos occupaverit: Atque ſic ex ordine naturæ leviora gravibus locum cedunt: ita fluidiora jis quæ compacta ſunt; id quod experimento ſat vulgari comprobare facile eſt; nam ſi in vas aërem ſolum continens infundatur aqua, hæc fundum illico petitura eſt aërem, vt ſibi locum cedat cogens, atque ad illius ſuperficiem erumpere, ſic ſi terra in idem vas conjiciatur, aquam ex eodem expulſura eſt, quæ ſuperiorem illius partem occupare tenebitur: atque hoc pacto Elementa in confuſionem adacta, & loco mota, facile priſtino reſtituuntur, vnumq; alteri abſque difficultate locum cedet.

Ad hæc obſervandum eſt illam coordinationem non inde oriri quod ex Elementis quædam ſurſum ferantur, quædam deorſum, at tantummodo, ſicuti mox innui, eo quod ſolidum impellit fluidum, eo quod rarum compacto cedit, ac grave expellit quod leve eſt; Hæc porro cauſa eſt iterum quod ſuber; etſi corpus terreſtre, nihilominus vi aquæ impellentis e fundo vaſis emergit, nam cum illius partes magis ſibi invicem ſint proximæ, ex neceſſitate illo gravior eſt, id quod verum eſſe apparet ex pondere voluminum æqualium, aquæ & ſuberis:

Non ergo ad fugam vacui, quod placitum eſt quorundam Philoſophorum, quædam corpora aljis cedunt, ſed tantummodo quia fluidum ſolido obſiſtere nequit, leve gravi &c. Quo veritas manifeſtior fiat, inſtituatur comparatio orbis terrarum cum ampulla vitrea aqua referta, in qua ſuſpenſus teneretur lapillus filo appēſus, ſicut enim aqua ad libitum illius qui commoto filo lapillum ad varias ampullæ partes impelleret, adeo vt, exempli gratia, illo ſurſum adducto aqua ſurſum, locum ceſſura deſcenderet, illo autem demerſo aqua aſcendens repleret locum a lapide deſertum, motum vnius ſemper promovente motu alterius, Itidem in mundo aër perpetuo ſuccedit in locum alterius corporis quem hoc deſeruit, ac continuo dividitur ad occurſum corporum ſolidorum: Cuiuſmodi diſpoſitio adeo neceſſaria eſt in grandi hac machina, vt ſi aliter contingeret, vel nullus accideret motus, vel ſaltem ſequutura eſſet penetratio dimenſionum, a qua in confuſionem adduceretur tota illius œconomia: Id quod axioma eſt Philoſophicum indubiæ veritatis.

OBSERVA-

Observatio XI.

Authoris.

Suſpenſa in vitam revocata.

INitio præſentis menſis, Auguſtæ Sueſſionum ſuſpenſa eſt puella, necati fœtus proprij rea, Cõſanguineis (quibus poſt ſupplicium conceſſa erat vt terræ mandaretur, citra ignominiæ majorem notam) obſervatæ ſunt quædam caloris reliquiæ: poſtquam foco admota eſt, & exhibita fuere cardiaca, nec non ſanguis emiſſus, ad ſe rediit, adeo vt paucis poſt diebus Regem adire valuerit impetrandæ gratiæ cauſa, tunc temporis Villecoitereti degentem, quæ illi conceſſa eſt.

Observatio XII.

Dom. RIVETII Chirurgi Regij.

Monſtroſus infans.

D. Rivetus Chirurgus Regius, accerſitus XI. die huius menſis ad mulierem gravidam, hæmorrhagia vterina laborantem, animadvertit indicia inſtantis partus, ac revera non diu poſt ſequutum eſt monſtrum cuius ad te tranſmitto iconem, donatum, vt liquet, cauda ſcorpionis, ventre & coccyge avis.

Finis MARTII *Anni* 1680.

ZODIACI MEDICO GALLICI

SIVE

Recens in Re Medica & Naturali Exploratum.

APRILIS 1680.

OBSERVATIO PRIMA.

AVTHORIS.

De Arcano Febrifugo ab Illo deprehenſo.

EORVM plurimis qui more ſolito medicinam faciunt, in mentem non venit quo fato Empirici illos nominis celebritate ſuperent, ipſiſque famam præripiant: Cauſam reiiciunt in magnatum credulam fidem & aſſenſum facilem; mollitiem animi & obſequentiam eorum qui ab illorum lateribus non diſcedunt, populi ſtoliditatem & inſcitiam, temeritatem & impudentiam eorum qui in ſacram artem illius principiorum ignari, falcem iniiciunt, paucis, fortunam, aſtra faventia & proſperum fatum eorum quibus illi operam dicarunt, nec tamen animadvertunt penes ſe culpam latere, ac ipſoſmet, vt aiunt, ſicuti turdus ſibi malum cacare; nec enim alia ſubeſt cauſa quam obſtinanda vſurpandorum conſuetudo præſidiorum medicorum, præſertim generoſiorum.

Revera, dum exempli gratia in colico dolore, in cholera morbo, In teneſmo, in dyſenteria, aljiſque eiuſmodi affectibus evacuantia remedia; cauſæ conſulentes, in vſum ducunt ne, inquiunt, ſuperſit in partibus fermentum quod novi affectus author fiat: Si qui proprio marte ſagacitateque ingenita, aut ex communicationem arcanorum remedio-

remediorum, artem callent citam curationem promovendi, tantum abeſt vt in vſum ducant vllum medicamentum à quo infringatur tonus partium dum id validius vires ſuas in illas exſerit, eoq; pacto humores & ſpiritus in tumultum agit, ex quorum metaſtaſi plerorumque malorum cauſa immediata deducenda eſt; vt potius illi incumbant in fixationem eius quod jam in partes ægras influxit, quo ſuperata eius vi inde exortus affectus eo citius ſuccumbat: Interim dum priores diarrhϾ curationi intenti, lienteriæ, ac in genere affectuum excitatorum a relaxatione ventriculi & inteſtinorum, præſcribunt vſum Emulſionum Iuſculorum e carne vitulina, Enemata ex decocto capitis & inteſtinorum vervecinorum, quibus omnibus vis & facultas ineſt eiuſmodi relaxationem fovendi vel augendi. Poſteriores exhibent Pulveres, Opiatas, aliaſque compoſitiones adſtringentes & roborantes, partes affectas cito priſtino robori reſtituẽtes: Sic dum nonnulli ad vigilias, phrenitidem, aſthma, aſcenſum vaporum, ſpaſmos, alioſque affectus, quos ſpirituũ inordinati motus produxerunt, præſcribunt venæ ſectionem in brachiis aut pedibus, enemata, potiones cardiacas, quo pacto eiuſmodi motus ſæpenumero in majorem confuſionem aguntur & tumultu vario huc illuc cientur: Alii ſtudent illos compeſcere, temperare per ſomnifera & narcotica, quæ ſopiunt ſpiritus, ac in momento quaſi tramquillati priſtinæ ac quieti reſtituunt; Interim dum quibuſdem purgationis gratia Seuna ſolummodo in vſum venit, plurimis torminibus moleſtiſſimis infeſta, Rheum vel Caſſia, medicamenta exiguæ efficaciæ, ſal polychreſtum, Cryſtallnm minerale aut alias nitri præparationes, quorum vſus fere continuus ſtomachi tonum fere ſemper labefactat; Alij præparant purgantia mitia, benigna, at certiſſimi effectus, ex colochyntide, ſcammonio, turbith, jalapa, agarico: Dum quidam inutiliter tempus terunt ſanguinem e brachio mittentes, in rheumatiſmis, febribus, apoplexia, lethargo arthritide, catarrhis, hæmorrhagiis, E pedibus autem in ſuppreſſione menſtruorum, lochiorum, fluoris vterini, ac plurimis aliis affectibus, Alij ægros a difficillimis morbis liberant exiguo temporis ſpatio, vſurpando hidrotica, vomitoria, cathartica, fixantia, ſtyptica. aperientia generoſiſſima.

Hinc nuperrime quidam exteri tantopere celebres fuere ob citam febrium curationẽ, non quod illis ſuppeterent medicamenta exotica, ſed quod comperta ſagaciori ingenio & audacius in vſum duxerint: Si enim preſſius ad examen revocentur duo Febrifuga, hodierno tempore maxime familiaria, facile innoteſcet id quod febribus intermittentibus dicatum eſt, baſin obtinere *Quinquinam*, Quod vero ad continuas dirigitur, vim præcipuam nanciſci a ſale viperarũ; Revera ſi Quinquina

L

ſimpliciter in vino albo infuſa fuerit exhibita; ac ſal volatile viperinum diſſolutum in liquoribus cardiacis, id quod hactenus præſtiti, ſucceſſus non adeo certus eſt ac febrifugorum mihi jam memorandorum; ſed, adde quod eo modo exhibita dicta modo duo medicamenta nihilominus certiùs operantur quam ſanguinis miſſio & enemata, a nobis vſurpari ſolita; Veriſimile eſt illa cum ex ſe proprietates ſingulares obtineant, efficaciorem vim nanciſci poſſe ſi aljis remiſceantur, aut ſingularis accedat præparatio.

Me quod attinet quem invidia non tenet ob aliorũ felicem progreſſum, nec vnquam famam comparare ſtudui alterius ruinæ innixus, ſatis non fuit ſuſpicere mirandos effectus remediorum ab exteris illis vſurpari ſolitorum, ea præterea vbique deprædicavi, ac etiamſi in poteſtate mea fuerit æquipollentia proferre, illa tamen tanquam potiora vbiq; extuli, quandiu arcana mihi fuere: at vero cum libertas illa quam profiteor nunquã impedimento fuerit quominus curioſitati meæ ac officio ſatisfacere elaborarim, tanto ſtudio in id incubui vt nova illa febrifuga in notitiam meam pervenerint, ex conſideratione coloris, ſaporis, odoris, conſiſtentiæ, ac præſertim effectuum, vt nullus dubitem me conſequutum eſſe ac attigiſſe ſcopnm.

Tanti myſterij, penetralia indagaturus, hoc propemodum ratiocinii genere vſus ſum: Remedium ad curationem Febrium intermittentium vſurpatum, illas expulit abſque vlla manifeſta criſi, id ergo contigiſſe neceſſe eſt fixatione materiæ febrilis, id quod fit cum Quinquina exhibetur: Febres eo pacto curatæ rarius reverſæ ſunt quam quando ſola Quinquina in vſum ducitur, veriſimile ergo eſt illius actioni fixativum quoddam robuſtius conjunctum fuiſſe; Illi qui ope ejuſmodi remedij ſanitatem adepti ſunt, paulo poſt aſſumptum tranquillitatem gratam experti ſunt, in ſoporem delapſi, excretiones porro omnes interceptæ fuere, fixativum ergo illud credendum eſt Opium fuiſſe, cui ſoli omnes prædicti effectus debentur: Continuarum porro febrifugum tranquillitatem etiamnum inducit, ſomnum, imo diarrhœam dyſenteriamque ſiſtit, inferendum ergo quoque effectum illum Opij etiamnum ſobolem eſſe: At quanquam id Febrifugum fermentationes omnes inſolitas dicto modo coërceat. nihilominus tamen Vacuationes quaſdam promovet, fermentum febrile expellentes; continet ergo compoſitio dicti Febrifugi vacuans aliquot, eo nomine Opio valentius, quod ab hoc illius energia non prohibeatur, Nullum porro inter evacuantia efficacius reperire eſt, quod ſubtiliores obtineat particulas, aut velocioris ſit motus, quam eſt ſal volatilis viperarum, Ergo ſalis illius actio conjungi debet opij actioni, vt inde prodeant duo

duo effectus adeo contrarij.

Ab eiuſmodi ratiocinationibus ad experimenta tranſitum feci, quorum priora aliquo ſucceſſu comprobata ſunt, meliori in ſequentibus, at omnino ad votum in poſterioribus, eo quod nactus fuerim præciſam proportionem mixtionis & dozium: Pergo nihilominus in experimentis, quo colophonem imponere queam inſtituto meo, rem vero ad perfectionem vbi deduxero, publici juris illam facturus ſum.

Interim hortor eos qui laboris amantes ſunt, nec rei privatæ augendæ plus nimio intenti, mecum in ſocietatem operis veniant, ac rogo participem me faciant obſervationum ſuper hac re collectarum, quo junctis operibus perfectam rei notitiam aſſequi valeamus.

OBSERVATIO II.

SIVE

Oratio habita a D. CESVIN, *Curſum Anatomicum in Collegio Rhedonum inſtituente.*

ADeo verum eſt, Auditores, perfectionem, pulchritudinem, atque ipſam rerum omnium eſſentiam, omnino pendere ab vnione, ac partium inter ſe cohæſione, vt ſi vel quam minimum à ſe invicem divellantur, aut in confuſionem agantur, illico multum corpori de priſtina forma & pulchritudine decedat, imo priorem eſſentiam exuat; Non ſecus ac cum partes ipſius, maxime intrinſecæ, a ſe invicem abſcedunt & ſeiunguntur, totum illico deſtruitur, adeo vt ne vel prima denominatio amplius congruat; Præterea cum ſimul Naturæ, a qua producuntur & foventur omnia Entia, & Artis, cui ſuum debent ſplendorem & ornamentum, maiori ſimul conatu & induſtria concurſus factus eſt, ad coniunctionem plurium numero partiū ab invicem diſcrepantium, vt inde exſurgat compoſitum omnibus numeris abſolutum, diſgregatio, quæ illarum infeſtiſſimus hoſtis, tunc temporis rabiem ſuam exſerit, confuſionem majorem, diſſidium & deformitatem inductura: Celebria ſuppeditant exempla ſuperba illa ædificia, antiquitati adeo veneranda, Pyramides ſcilicet Ægyptiæ, Coloſſus Rhodius, Coliſeus Romanus, cæteraque eiuſmodi prodigioſa olim & ſtupenda, quorum ſtructura admiranda temporum inconſtantiæ nequaquam obnoxia videbatur: cuncta enim nunc nonniſi caduca ædificia exhibent, horrida ſpectacula & rudera ruinæ ſuccedanea, ne digna nomine quod illis cum erecta ſtarent inditum fuerat.

Revera, etſi Coliſeus Romanus magis cæteris a temporis injuriis

tutus fuerit,relicta veſtigia, ex quibus magnificentiæ operis indicia quædam colligere eſt, lineamenta tantum ſunt obſcura & obſoleta ac reliquiæ, prioris ſtatus triſtem memoriam revocantia, horroris & terroris ſpectacula.

Hæc a me tradita,Auditores, revera recte revocari poſſunt ad funeſtum fatum cadaveris oculis veſtris obiecti,nam cum non ita pridem Naturæ ſummum opus ac delitium foret, cujus productio illi magis laborioſa videatur fuiſſe quam alterius creaturæ, ſic jubente fato diſſolutionis ſubjectum evaſit, cui nihil naturale ſupereſt præter durum mortalitatis telum, ac neceſſitas ad priſtinum materiæ chaos redeundi: Nec vero iam ſatis eſt nunc illi præreptum ſingulare ornamentum,ac perfectionum in illo conſpicuarum apicem, præcipuam illius partem ereptam eſſe: Indignum nunc eſt inſignibus elogiis a Pſalmiſta illi aſſignatis, *minuiſti eum paulo minus ab Angelis*; *gloria & honore corenaſti eum*; Non amplius meretur honores & obſervantias a cæteris creaturis præſtari ſolitas, in quas dominium à Summo Deo conceſſum ante obtinebat, *Conſtituiſti ſuper omnia opera manuum tuarum*, quandoquidem Anima deſtitutum, ac ab ea divulſum, non amplius conſtituit egregium illud totum,Hominis titulo honorifico donatum, quod etymon, authore Ennio, ab *amabili* derivatum eſt, Non amplius inſigniendum eſt titulo; Animalis rationalis, quod Aegyptij ſacerdotes adorandum & venerandum dixerunt: Non amplius gerere idoneum eſt nomen quod Platone inditum, θαῦμα θαυμάτων; à Pythagora πὰ μέτρον ἀνθρώπον, vel Theophraſto ἀνθρώπον παράδειγμα, nec etiamnum amplius illi aſſignandum eſt id quod alicubi me legiſſe memini, *Quintum eſſe totius mundi machinæ, imo centrum exquo omnes ſphæræ naturæ radios ſuos infundunt, micorocoſmos & compendium totius naturæ,mundi miraculum, terra Philoſophiæ & Aſtronomiæ, cuius maſſa opificium, tanti artificii quod nec diabolus abſque ſtupore tremoreque intuetur*,Deſinit tandem eſſe microcoſmus ac compendium rerum mirabilium mundi, non amplius elucet ſpiritus ille, olim Divinitatis imago: Excidit ab inſigni illo titulo fœderis cum Angelis initi: Imo cætera animalia bruta & plantæ affinitate cum illo conjungi renuunt,lapides, metalla, ac creaturæ omnium maxime imperfectæ vilem ſtatum ſuum cum illo commutare non dignantur: Non amplius mirandæ illæ actiones cernuntur, neque affectus ante ſtupendi adhuc conſpicui ſunt: quo diſceſſere præſtantes illæ facultates principum nomine alias donatæ, Intellectum dico, quo duce Divinitatis penetralia adire valebat? Memoriam, quæ ſingulis momentis referebat illi & obvias reddebat res præteritas quaſi præſentes fuiſſent: Voluntatem, quæ illi oblectamen-

to

to erat in indagatione objectorum quæ grata videbantur? Ac tandem omnes cæteras facultates ab hac pendentes, non ſecus ac illa ſedem in cerebro obtinentes? Quid, ambæ illæ lucidæ ſphæræ, oculi, quorum radios etiam vltra aſtra diffundebat, imo maxime ſublimia eorum ſitum & motum obſervaturis, quos iterum ad terræ vſque centrum dimittebat, perquiſituros mineras ac maxime profundas abditaſque, abyſſos momento quaſi ſplendore ſuo orbati fuere, lumine, pernicitateque motus, Lingua quoque non amplius harmonica mobilitate viget: Manuum induſtria & agilitas in funebre otium deſcivit: Quid plura? vivificus ille oceanus, Cor, cuius vndæ & mites fluctus tanta proportione prædití aſſiduo & circulari motu ſanguinem & ſpiritus, omnibus partibus vita donandis & excitandis deferebant, in mare mortuum degeneravit, aut quaſi palus horrenda in qua præter limum ac cœnum fœtidum corruptumque nihil reperire eſt, Pedes motu omnino deſtituti, triſti quiete gemitum exprimere videntur: Diſſoluta tandem eſt intima illa compages adeoque incomprehenſibilis animæ & corporis, ex qua Ens vivens conſtituebatur. infinitos & miros effectus edere capax; Receſſere cauſæ cunctarum illarum functionum in ſtuporem adducentium; Subſtitit curſus & ſeries inſignium illorum effectuum; Paucis mirandæ quotquot fuerint actiones illæ non amplius eduntur, accedente funeſta illa compoſiti diſſolutione, hoc eſt divortio & diſſociatione ſpiritus & materiæ: Id quod ſupereſt aliud nihil eſt quam maſſa in glaciem concreta, quam truncus iners & frigidus, exanimis, ſenſu motuque deſtitutus: quapropter quidam Poëta cum illum nomine ſolito indignum iudicaret, ob deplorandum illum ſtatum, in hæc erupit verba, *Iacet ſine nomine truncus*: Revera truncus eſt horridus ac deforme cadaver, ad cuius conſpectum & contactum contremiſcunt & expaveſcunt corda; huc accedit infortuniorum ſummum, quod accedente putredine in non entium numerum migraturum ſit.

Imo vero vereor Auditores, ne quæ verba apud vos effundo alio oculos & aures forte avocent, nedum aliciant ad excipiendam hiſtoriam & demonſtrationem à me inſtitutam, At vero cur hæc effutio, ad generoſos & cordatos viros verba fero, quos vix veriſimile eſt inerti faſtidio & puſillanimitati manus daturos: Macte ergo Auditores, audaci accedamus animo, non minus generoſo quam Architecti, qui, veterum ædificiorum dirutorum rudera & veſtigia intrepide accedunt, ſpe nanſciſcendi quæ artem Architectonicam promoveant, Eorum ad exemplum gnaviter & intrepido animo, poſitoque omni faſtidio, incumbamus accuratæ ſeparationi omnium partium admirandæ huius

compagis, quo rite explorata illius ſtructura, & attento animo perluſtrata organorum inſigni ſymmetria, in notitiam deveniamus præſtantiæ actionum in quarum gratiam conſtructa fuerant: Quot arcana ibi deliteſcentia nobis obvia futura ſunt, quam merito cum Propheta exclamare dabitur, *Celebrabo te Domine, quia mirabilis ſum formatus; Confitebor Tibi Domine, quia magnitudinem ſapientiæ Tuæ manifeſtaſti mihi in mei corporis fabrica.*

OBSERVATIO III.

Authoris.

De natura Corporum mixtorum Diſquiſitio quinta.

ARiſtoteles, cum perſpectum illi fuerit nihil in rerum Natura novi abſque Motu produci poſſe, notionem amplam & generalem nobis exhibere conatus eſt, vt comprehenderet quiquid Naturaliter aut artificialiter conferre poteſt rerum omnium nobis objectarum productionibus; quamobrem hanc definitionem tradidit, *Actum entis in potentia, quatenus in potentia*: Revera, etſi hæc definitio hodierna die non admittatur, nihilominus in ſe complectitur quæcunque Motui competere poſſunt, eo quod æqualiter convenit agenti & patienti, moventi & rei mobili: nam quemadmodum corpus quod aliud in motum impellit, illum effectum edere nequit niſi in actum deducat potentiam quam in ſe habet movendi, hoc eſt, niſi id ipſum actu moveatur, alterum motum non admittit niſi quatenus illud huic imprimit actionem quam tantum antea potentia poſſidebat: Porro ſicut nemo in dubium revocat quin rei creatæ ſibi invicem motus proprios communicent, ita quoque nemini dubium futurum eſt quin Ariſtoteles merito in ſua hac definitione comprehenſas voluerit potentias & activas & paſſivas: adde quod præterea dicere licet Philoſophum tradere debuiſſe definitionem motus admodum genericam, quandoquidem deinceps in multas & differentes ſpecies diſtinxit; cum revera non idem ſemper ſit, ſi non reſpectu generis, ſaltem quoad ſpeciem.

Hoc tamen omnibus Philoſophis neotericis concedendum Definitionem prædictam eſſe obſcuram, atque potius aſſentiendum Dom. Carteſio & Gaſſendi nullum præter localem alium admittendum motum, quia revera corpus ad motum impelli nequit niſi vniverſim vel ex parte commutetur de loco in locum: Nec tamen inde ſequitur vt cum priori dictorum Philoſophorum, Motus definiri debeat per Applicationem ſucceſſivam exterioris corporis ad diverſas partes materiæ

riæ illi proximas; Vel cum poſteriore,per Tranſitum de loco vno in alium: Proculdubio enim omnino aliam motus definitionem tradituri fuiſſent, ſi ab ipſis eſſet animadverſum id quod aliis in locis ab ipſis traditum,concedunt nempe Motum & Actionem vnam eandemque rē eſſe,hoc eſt nullum ſine actione reperiri motum, neque viciſſim, actionem vllam ſine motu, quandoquidem exinde illis inferre licuiſſet ſolam immutationem loci non ſemper motum ſuponere: ſic exempli gratia, ſi quis impoſitus cymbæ fluvij decurſum ſequatur, quieſcere hic poteſt reſpectu totius corporis, & quarumvis partium, ac interea ſucceſſive adplicari (*verba ſunt Dom. Carteſij*) diverſis materiæ partibus: Vel (*ſicut habet Dom. Gaſſendi*) varjis locis ſpatij.

Motus ergo ſequens definitio accuratior erit, ſi dixeris *Actum eſſe entis, per quem eius totum, vel quæpiam illius partes, tranſferuntur e loco quem prius occupabant in alium*: Vel ſi vis, in aliam partem ſpatij, hæc vnum idémque ſonant hoc loco.

Huius Definitionis perfectio melius innoteſceret ſi ſingulæ illius partes ad examen revocarentur, at quandoquidem res Phyſicæ attentioris ſunt conſiderationis, hæc in aliud tempus reſervo &c.

OBSERVATIO IV.

Dom. PINETI Medici Pictavi.

Naſcale diutiſsime innoxie in collo vterino geſtatum.

Ante triginta tres annos in vteri collum vterinum Nobilis Matronæ Naſcale ex fruſto ſuberis confectum fuit intromiſſum idque cera coopertum, formæ & magnitudinis ovi gallinacei majoris, prohibendi gratia deſcenſus vteri: nec tamen hoc obſtaculo fuit geminatæ conceptioni, quanquam in ſua ſede ſemper id ſubſiſtit, præterquam paulo poſt conceptionem, quo tempore extra ferebatur à pondere & decubitu matricis: Cura ſemper fuit dictæ Matronæ poſt partum dictum Naſcale iterum intrudere, nec à loco dicto dimotum eſt ab vltimo partu, qui fuit ante viginti quinque annos, nullo incommodo exinde ſubſequuto: at tandem ſordes circa id congeſtæ per moram corruptionem induentes, vtero vaporem inſolitum inſpirabant, qui ideo irritatus quo momento injectus clyſter naſcale extruſit.

OBSERVA-

Observatio V.

Ejuſdem.

Aciculæ per anum emiſſæ.

PVella decēnis,pro ætate provectior, conſanguinitate proxima mihi conjuncta, nuperrime per anum emiſit, intra ſpatium duodecim aut quindecim dierum, pluſquam quinquaginta aciculas, & ſegmenta coſtarum cetacearum admodum tenuja, longitudinis autem circiter minimi digiti: Prodibant hæc vt plurimum minime ſordida, rariſſime vero fæcibus commixta, quamobrem ipſo expulſionis momento immaniter ejulabat præ dolorum vehementia, adeo vt duorum opera, qui erectam ſuſtinerent, opus haberet; Deſcenſum corporum illorum extraneorum percipiebat, cum vero exitui erant proxima, vt plurimum digitis evellere coactà erat: pſas vero aciculas quod ſpectat, aliquando ſolitariæ prodibant, aliquando plures numero ſimul, aliæ erectæ, aliæ tranſverſim; quomodo vero cunque exirent, variis vicibus ad octonarium vſque numerum ſæpenumero excluſit, initio præſertim, cum cruoris guttis aliquot: In memoriam venire non potuit quomodo in corpus irrepſerint aciculæ,aut fruſtula coſtarum cetacearum, ac jam pridem maturiori eſt jngenio quam vt per imprudentiam ſimilia ingeſſiſſe veriſimile ſit: Sed tandem, vt & illius matri,in memoriam redjit, circa annum ætatis quartum vel quintum in more ſibi fuiſſe aciculas ore geſtare, maxime circa noctem atque hora ſomni, quas excitata a ſomno non reperiret; Admodum veriſimile eſt eo tempore ab illa deglutitas fuiſſe, atque ob varios anfractus & gyros inteſtinorum, concurrente acicularum figura, inibi adeo pertinaciter hæſiſſe: Addit puella tantæ amplitudinis ſibi eſſe guttur & oeſophagum vt vel craſſiſſima citra negotium ingerere queat: Quinquennij aut ſexennij ſpatio ex intervallis cephalalgiam paſſa eſt, cum ſtomachi & ventris dolore: At vero excluſis a menſis ſpatio extraneis illis corporibus proſpera fruitur valetudine.

Observatio VI.

Avthoris.

De oleo Talci.

ETſi quamplurimi arti Spagiricæ operam dantes jampridem conatus omnes adhibuerint vt Talcum in oleum ſolverent, ab antiquis & neote-

& neotericis adeo commendatum coſmeticum, ad conſervationem amœni illius floris qui in juvenili ætate conſpicuus eſt, irriti tamen illi fuere: atque experientia teſte obſervatum eiuſmodi opus impoſſibile quidem non eſſe, at vero perquam arduum, eo quod Talcum corpus ſolidum ſit, ignis etiam violentiſſimi efficaciam eludens, ac potiori jure eorum quæ illi adduntur a matronis nitoris, vultus curam gerentibus: Vires ſuas nequaquam exerit niſi diſſolutum fuerit, ſin corrodentium & acrium ope id contingat, omnino ineptum eſt quod in vſum veniat, & cuti illinatur, illam enim erodit, nedum nitidam efficit: Id vero adnotandum oleum Talci ab extracto differre, quod nonnulli ſibi fingunt, at ſolutionem tantum eſſe propriæ illius ſubſtantiæ; nam revera illius extractio omnino eſt impoſſibilis, ideoque plurimi merito in dubium revocavere oleúmve Talci extaret nécne: Reſolutionem illius quod ſpectat, difficilis admodum ea eſt, obſtante (vti ſuperius innui) illius ſoliditate: Nihilominus tamen hoc ævo nonnemo operis perfectionem in ſe ſuſcipit, ac ſpondet Talci ſolutionem in oleum, æque acidum ac vel ipſum talcum; ſtudium vero & operam totis quindecim annis in id adhibuit, ac voti tandem compos factus eſt; Illius quippe induſtria Talcum diſſolvitur, album evadit, lucidum, vnctuoſum & inſipidum, cujuſmodi natura ſua eſt Talcum minime diſſolutum; eo tamen diſcrimine quod Talcum diſſolutum & reſeratum vim obtinet & facultates inſignes ipſi aſſignatas, quæ in integro deſiderantur: Ejuſmodi vere diſſolutionem vulgo vocant Oleum Talci, quod vſu comprobante, omnino eſt innoxium; cuti enim impune omnino admovetur, quin potius illi candorem conciliat, humectam, efficit nitidam, terſam, lævemque: Id vero præterea habet ſingulare, quod, non ſecus illi adhæreat ac oleum nucum iuglandium tabellis quibus inungitur: porro ſicut tabulam, cui oleum nucum inductum eſt, lavare datum eſt, non deletis tamen nec oleo nec pictura, aut coloribus, nitoréque: Itidem eluere cutem oleo Talci imbutam conceſſum eſt, etſi candori, lævori, nitori nihil plane decedat, quin perſtet pellucida, grata tum oculis tum tactui, ac vt in juvenculis erugata, nihil aſperi præ ſe ferens: Pretioſum illud oleum aquæ inſtar pene limpidum eſt: Vnctuoſum, non tamen pingue ſicuti cætera olea, inodorum, ac proinde gratiam vbique obtinens: Proſtat apud Dom. Lemery, Pharmacopœum Regium, Vico Galandæo, iuxta Plateam Maubertianam, &c.

Observatio VII.

Epiſtola Domini ABBATIS BOVRDELOTII, Medici Primarij Succorum Reginæ, ac Sereniſſimi Principis, Fratris Regis &c. Scripta ad Dominum Fagonium, Conſiliarum & primarium Reginæ Medicum,

Obitus & Anatome Illuſtriſsimi Ducis Rupefoucaultij.

HAs Tibi traditurus eſt Nepos meus, per quem de obſequiorum meorum & obſervantiæ fidelitate certior fies; Enarraturus prætérea ille Tibi eſt quæ obvia fuere oculis, apertione facta cadaveris Domini Ducis Rupefoucaultij, cujus præcipuas circumſtantias ad Te perſcribo: D. *Morellius*, cui demandata diſſecandi cura, indicavit mihi cutem latere dextro, infra mammillam, omnino exterius lividam apparuiſſe: Aperto thorace, ibidem loci pleuram itidem lividam, ad gangrænam vergentem deprehenſam eſſe: Pulmones porro, qui nigricabant, adeo turgidos & ſanguine infarctos fuiſſe, vt inflicto ictu ſtatim e capacitate exilierint: Ictos quibuſdam ex locis falcato ſcalpello, affatim ſanguinem erupiſſe, liquidum, fuſcum, & tabo ſimilem, pus autem ſub finem exiiſſe.

Mortis cauſa aliunde non eſt deducenda quam à partis illius ſuffoca tione: contigit forte ſeri cuiuſdam acris aut ichoris portiunculam maſſæ ſanguineæ commiſtam fuiſſe, quæ pleuræ communicata vitium aliquod illi inuſſerit aut labem; proxima autem lethi cauſa adſcribenda eſt inſigni copiæ ſanguinis quæ exundavit in pulmones illóſque oppreſſit; quibus ad expanſionem cum ſufficiens denegaretur ſpatium, occaſio hinc oborta eſt orthopnoeæ, quinque aut ſex dierum ſpatio moleſtæ, pulſuſque exilitatis toto ante obitum triduo, qui initio affectus magnus & plenus fuit, plethoræ index.

Mors ergo ſupervenit ob non depleta vaſa; Medici in conſilium adſciti ſanguinis mittendi perpetuo authores fuere; Conſanguinei autem & aſſidentes ægro, aut cœca in illum miſericordia, aut de remediis perperam judicium ferentes, aſſenſum præbere noluerunt. Non diffiteor quidem malignum aliquod ſerum, ſanguini remixtum, forte hunc in motum incitaſſe; Vtinam verum illius & genuinum correctivum cognitum fuiſſet, illum e ſexcentis eruere admodum arduum eſt, atque hic aberrare admodum proclive: Sæpenumero enim vſu venit vt quod ſalis cujuſpiam correctivum eſt & ſedativum, idem aliud

aliud irritet & exaſperet : Interim ſimili in caſu a priſca methodo nequaquam diſcedendum eſt, quæ eo ſolummodo inclinat vt majora vaſa exinaniantur, hoc fundamento innixa, quod illa ob ebullientem & febrilem ſanguinem turgida, in pulmones onus excutiunt, à quo opprimuntur & ſuffocantur : Id autem ſingulare corpore adaperto adnotare mihi licuit, portionem ſcilicet pulmonis, tres quatuórve tranſverſos digitos latam, ſaturato rubore ſuffuſam fuiſſe, gangræna tamen non affectam, quam ſcalpello poſt quam diviſimus, dura illa fuit & ſcirrhodes, exilibus vaſculis prædita, ſanguine rubicundo & naturali prædita : Denſitas illius particulæ, vaſorumque exilitas, in cauſa, vt exiſtimo, fuere quod æſtuantem ſanguinem, febris fomitem non exceperit, ideóque ab eo obruta non fuerit, qui in reliquo pulmone, ſpongioſa ſubſtantia donato, abſque impedimento exceptus fuerat.

Aliud porro in memoriam rediit, me cum ante triennium Illuſtr. Dom. Ducem ſub cura mea haberem, eodem morbi genere laborantem, ſcilicet Peripneumonia, cujus comes erat dolor lateris cum tuſſi & ſputo ſanguinis, ſanguinem plurimum illi detrahi iuſſiſſe in morbi primordiis, atque ſic humorum in pectus influxum prohibuiſſe, poſtmodum vſu lactis, aliorumque quorundam remediorum, pulmones conſolidatos fuiſſe, qua parte ſcilicet eroſi fuerant, aut anaſtomoſes vim paſſæ, e quibus cruentæ expectorationes prodierant : Veriſimile eſt particulam illam pulmonis fuiſſe conſolidatam : ibique cicatricem ſcirrhoſam exortam, cuius ope conſtricta ſunt vaſa : Vnde patet verum non eſſe extimas, partes labem aliquam paſſas, præ cæteris magis patere defluxionibus : Nec deſunt rationes, aut experimenta in memet ipſo facta, quibus id ipſum comprobem; Podagra laboravi quibuſdam in pedum locis, per me vſu remediorum adeo confirmatis, eorum vaſis vſu remediorum adſtringentium tam valide conſtrictis, aut conſumptis, vt nulli amplius in illos decumbant humores : Quicquid ſuper his, & præſertim hoc in caſu ſentias ſignifices per litteras rogo : Sententiam tuam omnibus me anteferre ſcias, nihil enim Te latet eorum quæ medicum ſçire decet, &c.

RESPONSIO.

Domini FAGONII *Conſiliarij & primarij Reginæ Medici.*

Ad Dominum ABBATEM BOVRDELOTIVM, Reginæ Suecorum Archiatrum, & Sereniſſimi Principis Regiæ Majeſtatis Fratrem.

De obitu & Anatome cadaveris. Illuſtriſsimi Ducis RVPEFOVCAVLTII.

DOMINE,

Adeo inclinat animus in ſententias Tuas, vt invitus nonnulla obiiciam adverſus ea quæ de obitu & diſſectione cadaveris Illuſtr. Ducis affers: Contra iviſſe vero mea refert, ne ignavum aſſenſum præbuiſſe, aut eloquentiæ Tuæ torrente abreptus videar: Hac in re Tibi etiamnum conſentio Illuſtr. Dominum Ducem ſuffocatum interiſſe ab impetu ſanguinis in pulmones exundantis; at vero apud me dubium eſt ſoline vaſorum plenitudini cauſa adſcribenda ſit: Septem vel octo ante obitum horis mentis ſtupor illum invaſit, cerebrum autem in exercitio functionum principum defeciſſe veriſimile eſt (vt ex multorum ſignorum concurſu liquet) a ſeri maligni affluxu id obruente, cujus pars ſtatim in primordiis morbi pectus invaſerat.

Suſpicari & licet nervis motui organorum pneumaticorum dicatis, non minus quam cæteris eodem humore imbutis, ac proinde ad perſeverandum in functione ſua ineptis redditis, Ægrum, qui paulo ante melius ſe habere videbatur, metaſtaſi facta ſeri illius in caput, quo Pulmones liberati fuere, vno impetu ſuffocatum fuiſſe, inducta paralyſi nervorum ad pulmones & ſeptum tranſverſum diſtributorum: Eo ergo in ſtatu cum ſanguis in itinere verſus cor inſtituto pergeret, atque in Pulmones influens ex iis more ſolito non propelleretur, etſi maſſa ſanguinis media ſui parte imminuta fuiſſet, nihilominus tamen Pulmonem plenitudinem hanc incurrere neceſſe erat, id quod poſt obitum conſpicuum fuit, quia in iis pene vniverſa maſſa Sanguinis ſubſiſtebat.

Interim Tecum, Domine, ſentio, diſpoſitionem illam necroſi proximam, pleuræ & cutis, ortum debuiſſe copiæ æſtuantis ſanguinis, impetu delati in loca quæ ſerum acre & cauſticum, vnde mali primordia, corrodebat; ſolamve illam affectionem, etiam ſi non contigiſſet dicta illa in caput metaſtaſis, indubiam mortis cauſam fuiſſe; cui forte obviam ire licuiſſet, ſi ſubita vaſorum depletio facta fuiſſet, primiſque morbi diebus.

Obſervatio autem à Te facta conſtitutionis partis ſuperioris Pulmonum Illuſtr. Dom. Ducis, vt omnino extra naturam eſt, ita ſummo judicio tradita: In Pulmonibus cicatrices raro admodum conſpicuæ ſunt, Sagaci-

Sagacitati autem Tuæ eximiæ debetur eiuſmodi obſervatio, per quam convellere licet axioma generale de debilitate partis cuiuſpiam male affectæ: Aut ſaltem opinionem facere (dummodo animus antiquorum ſententjis non plus juſto irretitus fuerit) ſi partes carnoſæ, quæ vnitatis ſolutionem paſſæ ſunt, quam ante debiliores evaſerint, eo quod fibræ nerveæ, texturæ robori dicatæ, vbi conſumptæ fuerint, in integrum amplius non reſtituantur, idem iudicium de partibus membraneis non ferendum, quæ ſi quando ad priſtinam vnitatem redeunt, in illis cicatrix & denſior & ſolidior inducitur quàm in reliquis partibus quibus nulla eſt illata injuria: Quamobrem, ſicuti ſentio, pars ſcirrhoſa à Te deprehenſa immunem ſe præſtitit ab eroſione quæ contigit in reliquis Aëgri Pulmonis partibus &c.

Epistola II.

Domini ABBATIS BOVRDELOTII, *Archiatri Reginæ Suecorum & Seren. Principis Majeſtatis Regiæ Fratris.*

Ad Dominum FAGONIVM Conſiliarum ac Primarium Reginæ Medicum.

De Obitu & Exenteratione Illuſtr. Ducis Rupeuſocaultij

DOMINE

Accepi reſponſum de morbo & Anatome corporis defuncti Domini Ducis Rupefoucaultij: Gaudeo vero quod mihi conſentias quoad plurima, eoque nomine mihi gratulor, quæ enim excogitata a Te ſunt demonſtrationum vim obtinent: Circa ea ergo quæ maxime eſſentialia ſunt nullus inter nos diſſenſus, ſcilicet febrem ægro funeſtam originem duxiſſe ab exuperante ſanguine per triennij decurſum congeſto, vel ab æſtu & fermentatione eiuſdem, qui in morbi primordjis arteriam ad craſſitiem pollicis extendere videbatur, quapropter dura & plena in ſingulis pulſationibus apparebat; Apud me quoque illud ratum eſt quoddam ſerum acre, malignum, & forte arthriticum quid ſapiens, fermenti vicem obtinuiſſe erga dictum ſanguinem, quem, vt ad notaſti, opus fuiſſet e corpore non ignave eduxiſſe per largas venæ ſectiones, in brachiis & pedibus inſtitutas: Inſignis ille fervor hoc præſidio ab initio repreſſus fuiſſet. At vero nec mihi nec Dom. Liſotio nec Quercetano quiſquam aures præbuit, Aeuo vivimus quo nullus non ſe fingit Medicum: Morbo laborant ingenia, ob quem quid ſit rationi conſonum

non percipiunt, quo fit vt abſona amplectantur remedia, plerumque ægris funeſta : Conſanguinei ergo & amici Aegri, ſanguinis emiſſioni obſtitere, obiecere provectam ætatem, venæ ſectionem arthriticis eſſe noxiam, Medicum Anglum, atque alios, ea prætermiſſa ſanare febres, interim dum his rationibus fulti, aljiſque minoris momenti pertinaciter nobis reluctantur pulmonibus ſanguine nimiopere diſtentis pulſus minor evadit, eo quod arteria non amplius pro more expanderetur, tuſſis ægrum vrget, ſputa cruenta in livida & viridia tranſeunt, præſertim exacerbationum tempore: anhelus fit æger, adeo vt erecta tantum cervice illi aërem ducere concederetur, aberat enim ſpatium admittendo in thoracem aeri, quod ſymptoma ad obitum vſque perſeveravit: illius ergo cauſa, ac proinde morbi vnde pendebat, pectore præſertim concludebatur, in quo deprehenſus Pulmo ſanguine livido & pure turgidus : Nulla metaſtaſis humorum in cerebrum accuſanda, mentis enim functiones in ægro integræ ſemper perſtitere: At vero Tibi hac parte iterum aſſentior, per liberalem ſanguinis emiſſionem ægrum liberandum fuiſſe.

Quæſtio a me Tibi propoſita circa partem Pulmonis integram & rubram, quæ in eius parte ſuperiori & dextta animadverſa eſt, in quam aliàs fluxio decubuerat inſignis, ſputi cruenti author, ſingulari examine digna eſt: quæ porro de ca meditatus es, curioſa ſunt: multa quòque, à quo tempore ea de re ad Te ſcripſi, in mentem mihi venerunt: Maximi illa eſt momenti, tractatuque ſingulari comprehendi meretur: Chirurgos quoſdam eam ob rem in conſilium adhibui: Apud ipſos ratum eſt, ſi os fractum conſolidationem adeptum eſt, eam duritiem ipſi comparari vt nunquam qua parte ante fractum eſt rumpi queat: Novi Suecum Podagræ obnoxium, ab hac plane liberatum quod ocreas per plures annos induiſſet quibus aquam infundebat, ab eius inſigni algore extincta intemperies, ac conſtrictæ venæ pedum & tibiarum : Fluxio alio derivata eſt, attamen Suecus immunitatẽ à Podagra obtinuit, ob interceptas humoribus influentibus vias: Cauſticum temporibus admotum firmam gignit cicatricem, doloris dentium in perpetuum profligatricem : Revera ſi quæpiam fibræ aut villi partium relaxentur & robore exuantur, tranſituro humori via ſternitur, vnde origo recidivæ morborum pertinacium : Ter Pancreas Defuncti Domini Mareſchalci Clerumbau tij onere levavi ope purgantium, humorum copia adeo turgebat, vt ad inſtar magni cucumeris tenſus & durus adpareret, at illius fibræ plus nimio diſſolutæ erant, ideòque non diu poſt iterum nova tumoris congeries contingebat: Medici nunquam in id incumbunt vt relaxati villi conſolidentur; inde humorum congeries originem du-
cunt

cunt & infarctus, vulgo intemperiei viſcerum adſcripta, recentis humorum congeriei cauſæ fictitiæ : Plurimi Pulmonici à me ſanati, ſanguinem & pus expuentes, inter cæteros D. Penotium catapultarium ſatellitem Regium, phithiſicum, ad extremum maraſmum deductum, perpetuis vigiliis vexatum, pus viride & cruentum continuo excernentem, cui cutis pruriginoſa evaſerat, furfures emittens : Nulli dubium quin illius pulmones tunc temporis vlcere affecti eſſent, quapropter pro conclamato habitus à Dom. Saraceno, aljiſque Medicis, Attamen lucis vſura adhuc fruitur, nec vllæ priſtini mali adſunt reliquiæ: Idem contigiſſememini Domino Marchioni à Larré, Legionis Conticenſis Præfecto, adeo enim conferruminati illi mea opera fuere Pulmones, vt itinera ſua citatis equis faciat, omnes belli moleſtias & diſcrimina ſubeat : nihilominus febris hectica ipſum occupaverat, ſputa illius omnia viridia erant & fœtida : totumque corpus incurvum evaſerat : Tractatum ea de re emiſſurus ſum, vſui practico admodum vtilem, Tibi dicandum &c. Vale,

OBSERVATIO XIII.

D. CESVIN, Chirurgi Iurati apud Rhedones.

Abſceſſus ſupra genu genitus feliciter Chirurgia curatus.

ACcerſitus nuper fui à muliere laborante Tumore in altero genu, cui multi Chirurgi ſine ſucceſſu ſuppurantia ordinaria adplicaverant : Illico mihi conſpicuum fuit tumorem hunc ex eorum genere non eſſe quæ materiam certo loco collectam continent, ſed genitam ab humoribus vniverſam articuli ſubſtantiam imbuentibus, quam vndique & æqualiter in tumorem attollunt, adeo tamen vt cutis nequaquam ideo afficeretur, neque in colore, neque in ſubſtantia, neque quoad ſenſum: Dolor enim ea in parte ægro infeſtus vndique per totam partem diffuſus erat, in qua ſtupor potius aut torpor animadvertebatur: Cum tamen coniicerem in parte ægra contineri materiam quam exhaurire neceſſe erat, inſiſtendũ duxi vſui maturantium & digerentium, atq; id tan dẽ conſequutus ſum vt tumoris apertio pluribus in locis ſuccederet, hinc tam ſupra quam infra articulũ totidẽ quaſi abſceſſus geniti ſunt, partem deplentes & humorẽ imbibitum excludentes, adeo vt non diu poſt detumuerit, ac priſtinę cõſtitutioñi naturali reſtituta videretur, ægra, poſtmodum leviſſimam & obcuriſſimam moleſtiam & dolorem percipiente, ibi loci vbi patellæ pars ſuperior anterius contingit apophyſin inferiorem femoris, cui incumbit lata aponeuroſis muſculorum tibiæ

tibiæ extenſorum, e quibus pes anſerimus efformatur: Eapropter vero attentius mihi locus ille conſiderandus fuit, qui naturali paulo maior mihi apparuit, vnde coniicere licuit in cavitatem articuli decubuiſſe quidpiam humoris ſecreti, quem facto emiſſario neceſſe eſſet inde educere: at vero vt tuto id fieret, ſedulo inquiſivi in lateribus patellæ idoneum ad inciſionem locum, integra & inviolata aponeuroſi, cuius læſionem periculoſiſſimam eſſe authores perhibent: Sed cum periculum omnino effugere non daretur, in meam ſententiam pertraxi aphoriſmi ſenſum, *Quo natura vergit eo ducendum*: atque prætermiſſis cautionibus prohibentibus, granum cauſtici, cutis adurendæ cauſa admovi, ſublata vero eſchara, à me animadverſum aponeuroſim affectam eſſe, aquæ a cute receſſiſſe vt minimum ad latitudinem coronati: ipſam vero digitis palpando, deprehendi inundationem ad centrum articuli vergentem, atque fluctuationem illi ſimilem quæ in tympaniticis deprehenditur: Cum tandem illa omnia neceſſitatem mihi oſtenderent ſectionem à me prius propoſitam inſtituendi, aponeuroſin ope ſcalpelli falcati aperui, id impellens ad congeſtionis vſque locum, e quo puris pluſquam cyathum eduxi; cuius evacuatio ægræ ſanitatem intra breviſſimum tempus attulit, vſurpatis mundificantibus, cicatricem inducentibus &c.

Observatio IX.

Eiuſdem.

Bronchocele rara ſectione curata.

PAucis diebus aute prædictam curationem, non minori audacia, ſed æque felici eventu, in puella, quatuordecim aut quindecim menſes nata, punctione facta infra parotides latere dextro, eduxi aquæ ruſæ quantum caperet ovum columbinum, hinc illam liberavi bronchocele vniverſam colli regionem anteriorem occupante, adeo vt periculum ſuffocationis incurreret, etſi neque inflammationis, neque abſceſſus humoralis iudicia adeſſent, ſed tantum vndulationis & fluctuationis quidam ſenſus, illis enim ſolis indicationibus innixus periculum apertionis feci, ſed poſtea in apertum locum digito indito, inde mihi conjicere licuit prædictam aquam cyſti concluſam fuiſſe, ideoque ratum habui iſtam alias proxime ſibi accumbentes habere, quas etiamnum neceſſe eſſet evacuare: Varjis temporibus cyſtides ad denarium vſque & duodenarium numerum, & ſucceſſive etiamnum aperui, adeo vt progrederer in incidendo ab aure vna ad alteram vſque, quæ operatio horrorem

horrorem incuſſit ingentem quod laniena potius videretur quàm opus chirurgicum, Obſervandum vero eſt aquam poſterioribus hiſce cyſtidibus contentam inſtar fuliginis dilutæ atram apparuiſſe, ac præterea adeo fœtidam vt ægræ mater in animi deliquium inciderit, ac aſſidentium plurimi cubiculo excedere coacti fuerint, nec momento temporis in eo permanere illis licuerit ſublevandæ ergo ægræ: Adde his prædictum Tumorem cuiuſdam Lupiæ ſpeciei ſuccedaneum fuiſſe, digiti extremi craſſitie, quæ tactu indice videbatur plena materia ſteatomatica: Quoad dictas cyſtides, credidi ſobolem eſſe tunicarum quæ cooperiunt tonſillas & glandulas conglomeratas illis in locis ſitas, quarum ſubſtantia abſumpta fuerat & eroſa ab humoribus impuris ibidem congeſtis, bronchoceles formam conſtituentibus: Cæterum curationis momentum cum ſitum eſſet in conjunctæ tumoris materiæ ablatione, eam mihi abſolvere operoſum non fuit, evacuata omnino eiuſmodi materia, quare vulgata & trita remedia ſatis fuere ad curationis perfectionem.

Observatio X.

D. BILLY Chirurgi Iurati Pariſienſis.

Vulnus Cordis.

QVæſtio ſatisfacturus, Domine, ſcias Iohannem Biretum, civem Pariſienſem, annos circiter viginti quatuor natum cũ in eum impetum feciſſent ſeptẽ ipſi ignoti, etſi pro virili & generoſe illis obſtitiſſet, acuto gladio percuſſum fuiſſe, duobus tranſverſis digitis infra mammillam dextram, vnde ſequutum vulnus penetrans in cavitatem pectoris, idque lethale.

Cadaver aperui, iubente Magiſtratu, coram D. Fevreo iuniore, collega meo, atque alio quodam Chirurgo: Cum porro ſolidum & certum iudicium de natura vulneris ferre decreviſſem, Pectoris præſertim examen inſtitui, in quo ſequentia animadvertere licuit.

Integumentis diſſectis, ſublatoque ſterno, illico oculis ſe exhibuit ictus introitus inter tertiam & quartam verarum coſtarum, initio ab inferioribus ducto: progreſſum vero vulneris ſequutus, notavi in margine, vel in extremo inferiori lobi anterioris pulmonis, duo vulnera ſuperficialia ab vnico illo ictu inflicta: quo vlterius pergente læſum fuerat pericardium, tandem immediate infra cordis auriculam dextram, advſque fundum ventriculi illius ingreſſum eſſe, vbi ſubſtiterat: Hoc vero admiratione dignum, & ſidem ſuperata, quod æger ſub finem tantum quintæ diei a vulnere obierit, Cauſas ſilentio nunc involvo &c.

OBSERVATIO XI.

Dom. DVPVY *Medici Fonteniaci Comitis Abceſſus ſingularis.*

NOn ita pridem accerſitus fui ad mulierem à quatuor aut quinque menſibus in lecto decumbentem, quam vnaquaque die toto illo tempore horror infeſtaverat, cuius comite erant vapores quidam calidi ſurſum ad caput irrepentes, irritis omnibus hactenus vſurpatis remedjis: At verò cum ex illa didiciſſem ab ipſo morbi initio in altera natium dolorem perpeſſam eſſe, calorem & pulſationem, credidi inibi latitare abſceſſum, malorum omnium fomitem, etſi nullus tumor aut eminentia ibi ſe proderet, vel alia quæpiam extraordinaria diſpoſitio: Illa opinione innixus ſectionem inſignem infligi juſſi, vnde mediocris quantitas cruoris atri & craſſi educta eſt: Attamen cùm ad ægram paucis poſt horis reverſus eſſem, ademptuſque eſſet per Chirurgum apparatus loco inciſo adplicatus, illicò circiter decem aut duodecim vnciæ materiæ atramenti inſtar nigræ prodiere abominandi odoris, affatim effluentis vt vix cohiberi potuerit, inſigni ægræ iuvamento, ac febris manifeſta imminutione: Qui eventus me impulit vt poſtridie horis matutinis redirem: narratum verò ægram dolores intenſiſſimos tota nocte perpeſſam fuiſſe, materiam porrò dictam, nigram & craſſam, tanta copia egreſſam eſſe, vt remota turunda & emplaſtro lectum pene totum fœdaverit & commaculaverit, imo id penetraverit: Vnde intuli Abſceſſum eiuſmodi foveri ab extranea quapiam & extraordinaria cauſa: revera vbi rem proprius explorare volui, quo rectius iudicium ferrem, animadverti medio ſectionis loco corpus ſolidum, quod volſellis apprehenſum educere coactus fui, hoc poſtmodum deprehendi eſſe craſſam aciculam, digiti longitudine, cuiuſmodi ruſtici noſtrates Guimbardianas vocant, quarum vſus eſt ad coniungendas oras indufij circa pectus: qua ægræ oſtenſa, ex eius ordidici ante annos quatuor, ab ipſa cum coniuge colludēte fuiſſe deglutitam: Cæterum, quanquam corporis illius extranei eductio curationem multum promoveret, nihil tamen à me prætermiſſum præcavendæ gratia cariei, aliorumque accidentium quæ materia ſuperſtes inducere potuiſſet; præſcripto ſcilicet convenienti victus regimine, exſiccandi vi prædito, Bocheto ex China. & ſalſaparilla comparato, Pilulis ex diagridio, reſina Ialapæ & aquila alba: Tandem injectionibus ex decocto radicum ariſtolochiæ rotundæ & iridis, foliorum piloſellæ, rubi ſummitatum; & ro-

& roſarum rubrarum, in cuius ſingula libra diſſolvebatur vncia vua ſpiritus vini rectificati, & drachma boli pulveriſati; cuius ope materia ad laudabilem conſiſtentiam poſtmodum deducta eſt, Digeſtivi vſum imperavi, cuius ſemper eximium ſucceſſum animadverti in eiuſmodi abſceſſibus, cuius ecce deſcriptionem.

Digeſtivum præſtantiſsimum.

℞. Emplaſtri ſtiptici Crollij vncias duas, lento igne liquefiat in vncjis quatuor olei hypericonis, adde poſtea myrrhæ drachmas duas, aloës ſubtiliter pulveriſatæ drachmam vnam; Detrahe ab igne vas ac continuo agita quovſque refrixerit,

Observatio XII.

Sive Stoicheiologiæ, aut Phyſicorum Principiorum novorum.

Capvt III.

Dom. MAILLOTII.

De Numero Elementorum.

ETſi diſſidium ſit inter Philoſophos circa numerum Elementorum, admodum tamen veroſimile eſt, obſervatis iis quæ in mundi creatione contigere, quatuor à nobis agnoſcenda eſſe: Ait enim S. Scriptura prima die Deum creaſſe Lumen, quod nihil aliud eſt quàm Ignis, Elementorum omnium abſque dubio primum & nobiliſſimum: Secunda die Deum magnũ Expanſum delineaſſe, vt fert vox Hebæa, ***Rachiaha.*** quod vocavit cœlum, ex plurimorum Philoſophorum mente ab Aëre non diſcrepans, atque pro ſecundo Elemento admittendum: Tertia die, Deum iuſſiſſe Aquas, terram ambientes, in quaſdam cavitates, iis excipiendis dicatas ſecedere: hinc Aqua vt tertium Elementum accipiendum eſt, à Terra ſecreta, qaæ quartum conſtituit: Hæc ſolum hiſtoria creationis mundi docet nos de Entibus ſimplicibus, ante mixta conditis, quare exinde inferre licet illa vnicam fuiſſe horum materiam.

Revera legimus in veteri Teſtamento Deum, poſtquam Elementa ab invicem diſtinxit, ac vnumquodque in proprium locum ſecedere voluit, iuſſiſſe terram producere Animalia & Plantas, mare autem Piſces: Quanquam porro ibi loci neque aëris neque ignis vlla fiat mentio, faciliimum eſt demõſtrare illos mixtorum compoſitionem in[illegible], adductis infinitis experimentis demonſtrativis.

Cæterùm , prætermiſſo Ariſtotele, qui Ignem Elementarem collocat in concavo cœli Lunæ aſſignati,quæ modo adduximus ſatis aperte oſtendunt partem mundi infimam , (admodum probabiliter) centrum mundi ſtatuendam , Terræ dicatam eſſe : Aquam autem , quæ ex mandato Dei confluxit in cavernas , ad ipſam excipiendam præparatas, jis deficientibus Terræ ſuperficiem coopertura fuiſſe : Aërem Expanſum , aut Cœlos , ambire inſtar operimenti Globum ex aqua & terra conflatum ; Ac tandem Lumen, aut Ignem, fuiſſe diviſum in plurimos Globos, quos Deus ſeorſim in cœlis collocavit,quo ad ipſius lubitum per totum orbem diffundatur, ac proinde vnumquodque dictorum Elementorum occupare locum ſibi à Natura præſtitutum, ſicuti ante propoſui.

Finis APRILIS *Anni* 1680.

Ann: 2. dis:

Fig. I.

pag. 107







Fig. II



Zod: Med: Gall ann. 2 dis pag. 100.

ZODIACI MEDICO GALLICI

SIVE

Recens in Re Medica & Naturali Exploratorum.

Maivs Anni 1680:

Observatio Prima.

In qua Quæſtiones Chirurgicæ propoſitæ & diſcuſſæ in Conventu Academico Chirurgorum Familiæ Regiæ. die Aprilis 29. Anni 1680.

Qvæstio I.

An in primo vulnerum apparatu ſemper neceſſaria ſit Turundarum, ulvillorum, pleniorum ſiccorum impoſitio, hoc eſt, non illitorum balſamo quopiam, vel unguento digeſtivo?

Solvtio

HAc in re diſtinctione opus eſt, in Vulneribus enim ſimplicibus, quibus nullum inſigne adnexum eſt ſymtoma, indiſcriminatim in his licet primo vel ſecundo apparatu, turundas & penicillos balſamis & vnguentis appoſitis illinere: At vero ſi vulnerum comes ſit hæmorrhagia, turundas aridas nullo humido imbutas immitere e re eſt, quo arctiùs compreſſis vaſis hiantibus ſanguis exitu citius & facilius prohibeatur: In illis vero quæ adiunctam habent grandem contuſionem, vel ſi ſimul læſæ ſint partes nervoſæ, ſatius eſt in ipſo primo apparatu concerpta lintea medicamentis vnctuoſis & digeſtivis illita indere, ſive ad citiorem ecchymomatis diſcuſſio-

nem, ſive ſedationem doloris, inflammationis cauſæ frequentiſſimæ, fluxionis, febris, gangrænæ, convulſionis, plurimorumque periculoſorum ſymtomatum.

QVÆSTIO II.

An Potiones Vulnerariæ aliquid vtilitatis afferant?

SOLVTIO.

ALimentorum acrium mordicantium aut calefacientium vſus Vulnera rebellia efficit, ac ſymtomatis moleſtis occaſionem præbet; Ergo quæ ingeruntur & diſtribuntur, in morem alimenti, ſanguineam maſſam ſuis qualitatibus afficere ualent: Potiones dictæ hauriuntur, ac proinde æqualiter in ſingulas corporis partes vires ſuas inferunt, detergendi & aperiendi vi pollent, ideoque per lotium plurimos humores ſuperfluos eliminare valent, à quibus fomentum accipiunt vulnera externa, imo multum conferre conſolidationi eorum quæ penetrantia ſunt: Quamobrem tantum abeſt vt inutiles iudicandæ ſint, quin potius idoneæ promovendæ curationi omnium vniverſim vulnerum, imo aliquando ſanationi illorum quæ cæteris remediis rebellia fuere accelerandæ.

QVÆSTIO III.

Cur non ſemper adeſt pus in vulneribus dempto primo apparatu, ſi quidem cum id ſemel genitum eſt, quantumvis accuratè detergeatur, ſemper notabili copia id reperitur duabus vel tribus poſt horis, ſi fortuito vel conſulto diſcooperiantur?

SOLVTIO.

SPiritibus vbertim in recens vulnus convocatis, ſive ratione ictus, ſive turundarum immiſſarum, calor naturalis in illis tunc quaſi ſuffocatur, nec proinde promptam humoris influxi digeſtionem promovere poteſt, vti fit cum libertate donatus pro poteſtate nativa agit: Adde ſuppurationem in vulnere nonniſi prædicti caloris auxilio fieri: At deinceps ſanguinem in ſaniem abiturum, ſuperfluam hanc ſemper obviam habere fermenti vice fungentem, & mutationem ſanguinis in pus promoventem.

QVÆSTIO.

Qvæstio IV.

Vtrum in vulneribus capitis ſatius ſit cerebrum detectum eſſe ab inſtrumento vulnus inducente, vel à modiolo?

Solvtio.

Quæſtio hæc nude accepta ſolutionem tantum ab experientia cum admittat, ab illis expectanda venit qui ampla Noſodochia frequentarunt, cuiuſmodi eſt Pariſienſe, Hoſtel Dieu dictum; In quo obſervatum eos quibus cranium inſigni fractura læſum fuit, adeo vt locus concedatur educendo ſanguini extra vaſa egreſſo, ſupra craſſam meningem effuſo, abſque trypani ope, vt plurimum ſalvos fieri, Eos contra qui eiuſmodi auxilio indigent propemodum omnes interire.

Observatio II.

Anonymi.

Pus è Bubone peſtilenti eductum, diſtilationi Chimicæ commiſſum.

Nemini credo ignota eſt ſtrages in Germania, poſterioribus annis edita, at vero vix cuiquam in mentem veniat exinde naſci poſſe occaſionem commodum ex incommodo vicinorum captandi, Obſervationes tamen à Medico Germano ad me tranſmiſſæ tanti ſunt momenti, vt theſauri inſtar alicuius aſſervandæ ſint in futuros vſus.

Ex omnibus morbis qui humano generi inſidiantur, nullus truculentia æquiparandus, nullus æque horrendus aut minus mente comprehenſibilis ac Peſtis: quemcunque mundi cardinem illa occupet exiguo temporis ſpatio vrbes exhaurit incolis, agròs depopulatur, omne commercium & mutuas negotiationes abrumpit: Nullus non expaveſcit, & metu ad eius mentionem concutitur: Medicos non minus quam cæteros formido occupat, quin mors ipſa malorum quæ invehit, minimum adparet iis quos ipſa invadit: Cauſæ & natura illius ingenio humano omnino ſunt imperviæ: nec vlli hactenus conceſſum impetum illius retundere: Vt plurimum flagellum Dei audit, ſæpe effectus cuiuſpiam Planetæ aut conſtellationis exiſtimatur; Vt plurimum vero origo illius quæritur in inquinatione aëri impreſſa, ab inferioribus ſuſcepta: Vndecunque vero illius generatio arceſſatur, non melius perſpecta evadit illius indoles; remedium vero nullum adverſus eam hactenus quam per incerta experimenta innotuit: Nuper vero Medicus Germanus, Dei gloriæ promovendæ zelo percitus, Conſervationis Princi-

pum

pum cupidus & vtilitatis publicæ,hæc omnia ſuſque deque habuit: Suppoſuit enim genuinam peſtilentis materiæ formam ſub ſenſus cadere non poſſe, inſimul quoque cenſuit a ſuſcepta chymica analyſi puris Bubone peſtilenti concepti, futurum forte vt coniectura aſſequeretur ampliorẽ notitiam qualitatum maxime eſſentialium,atque inde idonea remedia animo obverſarentur vel, ad ipſam e corpore eliminandam, vel efficaciam eius obtundendam; Quo fundamento innixus generoſo animo periculi plenam operationem aggreſſus eſt,atque his mediis voti compos factus eſt.

Aperto Bubone peſtilenti in Nobili Germano, cui nomen fuit Gothofredus Reſchelius,Virulentam materiam ibi latentem totam in matratium vitreum lutatum coniecit, adaptatoque illi recipiente commiſſuras luto obduxit, poſt ignem per gradus adhibuit, eoque ritu diſtillationem inſtituit vt primo prodiret aqua nonnihil limpida, demum materia craſſior & oleoſa; hinc ſal volatile, quod adhæſit collo matratij: Tum remoto igne, ſolutaque compage vaſorum, exiliit vapor adeo fœtidus, adeo acutus, vt quamvis goſſipio aures munierit, nares turundis ex linteis concerptis obturaverit, ore ſpongiam aceto medicato madidam continuerit, aqua theriacali, omnem denique prophylaxim adhibuerit, nihilominus tamen quaſi fulmine ictus fuerit; nulla quippe corporis pars non impetita fuit, adeo vt diuturno & vniverſali tremore, nec minus horrendo quaſſatus fuerit: Sed tandem diſcuſſo illo vapore, ſpiritibuſque motu naturali reddito laborantem ad deguſtandum abominandum illud ſal impulit; ipſe vero particulam linguæ impoſuit, quſd tanta acrimonia, & penetrandi vi præditum percepit, tantopere vellicans, pungens ac corroſivum, vt aquæ regiæ neutiquam inferius eſſet: Quamobrem cùm intuliſſet materiam peſtilentis luis fomitem, feroſæ ſanguinis parti, aliiſque humoribus excrementitiis inſignem acredinem & corrodendi vim conferre, atque inde ortum ducere vomitus, diarrhœas, doloreſque lancinantes, de quibus conqueruntur peſtilenti lue inquinati, iudicavit hidrotica, quæ per inſenſibilem tranſpirarionem apta nata ſunt expellere humores eiuſmodi lue infectos, certiſſima fore deteſtandi illius morbi alexiteria: It vero vt crederet impellebat obſervatio ab ipſo facta dum curationi Peſte affectorum incumberet, eos ſcilicet qui plurimo ſudore diffluerent certo liberari: vice verſa quibus ſudor nec ſponte nec artificio erumperet, cunctos occumbere: Quamobrem ad conquirenda per experimenta varia ſudorifera impulſus fuit, ſed tam proſpero ſucceſſu, vt ea quorum deſcriptionem ad nos tranſmiſit valetudinis in pleriſque reſtituræ cauſa fuerint,
non

non omiſſis cardiacis, infrà deſcribendis.

Sudorificum Divitibus dicatum.

Accipe Pulveris diambræ & diamoſchi, cuiuſque drachmas duas, Vnicornu marini, lapidis bezoar pulveriſatorum ana drachmam vnam, Salium volatilium, viperarum, cornu cervi, ſuccini & matris perlarum, ana grana quindecim, Extracti contrayervæ, confectionum præſervativarum in Pharmacopoea Auguſtana deſcriptarum ana drachmam ſemis, ſyrupi ſcordij & corallorum ana vncias duas, diſſolvantur cuncta in pinta vna aquarum cordialium ſcorzoneræ & cardui benedicti, vi moſchi large imbutarum: Dentur huius mixturæ vnciæ octo ſingulis octo horis, ægrum poſtmodum rite cooperiendo.

Sudorificum in gratiam Pauperum.

Accipe Pulverum diamargariti & diarrhodonis ana drachmas tres, Electuarij de ovo vnciam vnam, antimonij diaphoretici & bezoartici mineralis ana drachmas duas: adde his ſyrupos cum aquis adductis in præcedente ſudorifero, eodem modo in vſum ducendo.

Potiones cordialis divitibus idoneæ.

Accipe confectionum hyacinthinæ & Kermeſinæ ana vnciam dimidiam, magiſterij perlarum & granatorum cuiuſque drachmam vnam, diſſolvantur omnia in pintæ quarta parte aquæ cordialis Herculis Saxoniæ, & pari quantitate aquæ Angeli Salæ, & ſemipinta aquæ e toto citro elicitæ; fiant ex his ſex dozes ſingulis horis exhibendæ.

Potiones Cordiales pro pauperibus.

Accipe coralli rubri præparati drachmas duas, confectionis Alkermes jncompletæ vncias duas: theriacæ Venetæ vncias tres, diſſolvendas in ſemipinta aquæ tormentillæ, & æquali quantitate aquæ cardui benedicti; vſus ſit idem qui præcedentis.

Præſervativum contra Peſtem novum.

Cæterum, cùm æquum non foret prædictum Medicum publicæ vtilitati invigilaſſe, propriæ vero & familiarium ſaluti non conſuluiſſe, officij ſui eſſe credidit excogitare præſervativum aliquod adverſus contagioſum illum affectum: Ratiocinatus ergo juxta legem circulationes ſanguinis, ac concluſiones ex illis deducens, credidit peſtilentem luem reſpiratione attractam, aut per poros habitus corporis inſinuatam, neceſſario arterias aut venas ſubire, ac proinde maſſæ ſan-

guineæ commiſceri; ſed præterea, cum prædicta vaſa ramis ſuis in vniverſi corporis partes diſſeminentur, eadem perpendi debere tanquam totidem media, quibus irritata veneni præſentia Natura vtatur ad id in emunctoria excutiendum: quod & perſæpe præſtat evidentiſſimè: quare ratum habuit colligendum eſſe ſi procurarentur aliquot emiſſaria vel foramina in prædictis emunctoriis, tutam fore viam ad promovendam citam expulſionem omnimodam venenatæ luis corpus ſubingreſſæ: Revera cùm in mentem illi veniſſet in ſe, & familiaribus quibuſdam, in vnoquoque inguine inciſione facta emiſſarium parandi, quæ cutis craſſitiem paulo excederet, tranſverſi digiti tantum longitudine, illi poſtmodum turundam indidit ne vulnus coaleſceret, quo pacto perpetuo ſeri effluxui occaſionem præbuit; cuius exitus in illo, vt & cæteris, vberior erat quo tempore maior infectorum numerus occurreret: quod auxilium illis adeo proficuum fuit vt ne vnus peſte correptus fuerit, etſi illam contrahendi nulla vnquam occaſio defuerit.

Observatio III.

Anatome Puellæ quam Vrinæ ſuppreſſio extinxit.

Filia D. Tertrei Oenopolæ, jn vico Citharæ dicto, quindecim circiter annos nata, correpta fuit ante bimeſtre iſchuria, cui opem afferre non licuit neque per refrigerantia, neque per aperientia medicamenta; cum paulo poſt inſequuta eſſet dyſpnœa, cum quadam pulſus inæqualitate, mors die morbi ſeptima inſequuta eſt.

Cadaveris facta apertione per D. Iamotium Mag. Chirurgum Iuratum Pariſienſem, ſequentia fuere obſervata, Parte dextra imi ventris, neque ren, neque vas emulgens, neque pars vlla ſuccedanea quæ vices illorum gereret reperta ſunt. Renis ſiniſtri inæqualis erat ſuperficies, magnitudinem naturalem duplo excedentis: Propria ſubſtantia glandulis vndique conſita erat, albis, duris, avellanis parvis mole æqualibus; Pelvis & vterer erant ſine vitio; veſica tamen ne lotii guttam intra ſe continebat, vix magnitudine attingens pilam ſphæriſterii. Pectoris vniverſa cavitas aqua ſcatebat: Pulmo dexter abſceſſu tentabatur, purulentus ſero innatans: cæteræ partes naturalem conformationem obtinebant.

Conclvsiones.

Ex præcedentibus obſervationibus deducendæ.

I.

Priſcis quibuſdam authoribus conſentiendum eſt, nonnullas corporis partes eo conſilio a Natura duplices conditas eſſe, vt neceſſitate vrgente

vrgente altera alterius officio fungeretur: quandoquidem hæc puel-la decimum quintum ætatis annum vnico rene donata attigerat.

II.

Hinc confirmatur eorum opinio qui cenſent exiguas glandulas, renis ſubſtantiam conſtituentes, filtrationi vrinæ dicatas eſſe; quandoquidem hoc in caſu ea ratione tantùm veriſimiliter fuit intercepta, quod ex iis glandulis quædam obduruiſſent, ideoque vſum naturalem perficere non valuerint; ac præterea magnitudinem non naturalem cum adeptæ eſſent, cæteras in tantum compreſſerint vt denegatus inde fuerit ſero tranſitus.

III.

Vaſa lymphatica ad renes abeuntia credendum eſt in glandulas onus deponere, non immediate in pelvim, ſicuti à quibuſdam anatomicis traditum: id enim ſi foret vacua veſica non reperta eſſet: neque enim à D. Iamotio vllum deprehenſum impedimentum quominus vrina liberè in pelvim & per vreteres excurreret,

IV.

Collige non ſolùm arterias & venas emulgentes maſſæ ſanguineæ depurandæ inſervire, atque a ſuperfluo ſero liberandæ, ſed expurgationem dictam in vniverſum fieri per omnia vaſa ſanguifera mediantibus illorum poris, quæ propterea vbique ſocia habent vaſa lymphatica, quorum numerus maior vel minor eſt prout in variis corporis partibus arteriæ & venæ, à quibus irrigantur, magnæ ſunt, parvæ, aut numero plures: Id quod confirmationem obtinet ab inſigui numero qui in pectore occurrit, & aquæ copia quæ ſe ſecanti obtulit; hæc cum ibi paulatim congeſta fuerit, illico vitium pulmoni impreſſit, qui abſceſſu vitiatus deprehenſus eſt, vnde reſpirandi difficultas ſuborta, occupatis illis ſpatiis quæ libera eſſe debent ad facilem cordis & pulmonum motum: vnde poſtmodum ſuffocatio caloris nativi & ſpirituum ſequuta eſt, quibus ceſſantibus animal interire neceſſe eſt.

APPENDIX.

TRACTATVS

De Origine, Progreſſu & Conſtitutione præſenti Artis Medicæ.

ANONYMI.

Vel Philoſophi Incogniti, Conſtantienſis Normanni.

Ex Mercurio amœno.

ARs Medica fortunam non habet parentem, ſicuti quibuſdam viſum: Illam comparandi, non ſecus ac cæteras artes, homini incubuit neceſſitas: In primordiis rudi Minerva & imperfecte exculta eſt, ſimplicia enim tantum quædam ad curationem vulnerum in vſum veniebant.

Diu Ars prædicta inculta jacuit, nullo præterea accedente artificio, vel quia qui prioribus vixere ſæculis robuſtiorem nacti eſſent corporis conſtitutionem, minúſque morborum iniuriis obnoxij forent, vel quia illi excolendæ operam non navarent.

Interim admodum veriſimile eſt, cum vita illis eſſet ſobria & temperata, valetudine conſtantiori & robuſtiori vſos eſſe, minoremque remediorum vſurpandorum neceſſitatem adfuiſſe: At cum poſteriores priſtinæ illi victus normæ valedixerint, vivendi genus amplexi ſint voluptatibus diffluens & luxurioſum, de priſtino robore illis multum deceſſit, nec vigore eodem præditi ſunt: Sanitas paulatim labefactata eſt, tantaque morborum hominibus incubuit cohors, vt ad remediorum auxilium confugiendum fuerit, illorum propellendorum cauſa.

Aegyptij & Græci maxime omnium amplificandæ & promovendæ Arti operam navaverunt, egregioſque præ cæteris progreſſus obtinuerunt, ſive quod acutie mentis majori pollerent, aut feliciores forent; vel quod impellente neceſſitate ad eam a voluptatis illecebris deducti, plura tentare tenerentur & remedia nova excogitare.

Nonnulli authores primam Medicinæ originem à brutis animantibus deducunt, atque ab his homines mutuatos eſſe artem medicatricem cenſent; Exiſtimat Plutarchus penes illa perfectam eſſe Artis cognitionem, huius regulas ad amuſſim illa obſervare, neque a normis artis vel minimum deflectere, Eadem citra errorem & laborem quicquid ad morborum, quibus laborant, depulſionem requiritur nanciſci: ſi quando ægrotaverint exactum vitæ regimen obſervare: Enematis enim vtuntur, ſanguinis miſſione, purgatione, vulnera propria ſanant, verbo, omne infirmitatum genus quibus obnoxia ſunt, ſimplicium ſibi ipſis vſu medentur.

Leones, Vrſi, Lupi, aliaque animalia voracia a quiete & abſtinentia medelam

medelam quærunt: Ciconia aqua ſalita roſtrum implet, quam in alvum, ſi pigrior ſit, infundit: Pelicanus roſtro venas ſibi ipſi aperit ſi ægritudo aliqua ipſum invaſerit: Hippopotamus, ſpecies equi aquatici, Nilo egreditur ſi male ſe habeat, & vas quoddam in femore, arundinis cuſpidi admnvens, reſerat, deinceps vulnus inflictum luto obducens.

Populi Americani eadem propemodum ratione ſanguinem ſibi emittunt; cuti vulnuſculum arundinis acumine infligunt, ac cruorem inde manantem ſuctu educi ſibi curant, quoad ſufficiens quantitas prodierit. Canes & feles ſe expurgant eſitantes herbas rore madidas; Graculi, Merulæ, Perdices vſu foliorum lauri &c. Cervi, Damæ, in dictamno, ſi vulnerentur, auxilium quærunt: Nunquid Elephanti ſi læſi fuerint mutuum ſibi auxilium præbent? qua dexteritate ſagittas & infixa tela e vulneribus extrahunt? Annon maxima animalium pars fœtus ſuos lambendo & ſaliva madefaciendo perſanat?

Ab antiquis creditum medicinam natales ſuos debere ipſi Numini, ſolos Deos immortales tam præclaræ artis authores exiſtere, humano generi adeo vtilis & neceſſariæ: *Medicinæ vtilitas Deorum immortalium inventioni eſt conſecrata*: Cicero lib.3. Tuſcul. qu. a. 1.

Hermes a Cœlo illam deducit, aſſerens à Deo hominibus eſſe conceſſam ad valetudinis tutelam & morborum profligationem.

Eadem mens fuit Ieſu filio Syrach in Eccleſiaſt. cap. 38. Creavit Deus Medicinam, *ait Iudæus ille*, & homo prudens & ſapiens non faſtidiet illam.

Aegyptij inventionem dictæ Artis Mercurio aſſignarunt, Græci Iſidi & Ozyridi, Tyrij Agenori & Chironi: Homerus cenſet Pæona, quem vocat Deorum Medicum, illius primum inventorem fuiſſe: Nonnulli ad Atim recurrunt, alij ad Arabum, Apolinis filium & Babilonis: Priorem ſic loquentem introducit in Metamorphoſi Ovidius,

Inventum Medicina meum eſt, opiſexque per orbem
Feror, & herbarum ſubiecta potentia nobis.

Aëſculapius, Apollinis filius & Ariadnes, patre in illa arte inferior non fuit, quandoquidem vitam amiſſam reſtituit Androgeo Minois filio,

Et Deus extinctum Creſſis Epidaurius herbis
Reſtituit Patriis Androgeona focis.

Tota antiquitas Divos illa ſumma veneratione excoluit: In pleriſque vrbibus Templa & Altaria in illorum honorem extructa ſunt vbi prodigia edidere: Cœcis videndi aciem reſtituebant, ſurdis audiendi facultatem, vocem amiſſam mutis, ambulationem claudis: lepro-

ſos & maniacos ſanabant &c. Eiuſmodi prodigia in ſimulachro Iſidis Aegyptiorum ſæpenumero contingebant, referente Diodoro.

Pergami, & in vniverſa Græcia, extabant Templa Aeſculapio dicata, vbi Deus ille per ſomnium apparebat ægris illius opem implorantibus, a quo docebantur remedia illis vtilia: Pluribus & aliis in locis conſtructa ſunt, in quibus Apollo & Aeſculapius Oracula emittebant; Populis revelantes quæ ad morborum curationem illis forent vtilia.

Etiamnum Romæ hodierna die fragmenta quædam Græcis literis inſcripta tabulæ marmoreæ conſpicua ſunt, in Templo Aeſculapij reperta: Latino idiomate reddita videantur apud Mercurialem, Gallico Tractatu de Febrifugis & Febribus à Clar. Dom. Sponio edito, (*Vide ſupra Ianuarium pagina* 12.)

Nonnulli authores, inter quos Pauſanias & Macrobius, cenſent a Poëtis primum attributam fuiſſe medicinæ inventionem Apollini & Aeſculapio, Per Apollinem audientibus Solem, miti & benigno ſuo calore morbos profligantem, plantarum & animalium vires & facultates augentem, quibus homo vtitur ad ſanitatis & vitæ conſervationem: Æſculapij nomine nihil aliud explicantibus temperatum & purum aërem, non minus rite conſtitutum vtilem ad valetudinis conſervationem, & morborum cnrationem.

Ratum interim illud ſit fictitios non eſſe Apollinem & Æſculapium, qui revera Artis Medicæ inventores non fuere, ſed tamen primi excoluere: Apollo primus omnium artis quandam formam medicinæ indidit, plurimornm ſimplicium vires ignotas aperuit, quorum demum vſus plurimis in occaſionibus ſaluberrimus fuit: Æſculapius à Parente exploratis non pauca ſuperaddidit: Primus Styli exploratorij inventor fuit, Ligaturarum & Apparatus vulnerum, *Æſculapiorum primus Apollinis, quem Arcades colunt, filius, ſpecillum inveniſſe, primuſque vulnus obligauiſſe dicitur.* Cicero l. 3. de Nat. Deor. 57.

Exiſtimant Tyrij Agenorem & Chironem primos Medicinam exercuiſſe; Ideóque primitias quotannis offerre ſolitos fuiſſe cenſet Plutarchus, *Tyris Agenori Chironi magnates primitias offerunt, quod iiprimi medicinam feciſſe exiſtimantur.* Plutarchi tradutor Moral. 674.

Chironis in illa arte ea fuit celebritas nominis, vt conſtitutus fuerit Præceptor Herculis & Achillis Pelei Filij: Vterque artem docuit, iidémque adeo artis periti fuere, vt Achilles Telephum graviter & variis in locis vulneratum ſanaverit; Hercules efficacia remediorum a mortuis excitaverit Alceſtida Admetæ vxorem, Regis Theſſaliæ: Addit præterea Plutarchus Achillem primum detexiſſe cauſam vehementis

mentis peſtilentiæ, vniverſam Græciam vaſtantis, *Is enim vt Chironis diſcipulus, primus cauſam luis, quæ Græcos invaſerat deprehendit.* Moralium. 66. Imo quidam aſſerunt celebrem illum Centaurum Aeſculapium Medicinam docuiſſe, & Apollinem, huius Patrem, illi educandum commiſiſſe: Fuit &, referentibus quibuſdam authoribus, alter quidam Aeſculapius, a Mercurio ictu fulminis enectus, quod è mortuis reduxerit Theſidem Hippolithum, Theſei filium, & Hippolithæ Amazonum Reginæ, qui ab equis diſcerptus fuerat; Tertii meminit Cicero, primi Dentium evulſoris, & cui purgandi arcanum primo cognitum: *Tertius Arſippi & Alſinoes filius, qui primus Purgantionem alvi & Dentis evulſionem, vt ferunt, invenit, Cuius,* addit, *in Arcadia non longe à Luſio flumine ſepulchrum & lucus oſtenditur.* Lib. 3. de nat. Deor.

Interim plurimi authores ratum habent vnicum fuiſſe Aeſculapium, qui ſuperſtites duos reliquit filios, quorum alteri Podalyrij nomen inditum, alteri Machaonis: Vterque nominis fama inſignis fuit ſub Agamemnone in bello Trojano: Vulneratorum vnus curam gerebat, dum alter aliorum morborum ſanationi incumbebat: Ambo illi Heroës poſteris artem communicarunt, quæ hæreditario iure in filios familias tranſiit, deinceps nominatos Aſclepiadas.

Spatio quodam temporis extra dictam familiam medicina non evagata eſt, neque ad alios derivata eſt; At ſapientes & Philoſophi deinceps illi operam dicarunt, maiorique ſtudio & diligentiori quam ipſi Aſclepiadæ artem excoluerunt: Decorarunt illam Philoſophiæ axiomatis certiſſimis; Cum porro mere antea empirica eſſet, ab iis rationalis & dogmatica effecta eſt: Pythagoras totum ſe illi addixit, vt & Zamolxis, Alcmæon Crotoniates, Epicharmus Coüs, Empedocles &c. Democritus, ex quorundam ſententia magni Hippocratis Præceptor, Artem etiamnum magno ſucceſſu amplexus eſt.

Primi ævi homines artem Medicam, vt prædixi, rudi Minerva & craſſo modo tractabant, ſicuti & hodie Barbaræ gentes; Vnicum illorum ſtudium fuit, ſicut & priorum, in cognoſcendis facultatibus quarundam plantarum & ſimplicium medicamentorum, ab ipſis adhibitorum in ſanationem morborum & vulnerum: Sibi mutuo communicabant remedia quæ in vſum duxerant: Aſſirii, referente Diodoro, ægros in compitis exponebant, vt ſi forte prætereuntium aliquis eodem morbo affectus fuiſſet, ipſos doceret quibus remediis adiutus fuiſſet: Babilonij, aliæque gentes, eodem ritu vtebantur, teſtibus Herodoto & Strabone.

Prioris ſæculi Medicorum ſcientia mera erat Empeiria, mera obſervatio quorundam remediotum quæ ſors ipſis obtuliſſet: Si competrum

pertum habuiſſent ægrum quempiam ope remedij alicujus ſolatium percepiſſe, illico illud in vſum deducebant, imo quotidie nova in experimenta ducebant, quæ ſi ſucceſſus adfuiſſet authoritate confirmabant; ſicuti eadem repudiabant ſi votis eventus non reſpondiſſet: Sæpenumero a parte vna ad aliam, ab vno remedio ad tranſitū faciebant,analogiſmo vſi exempli gratia a brachio ad crus, à pleuritide ad peripneumoniam; Remedium ſæpe quoque vnum alteri ſubſtituebant, exempli gratia mentha vice balſaminæ, vel ſolano loco plantaginis utebantur: Sicuti perpetuo nova remedia tentabant, ita in novarum rerum cognitionem deveniebant, hinc Arte in dies perfectionem obtinente per experimentorum multitudinem, inde multum incrementi illi comparatum eſt, & multo quam ante locupletior eſt facta.

Medicina tamen eius temporis omnino rudis & manca cenſenda eſt, perfectionem vero tum demum acquiſiiſſe cum à Philoſophis aliquandiu exculta eſt, qui illam regulis & principiis fulcierunt.

Naturam ergo hominis indagandam illi cenſuerunt, ſingularum eius partium cognitionem adipiſci voluerunt, earum ſtructuram, numerum, magnitudinem, figuram, ſitum, functiones & vſus ad examen revocarunt: Primam illarnm conformationem perpenderunt, augmentum, ſtatum, & declinationem, Hominem in ſtatu ſano & morboſo obſervarunt; ad examen mores illius deduxerunt, inclinationes,diſpoſitiones,habitus & vivendi rationem; Animum adjecerunt ad ea quæ illi vtilia vel adverſa eſſe poterant, à quibus ſanitas labefactari aut in meliorem ſtatum adduci poterat: Demum vbi aliquandiu ab ipſis obſervatum quicquid intus & extra hominem pertinebat, cauſæ morborum omnium ipſum affligentium illis innotuere, ac ſimul remedia quoſvis affectus præter naturam oppugnantia comperta fuere: Denique ab ipſis conſtituta dogmata & axiomata, quibus innixam voluere doctrinam ab ipſis conſtitutam.

Diſſenſus fuit quoad principia, alia enim poſita ab illis qui ſubſequuti ſunt: Rationem non adhibebant, ſicut hodie in more poſitum, ſtatuentes calidum, frigidum, ſiccum,humidum, neque in rerum Natura vlla agentia potentiora cognoſcebant quam amarum,dulce,ſalſum, inſipidum, acerbum, auſterum, acidum, acre &c. Ratum ipſis fuit a corpuſculis illis ſolum concuti poſſe probam valetudinem, ac principiis vitæ vim inferri; Vtramque ab illorum vnitate & ſymmetria pendere, morbum autem & mortem meros eſſe effectus illorum diſſidij.

Quàm rectè igitur, & quàm convenienti ratiocinatione iuxta hominis naturam hæc primi inventores inveſtigando invenerunt indicaverúntque

artem

artem dignam quæ in Deum Authorem referretur, quemadmodum etiam a poſteris receptum eſt. Nam neque ſiccum, neque humidum, neque calidum, neque frigidum, neque aliud quicquam ex his putaverunt hominem lædere, neque aliquo horum homini opus eſſe opinati ſunt, ſed quod in vnoquoque forte, & humana natura potentius eſt, vt ab illa ſuperari nequeat, hoc ipſum id eſſe quod læderet exiſtimaverunt, idémque auferre quæſiverunt: Fortiſſimum autem eſt inter dulcia dulciſſimum, inter amara amariſſimum &c. Hæc enim & in homine ineſſe videbant & hominem lædere. Hippocrates lib. de Priſca Medicina §. 74. & ſequ.

Doctrinam hanc amplexi ſunt quotquot inter antiquos eruditi fuere, ad tempus vſpue Gorgiæ Leontini & Pollucis, qui nova, iudice Adriano Turnebo, invexere dogmata & axiomata in medicinam: Imo ſuppoſuere alia principia quibus novam doctrinam ſuperſtruxere: Primi iuxta qualitates ratiocinati ſunt, adſcripſeruntque calidos, frigidos, humido & ſicco cauſas ſanitatis & morborum: Ecce Hippocratis apoſtrophen in hanc ſectam lib. de vet. medic. art. 65.

Verum enim vero nunc ad eos, qui novo modo artem ex fundamentis ſuppoſitis quærunt ſermonem convertam: Si ergo calidum eſt aut frigidum, aut ſiccum, aut humidum quod hominem lædit, & oportet recte medentem auxiliari, calido quidem in frigidum permutato, frigido vero in calidum &c. minime vero, Non enim calidum eſt aut frigidum, addit alibi, *quod magnam per ſe vim habet.*

Nam hæc Doctrina plurimos habuit ſequaces, imo iam non pauci illam excolunt: Impugnavit illam ſuo ævo Hippocrates, atque revocavit in lucem eam quam amplexi fuerant priores Philoſophi Medici, vti liquet ex toto illius de Veteri medicina libro: Illi tam acri ſtudio ſe addixit, ac tam firmiter eam amplexus eſt, vt erroris & inſcitiæ reos fecerit eos qui partes Pollucis & Gorgiæ tuebantur, Medicinam priſtino nitori & formæ reſtituens: Qui libri Hippocratis nomine circumferuntur, ab hac doctrina devij, ſuppoſititij illi & nothi habeantur, tanti viro inique adſcripti,

Diocles Caryſtius Praxagoras Coüs, Moeſitheus, Herophilus Calcedonius, Philippus Coüs &c. Hippocratis doctrinam amplexi ſunt, Cryſippus Sophiſta & Eraſiſtratus illam quoque ſequuti, ſed quibuſdam in locis ab illis immutata fuit, plurima aliena dogmata diſcrepantia ab illis quæ ab eo conſtituta fuerant invehentes.

Philinus, Herophili diſcipulus, a præceptore devius Hippocratis doctrinæ ſe non mancipavit: illi quam Empirici ſectati fuerant ſe addixit, Rationis auxilium deſerens in ea ſcientia cui tantopere illa auxiliatur, experimentis fallacibus adhærens, quæ fortuna duce even-

P tum

tum aliquando obtinent : Hoc vno a primis Empiricis diſcrepans , qui rationi ea tantum de cauſa valedixerant , quod neque eius vis neque vtilitas perſpecta foret.

Etſi Philini doctrina ab Herophilo & Philippo Coo impugnata fuiſſet, Serapio tamen Alexandrinus illam ſequutus eſt : quam ipſam adeo decoravit vt huius ſectæ primus conditor creditus fuerit : Apollonius Antiochenus, Glaucias, Menodotus & Sextus commendationem quoque illius auxerunt, ſicut & Soſtrates, Hiero, Tentas Hamonius Alexandrinus, & Heraclides Tarentinus.

Aſclepiades Pruſſius non minore in medicinam innovationem quam ante citati induxit: Cum natura facundus eſſet, & acumine ingenij polleret, non illi arduum fuit novam ſectam in ſçenam adducere, atque fidos ſibi aſſeclas doctrinæ, cuius author erat, tenaces comparare, *Aſclepiades, quo nos medico & amico vſi fuimus, elequentia vincebat cæteros.* Cicero de Orat. 62.

Ab Aclepiade Medicinæ praxis facilis effecta eſt ; totam illam in Diæta ſola conſtituebat, Exercitio, Ambulatione & Frictione corporis, Primus vini vſum in morbis conceſſit, excogitavitque cubilia, quæ in aëre penſilia ægris non mediocriter vtilia & commoda : Non diu Romæ ſubſtitit quin illuſtrium quorundam ſanationibus celebrem ſe præſtiterit: Eius vero fama eo celebrior fuit, quod cum probo donatus eſſet a natura temperamento, ac firmiſſina frueretur valetudine, audacter aſſereret Medicum illum artis peritum non eſſe qui in morbum incideret : Confirmat quoque Plinius ipſum nunquam morbo tentatum fuiſſe, miſere vero occubuiſſe e ſumma domus ſcala delapſum.

Mortuo Aſclepiade, dogmata huius amplexatus eſt Themiſon, publice illius doctrinam in cathedra profeſſus: Fuit hic Tralliani præceptor, qui veſtigia amborum illorum illuſtrium virorum ſequutus, in medicinam novam introduxit Sectam, ſcilicet Methodicorum, cui deinceps adhæſere Mnaſeus, Dyoniſius, Proclus, Antipater, Mileſius Olympicus, Menemachus Aphrodienſis, Soranus Epheſius, & Cœlius Aurelianus.

Trallianus artẽ medicam non difficiliorem effecit quam Aſclepiades & Themiſon, quandoquidem breviori quam ſemeſtris ſpatio addiſcere illam licuit : Eapropter theoremata generalia & locos communes conſtruxit, totius ſuæ doctrinæ fundamenta : Nullas alias morborum cauſas agnovit quam Strictum & Laxum, cætera, quæ ab aliis deſiderantur pauci fecit, dummodo fluiditas humoribus reſtitueretur ſi craſſitiem nimiam nacti eſſent ; vel condenſatio & incraſſatio illis concilia-

conciliaretur ſi plus juſto liquidiores & fluidiores : Sin ambæ iſtæ cauſæ in morbi alicuius generationem concurrerent, vrgentiori attendendum eſſe jubebat, nullo reſpectu habito vel temporis morbi, vel tempeſtatis anni, vel ætatis, vel conſtitutionis aut temperamenti ægri.

Crinas Maſſilienſis non minori celebritate Romæ valuit quam Trallianus : Primus obſervationes Aſtrologicas arti Medicæ adiunxit: Imo Ephemerides condidit, deſignantes horas & tempora quibus ægri alimenta & remedia aſſumere debebant.

Trallianus & Crinas diviſam habebant artis medicæ gloriam, *Agebant fata*, inquit Plinius, cum Charmis Maſſilia Romam ſe recepit, & famam ſibi comparavit cæteros ignorantiæ inſimulando : Thermarum vſum, apud Romanos admodum familiarium, improbavit, quibus frigidæ lavacrum ſubſtituit : Imo tanta illius fuit ſuadelæ vis erga Romanos, vt ipſa hyeme piſcinæ ægros exciperent, quibus magno numero immergebantur : *Ex iis veteres Conſules præ frigore rigentes & penæ exanimes eductos conſpeximus*, inquit Plinius.

Novitas rerum Romanis adeo arridebat, vt ſatis eſſet Medico ad famam, & vt à cæteris ſecerneretur, regimen horum improbaſſe, aliaque & nova inveniſſe remedia, variamque illa vſurpandi rationem: Quotidie illuc alij confluebant, ac pene nulla ſuperſtes erat priſcæ medicinæ idea, cum Galenus, Pergamenus Græcus, illam Romæ facere cœpit, impugnans errores qui jampridem irrepſerant.

Etſi præſtantiſſimo viro alius non fuerit ſcopus quam antiquam Medicinam priſtino ſplendori reddendi, id tamen aſſerere licet (parcant mihi ipſius manes) illum à prædicta medicina deflexiſſe, cum prætermiſſis veris principiis, quibus priores Philoſophi Medici innixi fuerant, reduxit avita Gorgiæ & Pollucis principia, vna cum illis ratiocinatus per calidum, frigidum, humidum & ſiccum : At nihilominus ars Medica plurimum illi debet, quam infinitis obſervationibus & remediis locupletavit & auxit; imo ipſam decoravit, elegantiorique ordine & nitidiori quam anteceſſorum quiſpiam tradidit.

A Galeno poſtmodum ad Arabes tranſiliit Ars medica, per quos non mediocre incrementum obtinuit, Excoluerunt illam Raſis & Avicenna tanto ſtudio, vt a plurimis exiſtimatum ſit perfectionem per illos ipſam conſequutam eſſe : Multa tamen dogmata alia ab iis quæ tradidit Galenus invexerunt.

Averroës Cordubenſis acri ſtudio ſe totum illi addixit, hinc tranſiit ad Gallos, Anglos, Germanos, Italos &c. apud quos eruditiſſimi viri totos ſe illi manciparunt, tam accurata diligentia incumbentes

ac ſi primi forent inventores: Prodeant in medium erudita ſcripta Cornarij Lacunæ, Zvvingeri, Marinelli, Martiani, A Veiga, Amati, Fernelij, Dureti, Hollerij, Zacuti, Lommij, Foreſti, Varandæi, A Caſtro &c. ac infinitorum aliorum Doctorum, quorum nomen ac fama non minus erit perennis ac ſcientia quam amplexi ſunt.

Ars Medica citra ſeditionem exercebatur ab iis qui illam faciebant, cum Paracelſus ex ſuggeſto illam profeſſus eſt, doctrinam proponens omnino contrariam dogmatis cæterorum Medicorum: Germanus ille ſuſcepit animo medicinæ ordinem vniuerſum evertendum, axiomata & theoremata illius immutanda, nova illis ſubſtituendo: Sic fatur in Præfationem magnæ ſuæ Chirurgiæ.

Poſtquam, *ait*, aliquandiu animo revolvi id quod alias apud Authores legeram, & quæ in ſcholis docentur, animadverti a nemine hactenus adhuc compertam veritatem, omnes rivulos ſectatos fuiſſe, neminem ſcaturiginem & fontem diſquiſiiſſe; ipſoſmet nequidem animo comprehendiſſe ea quæ docebant: neque mali indolem, neque remediorum naturam perſpectas habuiſſe; Nullo alio ſtudio impelli quam vanitatis & ſuperbiæ, ac merito ipſis verba Apoſtoli obiici poſſe, *vos eſtis parietes dealbati*: Eapropter, *addit idem*, coactus fui vera medicinæ principia aliis in locis quam in illorum libris, ac propriis laboribus, repetitíſque experimentis originem morborum omnium nos affligentium, remediorúmque illis expellendis idoneorum perquirere.

Revrea prædictus Author ab imis ad ſumma vniverſam Medicinam ſubvertit; novam exſtruxit, innixus principiis omnibus plane ignotis: Nova excogitavit remedia, è mineralibus præſertim deſumpta, corporibus maxime omnium compactis & ſolidis: Quandoquidem vero paucis ignota ſunt principia quibus innixus ſyſtema ſuum exſtruxit, immoraturus non ſum doctrinæ illius ſpeciatim declarandæ: Id vnum dixero, quamvis ab Hippocratis placitis multum diſſideat, plurimas tamen continere ipſius ſcripta vtiliſſimas obſervationes ac remedia prius ignota.

Neque ſolus Paracelſus poſterioribus his ſæculis medicinam immutavit, praxis hujus corrupta fuit ab infinitis pſeudomedicis, à quibus abrogata præcipua illius dogmata & præſtantiſſima theuremata: expunxerunt ſexcenta remedia præſtantiſſima, multo labore & vigiliis antiquorum medicorum comparata, locum ceſſura praxi vt ſic dicam, vulgari, cachinno & contemptu digniori quam laude & honore: Eruditus quidam criticus nuper perpetuo illis exprobrabat inſolentiam, ſuperbiam & ignorantiam, palam faciens illorum impoſturas

ſturas & vanas oſtentationes.

Sed gratias Deo, ævo vivimus quo veteres errores manifeſti fiunt, quo artes & ſcientiæ iterum renaſcuntur illuſtriori forma elegantior & vtiliori: Id auſim aſſerere nunquam ad ſimilem ſtatum deductam eſſe illi in quo jam verſatur: Ditata fuit infinitis obſervationibus vtilibus æque ac curioſis: Multum debemus Anatomicis neotericis quod in apertam lucem adduxerint plurimas partes quæ priſcorum aciem ſubterfugerant.

Nec minus his Chymici ad perfectionem Medicinæ contulerunt, nam præter inſignem remediorum copiam ab ipſis ſuppeditatam, in id præſertim incubuerunt vt principiorum, conſtitutionem hominis ingredientium, naturam ſcrutarentur, à quibus plane ſimilia deprehenſa ſunt illis quæ a primis Philoſophis Medicis conſtituta ſunt: Antiquam illam medicinam iterum in medium, produxerunt, imo non parum auxerunt.

Natales, vt dixi, habuit Medicina apud Aegyptios & Græcos: Dehinc ad Romanos cæteroſque populos tranſiit: Archagatus Peloponneſiacus primus illam inter Romanos exercuit, Conſulibus Paulo Aemylio & Marco Lucio: Xamolxis a Pytagora illam didicit, & Thracibus communicavit: Abaris a Græcis ad Scythas tranſtulit, Aſſyrij ab Aegyptiis illam petiere: Cæteræ nationes, quæ immediate ab his illam non hauſere, à Romanis habuere, qui hanc Græcis debent; Hoc pacto à Romanis cum Imperio in cæteras gentes emigravit.

Medici Aegyptij vnicum morbum cognoſcendum & curandum ſuſcipiebant: Quidam affectus Oculorum ſub cura habebant, alij narium, oris, aurium, cerebri, pectoris &c. Imo aliorum quam quibus deſtinati erant ſanationem aggredi vetitum erat: At vero etiamſi dicta medicinā faciendi norma rationi admodum eſſet conſona nihilominus ſolum apud dictos populos in vſu fuit: Cæterarum nationum medici omne morborum genus nullo facto diſcrimine curandum aſſumebant: Multo diligentiores & laboris amantiores erant quam poſteriorum ſæculorum medici: Ipſimet remedia quibus vtebantur præparabant, æque ſolerti cura morborum externorum quam internorum ſanationi incumbebant: Nec minus inſignes erant Chirurgicis operationibus quam aliis medicinæ exercitiis: Nota eſt fama Democedis Medici Crotoniatæ, quod Darij luxatum pedem reſtituerit: Neque minorem gloriam ſibi comparavit Critobulus ſanatione Philippi Macedonum Regis, ſagitta in oculo vulnerati.

Priſcis ergo temporibus Medici triplici munere fungebantur, Medicinæ Chirurgiam & Pharmacopœam adiungentes: Tria hæc exerci-

tia in vno eodemque homine concurrebant, hæc tanquam indiviſa ab omnibus habebantur: Sed negligentia & ſegnities Medicorum in cauſa fuit vt plurimi clam in Artem irrepſerint, ac remediorum præparationi, partiumque externarum curationi ſe addixerint: *Medici*, ait eruditus quidam, *labore parcere voluerunt, honorem & lucrum ſibi aſſumentes: Sibi ſolis libertatem & authoritatem præſcribendi adſcripſerunt, fidei & peritiæ pharmacopœi electionem, diſpenſationem, præparationem & compſitionem medicamentorum committentes, Chirurgo autem operationes quæ manuum opera egent.* Veſtigia priorum Medicorum premere deberent, non ſecus ac illi Medicinæ, Chirurgiæ ac Pharmacopœæ ſimul incumbere, aut ſaltem ipſimet præparare remedia quibus vſuri ſunt.

Inter antiqua Anglorum decreta, hoc inſertum memorabile eſt, ait *Dom. Rocqueus Tractatu de Nobilitate*, quo medici iubentur omnia medicamina propriis manibus præparare, neque illis licet ab aliis compoſita in vſum ducere: Vtinam Decretum hoc vbivis terrarum obſervaretur, aut ſaltem Medici præparationi remediorum à ſe præſcriptorum ſemper adſtarent: Inhiberent proculdubio & ſiſterent progreſſum ſexcentorum errorum in Medicinam irrepentium, quibus originem dederunt inſcitia, avaritia & negligentia Pharmacopœorum; Proculdubio hoc pacto genuinum characterem priſcorum Medicorum æmularentur, & ſimul cum illis in partes venirent honoris & gloriæ quæ debentur Facultati ipſos ſupra cæteros homines extollenti, & à vulgo diſtinguenti. Revera ars medica omnium nobiliſſima eſt & inter cæteras maxime illuſtris, Divinæ nomen illi imponit Homerus Odyſſeæ 230. Rem ſic explicat, iuxta traductionem Poëtæ cujuſdam.

Aſt medicum reliquis divina ſcientia major
inſtruit,

In Iliade 314. dixerat.

Namque vir eſt multis Medicus præſtantior vnus,

Plutarchus Medicinam ſupra cunctas cæteras artes evehit, imo & ſcientias, *Nulli nitore, copia, & jucunditate cedens*: Addit vero ſolis Philoſophis concedendú eſſe illius exercitiúm: Revera priſcis temporibus ſoli Sacerdotes & Philoſophi illam exercendi poteſtatem obtinuere.

Apud Ægyptios & Iudæos ægrorum cura Sacerdotibus commiſſa erat: Iiſdem Sacerdotibus Vulcani & Iſidis in Inſula Lemno; Brachmanibus Indorum, ac Druydibus Gallorum & Germanorum.

Moſes medicinam Levitas docuit, referentibus nonnullis authoribus, artiſque illius exercitium tanquam rei ſacræ commendavit; Hanc poſt-

poſtmodum coluere, qui vero ex illis minori cæteris peritia & ſcientia pollebant, illi ſolam Lepram curandam ſuſcipiebant, Propheta Eſaias ſanavit Regem Ezechiam, diutino & periculoſo morbo afflictum, *Non adhortatione tantum religioſa, ſed medica manu.* Nunquid Salvator mundi iubet Apoſtolos & Paſtores curam gerere ægrorum? *In quamcumque ciuitatem intraveritis, curate infirmos*, Qui ſolatium affert corpori, *ait*, animam facile ſanat; Ideoque laudat Samaritanum quod manus medicas admoverit vulnerato in via obvio; Sacerdoti autem ſuccenſuit quod curam neglexerit, imperans vt in poſterum memor ſit officij, *Vade tu, & fac ſimiliter.*

Refert Diogenes Laërtius Platonem febre liberatum eſſe a Sacredotibus Aegyptiis, ipſi aquæ ſalitæ balneum imperantibus.

Sacerdotes Memphis in Templis Vulcani & Iſidis inſcribere tenebantur remedia quæ auxilio nonnullis fuiſſent, eademque populo nota facere: Sacerdotibus Græcis idem in mandato erat, in Templis Aeſculapij & Apollinis.

Medicinæ ergo exercitium fuit penes viros maxime illuſtres ac ſummos antiquitatis Philoſophos: Reges, Imperatores, Papæ, ſummo ſtudio illam excoluerunt: Aegyptiorum Reges eorum cadavera quos morbos aliquis extraordinarius extinxerat, coram ſe diſſecari curabant, quo ipſis innoteſceret cauſa & ratio curãdi affectum lethi cauſam.

Alexandro Magno non minor fuit ſedulitas circa artem medicam quam cæteras ſcientias, imo Anatomico ſtudio non mediocri cura ſe addixit.

Salomon, Regum Sapientiſſimus, Artis iſtius notitia adeo illuſtris fuit, vt tercentenas parabolas, & quingentos verſus conſcripſerit de viribus plantarum & animalium; quæ à Rege Ezechia ſuppreſſa fuere, eo quod populus majorem confidentiam his quam Deo adhiberet: Archelaus Cappadocum Rex in Chirurgia eam peritiam ſibi comparaverat, vt ipſemet curam ſuſceperit, & perfecerit, vulneris capiti illati, neque permiſerit quempiam alium auxiliatrices afferre manus.

Darius catenas aureas duas ingentis pretij dedit Demadi, vt ab ipſo doceretur compoſitio remedij cujuſdam ſingularis: Reges Philometor, Nicodemus, Hiero, Eupator, Cato cenſorius, Varro, Plinius, Columella, Dioſcorides, Celſus &c. nunquid totos ſe arti illi conſecrarunt? Gentius Illiriorum Rex annòn primus Gentianam prodidit? Lyſimachus Lyſimachiam, Telephus Telephium, Clymenus Clymenium? &c. Annon Mithridati Regi Ponti accepta fertur celebris illa Antidotus, illius nomine inſignis. Evax, Rex Arabum, Neroni librum

brum à ſe conſcriptum de viribus ſimplicium obtulit: Iuba, Mauritanorum Rex, celebritatem nominis ſibi comparavit, erudito tractatu quem edidit de facultatibus Enphorbij: Attalus, Pergamenorum Rex, non minus inſignis fuit admirandis ſuis compoſitionibus quibus Pharmacopœam locupletavit, in perpetuum nominis & gloriæ illius monumentum: Nemini ignotum quanti Illuſtrem illum Principem fecerit Galenus: Avicenna meminit Regis Kabith tanquam viri in Arte medica eximij; imo illum pluribus in locis teſtem adducit: Legimus in commentariis Serapionis Iaribuſſam, Medorum Regem, & Kemud, Artis illius peritia claros fuiſſe: Auguſtus quotidie in vſum ducebat compoſitionem quandam à ſe excogitatam: Deſcriptio illius apud quoſdam authores reperitur: Tiberius Paſtillum adverſus Herpetes compoſuit, referente Galeno: Maximam partem temporis ſtudio illius artis impendebat Nero: Quæ forte occaſio fuit vt Evax Rex Arabum conſecraret illi librum à ſe conſcriptum de facultatibus ſimplicium: Imperatores Adrianus & Iuſtinus plurimas Antidotos compoſuere, eorum nomine adhuc inſignitas: Nonne refert hiſtoria Eccleſiaſtica Papas Nicolaum Quintum, & Euſebium artem medicam ſæpius profeſſos eſſe.

Nec defuere mulieres quædam illuſtres quæ illius exercitium amplexæ ſunt; Artemiſia, Cariæ Regina, non minus inſignem ſe præſtitit Artemiſiæ inventione quam conſtructione Mauſolei in honorem mariti ſui Mauſoli: Si formoſa Helena memoriæ ſui labem affixit Trojano excidio, immortalem tamen, vt ſic dicam, ſe præſtitit Helenii inventione: Præſtigiatrix Circe aperiens herbam eius nomine ſignatam, delevit infamiam ob artes Magicas illi inuſtam: Medea efficacia herbarum ipſi notarum Iaſonem ab exitio imminente liberavit.

At vero ſi cuncti Reges & Magnates Medicinæ ſtudium non excoluerunt, attamen Artem illam ſummo in pretio habuerunt: Quos non honores olim Medicis priſci detulerunt? qua non in exiſtimatione habuerunt? Tanquam ſemi-deos illos excoluerunt, rati à quopiam numine inſpirati ac ſuggeri remedia quibus vtebantur, eadem fiducia ab illorum manibus excipientes remedia ac ſi Deus aliquis obtuliſſet, *Ita ſum levatus vt Deus mihi aliquis medicinam feciſſe videatur.* Cicero 3. Famil. 7.

Pratus Argivorum Rex, Melampum familiæ Regiæ adſcripſit quod Filias ſuas furore liberarit: Quid, annon ipſe Artaxerxes Hippocratem Perſarum Proceribus adſcribere voluit? Annon illi obtulit cunctas Imperij ſui opes ſi modo ab officiis Medicis illi eſſe vellet?

Si Romani olim Medicos vrbe expulerunt, id non Artis cauſa, quod

nonnullis.

nonnullis viſum, ſed quia natione Græci erant, Romani autem gentem illam exoſam habuere, Barbaris annumeratam, vtpote quæ ab omni ævo Reipublicæ infeſta fuiſſet, eius exitium meditata, omni molimine Imperij Romani ruinæ intenta: Imo Romani ratum habuerunt Romam a Græcis miſſos Medicos in populi exciditum. Id vero apertum fit ex epiſtola quam Marcus Cato (quo Cenſore illi Roma expulſi fuere) ad filium conſcripſit: At vero Iulius Cæſar Civitatis iure ipſos donavit; Auguſtus Antonium Muſam Equitibus Romanis adiunxit: Imo ipſi Romani vnicuique medico artem in vrbe facienti annuum ſtipendium ducenta & quinquaginta ſeſtertia aſſignarunt, etſi centum ſolum Poëtis, Oratoribus, & aliis diſciplinam quampiam aut ſcientiam profitentibus largirentur.

Quo non in pretio habitus Diocles Caryſtius apud Antigonum, Criſtobulus apud Philippum Macedonum Regem; Eraſiſtrutus apud Antigonum & Ptolomæum, Craterus, Aſclepiades, Trallianus &c. apud Romanos? Galenus apud Imperatores Marcum Aurelium Antoninum & Severum &c?

Pauci Reges & Principes Medicis denegarunt honoris & exiſtimationis inſignia: Quidam illos ad ſumma honorum faſtigia extulerunt; alij titulis maxime illuſtribus affecerunt: Nunquid vnus noſtrorum Regum filium primarij ſui Medici Galliæ Cancellarium conſtituit, & Sigillorum Cuſtodem; idque Patris gratia? Philippus Hiſpaniarum Rex Paracelſum Equitis aurei velleris dignitate donavit &c.

Nullo non ævo Medici obtinuere inſignia honoris & liberalitatis Principum & Monarcharum: Quæ privilegia à Regibus noſtris illis non conceſſa? Regnante Carolo VII. Cardinalis Eſtoute Villeus, Præfectus reformationi Vniverſitatum Regni, illis conceſſit ius Togæ rubræ, honoris & diſtinctionis ergo: Pluribus in locis fruuntur privilegiis Nobilitati conceſſis, omnibus tributis & ſubſidiis immunes,

Qua vero ratione homines Medicis honorem denegarent, quandoquidem Deus iubet illis honorẽ deferri? *Honora Medicum,* (Eccleſiaſtes 38.) *Dominus enim illum creavit propter neceſſitatem. A Deo eſt omnis medela, & à Rege accipiet donationem: Diſciplina Medici exaltabit caput illius, & in conſpectu Magnatum collaudabitur.*

Finis MAII Anni 1680.

ZODIACI MEDICO GALLIGI

SIVE

Recens in Re Medica & Naturali Exploratorum.

IVNIVS Anni 1680.

OBSERVATIONES ANATOMICÆ.

Dom. PETRI RVSSE *D.M.*

OBSERVATIO PRIMA.

Lapides in ipſa cordis ſubſtantia reperti, in muſculo Deltoide, & Teſticulo.

IN diſſectione cadaveris virilis ab ipſo reperti lapides varie figurati in ipſa Cordis ſubſtantia, & in medio deltoideo muſculo, parte dextra: Alij item triangulares, piſi magnitudine inter teſticulum & membranam eius internam: Quo manifeſtum fit id quod adduxi de generatione lapidum in ſingulis corporis partibus: hi fortaſſis generationem obtinuerunt a cohibita parte ſeri in vaſis contenti, ab illo enim vnicus ren in prædicto cadavere deprehenſus.

OBSERVATIO II.

Polypus in Sinu longitudinali Cerebri.

ALio ab eodem aperto cadavere, in ſinu cerebri longitudinali compertus Polypus longitudine quartam vlnæ partem æquans; Vnde conjicere forte licet polyporum radicem aliquando ſuperiorem eſſe fundo narium.

OBSER-

Observatio III.

Anatome Erinacei fœminæ.

INſtituta anatome Erinacei fœminæ ſequentia ab ipſo comperta ſunt,

Panniculus carnoſus non minus craſſus & durus quam in homine primus epigaſtrij muſculus :

Glandulæ Iecoris granum ſeminis milij æquabant.

Cordis latitudo longitudinem ſuperabat;collocatum erat inter pulmonem & coſtas :

Lienis longitudo erat duodecim tranſverſorum digitorum ; ſeſquidigiti latitudine : Color flaveſcebat , venæ & arteriæ maximæ : Capſulæ, aut glandulæ atrabiliariæ magnitudinem & figuram fabæ obtinebant , infra renes ſitæ :

Teſticuli ſuſpenſi erant ſupra ligamenta lata , veſiculæ autem quam in mulieribus manifeſtiores.

Tuba parte ſiniſtra vaga erat & libera , nullibi colligata.

Cœcum inteſtinum æque magnum erat ac Colon in homine; Valvula autem adeo adſtricta, vt nec aquæ , imo ne aëri introitum concederet.

Tandem Glandulæ ab eruditiſſimo *Peyero* deſcriptæ in extremo inteſtino admodum conſpicuæ erant , quo in loco Dom. *Ruffius* illarum contextum , in quo quindecim vel ſexdecim numerabantur , deprehendit.

Ex eiuſmodi diſſectionibus hoc vtilitatis exſurgit, quod in brutis animantibus vt plurimum animadvertuntur parres conſpicuæ & palpabiles , quæ in homine vix manifeſtæ , ideo minus in notitiam veniunt.

Observatio IV.

Eiuſdem.

Circa Vuluera Inteſtinorum.

IOhannes Franciſcus , cognomine A Roza , antea grandioris Catapultæ Eques in legione Reginæ , nunc in invalidorum Noſodochicum receptus , ante biennium in excurſione prope Friburgum acinace vulneratus eſt, in [illegible] dextra & inferiori reglonis hypogaſtricæ, paulo ſupra annul[illegible] tranſverſim & omnino diſſe-

ctum fuit corpus inteſtinorum, non procul à loco vbi deſinit Ileon.

Id vulnus lethale abſolute pronuntiatum fuit, quamobrem pro deplorato relictus eſt: Ea vero fuit illius felicitas, vt extremitas Ilei diſſecta cum extra vulnus efferretur ad longitudinem ſextæ partis vlnæ, paulatim uero & ſenſim aëri ambienti aſſuefacta, recti inteſtini munere functa fuerit, nec tamen ideo conſequente inſigni incommodo, eo quod craſſiores excrementorum alvinorum fæces, cum exiguam moram in abdomine traherent, nec cohiberentur ab anfractibus & convolutionibus coli, ibi loci non eum contraherent fœtorem qui fæcum alvi comes eſt.

In ea conditione cum per menſes aliquot perſtitiſſet, membrana exterior portionis Ilei egreſſæ abdomen paulatim ad interiora ſe contraxit, adeo tamen vt circumferentia extremitatis illius cum attigiſſet vulneris circumferentiam, à Natura ſenſim fuerit conjuncta, & conglutinata media ſutura quadam naturali, ac membrana interior exteriori parti adhæſerit, eadem ſervata longitudine, eaque ratione deinceps opem tulerit excrementorum expulſioni, ea modo quem inferius traditurus ſum.

Quoad craſſiora inteſtina, a cæterorum conſortio diviſa, ſicuti ante dictum eſt, paulatim ſarcinam excuſſerunt toto octiduo ab inflicto vulnere, à quo tempore nullo munere amplius functa ſunt; Ea enim illorum ſequuta eſt ſubſidentia, vt æger ne minimam enematis partem admittere valuerit ſemeſtri ab accepto vulnere ſpatio, ne ſemel quidem ad flatuum excluſionem dehiſcente ano.

Figura ſubſequens præſentem ſtatum conſtitutionis ægri refert, ac mediorum per quæ conditio præſens tolerabilis reddita eſt, quo omnia facilius menti objiciantur.

Explicatio Figuræ præcedentis.

A A A A A Vulneris circumſcriptio, iuxta quam circumferentia membranæ externæ inteſtini cum cute coaluit, modo propemodum inexplicabili.

BB. Productio, aut elongatio membranæ interioris inteſtini.

C. Circumferentia extremitatis inteſtinio, per quam alvi fæces excluduntur.

D. Inſtrumentum ex ferro albo conflatum, galeriforme, intra cuius cavitatem inſeritur inteſtini productio.

E. Fundum inſtrumenti ex adverſa parte exhibitum, quo in conſpectum veniant duo fruſtula lignea, cruciatim appoſita, inteſtinum cohibentia, neque tamen fæcum exitum prohibentia.

F. Aliud

F. Aliud inſtrumentum ex ferro albo confectum, dicatum excipiendis & continendis excrementis.

G. Oſculum præcedentis inſtrumenti, cui fundum præcedentis immittitur.

Observatio V.

Eiuſdem.

Sive Demonſtratio motus periſtaltici Inteſtinorum.

QVandoquidem fæcum alvinarum excretio quodammodo involuntaria eſt, non immerito Anatomici tum priſci tum neoterici cenſuerunt Inteſtina motu quodam ſibi proprio & ſingulari donata eſſe cuius ope munere illo fungerentur: Motus ille, quem Laurentius naturalis nomine donat, ad differentiam motus muſculorum imi ventris, qui animalis eſt & voluntarius, à cæteris omnibus periſtalticus dictus, hactenus conjectura duce tantum cognitus eſt, ſcilicet reſpectu habito ad illius effectus: vel ad inteſtinorum ſtructuram quorum fibræ maximæ conſpicuæ ſunt circulares.

At vero Dom. à Roza hodierna die demonſtrationem admodum evidentem nobis offert, quotieſcunque Dom. à Parco jubente detrahitur illius inſtrumentum quo in conſpectum veniat phænomemon à me mox deſcribendum, apertiſſimum fit prædictum motum fere perpetuum eſſe, fibras autem circulares ſucceſſive contrahi in ſua circumferentia, adeo vt quæ ventriculo proximæ ſunt primæ eiuſmodi motum inchoent, deinceps alternatim quæ ſubſequuntur, qua de cauſa fæces paulatim ad extremitatem vſque inteſtini deſectam propelluntur; è qua per vices prodire animadvertuntur, at fere citra interruptionem, in modum mucilaginis per linteum aut filtrum expreſſæ; tunc temporis inteſtino propemodum ad inſtar vermis pro, repentis ſe commovente, qui progreſſurus primo fibras caudæ vicinas contrahit, ſe vibraturus mediante dilatatione capiti propinquiorum, quæ viciſſim tautummodo ideo contrahuntur vt extendantur eo ipſo tempore quo contrahuntur illæ quæ à tergo ſunt.

Vsvs.

Ex Obſevationibus præcedentbus eliciendi.

QVæ hactenus adnotata ſunt cum veritati æque conſona ſint ac admiratione digna; æque probabilia ac ſtupenda, inferendum

eſt etiam inſignia inteſtinorum vulnera non perpetuo abſolute lethalia iudicanda eſſe, ſicuti ſcriptores aſſerunt: Imo cum totaliter abſciſſa ſunt vulneratorum curam etiamnum eſſe ſuſcipiendam: Adde his, ad imitationem naturæ, quæ hoc in caſu miranda præſtitit, in ſimili tentandam eſſe conjunctionem per ſuturam extremitatum inciſi inteſtini cum cute, ſed ſolum conſuta membrena illius exteriore: Dom. à Parco, cui primo hoc in mentem venit, periculum in cane facere propediem decrevit: Si res ſucceſſum habuerit, publici juris illam facturus ſum.

Cæterum, qui veritates Anatomicas curioſe ſectantur, vel qui confirmationem quærunt eorum quæ autores de motu inteſtinorum periſtaltico tradidere, opera prædicti Dom. à Parco, indole ſua benefico, reipſa conſpecturi ſunt id quod hic loci figurate tantum exprimere datur.

Observatio VI.

De Vulneribus Cordis.

Alias copiam Epiſtolæ feci ad me per D. a Billi, Chirurgum Regium iuratum conſcriptæ, qua aſſeritur Iohannem Tiretium, Civem Pariſienſem, enſe in pectore vulneratum, ictu ad fundum vſque ventriculi dextri cordis penetrante, vitam tamen traxiſſe ad finem vſque quintæ diei à læſione: Cum vero tum temporis prædictum caſum ſingulari animadverſione dignum iudicarem; credidi ſatius futurum ſi explicationem differrem quovſque cum dicto D. a Billy ea de re viva voce contendiſſem, atq; Diſceptationibus noſtris publicis expoſita illa fuiſſet: Hæc præmittenda eſſe neceſſarium duxi, ne quicquam niſi veritati conſonum in medium afferretur; hæc vero decreta fuere:

Quotquot noſtris Conventibus interfuere, mecum conſenſere Ioh. Tiretium dimicationis tempore veriſimiliter ira percitum fuiſſe, eo præſertim momento quo inflictus illi ictus, quapropter ſpiritus animales (quorum Cor origo eſt) ſufficienti copia illuc confluxerint ad fibrarum omnium intumefactionem, vt ab his omnino occupatum fuerit ſolutionis ſpatium, ac proinde ideo impeditus fuerit ſanguinis inſignis effluxus alias vulneratum intra paucas horas mortem oppetere non potuiſſe, quandoquidem mediaſtinum pertuſum non fuit; cum alter pulmonis lobus reſpirationi ſufficere poſſit ad non brevem temporis intercapedinem: Ac revera conjecturam hanc confirmavit colloquium cum D. à Billy habitum, ex cuius ore didici, anatome facta cadaveris Ioh. Thiretij, à ſe repertum grumum ſanguinis concreti

creti vulnus cordis obturantem ; & obſervatum eſſe ſanguinem effuſum ſolam pectoris cavitatem dextram occupaſſe, imo ne hanc omnino ab ipſo fuiſſe oppletam.

OBSERVATIO VI.

D. HABERTI.

Remedium adverſus Colicam Nephriticam.

D. Habertus, Pharmacopœus Sereniſſimi Principis Condæi, plu-ries ſe expertum ait aquam ſtillatitiam è ſucco Vermicularis, quatuor Vnciarum pondere exhibitam cum vncia vna ſucci limonum, potentiſſimum eſſe remedium ad everrendas renum arenulas, pus, aliave extranea inibi hærentia.

OBSERVATIO VIII.

D. HVRBOTII Chirurgi Iurati Burdegalenſis.

Extractio Calculorum in vrethra genitorum, quam cœcitas fugax ſequuta.

Dom. Conteus, Medicus Burdegalenſis, à quo deſcriptæ ambæ Obſervationes ſubſequentes, narravit mihi priorem factam eſſe de infante Burdegalenſi, laborante calculo, cyſti involuto, vrethra incluſo, figura & magnitudine pineæ nucis, à quo interceptus fuerat vrinæ tranſitus, vnde imminebat iſchuria; quamobrem D. Hurlotius coactus fuerit, partem affectam incidere ad corporis eiuſmodi extranei reductionem.

Operatione, quanquam adhibita omni diligentia, & præviis neceſſariis præcautionibus, ſummáque dexteritate, vnde certum auxilium expectandum erat : pejoris tamen mali cauſam extitiſſe, eo cuius gratia inſtituta eſt; vix enim ea peracta ægrum cœcitatem incurriſſe: In ſtuporem actos dictum Hurlotium & adſtantes, ſed eo magis quod ſex diebus ab operatione elapſis viſus infanti reſtitutus fuerit, nullo oculis topico admoto remedio : Suppuratio vulneri ſuccedens eodem propemodum tempore, anſam præbuit prædicto Hurlotio conſolidationem brevi procurandi, adhibitis remediis ordinariis, ſpe freto ſanitatis conſequuturæ.

Concluſiones ex hac Obſervatione deducendæ confirmationem obtinere videntur à proxime ſequenti, Accerſitus enim dictus Hurlotius

lotius ad curationem pueri chori clerici, eodem quo prior morbo laborantis; & hic quoque oculis captus eſt, eo tamen diſcrimine quod cœcitas acciderit poſt catheterem inditum, Qua de cauſa cum prudenter ab operatione abſtinuerit, reſtituto viſu poſtridie illam ſuſcepit, nullo ſymptomate inde ſubſequente, etſi lapis vrethræ adeo impactus eſſet, vt nonniſi conatu magno adhibito inde evellendus fuerit.

Animadversiones.

Dom. CONTEI *D. M. Burdegalenſis In præcedentes obſervationes.*

OCuli, viſus organa, adeo ſtupendæ ſunt ſtructuræ vt in toto corpore mirabiliorem reperire non liceat: Si eorum textura perpendatur, numerus, differentia, & vſus partium illos conſtituentium, facile erit colligere commercium illis nondum probe hactenus notum intercedere cum cæteris corporis partibus, quandoquidem earundem pene omnes agitationes ſignificant mediantibus variis nervorum motibus, inſigni numero in illis contentorum, quibuſcum neceſſitudo arctiſſima intercedit cum nervis aurium, naſi, gingivarum, maxillarum, linguæ, colli, gutturis, pectoris, viſcerum, ac præcipue membrorum generationi dicatorum, quorum arcanam libidinem & intemperatam aperiunt,

Vt hinc eventuum à me deſcriptorum ratio clarius innoteſcat; quandoquidem certum eſt ſi nervorum intercoſtalium, ſuperiores rami ad oculos vſque propagentur, inferiores deferri ad partes generationi miniſtrantes ac ſeminis diſtributioni: adeo vt iidem vbique diffuſi, ingentem numerum vaſorum ſanguiferorum circumdent, cum in finem vt calcaris aut fræni inſtar ſanguinis motum vrgeant vel cohibeant, prout ab animi pathematis præſentibus determinationem accipiunt: Eapropter in pudore vultus rubet, pallet in timore &c.

Sed reditu ad rem explicandam facto, ea ipſa de cauſa nervi ad vrethram vergentes, vehementer impulſi à motibus ante à me deſignatis, ſanguinis motum celeriorem reddere valuerunt, ipſúmque impellere determinate, atque inſigni copia, verſus nervos opticos, vbi ſpirituum viſivorum ſuffocationem pepererunt; quibus diſſipatis ſuccedere potuit nova illorum naturalis agitatio, ac proinde oculis reſtitui conſtitutio nativa nuper amiſſa.

Obser-

Observatio IX.

Dom. B A V X Medici Nemauſenſis.

Singularia quædam reperta in anatome Cathectici Pueri, in quo transpoſitio adfuit partium.

Filius Nobilis cuiuſdam noſtratis ab ipſis nativitatis primordiis peſſimæ conſtitutionis notas præbuit, color enim erat illi citrinus, caput præter naturæ modum magnum, reſpiratio anhela, vultus cum corpore toto tumidus, obiit autem menſes natus octodecim; Aperto vero cadavere ſequentia obſervare licuit.

Diſſectionis initio ducto per Mag. Fregebille Chirnrgum Iuratum Nemanſenſem, a ventre inferiori

Via facta eſt inſigni ſeri copiæ exinde effluentis, fœtoris omnino expertis, in viſceribus coërciti.

Epiploiid quod ſuperſtes erat ſemicorruptum adparuit.

Ventriculus illico conſpicuus, nulla illius parte a Iecore contecta.

Impulſo illo ad lævam, vt Iecur in conſpectum veniret, quod in parte dextra repertum iri credebamus, illius loco magnum Lienem coloris plane naturalis vidimus: quamobrem curioſitate impulſi quid in ſiniſtro latere adeſſet perveſtigavimus, in qno ingens Iecur à nobis deprehenſum, quod in lobos nequaquam diſtinctum, integrum fere ſub ventriculo iacebat; Illius nihilominus color & conſiſtentia à naturali ſtatu non multum recedebant:

Cæteræ partes quæ in abdomine tranſpoſitæ adparuerunt, fuere majora vaſa, vena enim cava lateri ſiniſtro inſerebatur, aorta autem arteria lateri dextro diaphragmatis; ac præterea ventriculi ambo orificia, cuius ſuperius latus dextrum occupabat, inferius ſiniſtrum: vnde ſimilis inteſtinorum tranſpoſitio neceſſario conſequuta eſt.

Cætera omnia ſedem naturalem obſervaverunt, imo conſtitutionem nativam, excepto meſenterio per quod diſperſæ erant plurimæ exiles glandulæ, refertæ materia flava & friabili; Et renibus, qui mole accedebant ad renes decennis pueri, etſi pelves admodum anguſtæ forent.

His viſis, diſſectus fuit medius venter: Illico à nobis cor maximum deprehenſum, cuius minima pars à lobis pulmonum cooperiebatur, eorum conus ad latus dextrum magis vergebat, cum naturaliter ſiniſtrum ſpectet, Ventriculi illius exigui admodum & tranſpoſiti;

Pulmonis lobus ſiniſter aliquantiſper coſtis adhærebat, latere vero dextro omnino lateri dextro annexus, etſi neque in colore neque in conſiſtentia vlla fere immutatio accidiſſet:

Cæterum, ventrem ſuperiorem quod ſpectat, nihil præter naturale ſe exhibuit, ſi amplitudinem excipias quæ iuſto amplior fuit: Si a Parentibus conceſſa fuiſſet accuratior corpuſculi diſſectio, forte alia conſideratione digna ſe obtuliſſent: Exiſtimo tamen quæ ſunt adducta ſatis eſſe ad demonſtrandum id quod ſtatuit Carteſius, tractatu de Fœtu, Veriſimile eſſe à ſola ſcilicet cordis tranſpoſitione neceſſario pendere aliarum partium diſlocationem.

Observatio X.

Remedia quædam experimentis confirmata per D. LARDREAV *a Varennes Vrbe, Chirurgum Regis primarium, Dourlani Picardiæ, Contra Dentium dolorem.*

SPiritus ſulphuris & terebinthinæ æquali proportione commixti, dolenti denti impoſiti, & in aurem eiuſdem lateris immiſſi dolorem Dentium ſedant.

Ad caſum eſcharæ combuſtionum, Et ne cicatrix manifeſta ſit.

Vrina & acetum æquis proportionibus confuſa, & prima die admota: Deinceps aqua calcis oleo nucum iuglandium commixta.

Ad cohibendum inteſtinorum prolapſum.

Valet radix bryoniæ pulveriſata, ex vino albo aſſumpta, parti interim admovendo oleum ovorum, linimenti forma, non omiſſa faſcia contentiva.

Observatio XI.

Dom. à VERNAY, Chirurgi Regij, Magiſtri & Iurati Pariſienſis.

De Natura Dentium.

SIngulæ humani corporis partes, cum toto communia hæc habent, ortum, augmentum, interitum. Dentes, qui ſucceſſu temporis inter oſſa maximam duritiem acquirunt, in primordiis conſtare tantum videntur fibris admodum ductilibus, retis in morem implicatis, vbi conſpicua ſunt ſpatia quæ paulatim adimplet viſcidus humor, ex cujus

cujus induratione pendet illorum ſoliditas.

Id me obſervatum in quibuſdam puſillis fœtibus, atque à me deinceps idem adnotatum in fœtu mulieris gravidæ à duobus aut tribus menſibus, in quo contextus ille jam formam induerat membranæ ſatis denſæ, à quo cooperiebatur tota maxilla, & è qua exoriebantur productiones eo modo diſpoſitæ, vt inveſtiendo totam internam partem vnuſcujuſque alveoli, videretur circumſcribere & definire eam Dentis partem quæ exterius eminet cum complementum & perfectionem ii adepti ſunt.

Curioſitatem meam vlterius explendi avidus, reſerata maxilla alterius fœtus provectioris, animadverti eandem membranam non ſolum craſſiorem, ſed & manifeſtius obductam materia illa viſcida in aliis à me deprehenſa.

Examen hoc cum aliud conſequutum fuiſſet alterius fœtus a partus legitimo tempore non admodum remoti, comperi membranam, & gluten de quo verba feci, adepta eſſe formam oſſis albi, ſolidi, & vndiq; obducti pellicula, ex qua conſtructa videbatur dicta membrana.

Humorem illum glutinoſum quod attinet, ſuppeditatum illum fuiſſe animadverti à membrana, producta ab extremis vaſorum quæ in alveolis terminantur, & quæ paulatim exſudando priori membranæ ſuperaddit ſtratum ſuper ſtratum, quouſque tota dentis pars ſuperior confirmationem obtinuerit; radices enim illius quod attinet, generationem tantum conſequuntur & formationem prout corpus dentis ſe exſerere incipit, quo temporis intervallo vaſa & fibræ, in inferiore parte ſita, dum paulatim recedunt, tandem craſſitiem adeo deponunt, vt cum antea admodum eſſent manifeſta, paulo poſt nativitatem inſenſibilia pene fiant.

Quoad cæteras Dentitionis circumſtantias, cujuſmodi ſunt, exempli gratia, eminentia, tenſio & apertio membranæ maxillas obducentis; dolor ab his accidentibus exortus, accretio, caſus & dentium novus exortus, hæc adeo in propatulo ſunt vt nova deſcriptione non indigeant.

Observatio XII.

D. CARONII Mag. Chirurgi Belvacenſis.

Vulnus Cordis tardius lethale.

ID quod de vulneribus cordis in præcedentibus Ephemeridibus adductum fuit, anſam dedit D. Caronio in memoriam revocandi

quod dum duce Parente ſuo praxin exerceret , Sacrificulus à Monteoſty , pagi in Normannia , ab exploſo ſc. lopeto manuario cum vulneratus fuiſſet parte pectoris antica , cuius tubo immiſſi fuerant tres glandes minores , è quibus duæ venam arterioſam , & arteriam venoſam intra ipſam pulmonum ſubſtantiam dilaceraverant ; tertia vero apicem cordis ſatis profunde & magnitudini ſuæ reſpondentem continui ſolutionem induxerat , nihilominus tamen ad ſeptimam vſque diem vitã illi fuiſſe productã, etſi ipſa etiam tertia die paracenteſis thoracis fuerit inſtituta : Phænomenon hoc proculdubio animadverſionibus dignum eſt , in conventibus noſtris examinandum priuſquam explicatio afferatur.

Observatio XIII.

Eiuſdem.

Abſceſſus inſignis Lumborum, Ilium & Hypocondriorum.

CIrca ea quæ alias de Abſceſſibus tradita ſunt , affert D. Caronius exemplum provectæ ætatis virginis , quam ſub cura ſua habuit , laborantis tumore ad ſuppurationem deducto , latere dextro occupante vniverſam lumborum regionem , hypochondriorum , & ilium maximam partem , quem D. Bertrandus , primarius Chirurgus defunctæ Reginæ matris , fiſtuloſum pronuntiaverat , ad fundum vſque cavitatis abdominis penetrantem : Sanitati tamen reſtituta fuit , tum quia multa cura adhibita , tum quia ſucceſſit abſceſſus per decubitum , naturæ vi procuratum , materiæ in inguen eiuſdem lateris , qui & alterum excitavit, prioris ſanationis cauſam.

Observatio XIV.

Eiuſdem.

Lacerta per venæ ſectionem egreſſa.

VLtimam obſervationem prædictus D. Caronius acceptam refert Collegæ ſuo D. Fournerio , qui venam aperiens egreſſam ait lacertam , rite figuratam , cui caput paulo depreſſius , collum exile , crura brevia , totum corpus longitudinis fere minimi digiti.

Observa-

Observatio XV.

Domini CONTEI. M. Doctoris Burdegalenſis.

Extraordinaria Gemellorum generatio.

MVlier gravida, annos nata circiter triginta quinque, & febre quartana laborans, nuper ſeptimo impraegnationis menſe abortu gemellos excluſit, non ſexu ſolum diſcrepantes, ille enim qui ſequioris fuit, & primo prodit, conformationem & magnitudinem ætati illi competentem obtinebat; mas autem fabam minimam magnitudine non excedebat, ſed paulo longior erat, etſi oculi, os, manus & pedes ſat diſtincte in illo obſervarentur, adeo vt forma humana evidens eſſet: Involvebatur quodam humore viſcido diaphano, quem Ovariorum patroni ovi albumen credidiſſent, intra quem tanquam vermis deliteſcebat, ac rotatus huc illuc convolvebatur; chorda, qua mediante placentæ adnectebatur, deliteſcebat ſub maſſa quadam quæ molam vtcunque referebat: Manum longitudine æquabat, ad proportionem craſſa.

Ad vero hac in re notatu dignum eſt, etſi exiguus ille embryo exſiccatus nullomodo eſſet, ex pluribus circumſtantiis colligi poſſe per ſuperfœtationem genitum non fuiſſe, ſed eodem quo puella tempore productum, nam præterquam quod in abortu poſterior excluſus eſt, id a matre aſſertum mihi toto graviditatis tempore, ratione febris aliorumque accidentium, nequaquam coniugem ſe admiſiſſe: Id porro a D. Duneville, Chirurgo illius ordinario, didici, ex pluribus maſculis quos conceperat, nullum meliore fato hoc gaviſum eſſe, quanquam feliciter quatuor aut quinque puellas enixa ſit.

Observatio XVI.

Domini RVSSEI. D. M. Pariſienſis.

Polypus in cava vena repertus.

IN Nobilis cuiuſdam cadavere (qui quadrimeſtre integrum febre continua laboravit,) nuper vita defuncto, cuius comites erant crebræ ſyncopæ & reſpiratio intercepta aperto coram dicto Dom. Ruſſeo, diſſecta ſecundum longitudinem (illius iuſſu) vena cava deſcendente, in ea, proxime cor, initium polypi deprehenſum eſt, craſſitiei admodum inſignis, qui vergens verſus inferiora illius vaſis longitudinem

obtinebat per tres partes vlnæ, quamobrem veriſimile eſt interceptam fuiſſe ſanguinis circulationem, adeo vt cum certam adeptus fuerit magnitudinem, ſuffocationem omnimodam induxerit, vltimum ægritudinis ſymptoma ſimul & vltimum vitæ terminum.

OBSERVATIO XVII.

Remedia quædam experimentis comprobata adverſus Rheumatiſmi dolores.

VAlet Tinctura baccarum juniperi per ſpiritum vini elicita.

Radix conſolidæ majoris ſiccata, raſpata, & cum ſpiritu vini malaxata, forma cataplaſmatis admota.

Vtilis & diſſolutio quatuor partium thuris maſculi, vnius camphoræ, facta in ſufficienti copia aquæ Reginæ Hungariæ.

OBSERVATIO XVIII.

D. GERVASII Chirurgi Regij.

Aphonia ſequuta vulnus Pectoris.

D. Gervaſius, Chirurgus Regius, ait ſibi notum eſſe quendam, qui vulnerato enſe pectore, inter tertiam & quartam veras coſtas, initio numeri dicto ab inferioribus, vulnere tamen cavitatem non attingente, ac proinde illæſis interioribus viſceribus, voce tamen illico à læſione deſtitutus fuit, atque ἄφωνος mortuus eſt: Huius Phæno meni ratioquæritur.

OBSERVATIO XIX.

Authoris.

Varij Mercurij in corpore humano motus.

RAtione duce prope attingimus genium Mercurij, ſenſus enim exteriores obtuſiores ſunt quam vt horum ope illius partes diſtinguere valeamus: Ex arte Chimica nullum hactenus conſequi licuit medium, quo eius principia ab invicem dirimerentur: Imo effectus illius hactenus admodum a ſe mutuo diverſi adparuerunt cum in vſum adductus fuit: Satis fuit omnibus, & mihi ipſi, id perpendiſſe tanquam remedium ancipitis effectus, cuius neque indoles neque pro-
prietates

prietates præciſe determinari poſſent : Interea obſervationes à me traditæ libro de Arte curandi Affectus venereos, cum vivis manifeſtum faciant ſatis perfectam illius conſequi licere notitiam quo dextere in vſum medium flectatur, mearum eſſe partium credidi ſi adlaborarem in perveſtigatione ſingularium in illo minerali latentium, eapropter vt exquiſitiori illius notitia acquiſita, deinceps omnino, ſi licet, innoxie vſurpari queat, cum id remedium neceſſarium frequenti ſit in vſu.

Occurrit hic præſertim obſervatio maximi momenti, quod humores corporis noſtri certam tantum quandam quantitatem partium mercurij admittant, ſicuti, exempli gratia, aqua intra ſua ſpatia portionem tantum quandam ſalis continet : Id primo apertum ſit, quod Mercurius vnctione adhibitus maiori quam requiratur copia, magna ſui parte in ſubſtantia & cutis ſuperficie hæreat, nec vlterius pervadat, adeo vt iis quibus inepte admotus eſt, liceat longo temporis ſpatio monetam cupream, leviter cuti affricatam dealbare: Secundo, quod portio illarum particularum quæ interiora nimia copia ſubeunt, tantum abeſt vt motum humoribus ſua volatilitate concilient, vt potius illum coerceat, ſufflaminet, hinc fere ptyaliſmus cohibeatur, aut aliæ vacuationes criticæ, id quod nequaquam contingit ſi mediocri copia exhibitum hydrargyrumfuerit ; nam ſemper & excitat optatam criſin, & præterea penetrat, diſſolvitur, eoque modo evacuatur, vt ab ipſis primis diebus à ſola materia effluente dealbari poſſit cuprum.

Eſt & hoc præterea obſervandum, à priori dependens, quod etiamnum experientiæ conſonum eſt, ab altera nunctione per vnguentum mercuriale, ſi ad tertiam deveniendum ſit, ſemper plurimum imminere periculi, quantumvis criſis imminens exiguam ſpem faciat : atque ſæpius ſatius eſſe per tres, quatuor, quinque, imo ſex dies feriari, infrequens quippe eſt, ob minori copia exhibitum mercurium vacuationes moram trahere, cum id frequentius contingat ob fixiorem animi contentionem in ægris, ex mali formidine oriundam, diffidentia, mærore, aliiſque animi pathematis melancholicis, aut febre accedente, quæ aliquando eſſentialis eſt, ſæpius ſymptomatica eiuſmodi in caſibus; aut tandem ratione quarundam excretionum, terreſtrium, & tartarearum, ideoque motui mercurij obſiſtentium, eiúſque ſublimationem impedientium.

Revera axioma hic à me allatum, à pluribus annis ſtricto jure obſervatum, rem tam certe confirmavit; vt pro rata rem habendam ducam, cui nemo contradicere audeat : Curandos habui affectione hypochondriaca laborantes, quorum phantaſiam timor & formido tam pertinaciter occupaverat, vt à duabus prioribus vnctionibus ne minimum

minimum corpori impreſſio facta videbatur, imo ne ſecunda, tertia, quarta vel quinta die, in quibus tamen copioſam ſalivationem excitavi, etſi ad tertiam nunctionem non devenerim, in id ſolum intentus vt rationibus & blandimentis eos ad meliorem mentem revocarem.

Innumeros & novi in quibus mercurius à febre inhibitus motui priſtino reſtitutus fuit, factis aliquot venæ ſectionibus: imo frequentiſſime accidit vt in quibuſdam Mercurius per alvum prioribus diebus, ſecundam inunctionem conſequentibus, bilem excoctam & retorridam expellat, humores viſcidos, albumina ovorum referentes; aliòſve impuros, antequam per os excretionem vel minimam moliatur; quam viam fere ſemper affectat poſtquam humores, qui illius elevationi obſtabant, evacuati fuerint, ſive prædicto modo, ſive catharticorum ope; quibus opportune locus eſt ſi alvus libere non feratur, mercurij autem actionis prohibitio ortum non ducat à cauſis ſuperius à me memoratis.

Cuncta hæc oſtendunt Mercurium ſemper vniformiter operationes ſuas perfecturum, niſi motus illius a cauſis interioribus ſæpenumero interturbarentur, Hæc vero ſi dubium aliquod moveant, obſervatio ſequens rem aperte confirmatura eſt,

A me obſervatum eſt a tribus vel quatuor annis quotquot ægris ptyaliſmum promovi, fluxum illum periodice ſingulis diebus, iiſdem horis reverti, illam vero horam eandem eſſe qua inunctio fuit adhibita, ſi ſaltem id obſervatum fuerit vt ſpatium viginti quatuor horarum præciſe interceſſerit inter vtramque: Nam ſi, exempli gratia, prima horis matutinis inſtituta fuerit, ſecunda à prandio, duæ obſervabantur exacerbationes, aut ſaltem duo conatus vnaquaque die, quorum ſeries confunduntur, adeo vt redituum ratio vix diſtingui valeat.

Supereſſet tradendum aliud experimentum recens factum circa Mercurium, quum Obſervatio ſequens anſam illi præbuerit, hanc prius exhibendam exiſtimavi vt res recto ordine procederent.

Observatio XX.

Authoris

Vermes in corpore humano geniti.

IUvenis annos natus circiter viginti duos nuper Cœtum noſtrum adiit, auxilium adverſus invaletudinem ſuam quæſiturus: Aſſeruit a ſeptennio

ſeptennio familiarem eſſe ſibi per alvum inſignis copiæ lumbricorum alborum, vivorum, longitudinis medietatis minimi digiti excretionem, nonmodo quoties excrementa deponeret, ſed & quavis diei hora, imo iniuſſos illos exire dicebat, quorum egreſſum aliter non animadverteret quam ex perceptione frigoris circa femora, quæ in deſcenſu contingebant, nec tamen ideo adverſa erat illi valetudo, cum ab illo tempore nihil moleſtum ſit perpeſſus, præter levem cardialgiam ſi ientaculi hora diutius protraheretur.

Monuit nos non ſemel, ſed iterato, diverſiſque temporibus varia ſe aſſumpſiſſe remedia ad necandos vermes exhibita, quanquam inani ſucceſſu, cum neque illorum copiæ, neque motui, neque magnitudini quicquam deceſſerit: Hoc vero nos in admirationem pertraxit, quod Pharmacopœus illius comes aſſeruit, a ſe vnius menſis decurſu exhibitam fuiſſe inſignem aquæ copiam in qua decoxerat hydrargyrum, cui adderet ſpiritum ſulphuris: Imo ſæpius eodem tempore præbuiſſe ipſum Mercurium, nulla obſervata ſucceſſus immutatione.

Cuncta hæc coniuncta ægri relationi, lumbricos prodire ſolere tantummodo poſt fæcum deiectionem, cum coniecturæ locum dediſſent nidum illorum non quærendum eſſe in inteſtinorum capacitate, ſed veriſimilius illos ſtabulari intra meſenterij duplicaturam, quo pertingere non poterat vis mercurij, quibus tamen patebat ingreſſus in canalem inteſtinorum, via ab ipſiſmet facta, quidam ex adſtitibus repoſuit vermes non interire coniectos in aquam mercurij vi imbutam; quæ obſervatio cum repugnare videretur facultati prædictæ aquæ, quam notum eſt ſufficientem quantitatem intra ſe aſſumere Mercurij, adeo vt alborem cupro inducere valeat: minerale porro illud vermibus acre bellum indixerit, anſam mihi præbuit experimentum propoſitum ad incudem revocandi, ac deinceps coniecturas meas per ſequentem confirmandi.

Observatio XXI.

Experimentum Authoris.

Quid aqua hydrargyri vi imbuta valeat contra Lumbricos.

MErcurij vncias duas in pinta vna aquæ communis per ſpatium fere trium horarum decoqui curavi, effuſa vero per vaſis inclinationem prædicta aqua in pelvim ſtanneam, in illam conieci ſex lumbricos terreſtres, vegetos & variæ magnitudinis, qui poſtquam innataſſent per octodecim horas & amplius, æque libere ac ante move-

bantur: Pelvim eandem cum poſtmodum foculo, cineribus calidis repleto impoſuiſſem, eóque pacto aqua cum ſenſim incaluiſſet ad gradum caloris naturalis, motus prædictorum vermium manifeſte imminui ſingulis momentis animadvertebatur, adeo vt omnes intra ſemihoræ ſpatium & citius interierint.

Ab experimento hoc ſequentia deducenda ſunt. I. Mercurij particulas, quæ in aqua diſſolvuntur, à calore debere agitari, quo penetrent & vermes interimant.

II. Humores corporis noſtri, cum ſufficientem obtineant calorem, qui neceſſariam agitationem ipſis imprimat, mirum non eſſe ſi aqua mercurialis interius aſſumpta lumbricos perimat quos in inteſtinis obvios habet; id quod plurimis experimentis confirmatum habemus.

III. Si prædicta aqua abſque ſucceſſu vſurpata fuerit ab ægro de quo ſuperius actum, id ideo contigiſſe neceſſe eſt, quia lumbrici intra inteſtinorum cavitatem incluſi non erant.

OBSERVATIO XXII.

D. BOIRELLI Chirurgi Regij Argentanenſis.

Symptoma admirandum caſui ab alto ſuccedens.

MIhi innotuit plurimos fidem non adhibuiſſe hiſtoriæ, Ephemeridibus noſtris inſertæ (*Febr. Obſervat.* IX.) qua aſſeritur tubum ſclopeti pertinaciter implantatum fuiſſe per exemptilem caudam, excuſſo ſcapo ligneo, fronti venatoris, quem ad aliquot momenta temporis inſcius circumtulerit: Dubium hoc ſcire volui D. Boirellum, qui hiſtoriam mihi communicavit, hic vero ad me reſcripſit propediem confirmationem ſe promulgaturum, exhibito chirographo illius a cuius ſervitiis prædictus erat venator, coactoris pecuniæ, ex horreo ſalario provenientis, in oppidó Carrouges.

Interim moneor à prædicto D. Boirello, filium Dom. à Lautourio, Procuratoris cauſarum Argentani, annos circiter tres natum, à caſu ex ſcala in faciem præcipitem datum fuiſſe ipſis calendis Ianuarij; ex quo caſu etſi ſolum duo dentes inciſorii in vnaquaque maxilla abrupti ſint, nullo præterea accedente vulnere, imo nec vlla inſigni ecchymoſi, ſtrabiſmum tamen vtriuſque oculi contraxiſſe; affectione perdurante ad ſextam vſque diem, qua oculi in ſtatu naturali obſervati ſunt, adeo tamen vt ſeptima iterum ſtrabo fuerit, octava nulla depravatio adparuerit, ac tandem à prædicto tempore alternis diebus modo ſtrabiſmo affectus fuerit, modo ab eo liber; quamvis à decima ſeptima præſentis

ſentis menſis ad viceſimam vſque, qua ad me ſcripſit D. Boirellus, ſtrabiſmus fuerit conrinuns: Cuncti Medici & Chirurgi conterranei teſtes ſunt admirandi illius effectus; Cum caſus iſte ſingulari animadverſione dignus ſit, in conventibus noſtris excutiendum proponam priuſquam explicationem tradam.

Observatio XXIII.

Sive explicatio phænomeni propoſiti à Dom. CARONIO, *De Vulnere cordis.*

Vide Obſerv. XII.

PHænomenon hoc ventilandum expoſitum eſt in Conventu noſtro die Veneris XXI. menſis præſentis. Hæc noſtra fuit deliberatio, reſpectu vulneris cordis, id non in ea parte ſitum fuiſſe quæ citam mortem vulnerato inferre valuerit, cum vulnera apici cordis inflicta nequidem abſolute ſint lethalia, cuius rei alias exempla protuli.

Quoad dilacerationem Vaſorum pneumonicorum, circa eam binas ſe offerre circumſtantias notatu digniſſimas; quarum prior eſt, quod cum vaſa dicta intra pulmones ipſos dilacerata tantum fuerint, illorum truncos intactos fuiſſe, non item bifurcationes. Poſterior eſt, quod ſclopetorum vulnera, cum ſemper eſcharam inducant, ſecum ſimul citiſſimum & ſecuriſſimum hæmorrhagiæ remedium afferant;

Quapropter inferendum eſt vulnerati vitam protrahi debuiſſe (cui rei eventus reſpondit) ad diem vſque ſeptimam, quo propemodum tempore eſcharæ vt plurimum; excidunt, at antea effuſio ſanguinis inſignis non potuit ſuffocationem inducere; cum materia, quæ ad paracenteſin inſtituendam impulit, veriſimiliter tantum fuerit ſeroſus humor e vaſis lymphaticis egreſſus, quo pectoris capacitas fere ſcatet.

Observatio XXIV.

Sive Artiologia Caſus propoſiti.

De Aphonia.

Vulneri pectoris ſuccedente.

SI nullum ſymptoma Vulneri propoſito præter vocis privationem ſupervenifſet, veriſimiliter cauſa referenda fuiſſet in læſionem nervorum recurrentium, cuius rami deferuntur partim ad linguam, partim ad pectus: Sed cum obitus non procul abfuerit, multo veriſimilius

eſt ſuffocationi ſpirituum, inductæ ob ſubitum & horrendum mortis metum adſcribendam eſſe perturbationem dictam: Conſenſit Vniverſus cœtus; atque in confirmationem Dom. Gervaſius, Medicus Sereniſſ. Celſitudinis Regiæ, adduxit exemplum ad rem faciens.

Aſſeruit nobis quendam cum in proprium agrum tritico conſitum ſe tranſtuliſſet, ac monitus fuiſſet a vicino quodam devaſtari, ibique inimicum deprehendiſſet ſclopetum explodere paratum, ex ſolo mortis metu illico concidiſſe mortuum.

Observatio XXV.
Dom. SORBAIT Medici Viennenſis Auſtriaci.
Peſtis Viennenſis.

PRædictus Medicus, qui generoſe in patriæ commodum ſalutem propriam devovit, dum medicinam faceret multa notatu digna congeſſit, typis ab ipſo committenda & evulganda, hoc titulo *Venenum Terraqueum*: Ait Peſtem ex Hungaria fuiſſe derivatam, a ſe autem obſervatum eos qui ea labe inquinati eſſent multum lotium profudiſſe, excitatam diarrhœam & dyſenteriam: Quibus exorti fuiſſent carbones peſtilentes, eos interiiſſe; ſalvos evaſiſſe quibus bubones, mortem vt plurimum intra xxiv horas contigiſſe: In extinctis apparuiſſe ecchymoſes longas & nigras in vniverſo corpore, ac morbi initio plurimi vermes egrederentur; vnde inſignis putredo interior arguenda erat: Maximam infectorum partem auditu privatam fuiſſe; Ingentes humerorum dolores citra intumefactionem perpeſſos eſſe, vehementi pulſatione cor quaſſatum fuiſſe; Plurimos a ſe ſanatos fuiſſe ope ſuffumigiorum in ædibus, præſcripta convenienti diæta, atque ſingulis quinque horis exhibitis hidroticis: Tandem plurimam infectorum partem auxiliis idoneis deſtitutam interiiſſe: Cenſendum tamen obitus cauſam potius referendam eſſe in inſcitiam & diſcordiam Medicorum quam morbum ipſum.

Observatio XXVI.
Puellæ arenas & calculos mingentes.

ARgentina ſcriptum eſt duas puellas ſine intermiſſione per lotium excludere calculos & lapides induratos, modo maiori modo minori copia, ſed ſemper copioſe: Addunt vrinæ ſuppreſionem admodum ſimul moleſtam eſſe. Ac non ſemel in ſuperficie & maſſa ſanguinis, illis emiſſi, arenas conſpici.

Finis Iunij Anni 1680.

ZODIACI

ZODIACI MEDICO GALLICI

SIVE

Recens in Re Medica & Naturali Exploratorum.

IVLIVS Anni 1680.

OBSERVATIO PRIMA.

Dom. CONTEI Medici Burdegalenſis.

Fluxus ſanguis vterinus in gravida.

MVLIER ſecundo graviditatis menſe exeunte ab injuria externa paſſa eſt hæmorrhagiam vterinam inſignem, ad tempus vſque partus productam, qui tamen ne vna die ſtatutum tempus prægreſſum eſt: Neque quies neque remedia adſtringentia, (quorum tamen efficaciæ debetur felix ille eventus) ſanguinis illam effuſionem vllo modo cohibere potuerunt: At vero cum fieri non potuerit quin ſanguinis motui remora injecta ſit, vt ideo quantitas illius imminuta ſit, portio ſubſiſtens, quæ verſus vterum impetum habebat, in jecoris regionem influxit ſexto graviditatis menſe, peperitque abſceſſum in latere dextro, inter tertiam & quartam nothas coſtas, numerando ab imis ad ſummas, cuius eruptio interius contigit, adeo vt ægra cum ſanguine partum ſubſequi ſolito excluſerit puris inſignem copiam, quanquam fœtus qui iuſto tempore excluſus eſt, ne minimam labem inde contraxerit, ſanitate non infirma ad ſextum vſque annum vſus; morte autem abreptus cujus cauſa manifeſta fuit.

Iſtud vero admiratione dignum, quod in quatuor ſubſequentibus imprægnationibus, ſanguinis effluvinm ſecundo menſe ſemper paſſa

ſit abſceſſum eodem loco ſexto menſe, ac tandem cætera omnia ſymptomata, eodem tempore, comitibus iiſdem circumſtantiis.

Hoc obſervandum à quo tempore prior fluor contigit, ante & poſt menſtruum fluxum, pus ſemper é naturalibus profluxiſſe: quo vero tempore fœcunda eſſe deſiit, in ventre & femoribus plurimas erupiſſe magnas puſtulas, admodum pertinaces, é quibus enormis materiæ purulentæ & ſeri copia effluxit.

Animadverſiones Anthoris.

In præcipuas circumſtantias præcedentis Obſervationis.

EX prædicta Obſervatione colligendum eſt 1. Citra detrimentum fœtus poſſe effluere ſanguinem, per quædam vteri vaſa, aut vaginæ; dummodo illa quæ ad ſecundinam pertingunt nequaquam ab hac ſeparentur in divulſione, quæ cauſa frequentiſſima eſt abortuum & partuum præter naturalium.

II. Non eſſe aſſentiendum antiquis, ſi Iecur impuris humoribus ſcateat, obſidentibns partem illius concavam, per alvum illos evacuari; aut per lotium ſi gibbam, quandoquidem pus, de quo ſuperius actum, ex abſceſſu manans, per vterum exitum nactus eſt, veriſimiliter mediantibus venis hypogaſtricis.

III. Si quando Natura impetum habuerit ad quaſdam partes, ac certos quoſdam motus inchoaverit, eandem ſponte eoſdem periodice ſervare & conſtanter, iiſdem obſervatis temporibus, niſi illius inclinatio à motibus oppoſitis interturbata fuerit.

Observatio II.

Seu Explicatio phænomeni propoſiti à Dom. BOIRELLO Argentanenſi.

De Puero poſt caſum ſtrabiſmo effecto, de quo Ephemer. præcedenti, Obſerv. XXII.

RES non omnino ſtupenda Puerum, de quo D. Boirellus egit, ſtrabonem evaſiſſe, quandoquidem notum eſt ſympathiam adeſſe inter nervos maxillarum & nervos motores oculorum: At vero difficile eſt mente conſequi mutationem illam ſtatam & fixam in oculis puelli illius ortam, qui alternatim per plures menſes vna die luſcioſus erat, altera oculis conſtantibus.

Vltimo noſtro conventu ſequens explicatio adducta eſt, cum quibuſdam

buſdam in morbis paroxyſmi ſtatis periodis redeant, ratione cuiuſdam materiæ heterogeneæ, quæ conſtanter ſtato die & hora vaſa ſanguinea ſubit, exempli gratia, in febribus intermittentibus: alii occurrant quorum paroxyſmi originem ducunt a quibuſdam vaporibus malignis qui nervos impetunt certis intervallis, cujuſmodi eſt e.g. epilepſia, quæ non ſecus ac ſtrabiſmus, de quo agitur, convulſionis ſpecies eſt.

Nam ſi quando diatheſis nativa corporis nullam mutationem ſubit, motuum ſpontaneorum æqua viciſſitudo ſanitatem inducit, admodum veriſimile eſt in morbis, cauſarnm illorum periodicam agitationem impellere Naturam vt illis obſiſtat, eaſque repellat, id quod niſi contingeret proculdubio vt plurimnm pondere opreſſa ſub irritatione continua fatiſceret: Atque ideo fit vt perpetuo intenta ſit obſervationi quorundam regularium motuum, non ſolum cum impetum ſuſtinere cogitur cauſarum morbificarum, ſed præterea in conatibus criticis quos adhibet ad illas ſuperandas: Manifeſtum faciunt ea quæ adduxi de motibus mercurij in præcedenti Ephemeride; quæ porro dicta ſunt in Obſervatione tradita a D. Conteo, Evacuationes quolibet menſe accidentes, atque infiniti alij motus periodici, qui forte omnium maxime admirationem merentur in œconomia naturali.

OBSERVATIO III.

Sjve Experimenta D. DVPARCII, Chirurgi ordinarij Noſocomii Regij Invalidorum.

Qua arte innoteſcat num poſsibilis ſit curatio, beneficio, artis Chirurgicæ, eorum quibus corpus inteſtinorum tranſverſim & omnino diſſectum fuit.

ALIBI mentio à me facta inſtituti D. Duparcij experimenta prædicta tentandi, fidemq; meam obſtrinxi de ſucceſſu tradendo, illam vero iam libero, idque eo lubentius quod vix quicquam in publicum emitti queat ſimul vel ſubtilius, vel vtilius, vel admiratione magis dignum: Prior conatus infelix fuit, experimentum factum eſt in cane mare, qui ſexta die interiit: at cum aperte conſtaret mortis illius cauſam non aliunde fuiſſe deducendam quam a pertinaci alimenti abſtinentia, à tempore operationis ſuſceptæ ad tempus ipſum obitus.

D. Duparcius non ideo deſtitit ab inſtituto, novamque aggreſſus eſt

eſt operationem in cane fœmina, vix magnitudinem leporis adepta: Hac menſæ vinculis ad ligata, diſſectionem non parvam inflixit imo illius ventri, adeo vt facile eſſet pene omnia interanea eximere, atque præciſe dignoſcere Ilei extremitatem, quam a craſſioribus inteſtinis omnino cultro ſeiunxit; poſtmodum vero vulneris circumferentiæ adnexuit ope ſuturæ per quatuor puncta diſtincta, citra alium apparatum: Canis lingua cum vulnus obduxiſſet balſamo ſuo naturali, cuius ope cicatrix intra viginti dies ad ſummum inducta eſt; nec cibum aut potum ab ipſa prima die non averſata eſſet, toto illo tempore iucundo ſpectaculo videre licuit exitum perpetuum fæcum per vulnus inflictum, nec minima illarum portione per anum prodeunte: Hoc vero maxime notatu dignum eſt, excrementa prædicta pulti conſiſtentia ſemper eſſe ſimilia, omnis fœtoris expertia, cuiuſmodi ſunt quæ per vulnus Equitis, de quo in ſuperioribus prodeunt.

D. Duparcius meditatur alterum experrimentum in maſculo cane, Si voti fuerit compos, nec id latere permittam.

Figur. p.55.

Observatio IV.

D. DESLANDESII BAVGRANDII, Magiſtri Chirurgi Iurari Rhedonenſis.

Vaſorum Emulgentium rara conformatio.

CVm nuper diſſecaret cadaver muliebre, ex parte vna animadvèrtit venam & arteriam emulgentes bifurcatas eſſe, bifurcationem autem in vnum eundemque renem deſinere, duabus cavitatibus externis præditum, duabus pelvibus, & duobus ureteribus veſicæ implantatis; Alter Ren figuram naturalem obtinebat, ſicuti ex figura ſequenti eluceſcit.

Observatio V.

Eiuſdem.

Vterus admodum expanſus in puella.

APeriendo cadaver puellæ, iubente & coram Magiſtratu, deprehendit vterum adeo expanſum vt fere vniverſam abdominis capacitatem adimpleret; vnde tam valide compreſſæ ſunt partes vicinæ vt in anguſtiſſimum ſpatinm coactæ eſſent: Vterus dictus omnino infarctus erat materia quadam rubicunda, carni minutim diſſectæ non abſimili, quæ maligna qualitate propriam partis ſubſtantiam abſumpſerat,

ſerat, adeo vt quibuſdam in locis ad chartæ tenuitatem accederet, etſi nondum effluxiſſet annus integer ab initio morbi.

Observatio VI.

Eiuſdem.

Vitulus monſtroſus Vivens.

SCribit idem D. Deſlandeus, decem miliaribus procul à Rhedonum vrbe, conſpici Vitulum vivum, qui parte poſteriori quatuor habeat crura, quorum duo nullum vſum præſtant: Præterea duas vulvas collaterales, per quas æque lotjum effundit eodemque tempore, etſi vnicus ſit podex, infra vulvam, quæ ſiniſtrum latus occupat, & perfectior videtur, poſitus.

Observatio VII.

Authoris

Vir ſeipſum Caſtrans.

QVidam nomine Noachus Thomas, cognomento la Prérie, miles exceptus noſodochio invalidorum, quadraginta circiter annos natus, temperamenti atrabilarij; qui vulneratus fuit in facie ex caſu, eo momento quo paroxyſmo epileptico correptus ſontico enim morbo obnoxius eſt, ſingulo bimeſtri invadenti.

Dum curaretur vulnus correptus eſt febre continua, quam Dom. Quercetanus Medicus, & Duparceus, Chirurgus prædicti Noſodochij, adſcribendam non crediderunt vulneri: quamobrem illius cauſam aliunde deducendam rati, moniti autem à contubernali pannos cubilis omnino cruentatos eſſe, è re eſſe crediderunt ſtragula removere, hinc deprehenſum ſcrotum vndique tumidum, lividum, ad ſuppurationem vergens, imo necroſi proximum: Admiratio vero ſumma illos ſubiit, ægrum adeo inſigni affectu occupatum auxilium Medici non imploraſſe: Eadem vero increvit quando reſciverunt ſponte illum ſibi provocaſſe, amputatione facta per ſeipſum vtriuſque teſticuli:

Tum vero neceſſe fuit cauſam indagare, & quomodo operationem prædictam peregiſſet; Reſpondit autem dolorem ſummum ex intervallis in partibus illis infeſtum, impuliſſe ad ſuſcipiendum eiuſmodi facinus: cum vero aliquando caſtrationi equorum præſens fuiſſet, ſe ad normam caſtratorum extremis digitis eam cutis portionem, quam ſcindere decreverat, apprehendiſſe, poſtmodum facta inciſione in

baſi plicaturæ à ſe factæ, vſo cultri cuſpide, illi ſimili quo vtuntur ſartores cum oſcilla parant excipiendis globulis adſtrictoriis thoracis, elevata acie cultri inciſionem ſufficientem feciſſe extrahendo vni teſticulo, ac demum alteri, iterata eadem operatione, non ignarum inter vtrumque nullum adeſſe ſeptum intermedium; quamobrem vnico cultelli ictu vtrumque extirpaſſe; nulla præcautione adhibita circa vaſa ad declinandam hæmorrhagiam, quæ ſtatim largiſſima fuit, pauciſſimo tamen temporis ſpatio ſubſiſtens, ope aliquot turundarum & ſuſpenſorij ex tela concinnati, quod ipſe pro induſtria accommodavit.

Cæterum obſervavit D. Duparceus vtramque inciſionem ad leges artis peractam eſſe, nam neque iuſto amplior ant ſtrictior fuit, ſed cujuſmodi requirebatur ad facilem exitum teſticulorum extrahendorum, obſervata æquali diſtantia ſuturæ in medio ſcroto manifeſtæ; id quod non parum forte ægro contulit ad reſtitutionem valetudinis:

Vt vt vero ſit, conſtat curationem deinceps difficilem non fuiſſe, exhauſto enim ſanguine ſcrotum infarciente, D. Duparceo non aliud incubuit negotium quam vt vulnera prædicta aliorum more curaret, vnde ſubſequuta eſt cicatrix ſpatio ſex ſeptimanarum, quæ proculdubio citius inducta fuiſſet, niſi ſexta die ab incepta curatione æger inſultu epileptico correptus fuiſſet, quo vexante apparatum admotum ſibi evulſit, vnde ſequuta nova hæmorrhagia, quæ etſi haud æque ac prior larga fuerit, non parum tamen damni intulit.

Animadverſiones.

In præcipuas dicta hiſtoriæ circumſtantias.

HInc manifeſtum eſt Invalidum illum laboraſſe Hernia Varicoſa, hæc enim affectus ſpecies in omnibus pene melancholicis, qui hæmorrhoidum beneficio carent, occurrit, præcipue latere ſiniſtro e directo lienis: quæ Hernia comitem ſemper habet acerbum dolorem in iis quibus manifeſte prædominatur id temperamentum, eo quod congerant ſanguinem, qui præ nimia & frequentiori ζυμώσει, plurima parte particularum volatilium, illum temperantium exutus eſt, atque acrimonia ſua aceto quodammodo affinis eſt.

Ab eo quod præſenti in caſu contingit confirmatur id quod alias adduxi, ſanguinem ſcilicet qui circa orificia vaſorum concreſcit potentiſſimum eſſe remedium ad hæmorrhagiam cohibendam.

Cæterum, ſi excipias vaſorum ligaturam, ab hoc Invalido omiſſam, nullus non conceſſurus eſt prædictam operationem ex artis legibus

peractam

paractam fuiſſe : Securiſſimam autem ad Chirurgiam viam, eſſe exemplum eorum quæ ex arte facta ſunt, cuiuſmodi fuit caſtratio equi memorata.

Observatio VIII.

Dom. LANGEI Med. D. Lexovienſis.

Forfex deglutitus.

QVidam convulſionibus epilepticis prehenſus deglutiit forficem acutiſſimum. quatuor pollicum longitudinis, duorum cum aliquot lineis latitudinis, quem vxor intra dentes intruſerat, novendio autem exacto per inferiorem gutturem illum expulit, nullo tamen toto illo temporis ſpatio incommodo inde exorto; pro more enim ſolito cibum & potum aſſumpſit, nullóque vſurpato remedio præter paucum olivum ex intervallis.

Si expulſio corporis illius extranei contigiſſet præcedente abſceſſu, proculdubio multo minorem admirandi anſam præberet; prætermiſſa enim quavis explicatione, ſatis mihi fuerit Lectorem remiſiſſe ad hiſtoriam Petri Yvens deſcriptam in Ephemeridibus anni 1679. circa quam D. à S. Romano, obſervationis editor, multa curioſa protulit: At cum vix quiſpiam concipiat quomodo corpora acuta, cujuſmodi fuit iſte forfex, & quinquaginta aciculæ ſuperius memoratæ inteſtinorum omnes anfractus permeare valuerint illis illæſis, Ephemeride ſequenti ratio diſquirenda fuerit; re collata inter Anatomicos qui cœtui noſtro intereſſe ſolent.

Obſervato IX.

D. BLONDELOTII Mag. Chirurgi Telonenſis.

Hirudo deglutita.

ANte aliquot annos quidam Nauta poſt diuturnam navigationem è navi in Noſodochium D. Lodoico ſacrum æger deductus eſt, cuius curatio D. Blondelotio commiſſa: Iam a trimeſtri ægritudo invaſerat, quæ ipſum ad eum deduxerat ſtatum vt ſceleton potius vel ſimula rum hominis referret quam hominem viventem: Tanta aderat macies vt vix à ſceleto diſtinguere licuiſſet: Vniverſa cutis adeo infecta cruore, extra vaſa effuſo vt corrupta videretur, cum vomitu inſignis copiæ ſanguinis ſingulis momentis erumpentis, vnde

malum amplius terrificum efficiebatur : Affectus cauſa illico adſcripta fuit cujuſpiam vaſis ruptioni ſanguiferi, quam peperiſſet labor vehemens: Exiguum vero ſolatium quod ex quiete conceſſa, ex inſtaurantibus & adſtringentibus aſſumptis conſequutum eſt, tandem D. Blondelotium in ſuſpicionem occuitæ cuiuſpiam cauſæ latentis adduxerunt: Etſi enim medicamenta exhibita fuerint prægreſſis feriis medicorum & chirurgorum conſiliis, vſus vero illorum diuturnus admodum fuerit, æger tamen in pejus continuo ruebat, & forte vix vita adhuc per octiduum protracta fuiſſet, niſi fato iam inſtante in mentem D. Blondelotio veniſſet exhibitio theriacæ Venetæ dozi non parca, ſingulis matutinis: Ab hoc remedio etſi vomendi conatus frequentiores fuerint, reſtitutio tamen valetudinis non procul abfuit, eáque manifeſta, illius efficaciæ adſcribenda, nam non ſolum prima die qua illam adſumpſit collapſum virium robur reſurgere viſum eſt, ſed & vis Naturæ adeo excitata eſt ad expellendum id quod illi negotium faciebat, vt triduo poſt hirudinem, plurimo permixtam ſanguini, manus volæ longitudini æqualem expulerit, pollicis craſſitie, lineis flavis & cæruleis dorſum inſterſtinguentibus, præter hæc vbique nigram; quam excretionem paulo poſt firma conſequuta eſt ſanitas.

Rarus iſte eventus impulit D. Blondelotium ad cauſæ inveſtigationem: ab ægro hic didicit ipſum deſerta navi continens appuliſſe inſtaurandæ annonæ gratia, humi vero poſtratum ex rivulo aquam hauſiſſe, limpidam quidem, at vero, cum ſiti immenſa torqueretur, avidius dum illam ingereret, veriſimile eſſe incaute ſimul deglutitum fuiſſe id animal, fortaſſe tunc temporis exiguum.

Ex his nemini non manifeſtum quantum immineat periculum a potu adeo incauto: Medicis vero præterea animadvertere dabitur ex tota hiſtoriæ ſerie, ſæpe neceſſe eſſe indagaſſe in morbis extraordinariis quæcunque prægreſſa fuerint, quo rectum de iis feratur iudicium.

Observatio X.

Dom. P. EMERY, Conſiliarij & Medici Regis ordinarij, Profeſſoris Regij in Collegio Burdegalenſi.

Rara præcavendi animi deliquium ratio quod metus ſanguinis miſſionis invehit.

ETſi prudentia maxime genuinum Medicum deceat, quæ vbique illi prævia eſſe debet, deliberationum & actionum omnium directrix, ſæpe tamen fortuna in vicem illius ſuccedit, ac ſucceſſum largitur

tur actionibus quas inclyta dicta virtus nunquam aggredi auſa fuiſſet: Cum & ſuſpicio & diffidentia perpetui illius ſint comites, nunquam prætergreſſa eſſet præſcriptos limites, niſi ſors obvia ipſam quaſi invitam per devia itinera, & non tritos calles alio abduxiſſet: Hac via ars Medica faſtigium attigit, e quo omnia in conſpectum illius veniunt: inexpectati enim eventus originem præbuere plurimis remediis præſtantiſſimis, quorum acceſſione locuples evaſit, quæ Natura quaſi invida denegare velle videbatur: Eo modo cognitum fuit Viperam vino ſuffocatam, in alimentum ordinarium venientem, morbum quempiam pertinacem & abomidandum ſuperare: Ea quoque via innotuit vis ſucci mali citrij, quod cum reum morti addictum a pernitie veneni hauſti liberarit, hinc celebritas illi comparata vim inſignem illi ineſſe extinguendi fervorem & æſtum febrium, etiam vehementiſſimarum, earumque cacoethiam expugnandi; adeo vt ſi prudentia fortunæ aures præbere noluerit, fortuna tamen prudentiæ magiſtra fuerit, atque arcana illi revelarit, quæ forte in poſterum ipſam ſemper latuiſſent, in detrimentum valetudinis humani generis.

Animadverſio hæc memoriam mihi renocat rei geſtæ circa primos annos praxeos meæ Medicæ: Præfectus Caſtrenſis, Monſpelienſis, inſignis inter Iudices Rationum Regiarum, me acceſſit, conſilium meum expetiturus contra impetum humoris in alterum oculum decumbentis, inflammationes non leves in illo excitantis, Venæ ſectionem præſcribere non prætermiſi, ad cuius mentionem dum præ pavore exclamaſſet, mihique ipſi terrorem incuſſiſſet enarratione facta verendorum ſymptomatnm ad illam ſubſequi conſuetorum, prope fuit vt in aliam iverim ſententiam quo momento aſſenſum remedio præbuit, ea lege tamen vt ipſi adſtarem emiſſionis ſanguinis tempore, Fidem dedi me adfuturum illi à ſomno excitato.

Mane ingreſſus cubiculum tympaniſtas quatuor video: Credidi ſalutandi gratia hunc Nobilem veniſſe, quippe qui Tribuni caſtrenſis vices obiiſſet, hilaria illi daturos: Adventante autem Chirurgo, inſtructo apparatu qui etiam generoſiſſiſmis metum incutit, iubet Aeger tympaniſtas tympanum quam poſſent validiſſime piſtillis ferire: Mirati ſumus ego & Chirurgus, qui fere ad ſtuporem actus: Strepitus ad cubiculi ianuam cum cunctos ædium incolas convocaſſet, tum demum illi receſſere cum nuntiatummiliti venam fuiſſe apertam, qui adactum ſcapellum generoſe ſuſtinuiſſet.

Vena quæ a D. Mondeno aperta fuit, pleno alveo ſanguinem effudit, eoque impetu qui manifeſtam faceret ſummam ſpirituum exagitationem: Statim vero ac æger ſitum commodum brachio conceſ-

ſit, tympaniſtis vero valedixit, ſtuporem ex animo meo excutere ſtuduit, ac ſiniſtras opiniones conceptas de cardiaco tam inſolenti vſurpato, ne dicam abſono: Monuit autem me, cum per iuventutem parum robuſta frueretur valetudiue, venam ideo crebrius ſibi ſecari, neceſſe fuiſſe, ſed exiguo ſucceſſu, vt animi deliquia invadentia & convulſiones periculoſiſſimæ, quæ mortui ſpeciem adſtantibus ſæpius exhibuerint, declinare deinceps remedij genus tam ancipitis plenum aleæ: Id vero quamvis apud ſe conſtituiſſet mutaſſe tamen ſententiam quando apud Catalaunos verſabatur, vbi cum ducis Equitum officio fungeretur, & ſub eodem tentorio cum pedeſtrium Duce decumberet, invadente ſubito vehementi pleuritide, ipſoque acriter inſtigante, venæ ſectionem iterum admiſiſſe: Fortuito tum temporis pulſatum tympanum ad tentòrij introitum, congregationis cuiuſdam militum cauſa, cum Chirurgus id ingreſſus eſt, pulſatione & ſtrepitu nonniſi peracta operatione deſinente: Sanguinis illa miſſio iucundiſſime celebrata fuit, In vicem enim tremoris & ſpaſmodicorum affectuum ſucceſſere gaudium & hilaritas: Aeger vero a fortuna edoctus præſervationem adeo tutam, ſemper in poſterum pulſantes tympaniſtas, quo tempore vena ſecanda fuit, adſtites habere voluit.

Interim quoquomodo ſatisfaciendum fuit avido illius deſiderio diſcendi cauſam adeo mirandi effectus: Oſtendi illi terrorē de ſanguinis miſſione conceptū, a pueritia impreſſum, phantaſiæ fuiſſe, illud objectum firme amplexatam eſſe, cui antipathię quædam ſpecies inhæſerit, remedium præſto eſſe ſi alio eadem abduceretur, & vi adhibita ad aliud obiectum transferretur, conatum adhibendum quo diſtrahatur a fixa illa applicatione, quæ cor mediante terrore in conſenſum trahens, in cauſa eſſet vt hoc ad ſe ſanguinem & ſpiritus affatim convocaret, vnde motus illius interceptio conſequeretur, & fere caloris iunati ſuffocatio: Spiritus autem a ſtrepitu incitatos ad exitum impelli, & ad repetendos conſuetos canales, dum imaginatio tympano ſtrepenti attenta anſam e carceribus evadendi concedebat in quos terror eos compulerat.

Addidi præterea fieri poſſe vt aër impulſus, excalefactus, tot pulſationibus attenuatus, cerebrum per aures ſubingrederetur, dum alius, iſque plurimus, cor per pulmones ſubiret, vnde ſubita ſpirituum generatio in ſupplementum eorum quos terror exhauſerat: Adde quod ſi Muſices ope ſedatur furor animi incenſi, & mentis alienatæ tumultus compeſcitur, eadem ratione tympani pulſatio remedio eſſe poteſt adverſus panicos terrores, quandoquidem organum id bellicum animos ſæpe illis addit qui ad fugam alias compoſiti videntur potius quam ad pugnam.

Observatio XI.

Vnguentum mirabile Hæmorrhoides ſanans.

Accipe aceti ſtillatitii Vncias duas, in iis diſſolve ſalis ſaturni drachmam vnam, adde olei roſati omphacini vncias tres, ſubigantur omnia in formam Nutriti; adde drachmam vnam & ſemis præcipitati rubri ſubtiliter triti.

Observatio XII.

Dom. LANGEI D. M. Lexovienſis.

Diſſectio cadaveris viri febre continua cum aſthmate extincti.

EQuorum Mercator Rothomagenſis obiit Lexovij febre continua prehenſus, quam præceſſerat, ac perpetua comes fuit, anhelitus difficultas à quadriennio illi infeſta: Cadavere aperto coram plurimis Medicis & Chirurgis, à Dom. Langeo obſervatum.

1° Iecur magnitudinem naturalem adeo excedere,vt etſi pars illius infima ſitum naturalem ſervaret,ſuperior tamen ad tertiam vſque legitimarum coſtarum efferretur, numerandi initio ab imis ducto; adeo vt ſupra diaphragma vix ſupereſſet ſpatium quatuor aut quinque tranſverſorum digitorum continendis partibus pectoralibus: Parenchymate Iecoris diſſecto, adnotavit D. Langelus id pene ſemicoctum fuiſſe,vbique conſperſum corpuſculis quibuſdam duris & inæqualibus, glandulas referentibus,ex quibus conſtructum id viſcus cenſent Anatomici:

2° Veſicula fellis turgebat humore atro, cujus non parva effuſio facta fuerat in fundum ventriculi:

3° Splenis amplitudo apprime reſpondebat amplitudini Iecoris, triplo enim excedebat magnitudinem naturalem, qua de cauſa ad quartam vſque veram coſtam efferebatur, quo in loco tam arcte adhærebat laterali Iecoris parti, vt ambo hæc viſcera vnicum conſtituere viderentur:

Pectore tandem diſſecto, in ventriculo cordis dextro deprehenſus Polypus, totam illius cavitatem propemodum opplens, in arteriam pulmonarem radicibus non parvis ſe demittens:

Animadverſiones in præcedentem hiſtoriam.

Opinio fuit D. Langei. I. Meatus choledochos inchoante morbo

obſtructos fuiſſe, prædictam autem obſtructionem occaſionem præbuiſſe corruptioni bilis in veſicula exiſtentis.

II. Eo quod Cyſtis cavitas omnino repleta reperta ſit neceſſe fuiſſe bilem in glandulis iecoris cohiberi, illius filtrarioni dicatis, ideoque illas adeo diſtendi vt in tumorem inſignem ſurrexerint.

III. Has glandulas cum ad certam tantum molem potuerint extendi, accidiſſe vt maſſa ſanguinea cum ab ejuſmodi excremento expurgari non potuerit, fermenti vicem induerit, ac ſplenis dilationem induxeri.

IV. Ab amplitudine præternaturali horum viſcerum cum inducta fuerit vehemens compreſſio partium thoracicarum, ac proinde cordis, ſanguinem, qui per huius ſubſtantiam diffuſus fuit, majori copia inhæſiſſe quam quæ ad illius alimentum requiritur, ideoque fermentatũ ſufficienter fuiſſe ad productionem Polypi in ejus ſinu dextro reperti.

V. Tandem, humores diutius in Iecore coërcitos, in Cyſti fellea & Liene, inibi eouſque exaltatos fuiſſe, vt fermenti naturam adepti ſint, idonei febris productioni, ægri obitus cauſæ immediatæ.

Observatio XIII.

AVTHORIS.

Explicatio dubii Obſervatione VIII. *propoſiti de Forfice deglutito.*

FOrfex deglutitus, proculdubio per tranſiens anfractus inteſtinorum, illis iniuriam intuliſſet ſi in egreſſu è ventriculo cuſpis primo prodiiſſet, ſufficit autem annulos anteiviſſe, paulatim & ſenſim illo exitu quæſituro citra noxam illatam, beneficio motus periſtaltici inteſtinorum.

Quoad quinquaginta aciculas deglutitas, & per inferiora excretas, cũ veriſimile non ſit omnes linea directa proceſſiſſe, at capitulo priore ad extremum vſq; inteſtinum, probabile eſt a cuſpidibus illarum ſæpe vellicatum fuiſſe ductum inteſtinalem, atque ideo excitatum ventris dolorem, quem toto ſexennio experta eſt quæ illas deglutierat.

Observatio XIV.

Dom. DV PVY Medici Fontenaci Comitis.

Phthiſici cadaveris Anatome.

ANte aliquot annos cum adeſſem apertioni cadaveris filij Dom. de la Iarrie, qui Phthiſicus interiit, præter tres abſceſſus in parenchymate

chymate Pulmonis latentes, duos obſervavi Lienes, quorum ſubſtantia & color omnino naturales erant: Ab invicem diſſiti erant latitudine tranſverſi digiti, etſi revera illos coniungeret ligamentum membraneum, non multum abſimile ab interſectionibus nervoſis muſculi dextri.

Vnuſquiſque illorum cum donatus eſſet ſeorſim propriis vaſis, ex plurimorum autem mente ſuccus Liene incluſus vim fermentativam obtineat, quæ ebullitionem in ſanguine excitare idonea eſt, admodum veroſimile eſt prædictum ſuccum, majori quam decet quantitate genitum, quod duplex eſſet illa pars, cauſam fuiſſe inflammationis Pulmonum, ac proinde dilacerationis acinorum & veſicularum orbicularium ex quibus componuntur, demum corruptionis ſanguinis quo eorum ſubſtantia imbuitur.

Inde colligendum videtur multiplicitatem Lienis Phthiſeos primariam extitiſſe cauſam, ac proinde interitus ægri: Id porro eo veriſimilius eſt quod Aſthma, vt plurimum Phthiſin præcedere ſolitum, frequentiſſime ortum ducit à vaporibus ex liene ſuſcitatis.

Observatio XV.

Ejuſdem.

Abſceſſus Pectoris, ſeu Mediaſtini.

NOn ita pridem aperiendum curavi Tuberculum in medio ſterno puelli quinquennis, quem abſceſſum eſſe credidi: Etſi nulla gravitas antea pectoris fuerit moleſta, nec vllum ſymptoma præceſſerit quod lecto illum affigere valuerit; ex eo tamen prodiete ſeptem vel octo vnciæ purulentæ materiæ: Quamobrem cum colligere mihi licuerit eiuſmodi materiam ex altiori loco ducere originem quam amplitudine tumoris, intromiſſoque ſtylo exploratorio longiori, animadverti hunc abſque impedimento ad vertebras vſque dorſi pervadere: vnde colligere mihi licuit quam vtilis eſſet obſervatio Falcoburgij, qui primus adnotavit mediaſtinum ſub ſterno cavitatem conſtituere, inſenſibiliter ad ſpinam vſque dorſi exporrectam: quandoquidem ſi abſceſſus prædictus alibi quam in prædicta cavitate latuiſſet, proculdubio febrem induxiſſet, difficilem reſpirationem, & forte alia ſæviora accidentia.

Observatio XVI.

D. Landei Baugrandi, Chirurgi.

Abſceſſus ſupra apophyſin maſtoiden, à Pulmonibus vlcere tentatis ortum ducens.

Cis paucos dies D. Landéus accerſitus fuit ad curationem pueri decem aut vndecim annos nati, cui ante menſem exortus erat tumor ad ſuppurationem deductus in apophyſi maſtoidea, cujus comites erant febris lenta, reſpiratio impedita, tuſſis, vox ſubrauca, & totius corporis imbecillitas: Apertus ab eo fuit ille tumor, è quo inſignis copia materiæ admodum fœtidæ prodiit; vix autem peracta evacuatione, æger auditus ſenſu privatus eſt, & pene ἄφωνος factus; vnde judicium tulit purulentiam illam è loco admodum profundo prodiiſſe, quamobrem remoto primo apparatu, in oppoſita parte opus eſſe judicavit introductione ſtyli exploratorij, qui nulla vi ad vertebras vſque colli pervenit, quo in loco non diu poſt collectio materiæ facta eſt; hinc neceſſe habuit apertionem priori oppoſitam inſtituere. Accurata & ſedula curatio prædictarum inciſionum ægri pueri animam vltra quadrimeſtre produxit: fatis autem illo cedente, occaſionem arripuit D. Landéus aperiendi cadaveris, in quo ſequentia ab ipſo deprehenſa ſunt.

Partes omnes imi ventris (ſi Iecur vltra naturæ modum magnum exceperis) ſitum & conformationem naturalem obtinebant: Ex illis porro quæ thoracis cavitatem occupant, Pulmones diverſis in locis vlceroſi deprehenſi ſunt, pus ſimile illi quod ex apertionibus factis exciderat profundentes: Caput autem mirandam conſtitutionem obtinebat, nam & ventriculi cerebri eodem pure ſcatebat, apophyſes maſtoidea, coronoidea, & ſtiloides cariem fere vbique contraxerant, non ſecus ac cavitates glenoides primæ vertebræ apophyſis odontoides ſecundæ, & pars inferior occipitalis.

Observatio XVII.

Eiuſdem.

Vulnus capitis, cum deperditione ſubſtantiæ cerebri non lethale.

Ab eo tempore D. Landéus ad conſultationem convocatus pro quodam cui oſſium parietalium alterum effractum fuerat, adeo vt in-

quatuor

quatuor fragmenta diviſum eſſet, quæ depreſſa duram & piam meninges perforaverant, Vulneratum in peſſimo conſtitutum ſtatu reperit, eo quod cerebri ſubſtantia a triduo extra prodiret, cuius ſi portio quædam ſecederet Chirurgus ordinarius protinus eam auferebat: At vero cum in mentem veniſſet illi monendi dictum Chirurgum vt quantum liceret extantes illas partes intro coerceret, res adeo ad votum ſucceſſit vt vulneratus exiguo admodum temporis ſpatio valetudinem adeptus ſit, imo ad hunc vſque diem ſuperſtes ſit.

Animadverſiones Authoris.
In præcedentes obſervationes D. Landéi.
In priorem.

ME iudice ex priore obſervatione colligendum eſt. I. Si quando pus genitum eſt in parte quapiam interiore, eius copiam perpetuo augeri a depravatione ſucci alimentarij: Si autem capacitas illius partis plane oppleta ſit, omnino neceſſe eſſe vt exundet in partes ſubditas vel alias.

II. Si diutius in parte aliqua pus moram trahat, tantum acorem id contrahere vt ipſa etiam oſſa diſſolvere valeat.

III. Abceſſus qui in exterioribus parum eminent aliquando ſupponere pravum affectum interiorum partium.

IV. A plenitudine ventriculorum cerebri non impediri generationem ſpirituum animalium, ac proinde horum generationem alibi quærendam quam in his ventriculis.

In Poſteriorem animadverſio.

Poſterior obſervatio nobis indicat quo modo ſanguis concretus circa hiatum ſolutionis continui in quapiam parte, ſæpe remedij certi vicem obtinet ad ſiſtendam hæmorrhagiam, Eadem ratione portionem cerebri, a reliqua ſubſtantia abſcedentem, cohibitam & inſpiſſatam prope vulneris oſtium, obviam ire ſeparationi majoris portionis quæ contingere potuiſſet.

Observatio XVIII.
Authoris.
Corroſivum præſtantiſsimum, abſumens glandulas ſcrofuloſas.

ACcipe ſublimati corroſivi drachmas tres, minij drachmas duas, diſſolvantur in vncia vna aquæ fortis, quæ demum in vaporem

reſolvenda erat, ſubſidebit poſtmodum in fundo vaſis ſal arenæ formam referens, cum ſufficienti quantitate fermenti incorporandum, ex quo ſtatim fiant trochiſci lentis magnitudine.

Observatio. XIX.

D. BOIRELLI *Chirurgi Regij Argentanenſis.*
De totali Inteſtinorum ſectione.

Verum eſſe aſſerit id quod adductum eſt Obſervatione quarta Iunii: Imo addit a ſe,& D. Brierio Chirurgo,conſpectum ſimile vulnus illi quod inflictum eſt Invalido militi de quo loco citato, perfectiſſime ſanatum.

Præterea aſſerit ſibi notum militem, ſub Comite à Blino ſtipendia facientem, qui ſingulo quoque biennio fæces imi ventris per vulnus male cicatrice obductum excernebat, ante aliquot annos regioni hypogaſtricæ inflictum, quam deiectionem ſemper præcederent intenſi imi ventris dolores.

Observatio XX.

Ejuſdem.

Vulnus cordis lethale.

OCcaſione data ex iis quæ à me adducta ſunt de vulneribus Cordis, ſingularem adducit hiſtoriam notatu digniſſimam; Dominus de Serrueil, de la Potiere Bailleul, ab accepta in pectore glande plumbea, e ſclopeto manuario cui tres immiſſæ fuerant, emiſſa, interiit tribus aut quatuor horis ab ictu inflicto,etſi globulus citra pericardium ſubſtitiſſet, cui ne minimam ſolutionem continui intulit; prout obſervatum à D. Boirello dum cadaver diſſecaret; Nec tamen ipſi obſcura fuit tam ſubitæ mortis cauſa, aperta enim parte à me modo nominata, hanc comperit omnino cruore oppletam, effuſo e vulnere inflicto parti inferiori ventriculi dextri cordis: Hoc vero in admirationem illum pertraxit, ac doctiorum diſquiſitionem meretur, quod vulneris illius nullam manifeſtam cauſam detegere licuerit: Solutionem vero ephemeride proxime ſequenti afferre enitar.

Observa-

Observatio XXI.

Dom. CONTEI Medici Burdegalenſis.

De Virginitate.

OBſervationem hanc acceptam refert D. Conteus cuidam intimo ſuo paulo poſt initum matrimonium, qui in aurem illi dixit ſe ſcientia morali ſat eſſe inſtructum vt norit quanti momenti ſit vxoris ſapientia erga maritum: Et rerum naturalium ſatis peritum, ad rectum judicium ferendum, & certum de virginitate illibata vel violata: quamobrem prætuliſſe ſe probam educationem, teneram ætatem, ac pietatem conjugis ſuæ futuræ, plurimis aliis fortunæ bonis ſibi alibi obviis: Eo vero nomine ſe fuiſſe infelicem, quod moerori locum concedere neceſſe habuerit ob ſuſpiciones fundamento non deſtitutas, vice oblectationis animo præconceptæ, eo quod nuptiarum nocte eam partium genitalium laxitatem compererit, quæ opinionem amiſſæ virginitatis faceret, quamobrem ipſo poſtero die meditatus fuerit iter bimeſtre & longius, quo ſibi concederetur ſufficiens ſpatium vt animo evolveret ſortem ſuam antequam mentem aperiret. In reditu vero ex itinere abunde ſibi ſatisfactum, quod nemini non perſpecta foret vxoris vitæ integritas, quæ gravida facta eſt ipſo diſceſſus die; imo quod priorem conſtitutionem partium dictarum adeo immutatam nactus eſſet, vt biduum ipſi impendendum fuerit ad obicis infractionem.

Dom. Conteus, qui eventum hunc ad examen deduxit, ait. I. Potuiſſe fieri vt prima coitio acerrima fuerit, adeo vt partium renitentiam percipere generoſo illi non licuerit, II. Præ ſponſæ pudore forte abductos eſſe ſpiritus à partibus genitalibus, in quibus relicta ſit eadem debilitas quæ in virilibus obſervatur, cum mares præ timiditate non arrigunt, etiam præſente objecto quo potiri geſtiunt, III. Forte menſtrua paulo ante effluxiſſe; vel humorem oleagineum, a prægreſſis blanditiis allectum partibus dictis mollitiem & laxitatem induxiſſe, ejuſmodi quæ facilem introitum conceſſerit in priori illo congreſſu. IV. Graviditatem, coniunctam libidini, in ſecundo congreſſu forſan eam ſoliditatem & craſſitiem, conceſſiſſe carunculis quam acquirere queunt.

Animadverſiones prædictæ, & quas adduxit Reg. de Graaf libro ſuo de Partibus genitalibus, Medici conſiderationem merentur: Sed, vt cenſeo, nemini vtiliores futuræ ſunt quam recens ſponſis, qui hoc ex

exemplo diſcere debent ne mœroris anſam contrahant ex inani ſuſpicione.

Observatio XXII.

D. LIETAVDI Chirurgi Sereniſſ. Principis, Fratris Regis.

Sive Demonſtratio publice habita in Amphitheatro conſtituto ad Diſquiſitionem recentium Exploratorum, Refellens obiectiones adductas contra eos qui tuentur opinionem generationis ex ovis.

D. Lietaudus cum exiſtimaret aſſenſſum non debere ſe præbere plurimis aſſertis D. a Vernay junioris, allatis in præcedentibus Ephemeridibus, data vero occaſione explicandi hominis generationem in lectione publlca, habita in noſtro Amphitheatro nupera die Mercurij, Aperta fecit ſequentia in vtero ſcrofæ plurimis porcellis prægnantis.

I. Ligamentum latum laciniatum vndiquaque ambire Ovarium integrum, aut Teſticulum, eo modo vt idoneum eſſet excipiendis quibuſcunque exinde per expreſſionem effluxuris, per elapſum aut alio quapiam ratioue.

II. Tubæ orificium ex eodem latere manifeſtum eſſe, ac ligamento lato iunctum infundibuli ſpeciem quandam conſtituere, cuius ſtructura indicet ad vſum inſignem a natura fuiſſe conſtructum.

III. Tubæ cavitatem, pennæ ſcriptoriæ tubulo magnitudine parem, proportione reſpondere ovorum magnitudini, piſo minimo vix æquiparandorum.

IV. Manifeſtas ſe exhibere cicatrices in involucris teſticulorum, eodemque prope numero quo porcelli reperti ſunt in cellulis vteri.

V. Liquorem qui infuſus fuerat in Tubam, qua parte adſtant teſticuli, ad matricem vſque impulſum fuiſſe.

Spectatores omnes, qui magno numero illuc confluxerant, oculati teſtes fuere rerum demonſtratarum: Ipſe D. du Vernay, qui cœtui interfuit, nihil in contrarium proferre valuit; cui ſatis fuit opponere à ſe nihil ante adductum quod conceſſo tempore propugnare non liceret; At poſtridie D. Lietaudus cuncta hæc adeo expreſſa in meo Muſæo declaravit, coram quinque aut ſex artis Magiſtris vt palinodiam canere ipſum coëgerit: Me vero quod attinet conſpecta re adeo manifeſta, ab illius ſtare partibus coactus fui; eos deſerturus qui

qui pertinaciter tuentur conjecturas, rebus per demonſtrationem evidentibus reluctantes.

Observatio XXIII.

AVTHORIS.

Symptomata varia ex Mercurio retento exorta, præter ſpem ſanata.

EX obſervationibus à me traditis circa Mercurium in præcedentibus Ephemeridibus, conſpicuum fuit in mediocri illius quantitate ſitam eſſe eſſentialem exhibitionis circumſtantiam ad ptyaliſmi excitationem, ac proinde Salivæ exitum procurandum: Quas variis in locis Tractatus a me editi de morbis Venereis tradidi, apertum faciunt fieri non poſſe vt in corpore hominis innoxie deliteſcat, ac affectus graviſſimos non inducat: Obſervationibus prædictis hoc addidero, ſi quando contigerit illum implicari rei cuipiam a qua eius motus intercipiatur, vix ope evacuantium vſitatorum quempiam conſequi poſſe vt illi concilietur agitatio ſufficiens, cuius ope e corpore eliminetur: Aliud vero non ſupereſſe præſentius auxilium quam vt e corpore eiiciatur, adhibita alia quantitate ipſiuſmet Mercurij, eo modo cuti inducti qui ſalivationem excitare queat: Hæc adduco experimentorum multitudine ſuffultus, e quibus poſtremum hoc ſeligo, vtpote recentiſſimum, circumſtantiis præterea maxime neceſſariis ad dicendorum comprobationem innixum.

Horologiopœus quidam quod diutius cupro deaurando intentus fuiſſet, ac proinde per poros & inſpirationem non parvam quantitatem fumi mercurialis hauſiſſet, a tribus aut quatuor annis intolerandis doloribus afficiebatur in diverſis corpotis partibus, ſpeciatim artubus & capite, cum vigiliis, horroribus, ſpaſmodicis affectibus, ventris torminibus, gutturis ardoribus comite acrimoniæ ſenſu, ac tandem eiuſmodi languoribus & pathematis quæ Luis opinionem illi feciſſent, & animo infixiſſent, ſi cauſa obſcura fuiſſet; quorum item ea vehementia vt mortem vitæ præferret, & vt ſibi violentas manus inferret impellere valuiſſent, ſi illæſa conſcientia id licuiſſet: Cum gravitati mali lenimen aliquando quæreret ex voluptate quapiam, contingit vt affectus venereus penem invaderet; quamobrem certis de cauſis parti illi admovere coactus ſum vnguentum pomaceum, Mercurij circiter octava portione imbutum: Ex hoc remedij genere cum nihil præter mali, quod curandum ſuſceperam, ſanationem expectarem, ſalu-

brior quam pro votis effectus conſequutus eſt ; Sub finem enim primæ ſeptimanæ ab applicatione, ptyaliſmi primordia adfuere, ſenſim augeſcentis ad mediocrem vſque gradum, in eo ſtatu perdurantis fere per menſis vnius decurſum, pergendo in vſu prædicti vnguenti, a quo Mercurius, antea ſuſceptus, ad motum adeo optatum & vtilem deductus eſt, vt ſanitas qua nunc æger ille fruitur, vix opinionem det vel minimam illius particulam in corpore adhuc latitare.

Finis Iulij Anni 1680.

ZODIACI MEDICO GALLICI

SIVE

Recens in Re Medica & Naturali Exploratorum.

AVGVSTVS Anni 1681.

TRACTATVS.

De Febrium Curatione per vſum Quinquinæ.

Domini MONGINOT, *Medici Pariſienſis.*

QVANTVMVIS acre ſtudium adhibeatur ad recentium rerum inveſtigationem, vel perfectionem conciliandam iis quæ ab aliis ante reperta ſunt, plurima tamen nobis excidunt, neque conceſſum cuiquam fuit quæcunque Natura nobis, vt ſic dicam, ob oculos obiicit, intueri. Exemplo nobis ſit Quinquina, ex vnanimi conſenſu ad febrium profligationem tutiſſimum ac omnium optimum præſidium, quo nullum hactenus præſtantius innotuit. Interim, ſive rerum novarum faſtidium, ſive iudicium anceps de medicamentis non expertis, ſive ratione recidivarum facile ſuccedentium, per aliquod temporis ſpatium ipſi valedictum fuit, meliori fato digno remedio.

Triceſimus circiter agitur annus cum Europæ innotuit hoc medicamentum: Cortex eſt arboris apud Peruvianos naſcentis, *Kina* Indis dictæ, Hiſpanis *Palos de Calenturas*, lignum contra febres: Hi duas ſpecies faciunt, quarum altera culturam ſuſcipit, melioris indolis, altera ſylveſtris eſt, multo minoris efficaciæ.

A quibuſdam poſtmodum ſcriptoribus tradita eſt deſcriptio & figura arboris, ac levi calamo illius corticis vires quædam adductæ: Ob-

ſervatum deinceps, experimentis factis in febribus Quartanis, ac demum in aliis Intermittentibus, ab exhibito Quinquina in ſubſtantia ex vino, ſemel aut bis, invadente paroxyſmo, expulſas non ſemel fuiſſe eiuſmodi febres, Sed a tergo relicta recidiva.

Eo propemodum tempore Medicus quidam Bruxellenſis, libro edito remedii illius vſum impugnavit, at rationibus non adeo validis quæ refelli non poſſint: Anonymus quidam libello emiſſo reſponſionem molitus eſt: Paucis autem poſt annis eruditus Medicus Lovanienſis de eadem materia tractatum conſcripſit, quo de viribus & proprietatibus Quinquinæ, quantum per experimenta, ſed ea perpauca, illi innotuit, quædam emiſit, Acriter illic impugnat obiectiones contra illius vſum adductas, imo titas eiuſdem præparationes in medium profert.

Exinde, ac prope per vicennium, approbatores nactus eſt Quinquina, ſed & impugnatores, pro dextero vel illegitimo illius vſu, nequaquam tamen immutata illius præparatione, atque exhibeudi ratione.

Ante paucos annos vſus eius amplius invaluit: à quibuſdam forma ſolida exhibitus eſt, aliis æquius viſum eſt liquidum præbere: quidam, majori temporis exhibendi habitâ ratione quam modi, nō vt antehac invadēte paroxyſmo præbuerunt, ſed ſatius eſſe duxere in intermiſſione ac tandem iteratis vicibus datus eſt, diuturniori aut breviori tempore.

Eruditiſſimus Medicus Londinenſis, Libro ſuo Obſervationū in Acutis, validis rationibus illum methodum comprobat: in praxi ſua cæteris omnibus anteponit, etſi paulo reſtrictior ſit, quippe cui maiori experimentorum numero confirmare conceſſum non fuerit: Alii tandem id remedium, etſi arcanum eſſe voluerunt, attamen ab hac methodo non deflexerunt, exigua adhibita præcautione, ſed inſigni audacia: Quæ forſan non parum ad famam comparandam contulit.

Et hoc hactenus Quinquinæ fatum extitit: Indubium tamen eſt, ſi factis primis prægreſſis experimentis vlterius quis animum extuliſſet, tentamina priora maioris vſus futura fuiſſe, ac maius emolumentum deinceps perceptum.

Id primo diſquirendum fuit quo modo exhibendus Quinquina: Res enim admiratione digna tanto temporis tractu pulveris drachmas duas neminem tranſcendere auſum fuiſſe, ex vino diluti; Cum in mentem venire debuiſſet plùs iuſto dari pro vnica dozi, minus autem quam par ſit pro comparanda integra valetudine.

Secunda, & potior animadverſio, fuit circa Tempus dandi remedij, Non minimi enim refert perpendiſſe quo maxime tempore concedi debuit, ante vel a paroxyſmo: iterum an ſæpius, iteratíſve vicibus, ad tutiorem curationem, & recidivam arcendam.

Ac

Ac tandem perpendenda fuit curandi ratio adeo ſtupenda,in cauſas inquirendum erat, ac concluſiones ſolidæ eliciendæ, ne vis & energia medicamenti tam anguſtis cancellis concluderetur quibus circumſeptum videbant.

Meum ergo inſtitutum erit in medium afferre varias Quinquinam præparandi rationes;explicare,quantum in me fuerit eius vires & actiones, exhibendi modum tradere in quibuſvis Febribus, & tandem Obiectiones contra vſum medicamenti afferendas refellere.

De Remedii Præparatione.

ANtequam huius remedij Præparationem adponam, id primo obſervandum ſe' offert Quinquinam non vno modo præparari poſſe incolumi eius facultate; Quamobrem inſtituti non eſt quanpiam præparandi rationem exhibere, cæteris poſthabitis: Vnicuique per me licet eam amplecti quam vſus confirmaverit, Quas affero eas exempli gratia tantum produco, non quaſi normas, à quibus nefas ſit deflectere.

Hoc ſecundo loco notandum venit (nec enim temere fides adhibenda iis qui remedia ſua myſterij vicem obtinere volunt) quocunque modo in vſum veniat Quinquina, illum bazin ſemper futurum,ne dicam præcipuum præſidium à quo expectanda febrium depulſio:quicquid porro illi ſuperadditum fuerit, id illius actionem tantummodo promoturum.

Tertio adnotandum eſt, cavendum eſſe ne quid in Quinquinæ præparationem accerſatur à quo vel imminuatur, vel quod moram iniiciat illius actioni: Quamobrem omnino neceſſaria eſt cognitio illius facultatum; ne quicquam invehatur quod illas præpediat: Adhibiti fuci ab iis qui lucro tantum intenti arcanum eſſe volunt, nec tamen intime norunt remedij eſſentiam, vti nec ſubjecti, cui deſtinatum eſt, ejuſmodi,inquam,adulterationes ægris maximo eſſe poſſent nocumento, impedita, aut in longius producta eorum ſanatione:Non intempeſtivum eſt hoc conſilium, ad declinandam hanc fraudem, eorum veſtigia premendo qui candide & ex arte proceſſerint.

Quarto tandem in conſiderationem veniat curationis ἀσφάλεια: Eapropter id ſciendum,quæcunque præporatio accedat,certam Quinquinæ accipiendam eſſe quantitatem, quam perfecta conſequatur ſanitas abſque recidivæ metu: Nulla præciſa afferri poteſt ad omnes febrium ſpecies, & quodvis morborum genus: Hæc interim præcedat regula generalis, quæcunque tandem præparatio adhibeatur, in curationem vnius individui impendendam eſſe ſeſquunciam, vel

vncias duas Quinquinæ: Imo aliquando ſuperandam illam quantitatem pro varietate occaſionum: Fortunati quibus minor ſufficiet, cum ſcilicet occurrit tempeſtas idonea, aut febris non producta; vel ea mitis ſi fuerit: At cum nihil mihi in animo obverſetur quam vt optimum quidque & vſu probatum adferam, dozin eo vſque extuli: Ratione & Experientia teſtibus, cum ab hujus remedii vſu omne omnino abſit periculum, ſatius eſt ad majorem quantitatem aſcendiſſe, quam in minori hæſiſſe, vt curationis τὸ ἀσφαλές ſequatur: Ad præparationem tranſeo.

Quinquina exhiberi poteſt aut forma Solida aut Liquida; Solida, Boli aut Extracti.

Si dandus Boli forma Quinquina, in ſubtiliſſimum pollinem teratur, extracto cuipiam commiſceatur, exempli gratia baccarum Iuniperi, vel cuipiam Syrupo aut Conſervæ, garyophyllorum hortenſium rubeorum aut calendulæ: Si Extractum præbendum, ope aquæ vitæ extrahatur Tinctura, vel ſpiritu vini ſimplici aut compoſito, ad mellis conſiſtentiam illam deducendo: Ejuſmodi præparatio peritum artificem ſi quæ alia requirit.

Sin liquida forma propinandus ſit, vel Tinctura præbeatur vel Infuſio: Tinctura, cuiuſmodi illa eſt quæ Extractum præcedit, ac prout validiorem aut imbeciliorem parare volueris, vel minori mole exhibere, diſtillationis ope plus aut minus de ſpiritu vini ad Tincturam conficiendam vſurpato eliciatur, ex liquore quopiam convenienti concedendam.

At ſi Infuſum detur, in vſum veniat Vinum, vel alius quiſpiam liquor, frigide aut calide factum: Sive ſolus & ſimplex maceretur Quinquina, aut quidpiam aliud illi adiiciatur: Eſto hoc exemplum Præparationis cum vino factæ.

Accipiantur quatuor Pintæ vini albi aut rubri, perinde eſt modo maturitatem adeptum ſit, ſuavitatis gratia potius quam generoſitatis eligendi: In dictas duas Pintas coniiciatur ſeſquuncia Quinquinæ, aut vnciæ duæ, in ſubtiliſſimum pulverem contriti, florum centaurij minoris manipulus ſemis; Salis ex eadem planta eliciti drachmæ duæ, tartari albi optimi tantumdem; vel his omiſſis, ſalis armoniaci puriſſimi ʒij; ligni ſaſſafras minutim inciſi drachma vna vel altera; vel baccarum juniperi drachma vna, vel aliud quidpiam aromaticum, potius ad gratiam ſaporis quam in ægri commodum: Imo Sales ablegari poterunt aucta Quinquinæ dozi: Macerentur omnia ſpatio viginti quatuor horarum cineribus tepidis impoſita, vaſe rite obturato: Colatura demum fiat infuſionis, aut ejuſdem filtratio vſus tempore.

Subſequentes

Sub ſequentes autem Præparationes omnium facillimæ ſunt, minuſque cæteris ingratæ.

In Dolium vino repletum coniiciatur Quinquina in pulverem redactus, ea quantitate quæ reſpondeat dolij capacitati, proportione ſuperius tradita obſervata: Vt ſcilicet ad vnamquamque ſemiheminam veniant vel drachmæ tres vel ſemuncia, imo amplius, prout validiorem exoptaveris potionem: demum accedant centaurium minus, lignum ſaſſafras, vel grana juniperina, ſal armoniacus; proportione ſervata Pintarum vini dolio incluſarum, & obſervatis eum in finem dozibus ad infuſionem præcedentem parandam præſcriptis: Dolium repetitis vicibus concutiendum hinc inde, quo omnium exacta fiat commiſtio, excitetur que fermentatio, quæ quanquam modica, inutilis tamen futura non eſt, ac demum inconcuſſum ſinatur, quo ſubſidentia fæcum fiat, hinc clareſcat vinum.

Eadem præparatio & gratior & efficacior futura eſt ſi tempore vindemiarum parata fuerit, iiſdem ſpeciebus additis dum fervet muſtum: ne vero quicquam de viribus decedat, quamprimum enitendum vt & vinum & Quinquina, & cætera ingredientia ſimul conferveant in dolio remedij conceptioni deſtinato: dolium non omnino implendum, neque exacte obturandum, ne fermentatione & æſtu accedente, portio & vini & remedij excedendo oras dolij effundantur: Concuſſio dolij crebra eſto, vel ex intervallis convolutio fiat quamdiu efferbuerit muſtum; ſedata vero æſtuatione id quod vacui in dolio adfuerit effuſione vini facta compleatur, demum rite obturetur, claritatem præſtolando priuſquam in vſum ducatur vinum.

Quibus fermentationis effectus perſpecti ſunt ii hujus neceſſitatem hoc in caſu facile agnoſcent, quandoquidem vtilis futura eſt ad partium ſubtiliorum, & maxime efficacium, à craſſioribus & terreſtribus ſecretionem, tum vini tum inditi medicamenti: Ac proinde hujus vis & facultas efficacior futura eſt, adeo vt ſuperflua ſit Salium adjectio, ſicut in cæteris præparationibus, vel aliorum coadiuvantium, præter ea quæ vini compoſitionem ingreſſa ſunt; quorum virtuti accepta ferenda eſt fermentatio tum vini tum remedii, vſui præterea futura in augmentum illius activitatis, & faciliorem penetrationem.

Ex eodem remedio comparari necnon poterit cereviſia, in eorum gratiam quibus arridet illud potus genus: Iiſdem viribus quibus vinum pollebit, dummodo auctior ſit Quinquinæ dozis, tertia ſcil. circiter parte, additis junipero, abſynthio, aut quopiam ſimili quod ſaporem gratum cereviſia concilict, & acorem præcaveat.

X 3

Cum quiſpiam alius liquor ad infuſionem exoptatur, ſubſequens præparatio in exemplum veniat, ſi occurrat forte occaſio cæteris illam præferendi.

Accipiantur duæ Pintæ aquarum febribus dicatarum, exempli gratia fœniculi, petroſelini, centaurij minoris, vel ſimilium: Acuenda illarũ virtus adiectione cochlearis vnius ſpiritus vini ad vnamquamq; Pintam, vel ipſius Tincturæ Quinquinæ; Prædictis aquis addantur ſeſquuncia Quinquinæ pulveriſati, florum centaurij minoris pugilli duo, ſalis eiuſdem plantæ drachmæ tres: Imponantur omnia Balneo arenæ, in vaſe duplici rite obturato maceratio fiat lento igne ſpatio viginti quatuor horarum, aut quamdiu neceſſe erit quo tota tinctura eliciatur.

Parare tandem licet Infuſionem cum ptiſanis vulgaribus, aqua ſimplici, dummodo paulo auctior ſit Quinquinæ dozis, ſaleſque aliqui aperitivi adiiciantur, vel quippiam ſimile, quod liquorem in elicienda tinctura ſtrenue adjuvet, Vas exacte obturetur, ac infuſioni temporis ſpatium amplius concedatur: Nec enim ſemper neceſſe eſt quo Quinquinæ vis omnis in liquorem tranſeat, vinum in vſum ducere, aut ea quæ ſpiritus multos poſſident.

Atque his præparationibus non ſine inſigni ſucceſſu hactenus vſus ſum; Interim infuſionem in vino factam, ſed præſertim præparationem tempore vindemiarum factam vt plurimum cæteris præfero; ob rationes, vbi de remedii vſu, adducendas: Quamobrem iſta præparatio præ cæteris mihi norma erit; Monitum vero velim Lectorem me nihil in medium adducturum quod non experimentorum multitudine ſuperſtructum ſit.

De Remediis actione.

NE quis ſperet à me dilucidationem integram, & quæ animum omnino expleat, qua ratione Quinquina vires ſuas exerit: Occultam eſſe voluit Natura, non ſecus ac plurimas alias productiones: Satis fuerit conjecturas meas pro virili protuliſſe: quapropter neceſſe ferit ideam quandam genericam animo finxiſſe ſubjecti in quod effectum deprompturus eſt. Sciendum ergo eſt Febrem ebullitionem quandam eſſe, vel fermentationem extraordinariam excitatam in maſſa ſanguinea: fermentationem ejuſmodi præter naturam alterare ſanguinem, motum illius pervertere, ac œconomiam totius corporis conturbare: Principium, aut cauſam immediatam iſtius fermentationis adſcribendam vitioſo fermento, ad acidum vel acre vergenti, a quo humores diverſimode inficiuntur & percelluntur, vnde febrium differentia deducenda eſt, ac diſtinctio in Intemittentes,

Conti-

Continuas, & Accidentales vel Symptomaticas.

Id fermentum in febribus Intermittentibus originem ſæpenumero ducit ex pravo chylo, vel ex alimentis aſſumptis, Vnde primus corruptionis gradus conſtituendus in generatione Acidi fermentativi, à quo excitatur febris: Succis illis extraneis quod non conveniat cum reliqua maſſa Sanguinea, in ea efferveſcentia ab illis excitatur & perturbatio, donec aut corruptionem ſubierint, aut à cæteris humoribus divortium fecerint.

Idemmet Fermentum in Febribus continuis ex iiſdem alimentis ortum trahit, vel ex vniverſa maſſa ſanguinea, quod repetitis vicibus circulatum maiorem acrimoniam acquirit, in eaque vehementem eiuſmodi efferveſcentiam excitat, continuitatis febris eiuſque magnitudinis authorem: Conturbationem & diſſidium in ſingulis partibus ſanguinis inducit, cuius partes maxime ſpirituoſæ a craſſioribus divulſæ agitationem ſubeunt, atque exaltationis gradum omnino præternaturalem adipiſcuntur: Quæ cuncta non prius deſinunt quam orgaſmus ille & tumultus ſpirituum ſedatus fuerit, aut quomodocunque repreſſus.

Tandem in febribus Accidentalibus, ſub quibus Lentas comprehendere oportet, nec non Eas quæ ab obſtructionibus originem trahunt, aut ab humorum fluxionibus vel decubitu in aliquam partem facto: Febres item malignas, in quarum ſerie continentur morbilli, variolæ purpuratæ &c. in cunctis inquam eiuſmodi febribus, ortis vt plurimum a nimia quarundam ſanguinis partium coagulatione, aliarum vero excedente fluiditate, id quod in ſingulis ſpeciebus oſtendere non arduum eſſet, Idem fermentum cunctæ illæ cauſam agnoſcunt, a ſegregatis partibus tenuioribus & maxime ſubtilibus maſſæ ſanguineæ à craſſioribus & terreſtribus: Eiuſmodi particulæ ſic ab invicem divulſæ ab acrimonia aut aciditate dicti fermenti, pugnam ſimul ineunt: Earum nonnullæ concreſcunt, coaguluntur, ac quibuſdam in partibus corporis hærent: Aliæ vehementius impelluntur, ac violentiori motu exagitantur & cientur in vaſis ſanguiferis: Quamobrem naturalis ſanguinis circuitus, eiuſque motus æqualis & conſuetus interturbatur & interrumpitur, quæ interruptio non ante deſinit quam omnes illius partes ad priſtinam vnionem redeant & tranquillitatem, aut diſſipatum ſit id quod in priorem naturam redire nequit, præſertim vero deſtructum id fermentum, vt pote prædictæ confuſionis primordium.

Id quod modo protuli de eiuſmodi Fermento acido, tanquam præcipua omnium Febrium cauſa, per effecta comprobari poſſet, ſcilicet

ab omnibus ſymptomatis febribus ſupervenientibus: Ab hoc proculdubio Fermento deducenda origo horroris, rigoris, frigoris, initio febrium intermittentium invadentium, nec non & laſſitudinum dolorificarum, difficilis reſpirationis; ſive ab irritatione & vellicatione, propter acrimoniam, partium omnium ſenſibilium, ſive ab iniecta mora circulationi ſanguinis, per partium illius conſtrictionem vt & vaſorum, id quod acido & acri proprium eſt: Aeſtus, intenſa ſitis, cephalalgia, motus convulſivi, vehementis acrimoniæ ſoboles ſunt ac violentioris actionis dicti fermenti in humores, qua de cauſa maior in illis excitatur efferveſcentia, indeque celerior circulatio: Perdurant hæc quovſque fermentum per ſudores expulſum fuerit, aut per inſenſibilem tranſpirationem difflatum fuerit: Sic febris deſinit, quia cauſa illius diſcuſſa eſt.

Eapropter ſudores acidum redolentes, aut quos comitentur rubores vel prurigines in cute, ij cæteris critici magis cenſentur; indices acidũ illud, vel acre è corpore excluſum eſſe, vt nullus ideo fermentationis metus amplius impendeat: Imo puſtulæ in labiis erumpentes, vel aliis faciei partibus, emptionis fermenti argumenta ſunt; nec minus, quanquam non multæ, indicia certa ſunt excluſionis illius per habitum corporis peractæ.

Niſi ejuſmodi obſervationes nos vlterius proveherent, proclive eſſet oſtendere nullum è prædictis effectibus alteri cauſæ eſſe adſcribendum: id enim in confeſſo eſt à fermento dicto prædictorum omnium cauſam præcipuam arceſſendam eſſe, cæteriſque potiorem eſſe ob actionis vehementiam, niſi illius copiæ adſcriptam velis Ne bilem quidem hinc excluſam volo, cui vt plurimum ſymptomatuu omninm & accidentium febrilium cauſa accepta fertur: Sæpenumero dominium ſupra cæteros humores obtinet, non ideo tamen vel minima febris ſuſcitatur, id quod in pluribus morbis accidere obſervamus, exempli gratia in aurigine, quo in affectu bilis ſummum tincturæ gradum ſanguini inducit, necnon ſingulis corporis partibus, abſente vt plurimum febre, vel ſaltem inſigni; Quamobrem quis crediderit, vt hoc obiter dixerim, dictam bilem effectum potius fermentationis febrilis quam cauſam cenſendam, aut ſaltem in febris productionem aliter non concurrere quam fermento coniunctam, ſicuti id iam deſcripſi.

Quo clarius innoteſcat an dictum fermentum revera tempore exacerbationis febrilis primarias partes obtineat, e re eſſet, ad normam eruditiſſimi cuiuſdam & curioſiſſimi Medici Dani, ſanguinem alicuius febricitantis diſtillationi ſubiicere: Inter diſtillandum obſervavit is minus

minus ſalis volatilis illi ineſſe quam in iis qui pro ſpera fruuntur valetudine, vnde colligere liceat tum temporis ſanguinem plures poſſidere partes acidas & acres, partium volatilium & ſpirituoſarum ſedem ſubeuntes, non ſecus ac id vinis cum in acetum tranſmutantur accidere videmus : id quod & competit tum vino tum ſanguini ob ſpirituum diſſipationem, ac augmentum vel multiplicationem partium in illis acidarum, quarum materia chimiæ peritis indagatu non difficilis eſt.

His ſuppoſitis, ab Acido ſcilicet Fermento cauſam febrium præcipuam eſſe deducendam, nec non cunctorum illarum accidentium, ſi demum ad examen revocetur, ſive ignis ope, aliiſve mediis, quorum interventu licet oſtendere quæ ſit natura prædicti remedij, in apertum veniet, nemine refragante, id conſtare partibus tenuibus, pungentibus & amaris, conjunctis acrimoniæ levi ac modicæ adſtrictioni: Ab amaritie impugnatur & hebes fit fermentum febrile; eo quod amaro cum acido nulla neceſſitudo intercedat, imo in mutuam pernitiem vtrumque conſpiret; id quod pluribus rationum momentis, multiſque experimentis poſſem adſtruere, niſi à recta via ſic deflectendum eſſet: Partium tenuitas, earumque penetrandi vis diſſipationi & diſcuſſioni illius fermenti conducit, necnon inhibendæ, vel deſtruendæ humorum coagulationi: Acrimonia adſtrictioni conjuncta humorum æſtum commotionemque ſedat & compeſcit, vna corroborando partes quibus injuriam aliquam impreſſit id fermentum.

His conſtitutis fundamentis, quiſpiam inferre queat id remedium ſuperare poſſe, deſtruere ac in nihilum redigere pravum ejuſmodi fermentum in omnibus omnino febribus, id alterare, alienam naturam illi inducere, vel Naturam in illo expellendo coadjuvare, ſive ſenſibiliter ſive occulte migret è corpore: Illud febrem continuam æque ac intermittentem impetere, quandoquidem, vt ante innui, id fermentum ejuſdem fere in omnibus eſt indolis, ſolum gradibus quibuſdam fermentationis & efficaciæ in his & illis diſcrepans; adeo vt focorum diverſitas, in quibus febres accendi ſupponitur, aut partium varietas quas occupant, impedimento non ſint remedij virtuti ne vbique hæc diffundatur, vel fermentum hoc, vtcunque inſuperabile, domet ac vincat.

En paucis huius remedij facultatem, quæ quanquam in Quinquina primario eluceat, nec tamen illa centaurio minori omnino deneganda eſt: Planta hæc amara eſt, aperiens, detergens. ſubadſtrictione quadam prædita; adeo vt cum qualitatibus non abſimilibus Quinquinæ gaudeat, inferre liceat ſaltem ab hoc operationem huius adjuvari: Re-

vera, experientia teſte, ſi conjunctim hæc remedia vſurpentur, certior multo futura eſt curatio: imo ſæpiſſime obſervatum ſoli centaurij minoris decocto febres etiam pertinaces ceſſiſſe: Additio ſit Salium, vt vis remedij quocunque deferatur vna cum illorum facultate deterſiva & aperiente; vtque ſimul fermenti materiam in exitu abripiant: Cætera corroborationis ventriculi tantum gratia adponuntur, non raro graviſſimorum febris accidentium fomitis.

Præterea his addere licet Laudani tincturam quampiam, ſi febrium incrementa aut paroxyſmi admodum vrgeant, ac ſi vehementior fermentatio illorum cauſa coercenda ſit, ſpirituumque tumultus reprimeudus: Illius amaror & acerbitas, quibus cum Quinquina affinitatem habet, febrili fermento impugnando etiamnum opem ferunt, non ſecus ac facultas illi inſita ſudores movendi; aut tranſpirationem inſenſibilem iuvandi, fermenti materiæ excludendæ conducit: Neque quis obiiciat ab hoc cæteras vacuationes præpediri, id enim non præſtat partitis vicibus exhibitum, ac exigua dozi; at vero vitio hoc etſi laboraret, exiguo temporis intervallo id deſineret, ſed vice verſa quies quam concedit humoribus, diapnoë quam promovet, multo maioris ſunt momenti, & pluris faciendæ quam interceptio cuiuſpiam evacuationis nocumenti afferre queat: Praxim hanc ſi authoritatibus confirmare luberet, in ſcenam adducendi eſſent præſtantiſſimi quique antiqui Medici, qui opium, cæteraque narcotica ad curationem plurimarum febrium in vſum duxerunt, non ſecus ac periti quidam Practici neoterici eam in rem Laudano vtuntur: At cum non omnino neceſſe ſit id Quinquinæ adiunxiſſe, eapropter id remedium caute adminiſtrandum iudico, illius vſum prudentiæ & peritiæ Medici committendo: Illud in genere dixerim, ſi neceſſitas ita poſtulare videatur, in minima exhibendum eſſe dozi, exempli gratia ad quartam vnius grani partem, vel ſemi grani in vnamquamque dozin: Quoad numerum dozium vſurpandarum, & tempus quo in vſum venire debet, determinet hæc peritus Medicus.

Cæterum in confirmationem eorum quæ adducta ſunt de actione & viribus huius remedij, Obſervandum venit, quod crebra experientia edoctus dico, id præterea illi peculiare ineſſe vt plerumque extinguat maximam partem ſymptomatum febres concomitantium; cuiuſmodi ſunt imi ventris iuflationes & dolorificas tenſiones, Iecoris & Lienis, aliarumque partium infarctus, ciborum faſtidium, concoctionem læſam, diarrhœam, aliaque accidentia, quæ ceſſante febre vna vt plurimum deſinunt: Id quod aſſequi non arduum fuerit ſi huius remedij qualitates accurate perpendantur, quandoquidem ab illius amaritie

ritie, auſteritate,ac adſtringendi vi,expectanda venit conſtrictio & robur fibrarum cunctarum partium, vnde ſufficiens vigor illis accedat ad cuiuſcunque extranei e corpore reiectionem, dum eodem tempore vi aperiendi & detergendi humores obſtructionum cauſas eliminat per vias varias quas natura ſibi ipſi facit.

En meas circa vires & operationes Quinquinæ coniecturas; Si quis obiecerit in rerum Natura proſtare alia remedia, quibus veriſimiliter inſunt eiuſmodi facultates, neque tamen eoſdem effectus exſerere, ſincere annuam ſingulare quidpiam latere in concurſu qualitatum iſtius remedij,vel in partium illius ſtructura, vnde ſingularis illi efficacia obveniat, ac magis inſignis quam in aliis remedijs ad fermenti febrilis deſtructionem: Vnitatem autem illam & partium ſtructuram,omnino nobis eſſe imperviam; atque etiamnum nobis abditam eſſe fere fermentationis propriam indolem quam extinguere debet: Ex his inferre liceat vim remedij in dictam fermentationem,ſed arcano omnino modo, quem admirari in perpetuum debeamus.

Remedij in vſum ducendi ratio.

OBſervanda quædam ſe offerunt circa ea quæ peragenda ſunt priuſquam id remedium in vſum ducatur, & poſtquam vſurpatum fuerit.

Prima Obſervatio *Sanguinis miſſionem* ſpectat; revera caſus quidam occurrunt in quibus ad illam confugiendum eſt ante remedij vſum: Animadvertendum tamen ab abuſu illius poſſe atteri vires, alterari vniverſam maſſam ſanguineam, ac functiones ſingularum partium depravari, quapropter remedij actio aut interpellari aut perperam fieri poſſet; vnde expectatus non ſequeretur effectus;à perturbata naturæ œconomia, nec debita virtutis illius impreſſio: Revera conſtat in iis quos exhauſit liberalior ſanguinis miſſio, vel aliorum remediorum importunus vſus, itidem & ob morbi diuturnitatem, neceſſe fuiſſe diutius hoc medicamento vti priuſquam perfecta conſequeretur ſanitas: Hoc ergo in caſu neceſſaria eſt periti medici œconomia, qui tempeſtive venæ ſectionem præſcribat, ad deplenda vaſa ſi ſanguis exuperarit, ac nimium hujus æſtum compeſcendum: Proculdubio his præmiſſis ſecurior erit remedij adminiſtratio, citior & felicior illius ſucceſſus.

Secundo loco obſervanda venit *Purgatio*: Neceſſaria quippe eſt ante Corticis Peruviani aſſumptionem, cum plurimis impuritatibus ſcatet infimus venter, vel ſi primarum viarum non adeſt libertas: Impedimenta hæc remedii effectum prohibent, cui nulla remora obiici

debet, nec quicquam alienum admiſceri: Id enim veriſſimum, antequam in vſum veniat non eſſe neceſſe vt humorum ſentina omnino exhauriatur, eo quod ſæpenumero contingat ut dum illis excluden i incumbimus, interim incrementum capiat fermentum febrile, quod vnoquoque paroxyſmo, aut quovis febris incremento vigorem accipit, atque vlterius pergit, quantumvis exacta accedat humorum evacuatio, qui deinceps potius effectus quam cauſa febris cenſendi ſunt: Adde quod, ſedata Remedij ope fermentatione, ac proinde febre, purgantia in poſterum exhibenda nullo negotio reliquam materiam, febris fomitem, ipſamque febrem excluſura eſſe.

Tertia Obſervatio circa *Diætam* verſatur, Nam etiamſi ea omnino prætermiſſa ope iſtius remedij ſanitas conſequi queat, inſigni errore regulæ cibi & potus adminiſtrationem ſpectantes omittuntur, quo tempore febris robur partium infringit, functioneſque earum interturbat; Ne quis ergo ſibi fingat ſolius Quinquinæ beneficio præcaveri poſſe damna ex erratis in diæta commiſſis emergentia: Præterea, ſi maſſa ſanguinea pravis ſuccis turgeat, ob pravorum alimentorum vſum congeſtis, illique admiſtis, minus idoneus foret ſanguis Quinquinæ energiæ excipiendæ, quæ, quantnm licet, poſtulat ſanguinem ſpiritibus abunde perfuſum & ab eiuſmodi, quiſquiliis repurgatum, Nec tamen inficias ivero remedij preſtantiam & efficaciam regulis artis Medicæ ſuperiorem eſſe: Obſervatione enim dignum eſt in plurimis febribus alimenta ſolida, imo vini vſum, ſatiora eſſe alimentis admodum refrigerantibus & humectantibus, quibus quippe magis cum remedio convenit, illique opem ferre quodammodo queunt in fermento febrili diſſipando, cum ex oppoſito ab his impediri poſſit illius actio ac virtutis impreſſio: Vitanda ergo quæcunque male concoquuntur & diſtribuuntur; quicquid eſt acidum, vel in acorem aut corruptionem facile tranſit; cujuſmodi ſunt lacticinia, cupediæ, legumina, fructus &c. quæcunque in genere fermento febrili augmentum præbere poſſunt, aut obturationi meatuum, per quos illi exitus eſſe debet.

Quarta tandem Obſervatio ad remedij Vſum in genere attinet: Quod vt ad amuſſim vſurpetur, paroxyſmorum conditio perpendenda eſt, illorum intenſio aut remiſſio, quæ concomitantur ſymptomata ad examen revocanda; ad temperamentum & ægri conſtitutionem reſpiciendum, ad ætatem ſexum, anni tempeſtatem, & alia quorum ratione modus exhibendi alius atque alius eſſe poteſt; nec tamen vſum prohibere poſſunt: Exempli gratia, ſi temperies occurrat admodum calida, conſtitutio debilis, ætas puerilis &c. minuenda proculdubio

eſt

eſt dozis, rarius exhibenda, ſed diutius: Si ex vino, decoquendum illud eſt, aut mixtione convenientis liquoris diluendum.

Præmiſſis genericis his obſervationibus, explicandum ſupereſt qua ratione remedium hoc vſurpandum veniat ad curationem omnium febrium, ac quæ legitima ſit illius adminiſtratio: Vt compendioſe hæc procedant, in exemplum aſſumam rationem illud in *forma Liquida* vſurpandi, & ex vino: Ex quibus manifeſtum fiet quo pede in cæteris præparationibus procedendum fuerit.

Initium ducam à Febribus Intermittentibus, Suppoſita ergo ægr debita præparatione, ſive per venæ ſectionem, ſive purgationem, provt alterutra opus fuerit, prægreſſiſque aliquot jam paroxyſmis, quo exploretur num febris ope remediorum vniverſalium ſit termi-nanda, imo ipſius naturæ, quæ via omnium tutiſſima; His inquam omnibus præſuppoſitis, in febribus tertianis primum remedij præbium fuerit deſinente paroxyſmo: Ex intervallis id exhibendum erit, iteratiſque vicibus, vſque ad tempus ſubſequentis paroxyſmi ſolita periodo revertentis: Eo exacto remedinm vti prius aſſumendum erit, iterum ad tempus vſqne novi paroxyſmi, quem intercipiendum eſſe ſpes eſt, ſi cuncta quæ præſcripta ſunt ad amuſſim obſervata fuerint.

Terminum nullum conſtituo inter remedij vnam & alteram dozin, determinatio pendet ex valida aut invalida infuſione, vel intermiſſionis inter vnam alterámve acceſſionem febrilem intercapedine: Si infuſio valida fuerit, plus intervalli inter vnum & alterum hauſtum interponi poteſt, quam ſi infuſio minus imprægnata: Demum, vbi intermiſſio longa fuerit, nulla neceſſitas impellit vt tantundem multiplicentur dozes ac ſi brevius eſſet idem tempus: ſatis ergo fuerit dixiſſe, toto eo tempore quo exhibetur, ad diemvſque quo paroxyſmus febrilis reverſus non fuerit; impendi debuiſſe drachmas ſex vel vnciam vnam Quinquinæ, imo amplius: Remedium vna hora vel altera ante, & duabus aut tribus a cibo; vnamquamque vero liquoris dozin, quatuor vnciarum eſſe debere aut circiter.

Quo febris reditus impediatur, remedium toto octiduo vſurpate neceſſe eſt; duabus dozibus quotidie exhibitis, mane & veſperi anſt cœnam, vel in lecti introitu: Iterum per octiduum aſſumeudum e,, ſed ſemel in die, mane aut veſperi.

Toto illo temporis decurſu in vſum duci poteſt ſecundaria infuſio affuſo vino magmati Quinquinæ, ſi cui libet recentis tantillum adiici poteſt: Vel primaria vti licuerit infuſione, vt pote præſtantiori ac minus ingrata, detracta ſcilicet Quinquinæ aliqua portione, cum neceſſe non ſit liquorem aeque imprægnatum eſſe ac acceſſionum fe-

brilium tempore, perinde enim eſt, ſi ſumptus exceperis, qui non vtrobique æquales ſunt.

Sin præmiſſis omnibus præcautionibus, febris nihilominus decurſus progrederetur (quod tamen perraro contingit, obſervatis conditionibus omnibus ſuperius enarratis) iterandum erit remedium, eodem modo qui ſuperius traditus eſt, etſi neceſſe non ſit tam diu in vſu illius immorari, idem quippe effectus expectandus eſt; reditus ſcilicet invaſionis febrilis prohibitio: Si præſertim remedij ineatur vſus immediate deſinente primo paroxyſmo & priuſquam febris novos progreſſus inierit.

Cæterum nulla impellit neceſſitas ad exactam diætæ in intervallis obſervationem, ſi præſertim breves ſint paroxyſmi nec vehementes, alimenta ſolidiora concedi queunt, imo vinum, ob rationes ſuperius allatas.

Neque opus fuerit alias tradidiſſe regulas ad curationem febris duplicis Tertianæ: Initium ducat vſurpatio remedij paroxyſmo deſinente, non diſſimili ratione ac in ſimplici tertiana, pergendo quouſque febris deſierit, id quod vt plurimum ſecundo paroxyſmo evenire ſolet, vel ad ſummum tertio: Id autem præſertim obſervandum, ſi paroxyſmi diu protrahantur, ac vehementia inſignes ſint, non alio alimento vtendum eſſe quam iuſculis & ovis, vel offis, alias eo modo quo in tertianis procedendum eſſet.

Febris Quartana & duplex Quartana aliis non egent à ſuperioribus regulis: In Quartana ſufficiens ſpatium conceditur ad exhibitionem remedij, quandoquidem duo dies integri interiacent: intra quod intervallum citra intermiſſionem exhibetur, eodem plane modo ac in febribus præcedentibus, plerumqne vero evenit vt non ſecus ac in prioribus ſecundo aut tertio paroxyſmo febris extinguatur, niſi res primo contingerit, id quod fere vſu venit: Idem de duplici Quartana pronuntio, hoc addito, vt arceatur illius reditus, diutius inſiſtendum eſſe vſui remedij, illa ſuperata, quam poſt præcedentes febres: Ratio eſt, quod cum in eiuſmodi febribus maſſa ſanguinis plus aciditatis contineat, diuturniori tempore opus ſit vt remedium illam emendet & diſcutiat, ſi præſertim febris pertinax & inveterata fuerit: Id quoque ſciri velim in iis præſertim febribus alimenta plus nimio refrigerantia & humectantia ex vſu non eſſe, quin potius vini vſum cibariaque ſolida concedi poſſe, eo quod, vt innui, plus aciditatis in humoribus ſuperandæ ſupereſt: Id genus alimentorum magis congruit cum facultate remedij, cui copulatum ſi fuerit, facilius ſuperatur dominans illud acidum.

Cæterum

Cæterum hæc præcipue in omnibus febribus Intermittentrbus obſervanda veniunt, Remedium adeo tempeſtive exhibendum eſſe, eaque cautione adhibita, vt nihil eius actionem interturbare valeat, quin potius cuncta concurrere debere vt fauſtus ſit ſucceſſus: Eapropter è re fuerit expectaſſe quovſque primi fermentationis æſtus vtcunque retuſi fuerint, ſi præſertim paroxyſmj paulo longius progreſſi ſunt & cum vehementia, quippe cum exiguum inter vnum & alterum exiguũ ſit intervallum, remedio deeſſet ſufficiens temporis ſpatium quo maſſæ ſanguineæ vim ſuam imprimere poſſet, & ſatis virium quæ abſque repugnantia pares eſſent ſuperando & compeſcendo inſigni humorum æſtui alias ſi fermentatio, & paroxyſmi intra mediocritatem fuerint, ab ipſo febris initio, ad fermenti progreſſum inhibendum proſpero ſucceſſu poſſet exhiberi medicamentum, imo mediocri prægreſſa præparatione: Eo in caſu minora illi ſuperanda occurrunt obſtacula, quapropter fermentum febrile nullo negotio extinguere poteſt, ac primos illius progreſſus inhibere.

Secundo loco, initiante paroxyſmo præbendum non eſt medicamentum, nec toto illorum decurſu; alias intempeſtiva excitaretur pugna inter medicamentum & fermentum, quod tum temporis ſummum obtinet vigoris gradum, vnde inutilis ægro conciliatur labor: Satius ſit tunc negotium Naturæ commiſiſſe, in id incumbentis vt ſuperet, & in auras diſcutiat partem illius fermenti: & rem ſuſcepiſſe eo tempore, vt ſic dicam quo operi ſe accingit: Eo tempore illius progreſſus inhibet medicamentum, itque illi obviam, delatumque per vniverſam maſſam ſanguineam, mediante circulatione, non adeo præcipiti ac ea quæ contingit per paroxyſmum febrilem, & facilius vim ſuam exſerit, nec repugnantiam nanciſcitur, puriorem illam reddit, ac deſtruit fermentationi ſubiectam materiam, à qua ſenſim imminet novi paroxyſmi adventus.

Non abſimili de cauſa dicendum eſt idoneum magis eſſe medicamentum liquidiori forma præbuiſſe quam ſolida, vt vndique vis eius diffundi queat: Repetitis itidem vicibus exhibendum eſſe, quo paulatim idem effectus emergat, ac ſenſim vitium humoribus impreſſum deleatur: Eapropter etiam exiguum inter vnum & alterum præbium interponitur ſpatium, quo poſterius prioris impetum ſecundet, ac ſic deinceps, adeo vt ejus virtus non pereat ob nimium interjectum intervallum: Tandem tempeſtiva eſt exhibitio duabus tribúſve horis ab aſſumpto alimento, quia illo tempore ſocium ſe adjungit portioni chyli, qui hoc pacto tanquam recenti balſamo imbutus, maſſam ſanguineam ingreditur, eam emendat & inſtaurat.

Hac methodo Cortex Peruvianus ſi exhibitus fuerit, non modo curationis eventus certus redditur, ſed & tempus eventus prædicere licet, quandoquidem indubium fere eſt febrem non expectandam die ſecundi paroxyſmi, initio numeri ducto à tempore quo primum exhibitum eſt medicamentum:

Vt porro prognoſticum certius ſit, Sciendum eſt cum febris eo tempore deſitura eſt, eum paroxyſmum qui ſubſequitur priores medicamenti doſes, ſemper diſcrepare ab illo qui exhibitionem prægreſſus eſt; aliquando enim in longius tempus protrahi, ſed ſæpius breviorem fieri: aliis horis quam ante invadere, vel ſymptomata comitari ſolita à prioribus diſſimilia eſſe: Tunc temporis audacter pronuntiare licet poſtremum hunc futurum, vel ſi forte alius ſubſequuturus ſit umbram tantum febris, ſic liceat loqui, futurum eſſe.

Immutationes eiuſmodi argumenta ſunt fermentũ febrile vi medicamenti abſorptũ fuiſſe, alias niſi ſubſequerentur paroxyſmi, aut admodũ remiſſe, imo ſi paroxyſmus eadem hora qua prior reverteretur, idem durationis tempus obtineret, iiſdem comitibus accidentibus, accuſandum forte eſſet medicamentum tanquam ignavum, eo autem tempore vires illius intendendæ eſſent, aut dozes plures exhibendæ, ad præcavendum aliquot paroxyſmorum reditum, qui tamen numero pauci ſequerentur, etſi nulla in vſu medicamenti accideret immutatio.

Hoc loco notandum venit, ſi Infuſio admodum valida fuerit, aut ſi crebrius exhibita fuerit, nonnullos à primo etiam paroxyſmo liberationem obtinere; vnde medicamento plurimum laudis accedit; at vero curatio neque firma, neque tuta fuerit; Imo veriſimile curationem illam, vtpote coactam & præcipitem, ſecuram non eſſe: quamobrem ſatius fuerit paulatim fermentationem humorum repreſſiſſe, ac vim remedij non tam cito illis impertiiſſe.

Id quoque obſervaſſe è re eſt, ſi forte æger à tam frequenti potione abhorruerit, non neceſſe eſſe toties exhibere, ſed ſatis fore ſi bis vel ter in die præbeatur, dummodo vnaquæque dozis, duplum, aut circiter, infuſionis medicamenti obtineat: Hi exibendi modi cum non multum à ſe invicem diſcrepent, ac prope in idem recidant, eundem ſortiri debent eventum.

Ac tandem hoc in conſiderationem veniat, ſi forte febris adeo pertinax occurrat, quæ per plures paroxyſmos vim medicamenti eludat, ac eaſdem ſemper periodos in reditu obſervet, eodemque ritu, id quod tamen admodum infrequens eſt, e re eſſe ad aliquot dies à medicamento abſtinuiſſe, naturæ induciis conceſſis, quæ forte eo tempore

pore remedio non obediens, alio eidem ceſſura eſt; elapſo autem ſpatio temporis reditus fiat ad vſum medicamenti, iiſdem ſervatis conditionibus.

Continuas febres quod ſpectat, proculdubio in illis majori cautela opus eſt quam in Intermittentibus: Imo pauciſſimæ extant regulæ omnibus his æque & abſque diſcrimine febribus convenientes: Variæ circumſtantiæ, variáque accidentia, quæ in dies supervenire ſolent, ſæpe Medicum cogunt ad citiorem medicamenti vſurpationem, vel ad illam differendam, imo etiamnum ad illud plane abnegandum, ad immutationem modi exhibendi, ad conjunctionem cum aliis remediis, vel vt alia ab hoc ad tempus exhibeantur: Paucis, prudentiæ medici, cui perſpecta eſt legitima vſus ratio, ac intima morbi cognitio, medicamenti præſcriptio committenda: Interim illud in genere dixiſſe liceat, partem regularum à me conſtitutarum circa febres intermittentes, ad continuas etiamnum poſſe pertinere: Primum ergo auxilium ſi ere fuerit, ſit ſanguinis miſſio, catharſis, aliáve remedia; Paucis, in vſum veniat id medicamentum ægro ritè præparato, ac ſummo febris impetu retuſo: Eo in caſu ratum quivis habeat ſenſim humorum fermentationem deſituram, ac medicamentum Continuas æque ac Intermittentes ſuperaturum: Eapropter commodus vſus erit quo tempore febris minime vrget, rarius exhibendo ſi infuſio fuerit valida, frequentius, majoreque dozi, ſi eadem debilis, ſi in calente liquore facta, ſi vinum liquore quopiam conveniente fractum fuerit, vel ſi infuſionis liquor ſit ſimplex tantum ptiſana.

Non negaverim tamen ab ipſo etiam febris Continuæ initio convenire poſſe Quinquinæ infuſionem, dummodo aut abſit vinum, aut hoc dilutum ſit, aut iteratis, ſed exiguis, vicibus: Quo pacto humorum fermentatio coercetur, vlterior illius progreſſus inhibetur: Revera non raro quoſdam videre licuit febribus continuis liberatos, quorum ſanatio omnino adſcribenda fuit vſui Ptiſanæ ex Quinquina factæ, toto febris decurſu ad potum ordinarium vſurpatæ.

Supereſt iam verba faciamus de remedij vſu in *febribus ſymptomaticis*: Experientia teſte febribus Lentis etiamnum convenit, dummodo inveteratæ admodum non fuerint, vel ortum non trahant ab inſigni partis cuiuſpiam principis vitio: eo in caſu vix vlli remedio locus, ſucceſſus tantum ſperandus illis initiantibus, atque in iis quæ cum cæteris convenientiam aliquam habent, ſive ratione periodicarum exacerbationum, ſive aliorum ſignorum, per quæ noſcere liceat febrem magis humores quam partes obſidere.

Id ſi contigerit, idem pene remedij ſit vſus ac in febribus conti-

nuis. Eo vero modo ſi fermentatio deferbuerit, aut ſaltem de vehementia remiſerit, facilius erit expedire obſtructiones ejuſmodi febrium fomites:

Notandum tamen, non ſecus ac in febribus Intermittentibus, ſi contigerit has febres medicamento refractarias eſſe, artificis eſſe ab vſu remedij ad aliquod dies abſtinuiſſe: hoc pacto, poſt aliquod tempus reditu ad id facto, efficacius vim ſuam in fermentum febrile exſeret; Natura demum ad iteratam pugnam ſe accinget: alias ſi nulla adſit intercalaris quies, & ceſſatio ab vſu medicamenti, ejus obtunditur vis, neque effectus amplius evidens eſt: adde quod interjecta hac requie interim vigor ægro redit, quem per longioris morbis decurſum faſtidium ſæpiſſime ejuſdem remedij occupat.

In Febribus quæ comitem habent Abſceſſum; aut metaſtaſin humorum in quampiam partem, certum eſt, cum in medicamento id ſit ſingulare vt impediat & reſolvat humorum coagulationem, eoſque priſtino motui reſtituat, proculdubio partem à gravante pondere liberatum iri, influxum humorum vlteriorem inhibendum eſſe, eodemque tempore effervеſcentiã humorum ſedatum iri: vel ſaltem multum auxilium expectandum eſſe, ſi modo in ſubſidium alia remedia acceſſerint: Opportunum præſertim venandum tempus illud exhibendi, quamdiu humores adhuc in fluxu ſunt, nec jam parti omnino impacti, repetitis vicibus illud præbendo, non ſecus ac in cæteris febribus.

Idem tandem medicamentum vires quoque ſuas in febribus Malignis demonſtraturum eſt, in quibus fermentum acrius eſt & efficacius quam in reliquis omnibus, ſicuti aperte oſtendunt accidentia illas comitari ſolita; Acrimoniam enim pravi ejuſmodi fermenti obtundet & emendabit, ac, juvantibus cardiacis & alexiteriis ordinariis, illius tranſpirationem iuvabit, aut excluſionem per vias Naturæ ordinarias promovebit: Ea propter medicamentum iteratis vicibus porrigendum erit, eo præſertim tempore quo vitioſum ejuſmodi fermentum, vel id quod maxime malignum delitеſcit in maſſa ſanguinea, ad habitum corporis vniverſum aut cutim impetum habet.

Et hoc neceſſario hic adponendum fuerit, vt curatio ex voto remedij vſum ſequatur, ac recidiva præcaveatur, purgantia leviora paulo poſtquam febris deſierit requiri: Circa quorum vſum perpendendum eſt primo, opportunum eſſe vt adjungantur quibusdam præparationibus Quinquinæ; hoc quippe modo, ab ipſo tempore quo inſtituitur purgatio, vis remedij citra interruptionem transfertur;

Obſervandum quoque eſt ex admodum refrigerantium claſſe ea non eſſe

eſſe deſumenda, vt nec liquorem ex quo haurienda ſunt; Neque etiamnum plurimum liquorem requiri, ne ab immenſo potu nimium diluatur & extinguatur medicamenti character ſanguini impreſſus:

Nec non conferet cathartica illa parva dozi dediſſe, ſed frequentius, continuis aliquot diebus, vel alternis, quo ſenſim cacochymia exhauriatur, intactis probis humoribus, vi remedij imbutis.

Eſt & hoc conſideratione dignum, ſæpenumero curata febre nihilominus per noctem madores, aut ἱδρῶτες accidere, vnde evincitur ab actione medicamenti ſanguinem fuſum fuiſſe ſeroſioremque redditum; aut,ſi vis,ſubtiliorem & volatiliorem: Eo in caſu venire debent in vſum quædam Purgantia, quæ per alias vias ſeroſos humores redundantes abducant, atque ſanguinem ſtatui naturali reſtituant.

Cathartica in genere, quorum delectus habendus, ea ſint quæ amarore aut aliis qualitatibus cum Quinquina conveniant, juvandæ ergo illius operationis,aut ſaltem non interturbandæ; Veniant in exemplum Rhabarbarum, Aloë, extractum Colocynthidis; Vel quæ ſerum ſuperfluum nata ſunt abripere, cujuſmodi ſunt extractum aut reſina Gialapæ, ac ſimilia, quorum præparatio & modus exhibendi penes Medicum induſtrium erit, aliquando ex arbitrio ægri pendent.

Si aliæ Quinquinæ præparationes in vſum venire debeant, Tinctura ſcil. extracti illius &c. non eapropter varianda erit methodus a me ſuperius tradita: Repetitis id ſemper fiat vicibus, & ex intervallis longioribus aut brevioribus, iuxta Quinquinæ quantitatem præſtitutam: Niſi febris occurrat levior,in rite conſtituto corpore, tempeſtate idonea,tunc ſatis fuerit quinquies aut ſexies ex ordine dediſſe, ſemel in die,tempore intermiſſionis: Quamobrem vice qualibet exhibenda erit Tinctura ex cochleari, majori aut minori; provt hæc validior aut debilior fuerit: Pulverum dozis circiter eſt ſemidrachmæ, plus aut minus,prout pluries aut rarius exhibendus fuerit; Extractum vix ſcrupulum excedat: Tantum abeſt vt hæc methodus repudianda, vt potius hanc aliis prætulerim non raro certis in caſibus, ſi præſertim æger,ob ſingularem aliquam diſpoſitionem, potionem renuat, aut palato eius non arrideat: Vt vero quod res eſt dicam,optandum eſſet in quibuſcunque aliis occaſionibus æque res ex voto ſuccedere, medicamento minus crebro exhibito, & commodiori modo: Notandum tamen in febribus Continuis, aut in Intermittentibus, quarum paroxyſmi diuturni ſunt & vehementes, ac in genere vbi inſignis æſtus & ſiccitas in partibus animadvertitur, Potum Bolis & Extractis ante-

ferendum eſſe, is quippe maſſam ſanguineam melius pervadit, atque vi illius mixturæ medicamenti calor (ſi quid inde periculi imminet) infringitur, nou item illius facultas.

Sed & conjungere licet vtrumque Quinquinam vſurpandi modum alternis exhibendo ægro modo forma ſolida, modo liquida, prout è re viſum fuerit: Hæc indeterminata relinquo, optione vnicuique conceſſa electionis modi qui maxime arriſerit, & vnde ſucceſſum meliorem ſperat.

Solutio Objectionum contra medicamentum hoc allatarum.

QVod modo dixi de viribus huius remedij, id firmiter conſtitutum non eſſet, niſi refellerem objectiones afferri ſolitas, proculdubio ſcrupulum iis quibus Quinquinæ legitimus vſus cognitus non eſt, excitaturas.

Prima obiectio cæteris proculdubio majoris eſt momenti, Quo evadet, *inquiunt*, vniverſa materia febrilis cum remedium vacuationem nullam ſenſibilem producat? annon metus eſt ne hæc iterum accendatur, aut tumultus novos, prioribus aliquando pejores cieat? Ad tempus fixatur aut præcipitatur, vt ſic dixerim, ſed extra corpus non pellitur: id vero quod ſuperſtes eſt fermenti vicem induit, novas ebullitiones inducturi: Ideoque curatio tantum imperfecta cenſenda eſt, aut potius interceptio febris, in recidivam prona, alios morbos, prioribus peiores ſæpe à tergo relinquens.

Quo his ſatisfiat, in conſilium ſolum adhibendæ Experientia & Ratio, Priore teſte, in ijs omnibus qui dicto medicamento methodo à me præſcripta vſuri ſunt aliud omnino accidit ab iis quæ metuuntur, quandoquidem maximus eſt numerus eorum qui ſine recidiva, aut ſuperveniente aliquo ſymptomate convaleſcunt: Altera, ſcilicet Ratio, certiſſime fulciet Experientiam: fundamentum habet in facultate medicamenti, & in motibus Naturæ ordinariis, Tantum abeſt vt polleat medicamentum vi fixante aut præcipitatoria, ac coercente humores, omnino quippe oppoſitis gaudet, quibus reſolvere & diſſipare humores aptum natum eſt, ſicuti à me oſtenſum: imo, auſim dicere, fermentationem ſedare inducta altera, febrili omnino contraria; ac media hac nova agitatione, quam conciliat ſanguini & humoribus, viam vi ſibi parare per vaſa & meatus: vnde poſtmodum Natura materiam cui fermentum inhæret, ac pravos humores facili negotio expellat, vſa viis quas ipſa aperit, ſive per imum ventrem, ſive per lotia aut ſudores, aut tantummodo per tranſpirationem, pro varia fermenti aut humorum indole, plus aut minus terreſtrium aut craſſorum,

agis aut minus liquidorum aut fluidorum.

Eorum exemplum, qui adepta ſanitate nihilominus ſudoribus diffluunt, aut per plures noctes continuas madido ſunt corpore, adductorum a me validum erunt fulcimentum: Inde enim ſine dubio eluceſcit fermenti facta colliquatio & diſſolutio, ac proinde ſanguinem magis attenuari & volatiliſari, ſicuti ante innui: At vero hæc omnino relactantur fictitiæ illi fixationi materiæ febrilis.

Adde his, ſi ſatisfactum velis iis qui vacuationes manifeſtas,& ſemper ſub ſenſus cadentes requirunt, ſæpe fieri vt pauca ſubſit materia evacuanda,id quod illi ſupponunt: ac defervente humorum æſtu,maximam illorum partem contemperari, & ad idoneum ſtatum a Natura deduci,quę in rectum vſum remedium adaptavit: Sufficit adduxiſſe illorum exempla, qui,nullis vſi remediis,& paroxyſmos aut exacerbationes experti vehementiſſimas, febre tamen ſubito defunguntur nulla accedente aut naturali aut artificiali excluſione humorum manifeſta, nulloque ſequuto verendo ſymptomate.

Refelli præterea poteſt hæc obiectio, dicendo, ſi cætera remedia, vſurpari ſolita ad febrium curationem, humores non figant id quod huic medicamento affingunt, illa peiores effectus edere ſi frequentius in vſum ducantur: ab his enim atteri vires,robur ventriculi aliarumque partium infringi, concoctiones imperfecte obiri, hinc perennem pravorum humorũ generationẽ ſubſequi;quamobrem febres ab illis potius ſæpenumero foveri quam aboleri;Cum ex oppoſito,ſi in vſum ducatur hoc remedium, ſæpe vno ictu declinari accidentia ab aliorum vſu plerumque metuenda.

Ne quis igitur obtrudat a dicto medicamento pravas partibus inuri διαθέσεις, poſtmodum verendarum obſtructionum cauſas futuras, incurabilibus hydropibus vias ſternentes, ac tandem ſerius ocyus praxis huius vanitatem detegi: Quis enim facile animo concipiat à remedio, inſenſibiliter fermentum febrile deſtruente, febriumque vitioſas impreſſiones delente, eodem tempore ſuppeditari materiam horum omnium malorum fictitiorum fomitem futuram? Accuſatio hæc nullo nititur fundamento, quæ potiori iure in plura alia medicamenta retorqueri poſſet.

Vt finem faciam, ad ſolam Experimentiam iterum provoco, qua teſte quicunque Quinquina vſuri ſunt, ſi a recta methodo non deflectant,& præceptis medicis ſincere auſcultent, nequaquam illi adſcribendum eſt id quod alias agnoſcit cauſas, ſive eventus infauſtus ægri errori adſcribendus ſit, aut recenti cuipiam morbo ſuccedaneo, vel tandem neglectæ providentiæ accidentium, quæ forte ſubſequuta

eſſent quodvis aliud remedium, ac forte majori periculo & vehementia: At vero illis occurrendum ope aliorum præſidiorum medicorum:nec enim Empiricorum more hic ſe gerendum, omnia medicamento à ſe vſurpato adſcribentium,vbivis illud vſurpantium, cætera omnia floccifacientium, omnemque methodum abiurantium:

Neque etiamnum mens eſt aſſerere nullas dari febres quarum ſymptomata multorum aliorum remediorum ope, ante hujus vſum, vel poſtea,non indigeant: Vel non aliquas eius eſſe naturæ in quibus non convenire queat, adeo vt pro earum depulſione ad remedia ordinaria ſemper confugiendum ſit, obſervatis ad amuſſim regulis generalibus jampridem & tam accurate conſtitutis; quas infringere animus non eſt, adducto novo hoc remedio.

Secunda Obiectio eandem quam prima repulſionem requirit: Aiunt medicamentũ calidius eſſe,plerumque ex vino exhiberi, verbo, oleum igni affundi, vnde metus imminet augmenti febris potius quam imminutionis,

Hanc obiectionem vt refellam, dicam primo,ſi in conſilium iterum adhibeatur experientia, compertum iri remedia omnia ab ipſa inventa, & in vſum ad febrium curationem inventa, ſpecifica vulgo dicta, eoſdem, vel forſan intenſiores caloris gradus obtinere: Neque interim in dubium revocandum quin horum remediorũ authores experientiã ipſi rationi inniti voluerint, ac exiſtimaverint neceſſario requiri illum calorem ad reſolvendam & diſcutiendam cauſam febrilem:Imo febrem ipſam eſſe inſtrumentum, vt ſic dixerim, quo Natura vtitur ad concoctionem materiæ febrilis: Optimam omnium criſin per tranſpirationem fieri,aut ſudorem, hæc vero non aliter quam per remedia partium tenuitate donata,penetrandi vi & energetica, ac proinde qualitate calida, denique remediis moderate calidis concoctionem & alterationem materiæ febrilis perfici: cum ex oppoſito medicamenta refrigerantia ſæpenumero impedimento ſint perfectæ humorum efferveſcentiæ, inſenſibiliter promoventi evaporationem ac diſcuſſionem materiæ febrilis.

Hanc in rem appoſitiſſime dixit vetuſtiſſimus & celeberrimus ſcriptor Medicus, Calore per medicamenta vegetiore reddito inducias majores expectandas, celerioremque ſanationem: ac ſæpe medicum ſagacem decere malum malo addere, ac calorem febrilem accendere; etſi enim remedium non illico curet malum præſens, arcere tamen valet futurum.

Sed vt hæc ſpeciatim Quinquinæ adaptentur, jam ſupra innui calorem ejus multo remiſſiorem eſſe quam pluriorum aliorum remediorum

diorum : Quoad cæteras qualitates, illius amarities & acerbitas admodum temperatæ ſunt; atque ex his qualitatibus, quas ſecundas vocant, de primis judicium ferendum eſt, calore ſcilicet, humiditate, ſiccitate &c. Atque vt ingenue proferam quas huic remedio vires vlterius ineſſe credam, ſatis eſt, quodcumque illud fuerit, noſſe ab ipſo extingui ac diſcuti fermentum quoddam, cuius vis partibus impreſſa muito magis metuenda eſt illa quæ ab eodem inuri poſſet: Interim tam certum eſt nullum empyreuma ab ipſo relinqui, vt proferre liceat exempla eorum quibus nullum caloris veſtigium ſuperſtes fuit ab vſurpato per plures menſes Quinquina: Sufficiat adduxiſſe vnicum ſanationis febrium exemplum, cæteris morbis prætermiſſis: quandoquidem rationi parum conſentanea dixerit is qui cenſuerit à remedio, cui ſpecifica proprietas ineſt febrem extinguendi, calorem augeri poſſe, qui febris effectus eſt.

Vtvt vero fuerit, certiſſimum eſt quodcunque remedium in curationem febrium vſurpatum fuerit, nihilominus quandoque pertinaces eas admodum ſubſiſtere, partibus vehementem caloris & ſiccitatis impreſſionem inurere, ac ſæva accidentia, omnibus notiſſima producere.

Inde ergo inferre liceat, legitimum febrium remedium, cujuſcunque naturæ id fuerit, id cenſendum eſſe quod vno impetu inhibere valeat fermentationem febrilem, febrium cauſam; Cum remedia, non ſemper ſanantia, etſi qualitatibus calori illi extraneo, ſpecie tenus contrariis prædita ſint, talia tantum ſint ex accidenri, eo potius tendentia vt fermentationis effectum deſtruant quam ipſammet fermentationem.

At forte majorem metum incutit calor vini, ex quo exhibetur Quinquina, quam ipſius Quinquinæ: Ne huc traducam quid ſentiant hac de re antiquitatis Proceres, qui iiſdem inducti rationibus, quas ad aſſerendum vſum remediorum calidorum, vinum etiamnum in omnibus febribus, imo ardentiſſimis præſcribebant, atque in iis quas ſæviſſima comitabantur ſymptomata; prætermiſſa inquam illorum authoritate, id vnum producam, cum Vinum vſurpatum fuerit ad extrahendam tincturam Quinquinæ, maximam illius virium partem periiſſe; ebullitionem poſſe præmitti, vel illi calenti infundi remedium, vt pars ſpiritus vini in auras abeat: Idem liquore aliquo idoneo poſſe temperari: ac tandem medicamentum multis aliis modis quam ex vino præberi poſſe: Quinquina, ſicut prædixi, ſatis virium impertire valet aliis potionibus quo invtiliter in vſum non ducatur, exhibitum modo omnium & ſimpliciſſimo & facillimo:

Obiici poſſet tandem Febrem nihilominus ſæpius recidivam eſſe, vnde inferre licet cauſam morbificam remedio non ceſſiſſe : Dubius vero ſum num ij qui hæc obiiciunt aliquando id exhibuerint,aut vſi fuerint modo à me propoſito;At vero conſcius ſum,niſi æger pravæ admodum fuerit conſtitutionis,vel acceſſerint err ores in exhibendi ratione, febrium reditus admodum raros futuros.

Qui experientia non freti id in dubium revocaverint , manus forte daturi ſunt reſponſioni allatæ ad primam obiectionem, in qua à me oſtenſum huius remedii ope febrilem cauſam diſſipari,eiuſq; fermẽtum in nihilũ redigi : Si præſertim illius virium ſufficiens portio ſanguineã maſſam ſubierit, adeo vt etſi exactis aliquot diebus forte reverteretur febris, reditus hic optimo iure adſcribendus fuerit recenti fermento, novam febrem inducenti.

Neceſſe non eſt ſigillatim enarrare errores aut delicta quorum cauſa febres recidivæ ſunt, præcipua iam ante attigi, quæ declinare facile eſt perito medico,ſi ægrum nactus fuerit non refractarium : Vnicum tamen occurrit non omnibus obvium,niſi præmonitio accedat: Pendet id ab electione Quinquinæ : Etenim cum multum abſit, vt adulterino eædem inſint vires quæ legitimo,cum hinc quoque futurum non eſt vt par certitudo adſit in effectu, tam quoad ſanationem quam recidivarum præcautionem.

At vero concedamus eiuſmodi reditus , nihil peius imminet (vt certa liberatio à febre ſequatur) quam repetita neceſſitas vſurpandi id remedium, imo minori in quantitate , quo in caſu certum eſt febrem omnino extinctum iri : Si quis enim ſibi fingat febrem , poſt menſes aliquot ingruentem,reliquias eſſe præcedentis,fraudem ipſe ſibi facit:Medicamentum per aliquod temporis ſpatium vſurpatum , ſufficiens fuit toti fermento abſumendo: Si quid vero forte ſuperſtes fuerit , mutationes quotidie contingentes , ac irrequieti humorum in corpore motus,proculdubio fermentum illud vel immutarent vel abigerent : Adeo vt eiuſmodi reditus inique priori fermento tribuendi eſſent , cujus portio in quapiam parte foret reſidua, quin potius illis qui recentibus ex occaſionibus ſuſcitarentur.

Denique,etſi febris ob ſuperſtitem aliquam fermenti portionem rediviva eſſet,numquid ſatius eſſet illam bipartito tempore aggredi,cum interim ægro concedat intervallum reparandis viribus ſufficiens,quam nullis conceſſis induciis toto illo tempore, quo febris detinet,nec aliis cedit remediis , frangi vires ? Alia porro remedia an omnino recidivas præcavent? an um ſunt vſus ſecurioris & facilioris ?

Atque hæc mihi obtrudi poſſe credidi ; nec dubito alia poſſe tela vibrari,

vibrari, at vero ſi antequam cudantur quiſpiam periculum remedii illius facere velit, atque iuxta normam à me propoſitam in vſum ducere, nequaquam dubito quin fauſtus ſuceſſus eiuſmodi obiectiones refellat, ac impediat quominus in medium adducantur: Me vero quod attinet, non tam meam experientiam ad rationem compoſui, quam hanc ad experientiam.

Et hæc dicenda habui quoad vſum Quinquinæ in omnibus febribus; Iiſdem forte innixus rationibus, quibus vſus ſum vbi de fermentatione febrium, adſtruere poſſem idem remedium vtile fore in genere ſuperandis aut impediendis quibuſdam aliis fermentationibus alios morbos inducentibus, illis præſertim quæ ortum debent exuperantiæ ſuccorum acidorum, ſupra cæteros ſæpenumero dominatum obtinentium; id quod latiſſime in medicina exporrigitur, quandoquidem plurimi morbi à pravis eiuſmodi fermentis originem trahunt, nec aliunde exempla deducenda quam ex affectionibus hypochondriacis & hyſtericis, nulli non notis ſub vaporum ſpecie, ad quas præſtantiſſimum ſunt remedium, vt ſæpe experientia compertum habui: Huic claſſi accenſere poſſem plurimas Lienis obſtructiones, meſenterij aliarumque partium, ſuppreſſiones quarundam vacuationum naturalium, chloroſin, alioſque affectus illis finitimos, id quorum curationem multum contuliſſe prædictum medicamentum experientia fidem mihi fecit, at vero vnuſquiſque propria vſus exploratam rem faciat.

Id ſaltem coniectura aſſequi dabitur, etſi Quinquina in alios vſus hactenus traductus non fuerit quam ad febrium curationem, Naturã tamen alias proprietates illi indidiſſe certũ eſt, etſi periculum factum non fuerit, quanquam commode id fieri queat, quandoquidem extra omnem damni aleam vſurpari poteſt medicamentum qualitatis noxiæ omnino expers: Sin contingeret experimenta conſona eſſe huic cogitationi, inferre liceret maximam affectuum partem, quorum curationi congrueret, minus quoad proprias cauſas quam effectus ab invicem diſſidere, ac remedium æque eandem fermentationem vbique ſedaturum, diverſos effectus producturam pro ratione ſubiectorum quibus occurreret: Vtcunque ſit, ex iis quæ hactenus de vi remedii nobis innotuerunt, aſſerere licet à Natura hactenus nullum præſtantius productum: Si alia præterea ejuſdem indolis, ac ad alios morbos expugnandos idonea innoteſcerent, immerito nobis obiiceret ignaviam noſtram in perquirendis viribus & proprietatibus operum illius.

Finis Auguſti Anni 1680.

ZODIACI MEDICO GALLICI

SIVE

Recens in Re Medica & Naturali Exploratorum.

SEPTEMBER Anni 1680.

OBSERVATIO PRIMA.

Singularia de Thermis-Borbon Anſelmenſibus.

PARTICIPEM te eſſe volui, Domine, eorum quæ ad me ſcripſit Dom. Moreau, Medicus Regius ordinarius & Præfectus Aquis mineralibus Borbonenſibus Lancyenſibus ad Ligerim fluvium: Obſervationum ſcilicet quarundam Phyſicarum, quas ejus momenti eſſe credo vt in pnblicum prodire mereantur: Ante decem aut duodecim annos oſtendit mihi lapidicinas à ſe detectas, è quibus eruebatur marmor variegatum, diverſis coloribus illuſtre; columnæ & numiſmata integra ab antiquis Romanis elaborata, ſepulta & ad altitudinem viginti pedum defoſſa: Nuperrime ad me tranſmiſit deſcriptionem ingentis maſſæ e rupe exciſæ, ex lapidibus liquefactis conflatæ, à ſe recens detectæ in ambitu Thermarum prædictæ vrbis, Rem ſic explicat.

Ait Dominam a Selorre, vxorem Domini a Selorre, Senatoris Curiæ Divionenſis, ibidem Vicecomitis majoris, cum obſervaſſet e quinque Balneis à Romanis exſtructis, obductis tabulis marmoreis, vndique Magnificentiſſime exornatis, duo ſolum ſupereſſe vſum præbentia, vnum divitibus deſtinatum, alterum pauperibus vtriuſque ſexus: Porro quod perpenderet neceſſe eſſe ad mundıtiem & valetudinem, vt ſaltem iis in re lautiori qui eſſent, aſſignarentur Balnea pro ratione

Sexſus

Sexus diſtincta, Tantum præſtitiſſe ſedulitate ſua vt a ſtatibus Burgundiæ impetrarit non mediocrem nummorum ſummam, dicatam reſtitutioni in integrum vnius è tribus Balneis defoſſis, imo vt muris vndique cingeretur.

Inſtinuti executio cum demandata fuiſſet Dom. Moreau, illico diſrumpi curavit & in fragmenta diſſilire rupem informem, decempedali diſtantia procul a prædictis balneis, comparaturus ſpatium operariis neceſſarium: Agnovit autem rupem prædictam artis eſſe opus, compoſitum quippe quid ex lapidibus liquefactis & per cæmentum coaleſcentibus.

Iudicium hoc vt ferret impulere ſequentia, ſcilicet primo Dum malleis concuteretur, intus reperti ſunt ſilices maiores & minores, laterum fragmenta, teſtæ lithoſtiſbi portioues ſilices igniarii, marmorea fruſta, commiſta, colligata, incorporata intra rupis molem. Secundo, rupis materia, quæ magis poroſa eſt, minus gravis & lucida quam alij lapides è rupe deciſi; In pulverem diſſolutio, non in granula ſi cuſpide mallei percutiatur: Si cuneus adigatur diffinditur, per ſerram facillime dividitur, tandem frigori, & imbribus plus cæteris lapidibus obſiſtit: Terditio, effodiendo ad profunditatem novem pedum, infra partem quandam iſtius rupis inventi ſunt lapides, pavimentorum reliquiæ & fragmenta tabularum marmorearum: Quarto, adſunt ſegmina prædictæ rupis, duas decempedas in quadratura obtinentia; id quod in nullis lapidibus tota Provincia reperire eſt: Quinto ſi fragmentum imponatur in fornace fabri ferrarij, id paulo poſt rubeſcit ac inſtar ferri candentis ſcintillat admodum lucidi, pauciſſima vero aqua irroratum illico in cineres diſſolvitur; Tandem rupibus nativis, & ſilicibus aliam omnino naturam redolentibus circumdatur.

Dom. Moreau rogat eos qui Academiam Regiam frequentant, communicare ſibi velint quæ de his conjectura aſſequi poterunt: Interim analyſin ſpagiricam prędictæ rupis tentaturus eſt, conſequendæ ergo, ſi licebit, notitiæ compoſitionis; Ex ipſius enim ſententia tanto facilius eſt artificio producere lapides vulgares, ope cereviſiæ, glutinis, ſalis, calcis, arenæ, & fragmentorum ipſorummet lapidum, quod jam innotuerit artificium gemmas factitias parandi, imo ipſum marmor, mediante compoſito quodam ex gypſo, calce, ſale, ſanguine bubulo, cereviſia, lacte & pulvere, aut fruſtis jaſpidis & marmoris nativi, additis maſſæ variis coloribus, quæ ſponte exſiccari & indurari ſinitur, ad vſum deinde expolienda.

Cæterum ſi D. Moreau eorum quæ ſibi innotuerint participem fecerit; lubens communicaturus ſum &c.

Observatio II.

Ejuſdem.

Ratio in lapidem convertendi quodcunque genus corporum ſiccorum & poris præditorum.

ACcipe Salis-gemmei, aluminis rupei pulveriſatorum, pulveris ſilicum non vſtorum, calcis extinctæ, aceti albi ana partes æquales, commiſceantur cuncta; vbi fermentatio inceperit adde corpus cui lapidis formam inducere animus eſt, ſive ſint oſſa humana, ſive lignum admodum aridum & poroſum, ſive os ſepiæ, aut quidpiam ſimile, A materiis prædictis mediante fermentatione penetrabitur: hæc ſimul in vnum corpus coalitura ſunt, adeo vt duritiem & ſoliditatem lapideam intra quatriduum, aut ad ſummum ſex dierum ſpatium ſibi comparatura ſint.

Observatio III.

Papilionis quædam ſpecies circa fluvium Moſam quotannis ſemel producti ſoliti.

SIngulis annis, octiduo, aut decendio ante vel poſt feſtum D. Laurentii, ſi ſerenum fuerit tempus per biduum aut triduum, circa veſperam animadvertitur emergere è flumine Moſa inſignis Papilionum copia, albiſſimorum, pellucidiſſimorum, extremæ tenuitatis, exiguo poſt tempore in flumen relabentium, eapropter mannæ cœleſtis nomine donatorum: Ejuſmodi inſecta, plane inrer ſe ſimilia, ope binarum alarum, ſumma tenuitate & pelluciditate præditarum, non ſecus ac reliquum corpus, volitant; In extremitate quæ capiti obverſa eſt obtinentia duas productiones capillari tenuitate, pollicari longitudine, caudæ bifurcatæ quandam ſpeciem præbentia: Luminis appetentiſſimi ſunt, ſi enim candela aut cereum circa flumen adferatur, paulo poſtquam ex eo emerſerunt, jucundo ſpectaculo, eorum denſa adeo nubes advolat, vt exiguo admodum temporis ſpatio luminare extinguatur:

Nativitatis illorum tempus conſtitutionis tempeſtatis augurium eſt certiſſimum, A non paucis enim annis obſervatum eſt ſi ante feſtum D. Laurentij exoriantur, hyemem proculdubio præmaturam fore: cum ex oppoſito ſereni dies diutius perdurent ſi poſt illud feſtum adparuerint.

Vitam

Vitam eorum quod attinet, vix trihorium excedit, ſicuti eorundem generatio per ſolum triduum perficitur: Maxima illorum pars fluminis ripam occupat, vel naves, quæ loca ab illis tunc temporis invaduntur ad pollicis craſſitiem circa horam octavam veſpertinam, hoc eſt eadem qua recidunt: at vero cum levitatis ſint inſignis, ideo à ventis cito diſſipantur. Dum vero aula Regia Carolopoli menſe præterito commoraretur, non minima eorum copia concidere viſa eſt: Imo quamplurimos in meo cubiculo congeſſi, quod ſubingreſſi per patentes feneſtras: quos aſſervo, ex illis ſal volatile extracturus, additis aliis, aliunde ad me afferendis: Experimenta quædam circa illos tentaturus ſum, in publicum poſtmodum emittenda:

Cæterum piſcibus fluminis dicti incolis eſca gratiſſima ſunt, ſingulis enim momentis exilientes conſpiciuntur extra aquæ ſuperficiem, illos captaturi: imo ipſi aſaci flumen egrediuntur illis inſidiaturi.

Observatio IV.

AVTHORIS.

Penis Cancer venereus fiſtuloſus.

QVidam Cancro Venereo, partem ſuperiorem & mediam coronæ balani obſidente affectus, & perperam curatus, ſummo animi moerore in fiſtulam eundem abire animadvertit, adeo vt per ſuperſtes exiguum admodum foramen, callis duriſſimis vndique obſitum, effluerct ingens materiæ virulentæ copia, excurrens per viam quam ſibi paraverat ſupra vrethram: percipiebatur autem inſtar chordæ duriſſimæ, ad penis vſque radicem protenſæ:

Eo in ſtatu conſtitutus ad me contendit auxilium imploraturus, quod à Chirurgo ſuo conſequi non potuerat, qui plurimas dozes pilularum mercurialium illi præbuerat, parti autem affectæ admoverat vnguentum Neapolitanum & de Vigo, incaſſum præterea multa alia remedia vſurpaverat: Significavit autem citam ſanationem ſe exoptare, ratione itineris propediem neceſſitate ſic jubente ſuſcipiendi: Eapropter excogitavi artificio bubonem excitare in inguine dextro, ope lapidum cauſticorum, id quod alias à me ſimilibus in caſibus præſtitum fuerat: Res ad votum ſucceſſit, ſtatim enim ac eſchara deciſa eſt, materia purulenta, quæ antea per cancrum viam affectabat, devio itinere per inguen effluxit; hinc canalis fiſtuloſus paulatim ſubſidebat, cancri reliquum ad cicatricem deducebatur: calloſa autem labia conſumpta ſunt admotione facta remediorum ſimili

in caſu vſurpari ſolitorum citra alia præſidia : Paucis, ſuppuratio ope inducti bubonis adeo copioſa fuit & ſalutifera, vt breviori quam ſex ſeptimanarum ſpatio valetudo perfecta ſucceſſerit, & ne minima affectus ſupereſſent veſtigia.

Observatio V.

D. CARONII Mag. Chirurgi.

Partium interiorum tranſpoſitio in infante.

QVandoquidem nihil æque rei alicujus poſſibilitatem adſtruit, quam ejuſdem præſentia, ita nihil magis confirmat conſequentias inde deducendas quam exemplorum multitudo; Quamobrem inutile futurum non eſt ſi monuerimus obſervationem à Dom. Baux, Medico Nemauſenſi emiſſam, de tranſpoſitione partium in infante, menſes circiter octodecim nato, nuperrime confirmationem obtinuiſſe per D. Caronium, in filio cujuſdam le Roux tabellario Bellovacenſi, eadem ætate denato.

In illo, ſicuti in priori, ventriculi cordis, orificium ventriculi, hepar, ſplen, vena porta, aorta arteria & vena cava, tranſpoſita erant, quædam latus obtinentia dextrum, alia ſiniſtrum quæ oppoſitum obſervare debuerant: Vtriſque præterea id commune fuit vt toto vitæ decurſu languidi fuerint: Epiploon etiam vitiatum deprehenſum ſit; renes adultorum magnitudinem habuerint, in capite nihil vitiatum deprehenſum ſit:

Cum error ille naturæ non raro contingat, rogantur illi qui ejuſmodi deſcriptiones ad nos tranſmiſſuri ſunt, quantum in illis fuerit velint quam exactiſſime diſquirere, num in ſubiectis ſimilibus ex contactu partium exteriorum nihil ſingulare deprehendere liceat: Quæ accidentia ab initio manifeſta fuerint, nec non in vitæ progreſſu, qua ætate vivere deſierint, quo nobis anſa præbeatur novas aliquas regulas prognoſi vtiles conſtituendi.

Observatio VI.

Dom. CONTEI, Medici Burdegalenſis.

De natura Polyporum

HOdierno tempore adeo familiaris eſt Polyporum in canalibus interioribus occurſus, ac præſertim in finibus cerebri, vt coniecturæ

turæ amplus locus ſit illos qui naribus interioribus innaſcuntur, inde natales ſuos deducere; nam præter ea quæ in præcedentibus ephemeridibus adducta ſunt, ſcripſit ad me Dom. Comteus, aperto cadavere muliebri, in ſuburbio S. Surini Burdegalæ, per Mag. Blandinotium Chirurgum Iuratum, præſentibus Dominis Laſconſio & Rangeardo, ibidem Medicis, Inventum fuiſſe Polypum in vtroque ſinu laterali; alterum item in ſiniſtro cordis ventriculo: Hoc præterea ſingulare obſervatum fuit ſubſtantiam cerebri, tum medullarem, tum corticalem, duram fuiſſe, ſcirrhoſam, tam arcte meningibus & cranio connexam, vt exinde divelli nequaquam potuerit: Ex quibus perſpicuum fit Polypos, in naribus conſpicuos, vitioſam quandam diatheſin in interioribus arguere, quamobrem prognoſis dubia & incerta inſtituenda eſt vbi de ſucceſſu amputationis ſuſcipiendæ pronuntiandum.

APPENDIX.

Vel

DISSERTATIO.

De vtilitate vel noxa ex frquentiore ſanguinis miſsione expectanda.

Dom. GALTERII Medici Nivortenſis.

QVæſtio à Mercurio propoſita circa vtilitatem vel noxam quam frequentior Sanguinis miſſio inducere poteſt, proculdubio in examen adduci meretur: Nec enim exigui eſt momenti id remedium in praxi Medica, quandoquidem ægris in affectibus maxime vrgentibus ſubſidio eſt; Porro neceſſitatem venæ ſectionis comprobat, quod Natura ſponte illam inſtituit ſi gravatam ſe ſentiat, ſæpenumero enim hæmorrhagias exitat, gravitatem oneris excuſſura: Hinc, illa duce, inferre licet ægros ſublevari poſſe ab eiuſmodi evacuationibus: Quamobrem cum ſanguinis miſſio maximi ſit momenti, iure merito Quæſtio hæc in medium producta eſt.

Ideoque à limine inquiram Sanguinis Naturam, nec non media quibus Natura ad Fermentationem vtitur: Deinceps cum ſtudio indigaturus principium vivens a quo animam accipit: Præmiſſis his diſquiſitionibus proculdubio dilucidius adparebunt cauſæ effectuum ſanguinis miſſionem frequentiorem ſubſequentium.

Si Chimia in conſilium adhibeatur, hac duce, quando circa ſanguinem humanum verſatur, parteſque eum componentes ſcrutatur, deprehendere eſt ipſum conſtare plurima aqua, multo ſpiritu, pauciore ſale & ſulphure, pauciſſima vero terra.

Etſi prædicta ars in apertam lucem adducat principia ſanguinis conſtitutiva, non tamen oſtendit quo ſitu vel ordine dicta principia inter ſe cohæreant in ſanguine animalis vita præditi: Vtinam tamen in aliqualem illius rei notitiam pervenire liceret, quia temperamentum iſtius liquoris præcipue pendet a coordinatione illius principiorum.

Si hac de re quaſdam coniecturas afferre liceret, dicendum ſal vniri ſulphuri, impediendæ ergo citioris huius elementi exhalationis; at vero dum terra quoſdam receſſus occupat, qui neceſſario exurgunt ex coniunctione ſalis cum ſulphure, ab aqua & ſpiritu occupari reliqua ſpatia inania.

Qui microſcopium in ſubſidium aſſumunt, cominus ad examen deducturi contextum ſanguinis humani, in medium nihil proferunt quod huic coniecturæ adverſetur, quin potius id quod ipſi deprehenderunt cum illa congruere videtur: Beneficio enim illius inſtrumenti ingentem numerum fibrillarum obſervant, brevium & ſubtilium, retis formam quodammodo referentium, ab implicatione nodorum inibi exortorum.

Quapropter in eodem plurima ſpatiola aut cellulas animadvertunt, exorientia ab implicatione mutua harum fibrillarum, repleta ſero quodam imbuto plurimis atomis rubris: Fibrillæ iſtæ deprehenſæ tam ingenioſa ſagacitate; veriſimiliter nihil aliud ſunt quam ſalia & ſulphura ſanguinis, adiunctis partibus quibuſdam terreſtribus: Atomos autem rubras ſi quis vitales eſſe ſpiritus ſtatuerit, forte a vero non eſt aberraturus.

Iſta Sanguinis anatome ſatis manifeſtum facit illum in vaſis quibus concluditur æſtu cieri, eo quod a copia ſpirituum commoveantur diverſa illa omnia principia, revera ſi quis perpendat a ζέσει aut ζυμώσει ſanguinis tam vtilia emergere, & ab hac originem ducere functiones œconomiæ animalis, non difficili negotio quivis coniiciet naturam media ſuppeditaſſe per quæ fermentatio perficeretur & promoveretur: porro cum media hæc ſint præſertim lympha, chylus, cordis motus, & aër inſpiratione inductus, non abs re futurum erit ſi vnamquamque harum cauſarum brevi conſideratione perſtrinxerimus.

Prior occurrit Lympha, & præſertim quæ ex glandulis ſcaturit conglobatis, tanquam acre fermentum perpendenda eſt: Obſervatum enim quando obſtructionum cauſa curſus illius intercipitur, aditumq; in ſan-

in ſanguinem hæ illi occludunt; languorem affectos occupare, reſpirationem difficilem fieri, imo quandoque hydropem conſequi: Præterea reſeratis cadaveribus, iiſque rite examinatis, ſæpe in corde & vaſis occurrere ſanguinem concretum, quem vulgo Polypi nomine donant; Quandoquidem vero ſanguis coagulatur ac propemodum lutoſus evadit ſi lympha deſtitutus fuerit, apertum evadit lympham ad fermentationem requiri & vt ſanguis fluiditatem obtineat.

Secundo, *Chylus*, qui continuo fere è canali thoracico exſtillat in venam ſubclaviam, forte non minus eſt neceſſarius quam lympha promovendæ ſanguinis fermentationi, poſtquam enim ſanguini commiſtus eſt, & principia activa poſtremi huius liquoris operam ſuam navaverunt (quaſi totidem minores fabri) in partes chyli, ſal, ſulphur & ſpiritus iſtius chyli abſcedunt & relaxantur, at vero ſi huic ſali, huic ſulphuri, huic ſpiritui motus libertas reſtituta fuerit, citiſſime principiis ſanguinis aſſociantur, vt pote vnius eiuſdemque indolis: Hoc pacto ſanguis virium jacturam reſarcit, chyli in propriam ſubſtantiam commutatione; chylus interim fermentationem ſanguinis fovet, communicatione illi facta principiorum ſuorum activorum.

Tertio, *Motus cordis* proculdubio ad ſanguinis fermentationem non minimas confert operas, hic enim muſculus vibrationum ſuarum efficacia illum conterit, ſubtilioremque reddit quotieſcunque illum ex cavitatibus ſuis exprimit. Demum poſtquam ſanguis è corde erupit in arterias, conquaſſatur iterum in illis vaſis, quo plus enim ad illorum extrema properat, eo magis per ramorum tenuiſſimorum decurſum inflectitur; ac tandem infinitus numerus parvarum ſcaturiginum emergit in membraneis cellulis, vel in exiguis glandulis: at cum hæ cellulæ, vel glandulæ, exigua filamenta cava emittant, quæ cum venis inoſculantur, ſanguis illa via in itinere pergit ac in venas irruit, poſtmodum ad cor properans, at non ea rapiditate qua ab illo recedit arteriarum tubos ſubingreſſurus.

Quandoquidem celeritas qua ſanguis in animalibus perfectis defertur, non minima eſt cauſa quæ ſanguinis fermentationem promovet, experimentum huc adducam, evidenter demonſtrans motus celeritatem qua ſanguis è corde in arterias infertur, ex his in venas, & a venis in cor: Secta vtraque arteria cervicali grandioris canis, eodem tempore pectoris latus ſiniſtrum pertunde e regione cordis, ad impellendum truncum aortæ infra cor: illico quoque filo ſtringendæ ambæ arteriæ crurales anticæ, His omnibus ſic adparatis, cum ſtupore conſpicies vniverſum dicti animalis ſanguinem per arterias cervicales affluen-

tem intra viceſimam horæ vnius partem : Attamen neceſſe eſt totum illius animalis ſanguinem dicto temporis ſpatio cor pertranſiiſſe.

Quarto, ſanguis conquaſſatur, & fermentationem ſubit rapiditatis qua intra vaſa circulatur cauſa : ſubtilitatem quoque adipiſcitur & calorem ab aëre, qui propria gravitate præceps in pectus defertur in inſpiratione; Strangulatorum animalium diſſectio rem apertam facit; ſi enim pectus illorum accurate introſpiciatur immediate ab obitu, in corde, vel pulmonibus, nihil aliud reperturus es quam ſanguinem frigidum, concretum, indicio certo non aliam ob cauſam talem evaſiſſe quam à defectu aëris, quandoquidem ſanguis concreſcit & frigidus fit eo ipſo momento quo aër in pectus influere deſinit, Ideoque admittendum eſt aërem conducere ſanguinis agitationi & excalefactioni.

Hactenus tamen a me non demonſtratum aërem ſe inſinuare ſanguini ad huius commotionem, at vero experimentum ſequens rem apertam faciet, clare enim oſtendit aërem ſanguini in pulmonibus commiſceri : Canis robuſtus ſtranguletur, quandiu ſanguis adhucdum erit fluidus aperiatur illi pectus, adeo vt commode ſanguis vena cava contentus in dextrum cordis ventriculum, atque inde in arteriam & venam pulmonariam impelli poſſit : Reſerato pectore, indito ſcapello fac foramen in orificio venæ pulmonariæ, atq; illico exilire videbitur ſanguis niger, venoſo ſimilis, ſed ſi poſt iſtum apparatum tubulo follis inſertus aſperæ arteriæ ligatura facta ſtringatur, poſt inflentur pulmones, follem agitando grato ſpectaculo videre eſt ſanguinem, qui exprimitur ex arteria pulmonum in venam eiuſdem viſceris, rubicundũ eſſe & rutilum, ſanguini arterioſo ſimilem per apertionem factam in oſtio eiuſdem venæ : Eapropter, quandoquidem immutatio quæ obſervatur in ſanguine illius canis, contingit tantum cum inſuflatur aër in pulmones, luculenter apparet novam illam ſanguinis conſtitutionem, ea ſolum ratione contingere quod aër illi commiſceatur.

Explicatio tradita cauſarum maxime generalium & eſſentialium fermentationis maſſæ ſanguineæ, ſatis apertam facit ſummam Naturæ diligentiam in ea fovenda : Quare veriſimile eſt illius productiones, vel effectus ad vitam tuendam admodum vtiles eſſe : Neque enim Natura vnquam tot media inveſtigaſſet vt efferveſcentiam ſartam tectam tueretur, niſi prævidiſſet emolumenta quæ in vitæ commodum inde imminebant.

Primum, & inter cætera commoda eximium quæ ex ſanguinis ebullitione redundant, videtur eſſe extricatio atomorum illius rubrarum, quam ſupra obiter attigi, vtinam tamen preſſius in conſiderationem venirent, eo quod maxime ad vitam vtiles eſſe credantur.

Nulli

Nulli dubium eſt exiguas illas atomos, aut exiles globulos, originem ducere ab ebullitione illius liquoris, ſtatim enim ac hæc deferbuit, maxima pars illarum atomorum extinguitur & evaneſcit, cum è contra reviviſcant & excitentur pro ratione illius durationis; ſed quandoquidem hæc ebullitio præſertim fomentum accipit à quatuor cauſis præcedentibus, facile in mentem veniet dictas cauſas ſimul concurrere in generationem dictorum globulorum rubrorũ? Porro plus cæteris aër conferre videtur, quia eodem momento quo illius curſus in ſanguine inhibetur, hic illico nigrorem contrahit, imbutus exiguo atomorum rubrarum numero, cum vice verſa ſi libere illi ſe inſinuet, ſanguis rutilus evadat, multitudine iſtarum atomorum perfuſus.

Antequam perpendam quomodo aër rubras illas atomos educat è maſſa ſanguinea, opportunum eſſet ſpeciatim cognoſcere materiam quam aër ſuggerit ſanguini, cui hoc inditum vt augeat numerum prædictarum atomorum; Nec enim mente fingendum eſt vniverſam aëris maſſam idoneam eſſe fermentando ſanguini ac producendis atomis rubrum colorem illi conciliantibus; quandoquidem ſi anima vivens includatur globo vitreo, arceaturque aër externus ab ingreſſu in globum, abſitque vtriuſque communicatio, animal exiguo admodum tempore moritur, etſi aër illud circumdet: Ab experimento hoc luculenter docemur aërem continere materiam ſanguinis fermentativam, vitæ fomitem, porro materiam illam ex ſolo aëre non conſtare.

Vt materia illa in notitiam veniat, id præcognoſcendum eſt ignem vulgarem, & vitam animalium ſuſtentari ab iiſdem particulis aëris, quamobrem ſi quis certior hac de re fieri deſiderat, ſuſpenſam is teneat materiam combuſtibilem in globo vitreo, in quo prius incluſum ſit animal quodpiam vivens, ſi enim exacte ſigilletur ille globus, deprehenditur illud animal paulo poſt interire; ſi vero mortuo animali incendere quis tentaverit materiam combuſtibilem ope ſpeculi vitrei, ille ſane id non obtinuerit; quo fit vt ignis & vita animalium ab aëre hauriant vnam eandémque materiam ad ſui ſubſiſtentiam.

Ex hujus experimenti certitudine nulla ſupereſt difficultas in determinandis particulis aëris quæ animalibus vitam impertiunt, ſi enim perpendatur ſulphur ſolitarium ignem non concipere in loco aëre deſtituto, at vero citiſſime inflammari ibidem loci ſi admiſtũ fuerit nitrum, omnino inferendum videtur ſulphur, ſi aëri libero expoſitum fuerit, ea tantum de cauſa in flammam erumpere quod aër illi ſuggerat materiam nitroſam: quandoquidem vero aër, ſicuti id obſervatum, vitæ animalium, in illius fomentum, largitur idem principium

quod igni, neceſſario colligendum eſt nitrum eſſe materiam illam ſingularem quam aër ſuppeditat in ſuſtentationem vitæ animalium.

Si conſtiterit ſpiritus nitroſos eſſe materiam aëris qui ſanguini commiſcetur, impedientis interitum animalium, eodem tempore pro comperto habendum eſt ipſos ingredi compoſitionem globulorum ipſius rubrorum, ſicuti id iam ante obſervatum eſt globulos illos majori numero in ſanguine verſari ſi ſpiritus nitroſi liberum ad illum introitum naſti ſint, quam ſi ingreſſus illa libertas ipſis denegata fuerit.

Præterea id obſervandum venit globulos illos multo nitidius micare, majorique numero abundare quo momento ſpiritus nitroſi ſanguini ſe immiſcuerunt, quam vbi jam ab aliquo tempore ſimul circulantur: Id quod in ſanguine arterioſo deprehendere eſt, qui recens onuſtus & imprægnatus copiis aëris pulmones ingreſſi, multo nitidior apparet & vividior quam venoſus, eo quod poſtremus hicce exutus eſt ſpiritibus ſuis æthereis per circulationis decurſum.

Quandoquidem rationis beneficio materiaætherea, quæ partem globulorum ſanguineorum conſtituit in notitiam venit, eadem via ſpes eſt inveniendi aliam materiam, quæ iterum coniungitur ſpiritui aëris ad perficiendam globulorum compoſitionem.

Vt in apertum veniat altera hæc materia, id tantum perpendendum venit nitrum non inflammari niſi materiæ cuipiam ſulphureæ commiſceatur: Id quod manifeſtum fit indito nitro in candens crucibulum, non vllo modo inflammatur niſi in idem materia quædam ſulphurea adiecta fuerit, quo fit vt ſi etiam obiter rei huius veritas ad examen deducta fuerit, ſtatim opinio naſcetur ſulphur purum eam eſſe materiam quæ indagatur, & quæ vna cum nitro concurrit ad formationem globulorum ſanguinis: globuli enim dicti veriſimiliter nihil aliud ſunt quam corpuſcula ignea, ſicuti id manifeſtum eſt ſi comparatio inſtituta fuerit conditionum quas ignis requirit ad ſui novam propagationem cum ea quæ neceſſaria eſt vitæ animalium vt ſe tueatur: Nam quandoquidem requiſitæ conditiones ad ignis fomentum, & vitæ, eædem ſunt, nequaquam dubium eſt quin globuli ſanguinis totidem ſint corpuſcula ignea, ac proinde conſtent ex ſulphure & nitro, puris & ſegregatis.

Quandoquidem id iam conſtitutum eſt globulos rubros ſanguinis ex nitro & ſulphure compoſitos eſſe, ſupereſſet inquirendum quomodo in dicto liquore generationem conſequantur: Si imaginationi liber excurſus concederetur, hoc forſan occurreret ſtatim ac ſpiritus aëris ſanguini ſe commiſcuit mediante reſpiratione, illum vltro citroq;, concutere

cutere continuis vibrationibus partem ſuam ſalino ſulphuream, quæ nihil aliud eſt quam compoſitum quod ex ſulphure aut nitro, ac pauca terra ſimul confuſis tantum, nec rite commiſtis, quo fit vt actionis ſuæ efficacia ſulphur à parte ſalino-ſulphurea liberet, ac omnino ſe extricet à parte ſalina & terreſtri, quibuſcum antea confuſus erat; quo fit vt ſulphur id impuritate exuta in materiam evadat puriſſimam, affinitatemque contrahat cum ſpiritu aëris, cui ſe adjungat flammam eodem tempore concepturam.

Si quis expendat vitam nequaquam conſiſtere cum aër denegat ſanguini ſpiritum nitroſum, aut ſi alimenta ſulphur non ſuppeditent, facile quivis percepturus eſt vitam omnino pendere ab vtroque hoc principio: At vero quia ſpiritus aëris, & ſulphur quod alimenta continent, in ſanguine non concurrunt quin accēdantur ſi puriora fuerint veriſimile eſt flammæ inde exultanti aſſignandam eſſe ſanguinis vivacitatem & animationem: Attamen, quamvis ſanguis animam hauriat amiti horum globulorum flāma, denegata tamen illi eſt ſentiendi facultas, eo quod globuli hi accenſi & vita præditi, interrumpuntur in ſua irradiatione a pluribus rebus variæ naturæ occurrentibus.

Si in nobis extaret pars nulli alii rei idonea quam horum globulorum viventium exceptioni, nec vllam materiam admitteret quæ vivacitatem radiorum illorum obtūnderet, proculdubio obſervare daretur globulos hoſce non modo anima, ſed præterea ſenſu quoque eſſe donatos.

Porro vt apertius fiat qua ratione ſenſu pollere valerent, inquirendum ſupereſt id quod globulorum horum animatorum filtrationi dicatum eſt; Obſervatio ab omni ævo facta motum in nobis non perfici niſi beneficio nervorum, facile denotare poteſt partem quæ ſecerniculi vicem obit erga hos globulos, eoſque ab extraneis liberat, quibuſcum intra maſſam ſanguineam confuſi continentur: Nam quandoquidem nervi radices ex ipſo cerebro trahunt, ab hoc autem viſcere ſenſus principium deducitur, colligendum eſt cerebrum illam eſſe partem quæ ſegregat globulos vivificantes à maſſa ſanguinea, atque hoc pacto iiſdem globulis ſenſus prærogativam largitur.

Ne quid prætercam eorum quæ ſpectant explicationem flammæ iſtius vitalis & ſenſitivæ, cui Animæ nomen aſſignatur, illud iterum obſervandum venit ipſam in cerebro filtrari ad vnamquamque cordis pulſationem: Nam ex circulationis legibus, ſanguis recens vita donatus in pulmonibus è corde egreditur, atque rapide ad ſingulas corporis partes defertur. Eapropter in arterias carotidas & vertebrales vi viam ſibi facit, liberoque commeatu in ſingulas illarum ramificato-

nes irrumpit, quouſque illarum extrema attigerit: cum porro maxima horum ramorum arteriarum pars in exiguas glandulas deſinat, ex quibus conſtitutionem accipit ſubſtantia cineritia cerebri, perpendendæ veniunt ſingulæ illæ exiguæ glandulæ quaſi totidem incernicula quibus natura vtitur ad extrahendum è maſſa ſanguinea ignem illum vivificum & ſenſitivum, qui inde in ſingulas corporis partes per canales illos nerveos diffunditur.

Fortaſſe quiſpiam obiecerit globulos, aut ſpiritus vitales in ſanguine contentos ſenſu præditos eſſe debere, non ſecus ac ii ſentiunt quando filtrati fuere in nervis: nam quandoquidem ambo vna eademque eſſentia præditi ſunt, non admodum veriſimile eſt eos qui inſident nervis donatos eſſe vi ſentiendi, qui autem ſanguini commiſti ſunt, eadem orbatos eſſe.

Etſi jam huic objectioni à me ſatisfactum fuerit, vbi innui ſpiritus vitales in ſanguine contentos ſenſu præditos non eſſe ob interruptionem radiorum ſingulis momentis contingentum, huc allaturus ſum experimentum à Boyleo factum circa lumen, ex quo non parum lucis huic rationi accidet: Aſſumpſit is globum vitreum, poſtea educto ex eo vno impetu ope antliæ aëre, obſervavit is vitrum illico diaphaneitate privatum fuiſſe atque obſcurum evaſiſſe, ac nebula quaſi quadam oppletum fuiſſe: ex intervallis tamen ſplendorem quendam deprehendit, ſed momentaneum:

Vt ratio pateat iſtius experimenti, cenſendum eſt particulas aëris in vitro ſuperſtites, poſtquam antliæ ope exhauſtus is fuit, explicatas fuiſſe & vitri parietibus circumfuſas, eo quod ſuctu eductus fuiſſet aër illos premens, quamobrem lucis radij interrupti fuere ab inordinato motu particularum aëris: id quod confirmationem accipit ex eo quod cum particulæ aëris ſedem priſtinam occupare valuerunt citea confuſionem, tunc lucis radij manifeſti fuere, vnde vitrum diaphaneitatem obtinuit: hinc quandoquidem particulæ aëris à quibus interrumpuntur radii directi luminis, valent hac ſola actione ipſos privare facultate qua pollent lucem nobis diffundendi, eodem modo variæ materiæ quæ maſſam ſanguinis conſtituunt, poſſunt quoque ſenſus facultate ſpiritus vitales ſpoliare, vbi eorum connexionem & ſeriem abrumpant.

Animadverſiones à me modo adductæ circa diverſa ſanguinis principia, circa illius fermentationem, & globulos illius animatos, multum lucis proculdubio allaturæ ſunt ad explicationem quæſtionis quantum commodi vel incommodi redundet ex frequentiori ſanguinis emiſſione; Cum porro ſanguis ſua tantum quantitate in vitio eſſe poſſit, aut

motu,

motu, ant temperie, jam ad examen venio quomodo probi vel improbi eventus juxta hos modos ex illa eveniant.

Nulli dubium eſt Plethoram, aut ſuperfluam ſanguinis abundantiam in vaſis, deſignare neceſſitatem depletionis ſeu evacuationis, quandoquidem tunc temporis illius circulatio non eſt libera, metuſque imminet ne propterea illius flamma ſuffocetur: Verendum præterea ne ſanguis eo modo conſtitutus novas & inſolitas ſibi paret vias in viſcera, vel exitum ad exteriora affectet, excitata alicubi hæmorrhagia, vix cohibenda, quamobrem, vt periculis ejuſmodi obviam eatur, e re eſt vaſa deplere cita & liberali ſanguinis emiſſione, ſemel aut iterum iteranda ſi plethoram gravia comitentur ſymptomata.

Sedulo tamen cavendum ne in quavis plenitudine ſanguis dematur, ſicuti quibuſdam in more eſt: Obſervatum enim eſt eos qui in pravam hanc conſuetudinem venere, febri cæteris magis obnoxios fieri, non ſecus ac plenitudini cui medelam afferre conantur: Hinc ad venæ ſectionem neutiquam, niſi ſumma vrgente neceſſitate confugiendum eſt; ſi enim liberalius profuſus fuerit ſanguis, vbi illius vacuandi neceſſitas ingruit, non tam proſperos exſerit effectus ac ſi abuſus remedij non præfuiſſet.

Si quis quæſierit quo modo ſanguinis miſſio, febri tantopere adverſa, & plenitudini, vtrumque hunc affectum invehere valeat vbi frequentius in vſum ducatur? Poſſet reſponderi venæ ſectionem cum jacturam inducat principiorum activorum ſanguinis, ea quæ ſuperſunt nimiopere debilitari, neque ſatis roboris obtinere vt in chylum vires ſuas exſerere valeant, atque illius ab invicem extricare principia: Quamobrem pleræque partes chyli compactæ manent atque ab invicem indiviſæ, quo fit vt non ſicuti par eſt per renes diſſipentur aut per tranſpirationem; ideóque ſegregationes & excretiones tempore converſionis chyli in ſanguinem fieri ſolitæ, cum non vt decet perficiuntur, augent maſſam ſanguinis atque ad ebullitionem illam impellunt, qualiſmodi in febre contingit.

Neque etiamnum protinus ſanguis emittendus eſt cum motu ſolito citatiori fertur, attamen ſi obſervatum fuerit tanto impetu intra vaſa deferri vt plus iuſto ideo diſtendantur, vel novas moliri vias, nulli dubium eſt quin venæ ſectio eximij futura ſit vſus.

Ideoque inſignis vtilitatis eſſe deprehenditur in intenſis doloribus capitis, in ſopore lethargico, angina, aſthmate, pleuritide, in doloribus nephriticis, tandem in quibuſvis inflammationibus: Nam prout venæ ſectio demit de copia ſanguinis, motus illius rapiditas paulatim

ſiſtitur, quo fit vt ſanguis minus ſolito atterat & depopuletur alimentum partium ſolidarum, atque inſenſibiliter abſorbeat ſerum quod in partes redundavit: Porro cum ſanguinis emiſſio abſcindat quoque portionem materiæ cui nulla convenientia eſt cum principiis ſanguinis, & quæ incendium facilius concipit, illum diſponit ad faciliorẽ expulſionẽ reliquiarũ iſtius materiæ extraneæ, aut vt adeo ſubigantur, vt evadant naturæ conſimilis propriis illius principiis: Cum vero inflammationes ſint affectus admodum vrgentes, vnica autem venæ ſectio vix ſufficiat vt plurimum illarum curationi, tunc temporis conſultum eſt ad illam iterato confugere, pro medici prudentia.

Non ſola tamen ſanguinis exuperantia, neque partes extraneæ illi commiſtæ, vel elaſticæ, impetum illi conciliant, vaſa illum continentia ſæpe circulationem promovent: Hiſtoria à Williſio allata de affectu matronæ cuiuſdam, quam curandam habuerat, comprobat proculdubio vaſa ſanguifera liquorem hunc cum impetu & motu impellere inſolito, nam poſtquam matrona dicta diutius pertulit dolorem colicum atrocem cum motibus convulſivis, præſcripſit, ob pulſum valide micantem, ſanguinis miſſionem è vena iugulari, (id quod præſente illo præſtitum ad ℥ iv. Aperto vaſe mirum fuit quanto cum impetu ſanguis exilierit; Ipſa vero apoplexia extincta paucis poſt horis, Williſius ſequenti die cadaver diſſecuit, atque inter cætera animadvertit ne quatuor ſanguinis vncias ſupereſſe in corpore: Quo fit vt vix rationi conſonum ſit à tantillo ſanguine tam crebras & validas impreſſiones factas fuiſſe in tunicas nerveas interiores cordis & arteriarum, vt cogerentur hæc vaſa ad illum tanto impetu circumducendum: ideóque admodum veriſimile eſt cor & vaſa ipſa ſanguinem impuliſſe, neutiquam concurrente ipſo ſanguine, id quod illis innatum eſt.

Alia argumenta ſi requirantur ad probandum canales ſanguinis aliquando nimia celeritate motum iſtius liquoris promovere, ſufficiat ſola conſideratio vehementiæ animi pathematum, cujuſmodi ſunt gaudium, ira &c. tunc enim temporis ea tantum ratione videtur ſanguis proprium vrgere motum, eo quod ſpiritus luminoſi & ſenſifici, plus ſolito commoti, nimia celeritate irrumpunt è cerebro in canales nerveos, ac præſertim fortaſſis eos qui ramos in cor diſtribuunt & vaſa ab hoc viſcere orianda: Quo fit, vt cordis συςολαὶ multo ſint crebriores, ac ſanguis motu multo celeriori progrediatur.

Cum nimia celeritas qua ſanguis per vaſa defertur, excitatur tantummodo a motibus ſpaſmodicis cordis & arteriarum, temeritatis eſſet & imprudentiæ ad venæ ſectionem confugiſſe & tam frequenter ac in inflammationibus: In eiuſmodi tamen caſibus tantillum ſanguinis educere

educere conceditur, modo per vires liceat, ac malum vrgere ſi videatur: Ope enim illius remedii impeditur ne ſanguis cerebro & nervis tantam ac ante ſpirituum copiam ſuppeditet; nec non eodem tempore plurimæ acciduntur partes ſulphureæ ſalinæ, quæ viam ſibi feciſſent in poros fibrarum carnearum cordis & arteriarum.

Quamobrem, quandoquidem Sanguinis miſſio partem illorum ſpirituum ſupprimit, ac partium dictarum ſulphureo ſalinarum, quæ aptæ ſunt excitandis motibus ſpaſmodicis in corde & arteriis, ſi quando adfuerint, patet quomodo id remedium curet convulſiones, quæ impellunt cor & arterias vt rapidum motum ſanguini concilient: Intempeſtivum nihilominus foret largam ſanguinis miſſionem inſtituere ea ſolum ratione vt materia ſpaſmodica auferretur, eo quod viribus præſertim conſulendum eſt, quas plurimum atterunt convulſiones; a venæ ſectione forſan omnino extinguendas.

Vt finem faciam diſquiſitioni opportunitatis mittendi ſanguinem, ſupereſt mihi ſolum examen temperamenti ſanguinis, & quas & quomodo alterationes ſubeat: Si quando ſal & ſulphur vſque adeo exuberent, vt prævaleant ſpiritibus vitalibus, aut globulis animatis, tunc temporis tempeſtiva non eſt ſanguinis eductio, quo fit vt cum fructu imperetur in intemperiebus calidis, in plurimis febribus, in ictero, in ſcorbuto &c. Ratio autem felicis eventus ſanguinis miſſionis in eiuſmodi caſibus, non ex eo ſolum pendet quod ab hac dematur pars materiæ affectum patientis, ſed præſertim quod in ſanguine novam fermentationem excitet, per quam ſpiritus vitales extricantur a vinculis actionem illorum impedientibus, ac novorum productioni anſam præbeat: Quamobrẽ vbi hi ſpiritus priſtino motui reſtituti fuerint, radios per totam maſſam ſanguineam diffundunt, ac deprimunt ſulphur & ſal antea dominatum obtinentia, quo fit vt his principiis largiantur ordinem quem naturaliter obſervare debent, atque hoc modo ſanginis temperiem reſtituant.

At ſi conſtitutionem ſanguinis in vitio eſſe contingeret, eo quod ſpiritus & ſulphura intricata eſſent cum aliis principiis, eo modo vt ab iis ſe extricare non valerent, tunc omnino extra rem eſſet ad ſanguinis miſſionem confugere, nec enim vllo pacto poſſet in integrum reſtituere ſanguinẽ omnino crudum & aqueum, qualis à me ſuppoſitus eſt, cum è contrario retunderetur tantillũ id virium quæ ſupeſtites forent; Quamobrem magno ſtudio in hydrope ſanguinis miſſio arcetur, in cacochymia, ac morbo in quo æger abſurda tantum ingerit.

Neque ſilentio prætereundi quidam caſus in quibus dubium eſt an

Cc

profutura ſit ſanguinis miſſio; nam cum aliquando dubius ſit eventus ſalutis & mortis,pro dextro vel ſiniſtro illius vſu res omnino ſeduam diſquiſitionem meretur.

Ideóque ſi ſanguis in febre continua adeo intenſe incaleſcat, vt ignem ſuum prodat per vniverſum corpus, implacabilem ſitim excitet, vigilias inducat & ardorem in gutture, iniqua eſſet omiſſio ſanguinis miſſionis, dummodo æger ſudorem non fundat, ant petechiæ nullæ appareant.

Si ſanguis ſinu ſuo multam materiam aduſtam exceperit, obſervandum etiam num ab ea per ſudoreſſe liberet, per lotia, alvum aut alias vias: Si materias ejuſmodi per vias ſolitas expulerit, omittenda eſt venæ ſectio, ſed ex oppoſito, ſi concluſa maneat, ac metus adſit cujuſpiam irruptionis in cerebrum, aliámve partem, proculdubio appoſita eſt ſanguinis miſſio; tunc tẽporis enim inſtituta materiam illam à ſanguine avertit, atque influxũ illius in cerebrum aliúdve viſcus arcet:

Sed tandem,ſi dicta materia adeo commoveatur aut percellatur vt imi ventris viſcera impetat, vel in corporis peripheriam impellatur, illuc delata in cauſa erit modo vomituum, modo dyſenteriarum admirandarum, modo exanthematum, cujuſmodi conſpiciuntur in morbillis aut variolis: Poſtremis hiſce in caſibus ſanguinis miſſio ſemper periculum infert, quia ſi conatus naturæ eſt legitimus & criticus, per venæ ſectionem interturbandus is non eſt: ſin pravus & ſympromaticus, deterior efficiendus non eſt vſu iſtius remedij: Ideóque his in occaſionibus venæ ſectio repudianda eſt, niſi dedecus quis ſibi comparare voluerit.

Quandoquidem periculum imminet ab illius vſu in morbillis, variolis, in dyſenteria, &c. in quibus affectibus ſanguis concretus eſſe videtur, eadem ratio impellit vt videatur fugiendum id remedium in omni melancholiæ ſpecie, in qua ſanguis coagulatur, quamobrem prohibetur idem in febribus malignis & peſtilentibus, nec non in peſte; Ejuſmodi enim morbi ſæpenumero ortum ducunt à ſanguine coagulato, forte ab illo non abſimili qui in cane deprehenditur poſt infuſam aquam fortem aut ſpiritum vitrioli in venas.

Obiter hic obſervandum venit, contra ſententiam plurimorum eruditorum, abundantiam nitri, quæ aliquando in aëre occurrit, non eam eſſe materiã ob quam concreſcit ſanguis; Experimento enim malpighij, qui in canis non admodum robuſti venam jugularem cum infudiſſet tantum nitri quantum vnciæ ſex aquæ diſſolvere valuerunt, nullam immutationem eius naturæ obſervavit, ſed tantum inſignem vrinæ

vrinæ copiam ab ipſo emiſſam,quo fit vt probabile ſit nitrum materiam non eſſe ob quam concreſcit ſanguis.

Vt vt vero ſit,ratio propter quam in febribus malignis & peſtilentibus omittitur ſanguinis miſſio, ſemper eadem erit, nam cum ſpiritibus venenatis hoc ſit inſitum, mediantibus illorum figuris aduncis,vt ſanguinis fibrillas implicent atque in glomeres exiguos involvant,eapropter impeditur nova ſpirituum generatio, ac proinde maſſa ſanguinea languida evadit & vires titubant: Ideoque tunc temporis abſtinendum à ſanguinis miſſione, eo quod pars globulorum viventium imminueretur, qui concedunt aliqualem fluiditatem ſanguini, plus iuſto imminutam.

Porro ſicuti febres malignæ & peſtilentes per vniverſum corpus maculas purpureas excitant, puſtulas, bubones &c. celebrata venæ ſectione proculdubio retrocederent venenatæ impuritates, a quibus cientur eiuſmodi tumores, quo fit vt tunc inſtituta in cauſa eſſet maioris infectionis ſanguinis, vtque ipſius flamma, & quicquid maxime puri in illo ſupereſt, omnino extingueretur.

Nec veriſimile eſt ſingulis venenis eaſdem ineſſe proprietates, a quibuſdam enim coagulatur ſanguis, à nonnullis fluidior redditur: Exiperimentum ſequens huic coniecturæ anſam dedit, Fracaſſatus in canis venas infudit ſal tartari reſolutum, à facta iſthac iniectione planctus plurimos edidit canis, intumuit, poſtea interiit: Illo diſſecto animadvertit ſanguinem multo fluidiorem eſſe, ac magis quam pro more rutilum. Docet illud experimentum dari poſſe venena lethifera ſanguinem plus iuſto fluidum efficientia: Ideoque ſi contingat febrem malignam vel peſtilentem excitari a venenis diſſolventibus, atque incendium in maſſa ſanguinea parientibus potius quam coagulantibus, forte tunc ſanguinis miſſio auxilium aliquod erit allatura: Veriſimiliter enim in eiuſmodi febris malignæ ſpecie Riverius tantum emolumentum ex venæ ſectione animadvertit,ſicuti demonſtrat tractatu de febribus malignis: Sanguinis miſſio in dictis febribus vtilis eſt, eo quod niſi tunc celebraretur,metus immineret ne ſpiritus venenati, à quibus tunc incendium ſuſcipiunt globuli ſanguinis, illos omnino extinguerent: ſubtrahit enim venæ ſectio partem ignis voracis in venis oberrantis, ideoque venenum adeo infringitur vt demum ſanguis poſtea vires ſuas recuperet.

Et hæc forſan ſatisfactura ſunt quæſtioni Mercurij, cum explicatum ſit quantum periculi invehat etiam ſemel inſtituta venæ ſectio in quibuſdam affectibus? ac vice verſa quantum vtilis ſit, imo ſæpius repetita in nonnullis aliis morbis,

Ideoque, cum ratione & experientia duce manifeſtiſſimum ſit ſanguinis miſſionem pluri͏mum ſæpenumero prodeſſe, non amplius aures præbendæ erunt Helmontio, illiuſque ſequacibus, aſſerentibus nunquam vſurpandum id auxilium, quia, aiunt, Naturæ vim infert, quæ ſola, citra id præſidium, omnes ſuperat morbos, aut ſaltem debellare valet ſi modo remediis adiuta fuerit: Prætermiſſa vero hac chimæra quam ſibi fingunt, ſcilicet ſanguinis miſſionem Naturæ iniuriam afferre, vtinam docerent illi quænam ſint illa remedia generoſa quæ vi paædita ſint imminuendi ſanguineam maſſam ſicubi in vaſis redundaverit, cruoremq; eructet, ſicuti id fit in angina, inflammatione pulmonum, in pleuritide &c. ſi enim initiantibus illis morbis in vſum ducerent remedia ſudores moventia, vel diuretica, aut vacuantia per alvum aliàſve vias, certiſſimum eſt vi horum remediorum auctum iri affectum, ratione extraordinariæ efferveſcentiæ tunc temporis in ſanguine excitari ſolitæ: Cardiaca, á quibus vigorem recipiunt ſpiritus, augeturque ſanguinis fermentatio, laudabiliores effectus editura non eſſent: Tandem narcotica, cuiuſmodi eſt opium &c. ſomnum conciliantia, nec non remedia, à quibus fixior redditur humor ſanguinem nimia violentia & vehementia commovens, ſicuti Quinquina &c. nequaquam tunc commode in vſum adducuntur, imo inſigni cum periculo, eo quod ab iſtis remediis de ſuperfluo ſanguine nihil demitur, cujus exuperantiæ cauſa facile extra vaſa egreſſum molitur: Ideóque, cum præterea incommoda immineant ab vſu aliorum remediorum, ob omiſſam ſanguinis miſſionem initio morborum ſupradictorum, inferendum eſt, contra Helmontii ſententiam, *ſanguinis emiſſionem ſæpenumero efficax eſſe remedium.*

Finis Septembris Anni 1680.

ZODIACI

ZODIACI MEDICO GALLICI

SIVE

Recens in Re Medica & Naturali Exploratorum.

OCTOBER Anni 1680.

OBSERVATIO PRIMA.

D. HAMELII, Mag. Chirurgi.

De Vulneribus Inteſtinorum omnino diſſectorum.

Vide OBSERV. XIX. Iulij.

ASSERIT eam in rem à ſe conſpectum Porcum, cui cum fortuito inflictus fuiſſet ictus cultri in latus, per quem diſſectum fuerat inteſtinum, jampridem per vulnus fæces alvinas emiſiſſe, etſi nulla plane quoad cæteras partes læſio ſubſequuta fuiſſet.

Addit anno 1654 mulieri Paroeciæ S. Ymerij non procul à Ponte Epiſcopi; illico aliquando excitatum fuiſſe intenſiſſimum dolorem in imo ventre, nihilominus ſedatum admotis ſacculis ſemine lini refertis; Sed eodem tempore in inguine ſubortum fuiſſe tumorem, non diu poſt in abſceſſum tranſeuntem, per quem eo momento quo apertus eſt prodiere aliquot pyrorum ſemina ab ægra ante ingeſta: diebus autem inſequentibus plurimas fæces alvinas & alimenta male concocta, ipſam nihilominus exiguo temporis ſpatio curatam fuiſſe.

Meminit & ſimilis abſceſſus in alia muliere Lexovienſi contingentis, ad perfectam cicatricem deducti, At iterum dehiſcentem quod parvo poſt tempore imprægnata fuerit.

Observatio II.

Eiuſdem.

Vulnus Ventriculi.

AT vero id quod idem affert de iuvene quodam Lexovienſi, cui nomen la Crotte, multo magis admirationem meretur, aſſerit enim prædictũ iuvenem enſe in epigaſtrio percuſſum fuiſſe à quo fuit læſus ventriculus parte ſui ſuperiore, vt fere immineret eiectio potus & juſculorum illico ab ipſo aſſumptorum, ipſum tamen perfectam adeptum fuiſſe ſanitatem, nupſiſſe, & viri munia rite obiiſſe.

Observatio III.

Ejuſdem.

Mercurij motus in corpore.

Confirmaturus ea quæ attuli de motibus Mercurij, ac præcipue illam obſervationem, qua probatur quantitatem ſuperfluam humorum curſum intercipere, nedum ptyaliſmum ciere, affert exemplum nuperrime funeſtum in duobus Lexovienſibus, qui quod ſe commiſiſſent duobus Medicis & Pharmacopœo parum in arte peritis, ſub eorum cura miſere interiere.

Multa adducit indicia illorum imperitiæ, ſed hoc vnicum admodum evidens eſt; Extractum eſt ex ſerie medicamentorum, a Pharmacopœo exhibitorum hæredibus prædictorum defunctorum: Non enumeravit ſeriem inſignem,& ſtupendum articulorum in quibus decocta, clyſteres, purgantia, ſyrupi, emetica, olea, potiones cardiacæ ſimiliaque remedia, hanc ſolum partem exhibiturus, erroris illorum præcipuum judicium.

Martij xx. Vnguenti ad frictionem mercutialem vnciæ duæ.
xxi. Eiuſdem vnguenti vnciæ quatuor.
Eadem die laudani dozis vna.
xxiii. Quatuor vnciæ prædicti vngu.
Eadem die laudani dozis.
xxv. Iterum dozis laudani.
Aprilis viii. vnguenti pro frictione vnciæ duæ.
x. Iterum ejuſdem vnciæ duæ.
xi. adhuc vnciæ duæ dicti vngu.

OBSER-

Obſervatio IV.

Eiuſdem.

De Sectione cæſarea.

QVoad iſtam operationem narrat diverſis temporibus duos medicos adhuc muſteos, recens è ſchola reduces, advocatos ad conſilium in gratiam duarum mulierum ægre parientium, propoſitam fuiſſe ſectionem Cæſaream, quaſi vnicum ſalutis eſſet præſidium; ipſas tamen feliciter fœtum excluſiſſe, opem ferentibus duobus Chirurgis.

Non diu poſt cum alter dictorum Medicorum iterum pertinaciter tueretur neceſſariam eſſe prædictam operationem, atque illam vrgeret exercendam in muliere, quæ quinto graviditatis menſe in diſcrimen abortus a vi externa deducta fuerat, inſtitutam prædictam operationem tam infeliciter ceſſiſſe, vt nondum ea acta miſella interierit.

Obſervatio V.

Authoris

Remedium fluxum vterinum ſiſtens.

ACcipe vrticas teneras & virentes, minutim diſſecentur, in ſartagine, cum olei nucum iuglandium optime excalefacti ſufficienti quantitate eo modo quo ſpinachia friguntur, obſervando quandiu coquuntur vt leviter iis aſpergatur pollen farinæ triticeæ, quouſque omnia prope redeant ad ovimixtii conſiſtentiam: has duobus linteis incluſas, quam calidiſſime fieri poterit admove, adeo vt tota vulva contegatur & pars regionis hypogaſtricæ, mane & veſperi renovando quouſque fluor deſinat, id quod à primo die accidit, ſed quam tardiſſime tertia: Id remedium nunquam fere fallit, experimentis mirandis à me comprobatum.

Obſervatio VI.

D. BOIRELLI Chirurgi Regij Argentanenſis.

De Inciſione muſculi Crotaphitæ.

IN confirmationem obſervationis editæ à D. Baronio, narrat Dom. Boirellus à ſe nuperrime inciſum muſculum Crotaphitam in abſceſſus

ſceſſus apertione, nullo ſubſequuto ſiniſtro accidente; etſi ex prædicto abſceſſu prodierit portio oſſis petroſi exſquammati, latitudinis vnius, longitudinis vero duorum digitorum tranſverſorum: Vnde infert Hippocratis aphoriſmum, quo pronuntiat, *Si tempora dextra ſecantur, ſiniſtra convelluntur* &c. non perpetuo ſemper veritatis eſſe.

Observatio VII.

Dom. CONTEI, Medici Burdegalenſis.

Dolores Vagi.

DOm. Contéus ait ſe nuper vidiſſe, cum Dom. Rangeardo collega ſuo, virum quendam qui à tringinta annis dolores periodice redeuntes perpeſſus eſt, quorum cauſa videtur è pede dextro vaporis forma ſuſcitari, ac ſemper deſinere in tubere oſſis iſchij, progreſſu demum facto ad cervicem, in qua vt plurimum miteſcit, adeo vt in pruritum deſinat: At vero quamdiu pedem obſidet, vel iſchij articulum, dolores adeo atroces infert, vt impellatur æger præ illorum vehementia partes afflictas allidere ad quidvis obvium, ſolidum & durum, quo ſenſibilitas retundatur contuſionis vi:

Monuit æger Dom. Contéum paroxyſmos præcedaneum ſemper habere inſignem capitis dolorem, illorum prodromum certiſſimum, Ideoque ſententia fuit Clariſſ. Academiam componentium, in ædibus meis conſtitutam, id genus ægritudinis cauſam agnoſcere omnino illi ſimilem quæ parit Epilepſiam; à ſola vero ægri conſtitutione petendam eſſe differentiam quæ in effectibus obſervatur.

Dubius vero ſum num ejuſmodi differentiæ in habitu querendæ ſint; id vero aſſerere poſſum mihi notum eſſe hominem, cui jam à vicennio ſerum quoddam, quod è capite derivari animadvertebat, ac per brachij dextri longitudinem decurrere percipiebat, demum ad manum celeritate inſigni vno quoque horæ quadrante deferebatur, in illo dolorem jungentem pariens, quem impatientiſſime ferebat, doloris levamen quærens à frigida, in quam manum immittebat ipſo invaſionis momento, quamobrem neceſſe illi erat in promptu ſemper habere vas aqua frigida plenum.

OBSERVA-

OBSERVATIO VIII.

Epiſtola ad Authorem.

Domini Abbatis BOVRDELOTII, primarij Medici Sereniſſimi Principis Condæi.

Brachij Tumor.

AD Te mitto, Domine, Fabri ferrarij famulum, cui exortus tumor in brachio, quem tibi videndum exhibiturus eſt: Ab ipſo deprehenſus eſt ante ſeſquiannum, paulatim citra dolorem increvit; Nunc præ magnitudine inſigni, in quam increvit, dolorincus eſt, Cauſam vero adſcribendam credo ſolum diſtenſioni partium affectarum: Puer ille laudabilis eſt temperamenti & robuſtæ conſtitutionis, adeo vt vix crediderim a cacochymiæ præſentia malum deducendum: Dictus tumor, qui durus & inæqualis, ſcirrhus non eſt dicendus, ſed Nodus, malignitatis expers, cujuſmodi ſunt exoſtoſes.

Ex noſtra ſententia, cum præceſſerit fractura brachij, (os enim, quo loco extat tumor, omnino effractum fuit) citius coaluit, interſtitiumque reliquit fiſtulæ, per quam iter habuit ſuccus nutritius, à quo os coagmentationem & conſolidationem obtinere debuit: Prædictus humor paulatim exſudans è fiſtula, quæ refert fruſtum agarici, tuberi illi materiem ſuppeditavit, quod, vt exiſtimo, mere oſſeum eſt, Illam porro aperiendam cenſemus ope cauteriorum, vel inciſionum: Si oſſeum fuerit aut lapideum, de ratione extirpandi cogitandum erit, vel ſimul & ſemel, vel paulatim, perforando, poſtea intromittendo corrodentia, vel putrefaciendo vſque quo ad radicem perventum fuerit, conſolidationi attendendo: Operationes eiuſmodi indolentes ſunt, à quibus ne quicquam detrimenti imminere non cenſemus, cum ſubiectum ſanum & robuſtum ſit &c.

OBSERVATO IX.

Dom. GERBERONII D. Medici.

Puer barbatus Viriliſque habitus.

SEptembris 28. anni 1676. Nicolæa Vallæa, Vxor Noachi Marchandi in Diocœſi Veromandua, non procul à Courtanvalle, peperit

puellum qui in lucem exiit capillitio aurei coloris donatus: exactis ſex menſibus caput illi adeo increvit vt æquaret caput viri triginta annos nati. Mentum barba inveſtiebat, nec myſtax deerat ſatis denſa: hirſutum erat dorſum pilis aurei coloris coopertum. Pudenda nactus erat longitudinis & craſſitiei cujuſmodi in viro triginta annos nato; Pubes tam denſa pilorum eorumque longiſſimorum ſegete veſtita erat, vt prodigio proxima res eſſet; Brachia ſolummodo & tibiæ depilia erant: Crura non multum excedebanr maguitudinem illi ætati familiarem, Truncus autem corporis ad proportionem capitis augmentum ſuſcepit, ſcilicet qualem obtinet vir annorum triginta: Mater alumnum habere voluit, educavit autem ad tertium vſque annum & ſemis, aut circiter; Obiit enim 21. Aprilis anni 1680. Corpus in longitudine pedes tres obtinebat, ingenium autem quale in pueris illam ætatem adeptis; Vox vero multo gravior: hoc vero me in admirarionem tracit quod ſæpe Veneris illehebris tentaretur, infantibus haud conſuetis: Sæpiſſime deciſi capilli in variis corporis partibus, qui cito renaſcebantur; D. Pouſſetius Sacerdos, omneſque vicini veritatis teſtimonium perhibent.

APPENDIX.

TRACTATVS.

De effectibus Aquarum Mineralium.

ANONYMI.

Vix homines nati illico obrutos ſe malis ſexcentiſque injuriis expoſitos ſenſere: Illorum ſors quam cæterorum animalium magis lugenda foret, niſi Natura, quæ tot ærumnis obnoxiis illos reddidit quibus cætera animalia non patent remedia ex rebus etiam maxime obviis conceſſiſſet.

Aqua, quantumvix ſimplex, non minus ad valetudinem proſperam quam ad vitam neceſſaria eſt, partes humectat in quas influit, voracem partium ignem extinguit, humorum æſtum compeſcit, illos temperat ſi acidiores fuerint, acres vel ſalſi, craſſitiem inducit ſi liquidiores aut fluidiores juſto, attenuat & incidit ſicubi craſſiores evaſerint: Qui laborant arthritide, hemicrania, ſuffocationibus prehenduntur, &c. inſigne ex hoc liquore juvamen percipiunt: Hydropotæ firmiori vt plurimum

plurimum cæteris valetudine fruuntur, cæteriſque ſunt vivaciores.

Nec minores Lavacri ſunt vires, quanquam hauſtæ vſus ſit inſignis: Cutis poros rarefacit, inſenſibilem tranſpirationem promovet, leniter in ſingulas illabitur partes, illas humectat & refrigerium inducit, laſſitudinem levat, dolorum vehementiam retundit, Naturam admodum debilitantium; Paucis, ſicuti ait Galenus libro 2. de Tuenda Valetudine, morbos etiam difficillimos ſanat, imminentéſque arcet.

Si tot tantiſque viribus donata ſit Aqua communis, quos non effectus editura eſt ſi quando facultatibus mineralium impraegnata fuerit? tantum illi inde robur accedit vt pertinaciſſimi etiam affectus & inveterati ab illa ſuperentur: Cauſam illorum productricem aufert, imminuit fermenta eas foventia: At vero vt apertior evadat vis admirandi iſtius remedij, diſquiramus qua ratione à Natura in terræ viſceribus id generationem obtineat.

Plurimis in locis reperitur Sal acidiuſculum, in aqua ſolubile, non ſecus ac reliqua ſalia ſicubi illis imbuta fuerit; Illo donata tam inſigni vi penetrandi pollet, tantæque eſt activitatis vt corpora etiam duriſſima illi cedant, etiam compactiſſima & ſolidiſſima ejus ope diſſolvantur: Si cujuſpiam metalli mineram præterfluat, eodem tempore illam corradit, pluſque aut minus illi detrahit, prout copioſiore aut pauciore iſtius ſalis copia imbuta fuerit.

Si parca aquæ quantitas mineram iſtam lambat, obvij metalli parti duriſſimæ adhæret, vna cum illa forma ſalis concreſit, ſicuti id a me demonſtratum in diſſertaiontibus meis de Acido & Alkali, cum traderetur à me ratio conficiendi vitriolum Martis aliaque ſalia mineralia compoſita: Si affatim & abunde affluat, præterfluit ac ſecum abripit eam mineralis partem quod majorem affinitatem habet cum ſale quo impraegnata eſt: Subſidentes fæces in locis vbi ſcaturit quodnam ſit minerale ipſam componens patefaciunt.

Non vnius eiuſdemque naturæ ſunt omnes aquæ minerales, reperiuntur ſalinæ, acerbæ, acidæ &c. dantur calidæ & frigidæ: Nonnullarum vſus eſt in Balneo, non paucæ Potu aſſumuntur.

Si aquæ ſalis communis mineram perfluant, aut gemmei, ſapore evadunt ſalſæ: Si Aluminis mineram, aut Nitri, aciditatem ſibi adſciſcunt, proximam illi qua prædita ſunt dicta ſalia: Si obviam habeant mineram aliquam metallicam aut marcaſitam, varios ſapores induunt prout plus aut minus de dictis corporibus participes ſunt.

Si quando prædictæ aquæ terræ cuipiam ſulphureæ commiſtæ fuerint, illico ebulliunt, atque a concuſſione inducta partibus acidis aut igneis illius terræ, incaleſcunt.

Si contingat illas in mineram aliquam Auripigmenti, Arſenici &c. influere, venenatam naturam induunt, atque epotæ eadem ſymptomata inducunt quæ dicta mineralia ſi hauſta fuerinr: Hoc modo induunt qualitates cæterorum corporum ab ipſis diſſolutorum, eoſdemque effectus producunt.

Plurimis in locis multa mineralia ſimul miſta reperiuntur, a quibus vis & facultas prædictarum aquarum augetur, atque ad plurimorum morborum curationem idoneas reddunt; Quo plus evehunt ſubſtantiæ mineralis, eo efficaciores evadunt.

Non hodie ſolum Aquæ minerales in vſum ducuntur, mirandi effectus ab illis editi a multis ſeculis celebres illas fecerunt: In vſum veniunt Potu, Balneo: at quoquomodo vſurpentur ſanant, aut ſaltem ſolatium non exiguum præbent vtentibus.

Aquæ minerales calidæ non ſolum idoneæ ſunt vitiis cutaneis curandis, exſiccandis vlceribus, ſcabiei, puſtulis, impetigini &c. à quibus habitus corporis fœdatur, ac reſolvendis tumoribus huic innaſcentibus, poros prætereа illius traiiciunt ac inſenſibiliter omnes corporis partes pervadunt: Lenem & mitem calorem illis inducunt, à quo corroborantur, humiditates noxias diſcutiunt, humores tenaces & viſcidos obſtructiones parientes diſſolvunt, paucis, partes, cunctas priſtino robori reſtituunt, Quamobrem vtilitatem præſtant in nervorum debilitatibus, membrorum tremoribus paralyſi, artuum affectibus, nephritide, colica, renum calculo, hydrope, obſtructionibus, omnibus tandem morbis qui frigidi & humidi cenſentur.

Aquæ prædictæ magis aut minus ſunt efficaces pro intenſiore aut remiſſiore fervore: Vt plurimum bis in die aſſumuntur, mane & veſperi: Si paulo impenſius caleant, intepeſcere permittantur, Hora vna aut circiter inſumitur in aſſumptione.

Aquæ minerales frigidæ iiſdem morbis medentur quibus adverſantur mineræ quarum vires imbibere, imo iſtis multo efficaciores ſunt, eo quod partem maxime puram corporis ab ipſis diſſoluti tantum ſibi aſſumant, quod propterea explicatius, penetrantius ac proinde majoris activitatis evadit.

Prædictæ aquæ non majorem effectum præſtant quam calidæ, viſcerum intemperiem corrigunt, illa refrigerant, eluunt ac robur afflant: Omnibus affectibus chronicis conducunt: Soli pectoris morbi & acuti illarum vſum non admittunt.

Quemadmodum Aquæ minerales diverſis facultatibus ſemper conſtant, earum nonnullæ cum quoſdam affectus ſpectent, aliæ alios, Medici, eas præſcribētis, prudentiæ intereſt vniuſcuiuſque ſpeciatim naturā perpen-

perpendiſſe, tempus, tempeſtatem idoneam, ætatem, ſexum, vires ægri, temperamentum, morbi indolem, magnitudinem, genium &c. His obſervatis proculdubio vtiles futuræ ſunt, nedum noxiæ, imo ſemper ſalutiferæ,

Dissertatio Altera.

Num Aquæ minerales, quomodocunque in vſum ductæ, vtiles ſint an noxiæ?

Dom. PANTHOTI, Medici Lugdunenſis Aggregati.

Aquæ Minerales ſi recte in vſum flectantur vtiliſſimum præbent remedium, ſiniſtre vero adhibitæ peſſimum; Dubij ſæpe ſucceſſus ſi cauſæ earum neceſſitatem indicantes ac cautiones in illarum vſu obſervandæ prætermiſſæ fuerint quoad ſingulas circumſtantias, quo fit vt probæ aut improbæ cenſendæ ſint; & cum non vt remedium ſingulare, ſed vniverſale habentur.

Antequam vero ſolutio Quæſtionis afferatur, conſtituendum prius quid hoc nomine veniat, quæcunque ſcilicet Aquæ manifeſte ſaporem referunt, aut vires mineralium vel metallorum deliteſcentium in locis quæ præterfluunt, cujuſmodi in pluribus ſcaturiginibus obſervare eſt, celebritatem nactis ob auxilium perceptum ab innumeris ægris deſperatæ ſalutis, brevi tempore earum ope illis reſtitutæ.

Hoc in Regno pluriмæ occurrunt, calidæ & frigidæ, Potui & Balneo idoneæ; Earum priores maximam virium partem a Ferro obtinent, Vitriolo, Alumine, ſeorſim aut conjunctim occurrentibus, Poſteriores à Sulphure, Bitumine, variiſque aliis commixtis, ex analyſi illarum facta deprehenſis, per quam ſal earum compoſitionem ingreſſum in notitiam venit, ex mora & tranſitu per dicta loca ſubterranea.

Extra controverſiam eſt ab Aquis mineralibus tam admirandos effectus prodiiſſe in affectibus etiam deſperatiſſimis, ac curationes adeo ſtupendas in maximis & pertinaciſſimis morbis, vt nemini dubium eſſe debeat à tot exploratis feliciſſimis eventibus, & experimentis ſtupendis, quin tempeſtive exhibitæ inſignem opem allaturæ ſint.

Provoco, Domine, ad propriam Tuam experientiam, qua judice id remedij genus admodum proficuum & vtile ipſemet expertus es, cum cæterorum medicamentorum effectus plane irritus fuerit: Sæpenumero enim obſervatum earum efficacia minori quam trium heb-

domadarum intervallo ſuperatos fuiſſe affectus qui toto triennio debellari non potuere, ac brevi tempore ſanitatem firmam illis conciliaſſe qui toto vitæ curriculo imbecilles fuerant.

Vi attenuandi, incidendi, diſſolvendi humores etiam craſſiſſimos & impactiſſimos eximia pollent, a quibus morbi adeo pertinaces originem ducunt, nec non removendi pernitioſa illa impedimenta ſecretionis puri ab impuro, cui adſcribenda ſanitatis & vitæ origo, ſi rite fiat, ſicuti in illius defectu quærenda cauſa & principium malorum omnium nos invadentium.

Potu aſſumuntur aquæ minerales, ac præſertim calentes, quo ſolvantur & ſuperentur efficaci hoc remedio obſtructiones & infarctus, remediis cæteris rebelles, eo quod vno eodemque tempore humores maxime pertinaces & præparent & excludant, ipſoſque fluidos & ſequaces efficiant, obſequentes remedio diſponenti, ac Naturæ expellenti.

Aquæ minerales felici ſucceſſu exhibentur ſi corpus ante diſpoſitum fuerit vſu balneorum domeſticorum, quorum vi colliquantur ac fluidæ evadunt impuritates, arctius impactæ partibus naturalibus ac viis & ductibus earum excretioni dicatis, Hoc in caſu parendum conſilio Medicorum Principis, qui iubet humores fluidos & liquidos efficere ſi purgandi neceſſitas inciderit, eoſque eo modo apparare vt actio remedij irrita non fiat, a pertinacia excrementorum ipſi obluctantium.

Nec tantum beneficia & vtilitates quæ ab vſu aquarum mineralium oriuntur, aut vacuationi, aut obſtructionum ſolutioni ortum debere exiſtimandum, nec enim diſcreparet illarum effectus ab illo quem inducunt cætera remedia à quibus excluduntur & eliminantur impura, imo nec ab aquis fontanis aut fluviatilibus, ſed à ſingulari & abdita vi, magiſque efficaci, partibus quas percurrit impreſſa, ope ſalium & aſcultatum quibus imbutæ ſunt.

Quamobrem tam certa efficacia opem ferunt languentibus viſceribus, eorumque tonum tanto ſucceſſu reſtituunt, exolutum a fibrarum membranarum, illa conſtituentium relaxatione: Vivificam illarum vim pene emortuam ſuſcitant, tantopere neceſſariam, collapſum temperamentum exiguo tempore inſtaurant, vnitatis divortium corrigunt, ac compoſitionem nativam partium tuentur.

Secundus ſcopus, cujus gratia Aquæ Minerales exhibentur, eſt correctio moleſtarum intemperierum, & ad naturalem ſtatum reductio, ſed quas non comitantur inſignes obſtructiones, cum ſola extinctio concepti incendij quod alia præſidia coercere non valent, primario intenditur, non vacuatio multa.

Similia

Simili in caſu potius ad aquas frigidas confugiendum eſt quam ad calentes, eo quod ſola illarum frigiditas actualis auxilio eſt inſigni, & mirum in modum curat, ex lege contrariorum, etſi non concurreret vis mineraliũ,quæ non minima cauſa eſt quod tam facile permeent.

Non leve dictorum argumentum deducendum ab experentia, a plurimis ægris deſumpta, qui neque odorem neque ſaporem mineralium tolerare queunt: Multorum item ægrorum, quos egeſtas arcet à locis in quibus Aquæ minerales ſcaturiunt, vel ob illam ſibi comparare non licet, in quibus aquæ fontium & fluviorum hauſtæ æque facilè proprio pondere viam vi ſibi fecerunt, nec minus felices exitus induxerunt ac aquæ minerales generoſiſſimæ, grandi pretio comparatæ.

Statuendum ergo calidas Aquas magis idoneas eſſe ſuperandis magnis obſtructionibus & pertinacibus, quales experiuntur renes & veſica, iecur, ſplen, pulmones, ventriculus, inteſtina, vterus, in affectibus melancholicis, febribus quartanis, cachexia vel diſpoſitione ad hydropem, phthiſi àc colici doloris fere quavis ſpecie.

Frigidæ contra aptiores ſunt ſicubi mediocris vacuatio neceſſaria eſt, ſi emendanda intemperies minus cum cæteris affectibus implicitæ, ac damna ab iis inducta arcenda, Earum minor eſt vtilitas, imo quandoque contraria,ſi partes membraneæ affectæ ſint, & in circumſtantiis calidis aſſignatis, à quibus contrarij effectus manant.

Pollent tamen, non ſecus ac calidæ, viribus roborandi partes affectas, ac adſtringendo reſtituendi tonum fibris & membranis, relaxatis vi cauſarum quas jam prætermitto.

Tertius aquarum mineralium vſus pertinet ad vſum externum, cum admoventur partibus robore exutis, aut calore naturali deſtitutis, cum nervi obſtructi ſunt, ac ſpirituum animalium diſtributio libera non eſt: Id genus incommodi vt plurimum ortum debet humori in partem influenti, ſed iis impacto & in iis concreto, ob quem organa ſentiendi & movendi vi deſtituuntur.

Nec ſolum inſignes effectus edunt vi ſua balſamica, pravas partium diatheſes delendo, quo pacto via præſcinditur plurimis affectibus & ſymptomatibus inde oriundi, ſed & vtiles ſunt in vehementibus articulorum doloribus ac partium nervoſarum, inductis a vitioſis diſpoſitionibus poſt rheumatiſmos relictis, a verberibus, caſibus, vulneribus à ſclopetis inflictis aliiſque, modo nulla cauſa maligna comes adſit.

Excipit aquam in ſcaturigine pars affecta, vel illi hæc immergitur plurium dierum ſpatio, mora ſit in ea vnaquaque vice quovſque ſudor erumpat, ea tamen cautione ne madeat venter aut pectus, pe-

riculum enim imminet mali remedio ipſo deterioris.

Vis & eſt in Thermis ſudores evocare, hoc pacto ſerum redundans abſumere à quo fomentum accipiunt, ac præſertim id quod alte partibus ægris inſedit, Ideoque quaſcunque partes attigerint, illis inſigne robur imprimunt, tantaque efficacia calorem nativum effugientem revocant, & alimentum, vt quæ languidæ prius erant & marcore confectæ, pingueſcant & robur acquirant.

Sudores in Stuphis eliciti, vel per remedia vſitata non idem ſolatium inducunt, eo quod in illis deſideretur eadem vis corroborandi partes ægras, quibus præditæ ſunt aquæ illæ ſalutiferæ: Admiranda ſua vi tantopere exſuſcitant facultates, quæ ante ſopitæ videbantur, imo extinctæ, vt non minus conſideratione dignæ ſint facultate qua pollent curandi, quam præſertim vi reditum & recidivam præcavendi.

Ex cunctis his vtilitatibus, ac plurimis aliis nonminoris momenti, in curandis plurimis affectibus præter naturam, ad cætera remedia rebellibus, colligendum eſt Aquas minerales tempeſtive vſurpatas valetudini admodum conferre, Periculum tantum imminere ex indextero illarum vſu.

Finis Octobris Anni 1680.

ZODIACI

ZODIACI MEDICO GALLICI

SIVE

Recens in Re Medica & Naturali Exploratorum.

NOVEMBER Anni 1680.

DISSERTATIO.

De Natura & differentiis Alvi fluxuum & Remediis congruis.

Authore I. RAVELLY Medico Patiſino.

CAPVT PRIMVM.

De Alvi fluore in genere.

NON abs re Inteſtina Medico in conſiderationem veniunt tanquam totius corporis emiſſaria & cloacæ, quandoquidem non modo illius excrementorum inutilium non exiguam partem excipiunt, ſed præterea humores maxime vitiatos per alvum excernendos: adeo vt mirum non ſit ſi tot affectibus præter naturam pateant, inter quos Alvi fluores admodum familiares ſunt, & præ cæteris periculi pleni.

Quæ enim per illam viam excernuntur qualitate peccant aut quantitate: Quantitas aliquando adeo inſignis eſt vt ſingulæ corporis partes eapropter ad evidentem marcorem deducantur, cum virium inſigni exolutione in iis qui alvi fluore quopiam tentantur.

Qualitas ſæpe tam varia eſt, tam grandi pernicie infecta, vt in cæteris morbis nihil ſimile animadvertere liceat: Alimenta ipſa quan-

doque per illam viam exitum habent, æque fere incocta ac cum ingeſta fuere, aliquando chylus egreditur, quandoque pus, nonnunquam ſanguis, alias pituita, non raro bilis; imo etiam partes membraneæ, necnon & pingues.

Dejectionum tandem ea eſt varietas, & frequentia, vt vna deſinente periculoſior altera ſubſequatur, adeo vt cum Poëta dicere liceat; *Finis alterius mali gradui eſt futuri*: Id genus ægritudinis vrbium & agrorum incolas frequenter adgreditur, ſed præſertim milites in caſtris, inter quos præ cæteris maxime graſſatur.

Non admodum vero conſentaneum eſt aërem inſpiratione attractum cauſam eſſe vniverſalem & principalem eiuſmodi affectus, quia non æque omnes homines invadit, præterea nemo rite explicaverit, qua vi in humores noſtri corporis agat eóſque verſus inteſtina impellat: Prava alimenta, aliíque in diæta errores, quos in caſtris nullus declinare poteſt, veriſſima illius cauſa cenſenda ſunt; Si quis enim conſideraverit alimenta male in ventriculo concoqui, prave etiam in inteſtinis, deinceps non vt decet attenuata in maſſam ſanguineam permeare, idem iudicaturus eſt inſignem fermentationem cum humoribus ſubitura eſſe, quos adeo ſubagitent vt non exiguę exinde ſubſequantur ſecretiones: quod autem ſecretum eſt per imum ventrē quam per quodvis aliud corporis emunctorium liberius effluit, eo quod in ventriculo & inteſtinis alimenti reliquiæ quædam ſuperſunt, quæ concoctionem ſubterfugerunt ac in corruptionem abierunt, quare acrimoniam & corrodendi vim nanciſcuntur, à qua tunicæ horum interaneorum lancinantur & punguntur, Vellicatio autem & irritatio humores ad deſcenſum verſus inteſtina impellit, non ſecus ac catharticorvm particulæ acriores in eadem agunt cum humores è corpore educunt.

In Caſtrorum noſodochiis plures Alvi fluores occurrunt quam alij affectus, duabus de cauſis; Prior eſt quod ſæpius contingat plurimos ægros eodem in tugurio collocari, neceſſitate ad id impellente, in quo ſemper munditiem obſervare impoſſibile eſt; quin potius, quantamvis curam adhibueris, aër illic concluſus perpetuo inquinatus eſt & craſſior, adeo vt in cauſa ſit ne tranſpiratio humorum, quæ perfectæ criſeos vicem ſæpe ſubit, rite in toto corporis ambitu perficiatur: Dicti autem humores, qui natura duce verſus illius ſuperficiem perpetuo vergunt, motu huic contrario ad centrum inclinant, in inteſtina decumbentes, vnde Alvi fluorum multa oriuntur genera:

Poſterior ratio eſt, quod plurimi ægri, Diarrhœa non laborantes, in eodem loco deſidere cogantur quo qui illa affecti ſunt; Porro cum horum

horum dejectiones acres ſint & vapores fundant, hinc ſit vt in aliorum inteſtina ſe inſinuent, eadem vellicent, dyſenteriam, diarrhœam &c. pariant.

Cum plerorumque horum morborum per infinita pene experimenta mihi innotuerit indoles, multa animadvertere licuit, publico commodo forte non inutilia: Nec ideo tamen axiomata vlla conſtituo, neque remedia recens excogitata, ratiocinationibus meis ſuperſtructa expono, quin potius ad examen deduco ea quæ vſu efficacia & idonea comperta ſunt; Vnicum hoc meum inſtitutum eſt cuique ſpeciei idonea ſeligere, neque fine diſcrimiue vni cuipiam ægro porrigere quod alteri tantum competit, *Socratem curamus & non hominem.*

Diſſertationem hanc in totidem capita dirempturus ſum quot Alvi fluorum differentiæ adnotantur, ſunt vero hæ, *Alvi fluor Lientericus, Chyloſus, Diarrhœa Bilioſa & Melancholica, Diarrhœa Seroſa & Petuitoſa, Dyſenteria, Teneſmus Et Alvi fluor Pinguis.*

CAPVT SECVNDVM.

De Alvi Fluxu Lienterico.

ALvi fluor tanquã effectus perpendendus non eſt, cuius cauſa ſemper in inteſtina reiicienda ſit; ſæpenumero accuſandus eſt ventriculus, ac præſertim in Lienteria, ob quam alimenta per alvum omnino qualia ore aſſumpta ſunt reiiciuntur: Si quæ immutatio illis acciderit, hæc adeo levis eſt vt manifeſtum ſit ventriculum pro more officio non fungi.

Si Lienteria ſtricte ſumatur, quomodo illam deſcripſi, raro admodum occurrit, ſucceditque vt plurimum gravioribus morbis, extremæque partium conſumptioni, tunc temporis verendum ſymptoma cenſeri debet, & indicium virium ad ſummum deiectarum, cui non alia remedia competunt quam cardiaca & ſtomachica corroborantia.

Sin autem in conſiderationem veniat tanquam effectus perperam concoquentis ventriculi, e quo alimenta cruda admodum, vixque ſubacta egeruntur, affectus eſt crebro obveniens, cuius gratia præſens hoc caput inſtitutum: Perpendendum ergo fuerit quæ eius vitiatæ concoctionis cauſa ſit; quamobrem non abs re fuerit in anteceſſum dixiſſe.

primo, Humorem ſalivarem, ex tonſillis ſcaturientem, imo cæteris minoribus adſitis glandulis, continuo in ventriculum ſtillare, tam ad œſophagi irrigationém, quam alimentorum diſſolutionem & con-

coctionem.

Secundo, Chylificatione peracta chyli portiunculas quaſdam inter plicas tunicæ ventriculi, bombycinæ dictæ, hærere, quæ aciditatem per moram inibi contrahunt, eo quod partes ſpirituoſæ, quæ chylo dulcedinem conciliant, quæque ſufficienter exaltatæ ſunt, ac volatilitatem adeptæ, partim in vapores ſolvuntur, partim venas ſubeunt, derelictis ſalinis, quæ deinceps ſufficientem diviſionem ſubeunt, & in fluorem abeunt, quo acidæ fiant & pungentes.

Tertio, continuo illabi pituitam in ventriculum, non ſecus ac in inteſtina, per ductus peculiares é glandulis exorientes, in parte convexa tunicæ bombycinæ aut glanduloſæ ſitis: Pituitæ nominatæ plurimum aciditatis ineſt: Viſcida eſt, & adhæret parti interiori tunicæ, tum ad obtundendam nimiam alimentorum acrimoniam, quam ad cohibendos ſpiritus cæteraſque partes activas ad chyli confectionem neceſſarias: ſalivæ pars acidior, aciditati pituitæ in ſtomacho exiſtenti conjuncta, vna cum chyli reliquiis, fermentum acidum & naturale huius viſceris conſtituunt.

Poſtremo, Arterias & Nervos, in ventriculo obſervabiles, nec tam ingenti numero, nec adeo inſigne non conceſſiſſe Naturam tantummodo ad alimoniam & motum naturalem illius viſceris, nam prædicta vaſa plurimos profundunt ſpiritus ac partes ſalinas, chylificationis præcipua inſtrumenta; His ſuppoſitis.

Statuendum videtur cauſam immediatam Fluoris alvi Lienteri, ac ventriculi non concoquentis, aſſignandam eſſe Debilitatem, aut Irritationem fibrarum illius.

Debilitas conſiſtit in nimia Laxitate, aut nimia earundem fibrarum Extenſione: Laxitas pendet à paucitate aut inopia ſpirituum animalium ac ſanguinis arterioſi, quibus adſcribi debent omnino & calor, & vis, & functio propria dictarum partium, hoc eſt motus contractionis, deſtinatus retentioni, nec non expulſioni, ſed variis temporibus: Nimiam Tenſionem inducunt materiæ craſſæ, ſeroſæ & pituitoſæ, fibras implentes, illas dilatantes, atque eovſque diſtendentes vt amplius ſe colligere nequeant, neque vllum contractionis motum exercere.

Irritationem pariunt quæcunque ſpiritibus animalibus adverſantur, qui laceſſiti, & ad motum violentiorem impulſi, fibras quoque in motum ſpaſmodicum & contra naturam adducunt: Mirum ergo ne fuerit ſi præſente eiuſmodi debilitate, ac irritatióne, alimenta, eaque admodum cruda, citius è ventriculo elabantur.

Cauſæ

Cauſæ antecedentes cunctarum eiuſmodi aberrationum originem ducunt vel a vitioſis alimentis, aut pravo fermento, aut potius exuperanti copia humorum, eorúmve depravatione: Improba cenſenda ſunt alimenta, ſi vel duriora ac terreſtria, quæ diviſionem ideo in ventriculo non admittant, vel ſi nimio humore diffluant; atque adeo putredini obnoxia, vel cum iuſto calidiora fuerint, ac proinde fermenti nativam conſtitutionem alterare apta nata, imo ipſam viſceris ſubſtantiam; Quibus omnibus obviam ire licet immutatione alimentorum & diætæ.

Ipſum quandoque Fermentum validius eſt, aut debilius: Validius eſt, hoc eſt, plus iuſto acre, ab admiſtis quibuſdam humoribus nimiopere acidis aut bilioſoribus, quo in caſu nonmodo aut nimium acorem contrahit, aut amarorem, ſed & priſtinam indolem omnino exuit: adeo vt vitiatæ in ventriculo concoctionis potiſſima cauſa cenſendum ſit.

Debilius eſt, aut quia minori quam quæ requiritur quantitate gignitur, aut quia pituita, vel ſalivæ copia ingens in ventriculo congeritur, quæ vel iuſto ſeroſiores ſunt, ideoque fermenti vim, ipſum dilutius reddendo, infringunt, eiuſque partes dividunt: Vel admodum viſcidæ, fermenti obtundunt aculeos, quamobrem iners evadit, ineptus qui alimenta ſubigat.

Ex his manifeſtum evadit exuperantem copiam, aut humorum depravationem, exempli gratia lymphæ, ſalivæ, pituitæ, ſucci pancreatici, bilis &c. vulgatiſſimas eſſe cauſas Fluoris iſtiuſmodi alvi, ac concoctionis vitiatæ.

Si Medelam afferre intendas, perpendenda tibi erit debilitas ventriculi, ſcilicet fibrarum illius, quæ ſi ab illarum relaxatione pendeat, tonus illarum reſtituendus erit vſu remediorum ſpirituoſorum & ſtomachicorum calidorum, alimentorum concoctu facilium, & probi ſucci.

Si debilitas originem ducat a fibrarum tenſitate nimia, inducta ab humoribus aqueis aut craſſis dominium obtinentibus, ſtomacho etiamnum robur conciliandum iiſdem remediis & alimentis exhibitis: ſed præterea purgatio neceſſaria eſt per rhabarbarum, mechoacannam, mercurium dulcem &c.

Si pituita & ſaliva craſſitie & viſciditate in vitio ſint, aciditate nimia imbutæ, ſi inquam, ob ſolorum prædictorum humorum præſentiam impedimentum adſit quominus ſpiritus & ſanguis arterioſus calorem & robur adferant ventriculo, purgatio poterit inſtitui, in vſum ducendo colocynthidem præparatam, vel pulverem aut reſinam radicis

galiapæ , eadem ſecuritate qua quodvis aliud catharticum, dummodo per vires licuerit.

Quandoquidem hoc in caſu deterſio humorum neceſſaria eſt, purgantibus addenda ſemper fuerint ſalia quæpiam fixa , cujuſmodi ſunt ſal tartari, abſynhtij, nitrum &c. Vtiles ſunt & aliquot guttæ ſpiritus vitrioli , eo quod inciſiva & penetrandi vi pollent.

Cuncta hæc Purgantia pilularum forma exhiberi poſſunt, bolorum, vel potionum; Sin abfuerit febris, infuſio illorum fiat in decocto ſalſæparallæ aut chinæ, vel in aqua melillæ, aut ſaltem miſcenda ſunt ſemina aniſi aut fœniculi, ſi aliud quid ad manus non fuerit, id quod plerumque in caſtrorum noſodochiis contingit : In vſum duci queunt Pilulæ cochiæ & fœtidæ , Electuaria diacarthami, de citro &c. Pilulæ ſequentes incidendi & vacuandi ſimul vim nactæ ſunt , quas non infelici ſucceſſu ſępenumero vſurpavi.

℞. *Gummi ammoniaci , ſagapeni aceto diſſolutorum & inſpiſſatorum āā. ℥iij diagridij , rhabarbari electi & mercurij dulcis āā ʒß , cum extracto granorum juniperi fiat maſſa Pilular. Doſis a ʒß* ad ʒj.

In iis quibus viſcera teneriorem conſtitutionem nacta ſunt , ſubſequentibus vſus ſum , quæ tunicas inteſtinorum minori vehementia quam priores vellicant , addito ſemper Mercurio , incidentium medicamentorum potentiſſimo , ſed ſimul leniſſimo.

℞. *Pulver. rad. Ialap. & Rhabarb. el. āā ʒiij. mercurij dulcis.* ʒß *Terebinth. Veneta in aqua meliſſa , aut roſar. leviter coct. q. ſ. Fiant Pilulæ pro vj. dozibus.*

Si pituita viſciditatis expers fuerit , purgantibus vtile fuerit commiſcere quædam ſalia, quæ eodem impetu humores per lotij vias deducant, cuiuſmodi eſt ſal Martis , ſal Polychreſtum , confectum ex ſale armoniaco , tartaro vitriolato &c.

Corroborantia autem quod attinet , in vſum accerſcenda ſunt ſtomachica , quæ calida vocantur, exempli gratia abſynthium , mentha, roſmarinus, aniſum, coriandrum, nux moſchata, cinnamonum, maſtiche, theriaca, diaſcordium Frucaſtorij , Opiata Salomonis &c. Vinum abſinthites, aut quod ex cæteris herbis aromaticis paratur optimum eſt : In caſtris non ſine fructu aliquando exhibetur ſemicyathus aquæ vitæ cum ſaccharo , aut cyathus vini rubri cum ſacchari vncia, quam calidiſſime hauriendus , Inter plurima præſtantiſſimum hoc eſt, ſi ſcilicet aſſumatur ſemi vncia Opiatæ ſiquentis vacuo ventriculo.

℞. *Miva cydoniorum , Theriaca vet. & ſacchari roſati āā.* ℥j. *miſce ſ. a. ad vſum.*

Externa

Externa necnon remedia vtiliter conducunt, exempli gratia, Empl. ſtomachale, maſtichinum, aut Cataplaſma ſequens.

℞. Thuris. maſtiches, theriacæ veteris ãã ℥iiij miſce ſ. a. cum ſpiritu vini f. Cataplaſma calide regioni ventriculi applicandum.

Si compoſitio negotium dederit, ſatis ſit aſſumpſiſſe ſalviam & abſinthium, imponendo rutabulo ſupra ignem, exſiccationis cauſa, irrorando aceti aliquot guttis, demum calide regioni ventriculi admovendo.

Cum humores putridi, bilis præſertim, ventriculum præ cæteris obſident, à quibus irritatur, ope rhabarbari purgatio inſtituenda eſt, tamarindorum & ſcammonij; in quorum vſu nunquam omittantur cremor tartari, aut tartarum vitriolatum, cum electuario catholicone Nicolai, vel electnario cholagogo Domini Sylvij, cujus ecce deſcriptionem.

℞. pulpæ pruner acidę dulc. ℥x.
cremoris tartari,
ſcammonii optimi ãã ℥ij.
rhabarbari electi ℥iß.
cinnamomi acuti ℥ß.
ſantali citrini ʒij
ſacchari clarific. ℥ xvj
miſce, ſ. a. fiat Electuar. cuius dozis a ʒiij ad ℥ß.

Si æger in vomitum inclinaverit, commode dari poterit ſal vitrioli, crocus metallor. in ſubſtantia, vinum emeticum, pulvis Algaroth &c. Emeticum ſubſequens facillimæ eſt præparationis, tutiſſimæ ſimul & leniſſimæ operationis.

Diſſolvatur optimum Vitriolum in aqua ſimplici, permittatur præcipitatio partis terreſtrioris & rubicundæ ope lenis digeſtionis ſupra cineres calidos, in vaſe idoneo: Sæpius deinceps fiat filtratio per chartam griſeam: guttæ aliquot filtrati liquoris, qui validior aut debilior eſſe poteſt, pro copia vitrioli, ſumptæ ex vno vel altero cytho capaciori aquæ tepentis; cito vomitum provocant & abſque periculo, vel

℞ Croci metallorum & tartari albi ãã p. æquales, infunde calide in ſ. q. aquæ per tres dies, bulliant per aliquod tempus, vt diſſolvatur tartarus, filtra calide & evapora ad cuticulam, repone per diem materiam, ex qua habebis cryſtallos, quarum dozis à gr. iij ad x.

Vtrumque hoc Vomitorium apprime conducit expellendis humoribus bilioſis, & aliis quibuſcunque humoribus ventriculi membranis non admodum impactis.

Alterantia & corroborantia hic proficua, omnia ſunt ſtomachica, refrigerantia, qualia ſunt cydonia, granata mala, citria, conſerva roſar. ſyrupi roſar. ſiccarum, oxyacanthæ, ribium, cydoniorum &c. Aquæ cichorij, borraginis, bugloſſi, plantaginis, oxalidis &c. pulveres trium ſantalorum, diamargariti frigidi &c. Salis abſinthij ſcrupulus vnus exhibitus cum cochleari vno ſucci limonum egregium eſt medicamentum, Vel.

℞ *Corallior præparat.* ℨij *ſucci limonum* ℥ iv. *aliquandiu digere & cum ptiſana exhibe cochleatim.*

Potus ordinarius ſit aqua in qua candens ferrum extinctum, diſſolvendo nonnullos ex prædictis ſyrupis.

Si Acidum in ventriculo dominatum tenuerit, fermentumque plus debito acre fuerit, dulcius effici poterit ope *Elixirij proprietatis*, ex æquis portionibus myrrhæ, aloës ſocotrinæ & croci parati, addito ſpiritu volatili cornu cervini, ſine ſpiritu ſulphuris.

Nonnullis terrori eſt ipſum nomen Elixirij, eo quod illius dotes æque ac genuina præparatio ignotæ ſint, cum tamen vix medicamentum illo lenius vel efficacius proſtet, Vſurpetur ex ptiſana, cum aliquot pomis conficienda, ac raſuta cornu cervini.

Rhabarbarum leviter vſtulatum, myrobalani, & ſyrupus cichorij compoſitus cum rhabarbaro, hoc in caſu fere ſola in vſum adducantur, quandoquidem vehementior catharſis inutilis eſt: Satis fuerit aciditatem nimiam fermenti temperaſſe, aliorumque humorum beneficio ſalium volatilium & fixorum, terræ ſigillatæ, bolorum, oculorum cancri &c. Ideo ſæpe miſcuiſſe è re fuerit tantillum ſalis volatilis cornu cervini, vel ſalis armoniaci in ptiſana vulgari, vel guttas aliquot ſpiritus ſalis per ſpiritum vini dulcificati.

Parari poteſt & Pulvis digeſtivus ex coralliis margaritis, oculis cancri, creta, chalybis limatura cum ſaccharo cantio: Oſſium omne genus & conchyliorum calcinatorum Acida potenter domant: A Tincturis ſalium tartari & coralliorum admodum etiamnum temperantur & dulceſcunt, à quibus quoque robur adquirit ventriculus.

Capvt Tertivm.

De Alvi fluxu Chyloſo.

NEc ſatis eſt alimentorum in ventriculo concoctionem, vt decet, inchoari, in proximo inteſtino & eam perfici neceſſe eſt in quod fit confluxus bilis & ſucci pancreatici vno eodemque tempore cum chylo: Peracta enim prædicta concoctione, chylo autem in duodenum inteſtinum

inteſtinum commeante, ſalia alimentorum, quæ diſſolata ſunt & diviſa, vellicant titillantque pylori ramos nerveos: At vero cum plexus hepaticus, à nervo intercoſtali in meſenterio efformatus, nonnullos ramos ad pylorum tranſmittat, qui cum ſtomachio commiſcentur, alios ad veſiculam felleam, alios ad pancreas, inde quoque fit vellicationem, aut nervorum pylori irritationem ad vtrumque dictum viſcus, mediantibus iiſdem nervis illac diſtributis, diffundi; adeo vt prædicta viſcera æqualiter compreſſa hinc bilem elabi permittant, illinc ſuccum pancreaticum prædicti ergo tres humores ſimul & ſemel in primum inteſtinum confluunt, qui cum variis diſcrepantibuſque conſtent partibus, iiſque activitate ſumma præditis, ideo ſecunda excitatur fermentatio, cuius ope puritatem adipiſcitur chylus, ac maxima ex parte ab excrementis inutilibus liberatur.

Si perperam prædicta fermentatio perfecta fuerit, occaſio morbis præbetur, & nonnunquam *Alvi fluori* chyloſo, quem alias *Coeliacam affectionem* vocant; ſcilicet, ſi chylus a partibus excrementitiis, & ad alendum ineptis rite ſecretus non fuerit, præ craſſitie nimia vniverſus vaſis chyliferis inſinuari nequit, ideóque pars illius per alvum excernitur, pulti non abſimilis, id quod ſæpenumero obſervare eſt in iis qui Ictero laborant.

A ſucco pancreatico fermentatio illa depravari poteſt, aut quia aciditate nimia in vitio eſt, vel quia hac deſtitutus eſt, aut quia è proprio canali elabi illi non conceditur: Si plus juſto acidus fuerit, oxyregmia ægri laborant, alvi torminibus, in lumborum regione frigus aliquando moleſtum illis eſt &c. Tunc temporis alkalia fixa & volatilia in vſum accerſiri debent, margaritæ, corallia, aliáque remedia Acidum obtundentia & temperantia.

Si idem ſuccus aciditate non ſufficienti polleat, nulla ex præcedentibus indiciis occurrunt, ad augendum vero deficientem acorem, vtilis erit vſus ſucci limonum, arantiorum acidorum, oxyacanthæ, granatorum, omphacij, ſpirituum vitrioli, ſulphuris &c. iuſculis commiſcendorum, ptiſanis, julepis, apozematis, conſervis &c.

Obſtructionem, ſucci commeatum per proprium Pancreatis canalem, impedientis quod attinet, aperientibus illa ſolvi debet, de quibus hoc eodem capite verba acturus ſum, vbi de Obſtructione vaſorum bilem deferentium.

Bilis forte hoc in caſu acrior eſt & ſubtilior, aut debilior & craſſior, vel forte in propriis canalibus hæſitat, maxime in meatu cholechocho; Tenuitatis nimiæ, incaleſcentiæ & acrimoniæ indicia dant febris, ſitis intenſa & tuſſis, reſpiratio difficilis, ſymptomatumque in-

crementum ab vſu alimentorum medicamentorumque calidorum & ſpirituoſorum : Tunc temporis in auxilium veniant remedia quæ craſſitiem inducant illi humori, ipſumque temperent, qualia ſunt plantago, portulaca, cichoracea, rumicis omne genus, alleluya, cydonia, granata mala, roſæ rubræ, nymphæa, ſantala omnia, gummi Arabicum & tragacanthum, ſexcentaque eiuſmodi, ex quibus conſiunt ptyſanæ, aquæ ſtillatitiæ, ſyrupi opiatæ, tincturæ &c.

Si bilis craſſitie & viſciditate peccaverit, vel in cyſti cohibita fuerit, ac maſſæ ſanguineæ cõfundatur, auriginæ ſæpenumero occaſionem præbet, quo tempore nonmodo exulare debent adſtringendi vi prædita, quinpotius vocari debent in vſum aperiendi vi prædita.

Primo vſurpetur Ptiſana ex taraxaco, fragaria, corticibus arantiorum Luſitanicorum & Bizarradenſium : vel chalybis limatura cum pauco ſale Tarrari in aqua pro Potu ordinario, imo cum vino albo aut clareto.

Secundo, Purgantibus etiam locus eſt, & Emeticis, his, quia partes omnes ventriculo adſitas concutiunt, bilemque ac ſuccum pancreaticum è propriis conceptaculis & meatibus excutiunt : Capite præcedenti vomitorium exempla adduxi, quæ hic quoque opportuna ſunt.

Purgationis gratia, Electuarium Cholagogum Sylvij præſtantiſſimum eſt, cuius vncia ſemis ex decocto aperiente exhiberi poteſt : Electuarium aperitivum Domini Dacquin, primarij Regis Medici, a D. Charras in pharmacopœa deſcriptum, omnibus imi ventris obſtructionibus apprime convenit : Pilulæ ſequentes per alvum & vrinæ vias ſimul humores educunt, ſucceſſu ſæpiſſime felici.

℞. *Aloës ſocotrinæ, rhabarb. electi pulueris.*
ſalis polychreſti & diagrid. ãã ʒj.
terebinth. coctæ & pulveratæ ℥ iß.
Syrupi quinque radic. q. ſ. F. maſſa.
Pilularum dozis a ʒß ad ʒ iß.

Si quis potiones prætulerit.

℞. *Sennæ mundatæ ʒiij.*
cremor. tartari ʒ j.
infunde in aqua graminis q. ſ. In colatura diſſolve caſſiæ recens ex Fractæ ℥j. vel
Syrupi de cichor. cum rhabarb. ℥ iß. f. Potio.

vel ℞. *folior. ſennæ ʒß.*
rhabarb. pulveris. ſalis tartari ãã. ʒß.
liquir. & corticis citri ãã. ʒ ij.

Infunde

Infundi frigide per viginti qurtuor horas in decocti graminis vel aquæ comm. ℔j *fiat Potio in duas doƶes mane præbendas.*

Si obſtructiones pituitæ ſoboles eſſe credantur, hydragoga in vſum adducenda erunt cum Mercurio dulci reddito : Pilulæ a me capite præcedenti deſcriptæ , ex gummi ammoniaco cum ſagapeno, optimæ ſunt.

Si ab Acidis obſtructiones productæ fuerint , nunquam in purgantium præſcriptione omittenda erunt ſalia abſinthij aut tartari , vel alterius cuiuſpiam fixi ad drachmam vnam : hoc in caſu nihil conuenientius vel efficacius ipſo Mercutio : Enemata tum detergentia tum purgantia nunquam non conducunt.

Icterus , ſæpenumero ægris accidens qui huic alvi fluore tentantur , ſoboles eſt obſtructionum meatuum choledorum, bili enim cum exitus denegatus fuerit per prædictos meatus in inteſtina , refluit illa in maſſam ſanguineam , vnde per vniverſum corporis ambitum diffunditur : Quamobrem dicto in caſu intrepide ad aperientia medicamenta tranſitus fieri debet, ex præcepto enim Hippocratis, ante purgantis exhibitionem corpus humectandum eſt, ſcilicet ſi bilis febrem induxerit , ſitim , æſtum , temperanda illa per ſanguinis miſſionem , per ptiſanas refrigerantes , enemata & alia : Deinceps eadem vacuanda eſt per purgantia maxime idonea & benigniora : Tum temporis bilis admodum tenuis eſt & acrimonia inſigni prædita , quæ per vehementiora remedia exaſperanda non eſt : Sin contra craſſior fuerit & viſcidior ab admixtione pituitæ, Ecce remedia idonea quibus locus erit præmiſſis generalioribus.

℞. *radicis vrticæ maioris contuſæ* ℔ j.
tartari albi ℥ ß.
croci ℈ j. *Infunde & macera in vino albo , extrahe tincturam, cuius* ℥ iij *cum ptiſana per aliquot dies ſumat æger, mane , vel.*

℞ *cæpas albas modiocres minutim conciſas numero* ij. *aut* iij.
ſeminis lini & violar. ãã. ℥j.
Infunde in libris iv. *aquæ ſuper cineres calidos vaſe clauſo : Colaturæ vnum aut alterum cyathum cum aliquot guttis ſpiritus nitri dulcificati ſumat æger mane jejuno ſtomacho ,* vel

℞. *radic. graminis , rubiæ tinctorum ãã.* ℥iij. *folior. abſinth. mai. ãã m.* ij. *Bulliant in ſ. qu. aquæ, cola & vtere ſingulis matutinis cum ſyrupo de cichoreo cum Rhabarb. aut de quinque radicibus* ℥j.

Sal Tartari volatile adverſus omnes obſtructiones præſtantiſſimum eſt ; Dom. Charas qui primus illud in experimentum duxit , in Horto Regio anno præterito, aptiſſimam illius præparandi rationem tra-

didit, a ſynceriſſimam in ſua Pharmacopœa: Tincturæ croci & Tartari, vel guttæ aliquot ſpiritus cornu cervini ex liquore quopiam aperiente optimæ quoque ſunt.

Si cui Pulveres magis arrident, hoc vti poterit.

℞. *Stercoris albi gallinæ, lumbricorum terreſtrium & millepedum pulverat. ãã, ℥ij Mercurii dulcis ℈ij.*
Salis abſinthij ℥ß.
Sacchari ad pondus omnium, Fiat Pulvis, dozis à ʒ iß ad ʒ ij aut per ſe, aut cum liquore, aut cum conſervis ſingulis matutinis ſumendus.

Porro cum in hoc morbo frequens purgatio ſit neceſſaria, ad commovendos & attenuandos, humores, Opiata ſequens conducere poterit,

℞ *Croci Martis cum ſulphure ppti. ℥ij.*
Folior Sennæ. Rhabarb. el. ãã. ℥j.
Scammon. & Mercur. dulcific. ãã. ʒiiij.
Croci ʒj.
Terebinth. q. ſ. Fiat Opiata, dozis a ʒj ad iij.

Purgatione peracta, & prægreſſis remediis generalibus, ad ſequens tranſitum facere licebit.

℞ *radicis gentianæ, rubiæ tinctorum & valerianæ ãã. ʒ ij.*
Croci & ſalis martis ãã. ℈j.
cum ſuffic. quantitate extracti granorum juniperi formentur Pilulæ piſi magnitudine, quarum iij aut iv ſingulis matutinis vorentur ſuperhauriendo cyathum vnum decocti radicis graminis & fragariæ.

Alimentorum concoctio in ventriculo, & chyli in inteſtino duodeno, forte rite peractæ fuere, at vero ſi prædictus chylus ab excrementis ſecretus non fuerit per continuatam in cæteris inteſtinis concoctionem, illis permixtus per alvum excernitur, vnde exſurgit altera Fluxus chyloſi ſpecies.

Hoc intereſt diſcriminis inter poſteriorem hunc fluxum ventris chyloſum, & priorem, quod in hoc chylus à fæcibus accuratius ſecretus ſit, excrementa autem alvina bile tincta coſpiciantur: In altero autem chylus nullatenus ab excrementis ſeparatus ſit, neque vlla vt plurimum bilis tintura adpareat, eo quod prædictus humor in cyſti fellea cohibitus ſit, aut exinde in maſſam ſanguineam commearit.

Nemini dubium eſſe debet chylum, aut maximam ſaltem illius partem, ab inteſtinis in venas lacteas derivari, quibus vndique interiacent puſillæ glandulæ, per quas tanquam per filtrum tranſcolatur, perfectionem adipiſcitur, ac cum lympha, vbertim illuc ex ſingulis fere corporis

poris partibus adveniente diluitur.

Prædictæ omnes venæ deſinunt & inſeruntur in majorem Aſellij, glandulam, medium meſenterium occupantem, è qua aliæ emanant, quarum non tam multiplex eſt numerus ac priorum, ſed multo majorum, quia earum officium eſt deferre lympham in glandula communi congeſtam: Secundæ venæ lacteæ præterea permeant innumeras exiguas glandulas ſicut cæteræ, ac cunctæ deſinunt in Pecqueti Receptaculum.

Aliæ præterea dantur Lacteæ é fundo ventriculi emergentes, in idem receptaculum onus devehentes, id quod Warthan omnium primus animadvertit.

Chyli pars tênuiſſima & ſpirituoſiſſima, ex ſententia præſtantiſſimorum huius ævi Anatomicorum, nec non priſcorum omnium, in meſariacas venas tranſit, immediate ab inteſtinis ad hepar abeuntes, atque iterum a cavitate ventriculi in venas gaſtricas feruntur, illum ad jecur ſimul cum cæteris deducentes.

Nonnulli ad hæc obiiciunt, quantumvis ſtricta fiat ligatura ex parte jecoris verſus majores venæ Portæ ramos; nunquam candorem in illis deprehendi qua parte meſenterium ſpectant; At prædicta objectio non evincit, eo quod chylus, qui in venas gaſtricas & meſenterias commeat, tenuiſſimus eſt, lymphæ quam lacti ſimilior: Præterea chylus; qui venas lacteas ſubit, craſſitie maiori donetus & candidior, nullam ſanguini albedinem imprimit cum in axillari ramo illi commiſcetur: Rei autem veritatem hic loci comprobandam non ſuſcipio, rationibus aut experimentis in medium adductis, ſufficiat aſſeruiſſe chylum poſtquam ſinum venæ Portæ ſubingreſſus eſt, impelli a motu ipſi in jecore comparato, verſus ramos venæ cavæ, qui obviam procedunt ramis venæ Portæ.

Obiter de chyli commeatu agendum mihi fuit, eo quod eiuſmodi Alvifluoris cauſâ ibi loci quærenda ſit: Neque obſcurum eſt vbi vaſa chylifera a materia quapiam viſcida obſtructa ſunt, pituita, bile, vel alia quapiam re, neceſſe eſſe vt chylus verſus vltimum inteſtinum exitum affectet, ac per alvum ſecedat: Ideoque ægris vires ſenſibiliter atteruntur, ác in marcorem deducuntur, quod alimentum illos deficiat: Quamobrem ſimili in caſu tenuiſſima alimenta exhibenda ſunt ac ſpirituoſa; poſtmodum materiæ viſcidæ detergendæ ſunt, craſſæ incidendæ, vtræque remediis idoneis expurgandæ; a me ſuperius ante allatis pro aperiendis jecoris & pancreatis obſtructionibus; Neque enim ratio mihi adparet (quod quibuſdam viſum) cur quædam remedia magis idonea ſint deobſtruendo jecori

quam meſenterio; alia magis jecori quam lieni.

Præter remedia ſuperius allata, ſequentia quoque in vſum trahi poterunt.

> ♃ *Extracti beccarum iuniperi & terebinth. ana* ℈ j.
> *limaturæ chalibis & mercurii dulcis ãã* ℈ j.
> *F. Bolus pro vna dozi per plures dies iterandus.*

Omnia ſalium volatilium genera hic commoda ſunt, ex vino albo ſumpta, vel alio liquore idoneo: Florum ſulphuris ſemidrachma, aut puriſſimæ fuliginis ex ovo recenti, ſunt remedia experimentis confirmata, in quavis obſtructionis ſpecie idonea, præmiſſis vniverſalibus, ſi præſertim humorum incendij metus nullus imminet.

Sin ſuſpicio ſit humores craſſos & tartareos ſimul cum acidis obſtructiones parere, non ſine fructu Pulvis ſequens exhibebitur.

> ♃ *limaturæ chalybis, corallior. rubr. oculor. cancrorum & lumbricorum terreſtrium exſiccatorum ãã* ℥ ß.
> *ſacchari candi* ℥ j.
> *Fiat Pulvis, dozis a* ʒ j *ad* ʒ j ß *ſingulis matutinis longe ante cibum.*

Neque remedia axterna omittenda erunt, quale eſt ſequens: Coquantur duo aut tria cæpe alba, totidem poma colocynth. in oleo communi; Parentur ex his duo cataplaſmata, alternatim calide imo ventri admovenda: Si purgantia demum exhibueris, mirus conſequetur effectus, imo vt plurimum ejuſmodi cataplaſmata ſufficienter corpus expurgant: Non raro hæc in vſum felici eventu duxi adverſus puerorum lumbricos, & cum inani premuntur egerendi conatu.

CAPVT IV.

De Diarrhœa Telioſa & Melancholica.

Diarrhœa ingens eſt alvi Fluor, quo varii extra corpus efferuntur humores, citra commiſtionem alimentorum concoctionem ſubterfugientium, ſanguinis vel puris, citra phelgmonen, vlcus, imo dolorem inſignem: Eſt autem aut Bilioſa, & Melancholica, aut Pituitoſa & Seroſa: Singulæ vel Criticæ vel Symptomaticæ.

Diarrhœa Bilioſa & Melancholica in hoc conveniunt quod vtraque originem ducat à Bile acri & lixiviali, etſi quoad magis & minus differant: Eo autem diſcrepant, quod Bilis, quæ Diarrhœam bilioſam parit, flava eſt, ſubtilis, ſulphurea & ſpirituoſa. At vero ea, quæ Diarrhœam melancholicam excitat, nigra eſt, craſſa, admodum fixa, Acidis turgens, partibus autem ſulphureis deſtituta & ſpirituoſis.

Atra

Atra bilis, inquit Hippocrates, *inter omnes humores corporis biſcoſiſſima eſt & ſedes diuturniſſimas facit:* Id vero meo judicio captu difficile non eſt, quandoquidem aliud non eſt bilis illa atra quam humor melancholicus in maſſa ſanguinea, genitus per conjunctionem ſalis fixi bilioſi, & Acidorum in illa prædominantium.

Cum autem ſalia acida, quæ intime fixis ſalibus vniuntur, ſubſtantiam acrem, craſſam & viſcidam pariunt, mirum eſſe non debet ſi exinde origiuem trahant fluores alvi pertinaces & pericuIoſi, non ſecus ac alij morbi chronici & moleſti.

Vnico capite complexurus ſum Alvi fluxum Bilioſum & Melancholicum, remedia quippe quæ bilem expurgant, ac temperant acrimoniam ſalis illius lixivialis, aut fixi, eadem vtrobique eſſe debent: Neque video quamobrem alia aſſignantur remedia ſpecifica expurgandæ Bili, alia Melancholiæ: Niſi enim alia quæpiam interſit differentia inter vtrumque humorem, præter eam quæ a me adducta eſt, ſcilicet in melancholia multas latere partes acidas, eaſque craſſas, intime ſali lixiviali coniunctas: Bili contra ineſſe partes amaras, ſubtiles, extricatas, ſummæ activitatis, quærenda non ſunt cathartica aliter quam quoad magis aut minus differentia, Acidis enim, qua talibus, nunquam competunt, ac ſolum ratione intimæ & arctæ conjunctionis eorum cum humoribus valentiora exhibenda ſunt: *Melancholicos deorſum valentius purgabis*, inquit Hippocratis: Partes Bilis ſubtiles & activæ facillime purgantibus cedunt; debiliora autem vel fortiora expoſcunt, prout magis vel minus extricatæ ſunt, plus aut minus mobiles ſunt: Ideoque ſemper neceſſe eſt humorum expurgandorum qualitatem perpendere, eo quod æqualiter irritentur à debilibus purgantibus & a generoſioribus:

A generoſis irritantur, cum motu exagitantur nimio; ac remediis opus habent quæ eoſdem tantum verſus inteſtina deducant: A debilibus autem irritatio accidit, ſi iidem craſſiores fuerint ac viſcidi; eo quod remedium ſæpe quidem vi polleat eoſdem ſubtiles efficiendi, atque à maſſa ſanguinea diſgregandi, non tamen extra pellendi ac ad alvum deducendi, tunc temporis novos tumultus cient, pejora quam ante purgationem damna inferunt.

In Biloſo alvi fluxu, cum alvi excrementa flaveſcunt, humores tenues ſunt & æſtu perciti, febris ſæpe intenſa & periculi non expers, cum ſiti, anxietatibus &c. oritur Alterantia idonea in vſum venire debent, quæ adſtrictoria vi polleant, ſint acida, dummodo tuſſis abfuetit, neque metus ſit ab irritatione partium membranoſarum & ſenſibilium thoracis, ſicuti inferius dicturus ſum,

Viceverſa in Melancholico, in quo excrementa ad nigrorem vergunt, craſſior eſt ſanguis, ſitis parva, nulla fere febris, remediis temperatis locus eſt, ſed ſpirituoſis & ſulphureis; adſtringentibus, plurimum alkali poſſidentibus, abſtinendo à bolis & terris adſtringentibus dictis, eo quod illarum vſu condenſentur humores, & Acida pertinaciter cohibeantur; à quibus prædictus fluor commovætur: Cum porro multum referat rem hanc methodice pertractaſſe, quantum brevitas à me obſervanda conceſſerit, e re quoque eſt noviſſe quid proprie ſit Bilis, ac quas generationis habeat cauſas.

Ex Bilis analyſi diſcimus conſtare illam plurimo ſale lixivioſo, quibuſdam ſalibus volatilibus, pauco ſulphure facile inflammabili: adeo vt is humor propria natura acrimonia quapiam pollere debeat, & adverſari Acidis, cujuſmodi ſunt alkalia fixa: ſed præterea inflammationi obnoxia eſſe debet, ratione partium ſumme activarum in ipſa contentarum.

Neque difficile erit inferre num Bilis intra maſſam ſanguineam generationem habeat, aut in veſica ſtellea; at cum experientia teſte, ſi ad naturæ normam loquendum ſit, omne ſalis genus ſit volatile, nullum autem extet fixum quam artis ope aut calcinationis, non arduum quoque erit animo concipere ſat vegetum eſſe calorem in maſſa ſanguinea vt per eum ſalia volatilia, quæ cum alimentis corpus ſubingrediuntur, imo etiamnum cum aëre inſpiratione inducto, cum partibus terreſtribus fixentur; ac ſimul paucillo ſulphure; non ſecus ac vbi partes acidæ cum tartareis coeunt, calculos in pleriſque viſceribus formantes: Eodem pacto ſalia volatilia ſi quando fixationem in corpore experta ſint, accedente parte oleoſa, ac quibuſdam ſpiritibus, qui nequaquam occurrunt in alkalibus mere fixis, bilem efficient etiam non concurrente fermento, quod ſupponitur in veſica fellis adeſſe.

Exiſtimo tamen humorem bilioſum, qui e maſſa ſanguinea in veſicam felleam expellitur, non ſemper Bilis perfectæ nomine donandum, imo ipſum Fel ſatis eſſe bilioſum vt illi bilis formam inducere valeat, tam ab ad mixtione partium illius alkaliſatarum, quam inſigni hepatis calore, ac partium cyſtin felleam ambientium.

Liceat ergo nobis ſupponere Bilem in maſſa ſanguinea adeſſe, necnon in cyſti fellea; ipſam vero, quantitate aut qualitate peccantem, viam ſibi facere in ventriculum & inteſtina per arterias gaſtricas & meſenterias illic deſinentes, adeoque Alvi fluorem parere, vt cum eo, exuberans copia, aut acrimonia inſigni prædita, per canalem choledochum defertur:

Sufficiat

Sufficiat vero ſolum perpendiſſe qualem generationis modum habeat, cum autem ſuperius dixerim per quandam calcinationis ſpeciem eam gigni, a ſalium volatilium fixatione,nulli dubium eſſe debet quo plus caloris obtinuerit maſſa ſanguinea, eo amplius in ea bilis productum iri.

Hinc accidit febricitantes, in quibus humores jampridem incendium conceperunt, ſub finem morbi vtplurimum ictero fœdari, eo quod ſalia volatilia, ac partes maxime ſubtiles maſſæ ſanguineæ, partim diſcuſſæ ſunt, partim cum terreſtribus fixatæ, ac proinde plurima bilis genita eſt quæ per vniverſum corpus diffunditur.

Sic quoque obſervare eſt plurimos alvi fluores contingere febribus deſinentibus: Multas quoque notamus inſignes bilioſas vacuationes exhibitis catharticis morbis declinantibus,quæ cuncta eandem agnoſcunt cauſam: Quæcunque cruorem accendere apta nata ſunt, vel illius partes in motum ciere valent, ſicuti ſol, corporis labores, animi pathemata, prava alimenta, vel quæ calidiora ſunt, aut putredini obnoxia &c. in generationem bilis fœcunda ſunt: Proinde mirum ne ſit ſi tot alvi fluores in caſtris occurrant, cum milites calorem concipiendi ſexcentas occaſiones nacti ſint, fructibus ad putredinem vergentibus veſcentes,aliiſque deterioribus a quibus incaleſcunt humores ac in motum incitantur.

Examinata jam Bilis natura, ac declarato generationis illius modo, non difficile fuerit judicare qua ratione alvi fluxum inducere valeat cum ventriculum & inteſtina ſubingreditur; ſive enim copia in vitio fuerit, ſive qualitate, tanta vehementia vellicat fibras tum annulares, tum carneas, vt quicquid viſceribus illis conceptum fuerit, ſine mora prodire atque affatim cogatur: Irritatio autem inſignior eſt ſi ſalivæ quantitas ſufficiens defuerit,a qua domatur bilis; vel ſi non ſatis adfuerit pituitæ ad illius acrimoniam obtundendam; vel ſucci acidi ad contemperationem ejuſdem.

Prædicta Bilis vtplurimum aut nimis vnctuoſa eſt, aut plus juſto acris, ideoque temperanda eſt vſu remediorum quæ ferocientem illam reprimant, & acrimoniam demulceant: Vel eadem redundat, ideoque per purgantia foras extrudenda eſt, aut per vomitoria, indicatione ſumpta ab illius inclinatione & Naturæ impetu.

Quoad evacuationem, illico Enemata in vſum advocentur, tum purgantia, tum detergentia, tum refrigerantia: A vomitoriorum vſu,ſi modo per initia exhibeantur, ſemper felix ſucceſſus expectandus, tum ſcilicet cum bilis primas vias obſidet, nauſeamque excitat aut in vomitum propenſionem.

Sal vitrioli, tartarum emeticum, cryſtalli capite ſecundo traditæ, &c. aptiſſima ſunt: Quoad cathartica, benigna hic cæteris anteponenda, quando humor oleoſus eſt & ſubtilis, cuiuſmodi ſunt tamarindi, caſſia, rhabarbarum, myrobalani, ſyrupus roſarum pallidarum, Electuarium catholicum Nicolai, Diaprunum ſimplex, Diaprunum Dom. Sylvij, cæteraque cholagoga, addito vero ſemper cryſtallo minerali, aut cremore Tartari.

Non abs re præcipit Hippocrates bilem lenioribus purgare ſi commota fuerit, & multo potu vti: Certiſſimum eſt a purgantibus humores vacuandos in motum inſignem cieri ſi a cæterorum conſortio ſegregentur, ideoque ob tantillam in ſanguine commotionem bilis in vlteriorem motum impellitur, ſi remedium illam vacuando exhibitum ſit, cæteroſque humores adeo exagitat vt febris eapropter augeatur cæteraque ipſam concomitantia ſymptomata.

Potum quod attinet, vtile eſt quæpiam acida Ptiſanæ commiſcere ac Iulepis, cum bilis plus juſto commota ſit, ideoque oleoſitate nimia gaudeat: nihil autem æque humorum excalefactorum partes oleoſas & ſulphureas temperat ac ſalia acida, variis modis exhibenda: Ideoque tinctura roſarum cum pauxillo ſaccharo hoc in caſu præſtantiſſima eſt: Ptiſana quoque parari poteſt ex hordeo, radice fragariæ, & oxalidis: Aqua chalybeata incaocta radice conſolidæ majoris optima eſt, ſi inhibendus fluor ventris, exhiberi poteſt additis ſyrupis cydoniorum vel oxyacanthæ.

Si febris, ſitis, vigiliæ & inquietudines inſignem moleſtiam pariant, venæ ſectio nunquam omittenda eſt, cui adiungendæ emulſiones & julepi ſomniferi, à quibus ſimul & ſemel refrigerium & incraſſatio bili inflammatæ & ſubtili inducatur.

Demulcendæ Bilis gratia, ſemper in conſiderationem adduci debet num magis acrimonia peccet quam oleoſitate; ſi acrimonia, lenienda erit oleoſo quopiam remedio ac refrigerandi vi prædito, exempli gratia vſu emulſionum vulgarium, ſeri lactis magna quantitate tepide hauſti; ipſius etiamnum lactis, ad omnem alvi fluorem tantopere decantati: Neque tamen in alia præter quam hac ſpecie, me iudice, exhibendum eſt, vt & in ſeroſo fluore ſi Acidum dominium obtinet, adhibita tamen accurata cautione, nam ratione bilis, acrimonia tantum intenſa peccantis, ſacchari roſati addidiſſe tantillum vtile eſt: vel ſalium volatilium quæ id temperant: Sin Acidum in vitio ſit, quædam ſalia fixa, exempli gratia tartari vel abſinthij, ad arcendam coagulationem ab humoris aciditate imminen tem: Optandos effectus Lac non alia facultate exſerit quam dulcedine partium

tium & ramoſitate quas in ſe continet, quibus bilis acres aculei, vt & humoris acidi, implicantur & obtunduntur.

Si Bilis oleoſitate peccaverit, Lacti plane valedicendum, ratione partis butyroſæ admodum in illo exaltatæ, facile in ſanguine flammam concipientis; Si idem humor viſcedine quoque peccaverit, vel obſtructio adfuerit in canalib us choledochis, vel in viis chyliferis, Lac etiamnum omnino vitandum eſt, ratione partium in illo viſcidiorum,& ſummæ ad coagulationem propenſionis, vnde proinde cauſæ morbificæ augmentum imminet: Adeo vt mirandum non ſit ſi Empirici,qui impudenter quodvis alvi fluoris genus vno remedio ſe ſanaturos jactitant, ſæpiſſime à propoſito aberrent, nec promiſſis ſtent, eo quod nec ratiocinio morbi indolem perveſtigent, neque remedij qualitatem: Experientia revera, (quam nullus non ſibi circa morborum curationem æque arrogat) maximam Medicinæ partem conſtituit, at ſæpenumero fallax eſt, ſemper autem periculi plena niſi comitem habuerit rationem.

Sunt & qui quodvis Fluoris alvi genus vnica grani vnius *laudani* exhibitione ſe ſanaturos pollicentur: Revera id extractum inter cætera remedia præſtantiſſimum eſt, ſecuriſſimumque inter cætera anodynum; At cum non omnibus æque perſpectæ ſint illius facultates, & pauci exacte attendant ad varios quos producit effectus, ideo fieri non poteſt vt proſpero ſemper ſucceſſu exhibeatur.

Hactenus omnium opinio fuit Opium ſumme frigidum eſſe, quod narcotica vi polleat, at vero ſi animum quis advertat id abſque correctivis exhibitum, aut nimia quantitate, intenſum calorem excitare: Si quoque illius amarities perpendatur, perpetua & individua illius comes, quæcunque demum accedat præparatio, niſi propria illius natura corrumpatur, nemo non in aliam abiturus eſt ſententiam, aſſerturus quippe potius id eſſe calidum: Reſinoſa ſubſtantia quæ ex opio elicitur mediante vini ſpiritu, pars autẽ ſalina quæ ope aquæ educitur aquæ acrimonia pollent & amarore, ambæ autem illæ qualitates caloris manifeſta ſunt indicia: Ab experientia quoque compertum habemus idem hidroticum eſſe, imo & diureticum, dicti autem effectus vno eodemque tempore medicamenti frigidi ſoboles eſſe nequeunt.

Neque in promptu ratio eſt per quam remedium tali caloris gradu donatum ſomnum provocare valeat: Id forte contingit eo quod illius ope ſerum à cæteris humoribus ſecernitur, qui ideo craſſitiem adipiſcantur majorem, ac ſpiritus validius colligant: Forte quoque quod parte volatili & ſulphurea, qua præditum eſt, temperata humorum acrimonia, ſpiritibus quoque tranquillitatem conciliat, a

quorum tumultu vel vehementi in cerebrum impetu, aliaſque corporis partes, pendent vigiliæ & inquietudines: At revera admodum arduum eſt rationem tradere, nec non manifeſtum facere quomodo adeo exigua quantitate tam potenter in noſtris corporis humores agat: *In minimo maximum, in maximo minimum.*

Quantumvis anodynum ſit Laudanum, iu pondere tamen & menſura concedendum eſt: Optatos ſæpenumero edit effectus in ſiſtendis alvi fluxibus, tam diarrhœa Bilioſa, quam Seroſa & Dyſenteria, Vbicumque tandem mulcenda eſt humorum acrimonia, dummodo cautiones neceſſariæ cum cæteris remediis adhibeantur, ac temperamenti ægri & conſtitutionis morbi ratio habeatur.

Licet & nonnunquam per dies aliquot, nullo periculi metu, horis matutinis, vncias duas olei amydalarum dulcium porrigere, addita vncia vna ſucci limonum & tantundem ſacchari roſacei, ex tribus vel quatuor vnciis ptiſanæ ordinariæ, vel aquæ plantaginis, in vnam vel plures dozes.

Poſſunt etiam per os exhiberi vnciæ duæ olei communis, quod ebullierit cum vnciis ſex vini rubri, ad mediæ partis huius conſumptionem, addito pauxillo ſaccharo: Poſtrema duo hæc remedia exhibenda ſunt ſolum ſi bilis acrior & atra ſit: Valent & in Diarrhœa ſeroſa, cum acrimonia ſalium dominatum tenet. Remedium quoque ſequens optimum eſt.

℞ *Pulveris viperarum & confectionis de hyacintho ãã.* ℥ ß.
Corallorum præparat. ℥ j
Laudani grana iij.
Cum ſyrupo de abſinthio fiat opiata, cuius doſis ʒ j *ſero & mane.*

Cum Diarrhœa Bilioſa omnium frequentiſſima ſit, ideo mitiganda eſt Bilis flava a qua originem ducit, adhibendo remedia illi idonea, ea præſertim quæ aciditate levi & pungente prædita ſunt, cuiuſmodi ſunt omphacium, ſucci aut ſyrupi oxyacanthæ, limonum, granatorum: valet itidem ſpiritus acidus & ſtypticus è vitriolo elicitus, vel alumine, &c. commiſcendi aquis portulacæ, nymphææ, plantaginis, juſculis, ptiſanis &c.

Remedium ſequens toties, tamque felici eventu in vſum duxi, vt non poſſim non plurimi facere: adimplet quippe omnes indicationes a bilis natura ſumendas, quam temperat, effrænemque illius impetum coërcet.

℞ *Conſervæ roſarum rubr.* ℥ v j
Confectionis de hyacintho, Theriacæ ana. ℥ j
ſpiritus vitrioli ʒ j

ſacchari ℥ iij.

Infunde per noctem calide in ℔ iij aquæ meliſſæ, vaſe clauſo fiat colatura, cuius vncia vna aut altera frequenter exhibeatur.

Nec remedia adſtringentia omittenda fuerint, crocus martis cum conſerva roſarum, vel cydoniorum, inter optima numerandum eſt: Laudano quoque locus eſt, quod potionis forma dari poteſt, vel pilulari: ſomnum enim inducendo immodicum humorum motum reprimit, *Vbi ſiſtere volueris ſomnum ſacito, & ne moveto*, inquit Hippocrates, Opiata ſequens etiam appoſitiſſima eſt.

℞ *Seminum papaver albi, plantaginis, & ſophiæ Chirurgorum ana. ʒij.*
Croci martis adſtringentis ℥ ß.
Laudani grana xij.
Mivæ cydoniorum ℥ i ß.
Fiat Opiata, Doſis ʒ j bis in die, Vel

℞ *Radicis tormentillæ & corall. præp. ana ℥ j.*
Croci martis adſtringentis, Theriacæ ana ℥ ß.
Rhei electi leviter terrefacti ʒ iij.
Cum ſyrupo de abſinthio f. Opiata, Doſis ʒ ß.

Vel ℞. *Croci Martis adſtringentis ℥ j.*
Sacchari candi ℥ ß.
Cinnamomi ʒ ß.
Miſce, fiat Pulvis à ʒ ß. ad ʒ j. ſumendus.

Contingere necnon poteſt vt canales biliarij obſtructionibus laborent in hac Diarrhœæ ſpecie, & bilis redundans in maſſa ſanguinea è vaſis exundet in ventriculnm ac inteſtina per arterias: Tunc temporis prædictus humor per lotij vias derivandus eſt, in vſum ducendo diuretica, quorum baſis ſint acida, incidunt quippe materias craſſas & pituitoſas, hic parientes obſtructiones, exempli gratia,

℞. *Aquarum graminis & raphani ana. ℥ iij.*
Tartari vitriolati ℈ j.
Syrupi limonum ℥ j. Detur matutinis horis,

Id remedium eodem tempore Bilem emendat, tenuitate peccantem & æſtuantem in maſſa ſanguinea.

CAPVT QVINTVM.

De Diarrhœa Pituitoſa & Seroſa.

NOn aliud diſcrimen conſtituo inter Pituitam & Serum, quam quod illa craſſior eſt & viſcoſior, hoc fluidius: Pituita tamen dulcior eſt, ſerum ſalſius, hoc proinde Acidis facilius imbuitur & bile, ac frequen-

tius fluorem alvi excitat: Vterque tamen humor aquæ naturam reſipit, hoc eſt vtriuſque baſis mera aqua eſt.

Omiſſa enumeratione cauſarum procatarcticarum à quibus Seri proventus deducendus, aut Pituitæ in corpore, hoc vnum afferam prædictos humores ad inteſtina deferri, aut per ventriculum, aut per pancreas, aut per arterias meſaraicas:

Oportunum foret hic loci demonſtraſſe quomodo a maſſa ſanguinea ſaparentur, ac in cavitatibus & meatibus corporis coacerventur, præſertim in cerebro, maximam dictorum humorum partem ſuggerente, ſecundum Hippocratem: Sed nimium ab inſtituto recederem, cum mihi contractam brevitatem propoſuerim.

Quocunque vero ex loco Pituita & Serum in inteſtina confluxerint, Alvo fluorem inducere valent, vel ſi redundaverint, vel ſi qualitate in vitio fuerint, ac præſertim ventriculus iis luxuriaverit: Perpendere ergo æquum eſt an prædicti humores ſimpliciter Aquei ſint, aut Pituitoſi, aut etiam Bilioſi & Acidi, quo propriæ judicationes eliciantur ad evacuationem congruam, vel tempeſtivam correctionem, ope remediorum convenientium.

Evacuationem quod attinet, illico per alvum illa inſtituenda eſt, ſive prædicti humores nimia quantitate abundaverint, vel qualitate peccaverint, in vſum advocando Hydragoga, quorum ſuperius memini: At vero ſi acidiores fuerint, Purgantia tempeſtiva non ſunt: Diuretica vero magis conveniunt, & ſudorifica temperantia, ad humoris fluxum avertendum, eorum electione facta quorum baſis ſunt ſalia fixa, Exempli gratia hoc ſit Sudoriferum.

℞. *Salis abſinthii* ʒß.
Spiritus fuliginis, aut ſanguinis humani, aut ſalis armoniaci ℈j.
Laudani gr. j.
Miſce in aqua ſudorifera aut decocti gaiaci, chinæ, buxi &c. ℥vj. *capiat ager cum regimine.*

℞. *Diaphoretici miner.* ℈j.
Theriaca vet. ʒj.
Da cum vino aut cum liquore convenienti.

Exhiberi poteſt drachma vna Pulveris viperini, vel Sal viperæ volatile, vel Tartari eodem modo.

Diureticorum capitibus præcedentibus iam memini; at vero abſtinendum præſertim ab Acidorum vſu in Fluore alvi quem inducit vel ſerum, vel pituita acida, Sic tartarum album, ſpiritus ſalis; ſuccus limonum vel oxalidis &c. inepta ſunt: Præſtantiſſimum eſt remedium

dium ſequens.

℞. *Cinerum ſarmentorum vitis lib. ß.*

Sacchari ℥ ij. *Infunde per tres horas in decocti ſalſæparillæ & bardanæ* ℔ iv. *Fiat colatura, addendo elæo ſacchari cinnamomi, aut caryophyllorum* ʒ j *ad vſum bis in die, ad* ℥ vj *pro dozi.*

Etſi Diureticorum beneficio ſerum per letium effundatur, nihilominus tamen ratione ſalium admiſtorum adſtringentem vim illa poſſidét, quorum acrimonia fluorem alvi provocat, at vero illorum electio habenda, ſicuti jam ſuperius innui.

Hidroticorum eadem eſt ratio, quibus ſal fixum tanquam baſis inditum eſt: Ab his exhauriuntur aquæ ac ſanguinis partes maxime ſubtiles, ſed præterea ſalia acria domantur, ſæpe fluorum alvi ſeroſorum & pituitoſorum cauſæ.

Neque omittenda Enemata Detergentia, Anodyna & Corroborantia.

Temperationem, lenitionem & correctionem humorum quod attinet, ac viſcerum corroborationem, in vſum duci poteſt ptiſana chalybeata, cui incoquenda erit raſura cornu cervini, addito pauco ſaccharo: Quandoquidem febris plerumque non inſignis eſt, ventriculus autem ſemper debilis, tantillum vini rubri concedi poteſt.

Si *Alvi fluor ſeroſus* fuerit, in quo Acidum dominium obtinet, corroſio autem & tormina inteſtinorum admodum vrgent, id quod accidit cum alvi deiectiones viridis ſunt coloris, præſcribenda eſt ptiſana ex hordeo & cornu cervino confecta, vel quopiam ſimili, Vſus lactis cum ſaccharo & ovis admodum idoneus eſt, proſcripto omni alio nutrimento, ſed vtile fuerit ſingulis matutinis, ante illius aſſumptionem, exhibuiſſe dozin Pulveris ſequentis.

℞ *Salis Tartari* ʒ iij.

Nucis moſchatæ ʒ ß.

Miſce fiat Pulvis, doſis ʒ ß.

Sequentia duo remedia experimento comprobata ſunt ſimili in caſu.

℞ *Chalybis ſulphurati ſubtiliſſime triti* ℥ j.

Coralliorum rubeor. ad albedinem calcinatorum, Santalor. rubror. ana. ℥ ß.

Cinnamomi ʒ iij.

Sacchari roſati ad pondus omnium.

Fiat Pulvis, doſis ʒ j *cum conſerva roſarum ſumendus.*

℞. *Oculorum cancrorum.*

Cornu cervi vſti ana ʒ ß.

Confectionis de hyacintho ℥ j.

Fiat opiata cum ſyr. de ſtœchade ad vſum.

Quandoquidem ventriculus in eiuſmodi Diarrhœæ ſpecie maxime omnium patitur, eapropter corroborandus per remedia ſtomachica à me commendata capite de Leienteria, obſervatis conditionibus neceſſariis ibidem allatis: Crocus Martis ſulphuratus aſſumptus pondere ſemidrachmæ ex conſerva roſarum, optimum eſt remedium.

In vſum poteſt venire hoc loco Panis ſambucinus, qui vel ſimplex eſt, vel compoſitus: Simplex paratur ex farina ſecalina, & vino aut ſucco ſambuci: Compoſitus fit hoc modo.

℞ *Corallor. rubr. præparat.*
Cornu cervi vſti ãã ℥ ij.
Granorum hederæ.
Seminis plantaginis ãã. ℥ i ß.
Laudani opiati ſolidioris ʒ ß.
Farinæ frumenti & ſecalinæ ãã. ℔ ß.
Radicis ſymphyti maioris ℥ vj.

Pulverentur omnia & per ſetaceum traiiciantur, Miſce ſ. a. cum ſuff. qu. granorum ſambuci, Formentur Placentulæ ſatis molles, & in furno inſtar Panis vſualis coquantur: Coctæ in pulverem redigantur, & iterum cum ſuco piſtentur, Ter idem repetatur: Panis erit tunc optime præparatus ad vſum.

Hic Panis in omni fluoris ventris ſpecie conducit, dummodo eius vſum non impediat vel debilitas ſtomachi vel febris.

Non pauci ægri dum profuſior eſt alvus de mictionis difficultate conqueruntur: Cauſa inde eſt, primo, quod conatus adſit in deſidendo, ac fibræ nerveæ, recto inteſtino & veſicæ communes contendantur, ideoque impedimento ſint ne ſphincter eiuſdem veſicæ dilatari queat: Secundo, maxima ſeri pars effluit per alvum, quæ per vias lotii ſecerni debuerat, ſive obſtructionum cauſa, chyli tranſitum occupantium, ſive ratione impetus humorum verſus inferiorem ventrem, & hiantium plus iuſto arteriarum meſaraicarum.

Priorem cauſam quod attinet, removenda eſt irritationis cauſa ab inteſtino, vſu Enematum detergentium, emollientium & anodynorum, nullis additis purgantibus aut adſtringentibus, Ex lacte bubulo parata, addita vncia vna vel altera mellis roſati cum ovi vitello, proficua ſunt: Poſterioris gratia, reſerandæ ſunt obſtructiones ope purgantium, in vſum ducendo diuretica ſicut ante innui.

Simili in caſu perpetuo à me obſervatum Pulverem radicis Ialapæ, ex ſennæ decocto cum pauco ſaccharo ſumptum, mira præſtare: Salis poly-

chreſti drachma vna ex duobus cyathis aquæ taraxici, vel ptiſanæ officinalis, apprime etiam conducunt ſi præſertim addita fuerit vncia vna ſyrupi de cichor. compoſiti cum Rheo, qui valide per vrinæ vias pellit.

Capvt VI.

De Dyſenteria.

Dyſenteria Fluor eſt alvi cum crebris deiectionibus, cruentis & purulentis, ingentibus torminibus, excoriatione & vlcere inteſtinorum.

Dyſenteriæ cauſa vulgo cenſetur humor acris & ſalſus, inteſtinorũ tunicis adfixus vlcus inducens, & vaſa ſanguifera corrodens, vnde prodeat cruor, qui excrementis commiſcetur, & pus: Eaque propter ſymptomaticam perpetuo eſſe iudicant, ac periculi plenam: at, ex mea ſententia, nihil obſtat quominus aliquando critica ſit, etſi comites ſint dolores cum aliis accidentibus quæ inducere ſolet.

Quicunque enim humor acris, tenuis aut craſſus, in inteſtina tranſmiſſus, illiſque adhærens, vel a capite defluit, vt ait Hippocrates, vel a ventriculo, vel a pancreate, vel immediate per arterias ex maſſa ſanguinea deducitur: Sæpenumero autem contingit humorem qui Dyſenteriæ author eſt, tantundem mali inteſtinis non inferre, è quibus quippe facilem exitum habeat, ac ſi hæreret in maſſa ſanguinea, in capite, in pancreate aliiſve viſceribus.

Ideoque, quicunque ſanguis ex inteſtinis manaverit, etiam cum pure, perpendendum eſt an ſemper neceſſaria ſit cita illius cohibitio, aut permittenda excluſio per alvum, expurgante humores natura ſicuti per alias vias a noxiis ſe liberat: Si pus vlceris indubia eſt nota, quippe quod ſemper præter naturã, quod neceſſe eſt quam citiſſime licet ad conſolidationem deducere, ſanguis in dyſenteria per alvum excretus ſæpenumero certum indicium eſt criſi, contingentis ex maſſa humorũ, adeo vt curſus tum tantummodo inhiberi debeat cum vires manifeſte atteruntur; aut cum ex intenſione dolorum, ac egredientis puris copia, vlcus amplius fieri cognoſcitur, profundius & periculoſius.

Fluor ille ſanguinis qui prodit ex inteſtinis, ſæpiſſime eadem ratione contingit qua hæmorrhagia narium; cuius cauſa conſiderandum eſt nonnullos ramos arteriarum carotidum a baſi cerebri aſcendere verſus proceſſus mammillares, é quibus in capacitatem narium deſcendunt cum nervis odoratoriis, ac diſſeminantur per vniverſam tunicam glanduloſam: Inſignia ſunt prædicta vaſa, quorum officium eſt non ſolum calorem & alimentum adferre partibus, ſicuti cæterarum arteriarum, ſubeſt & alter vſus, ſcilicet plurimum ſerum deferre in glandulas

papillares, quapropter neceſſe eſt illarum orificia admodum hiare: Sanguis autem quantitate ſi peccaverit, vel qualitate, vel impetu nimio cieatur, vi viam ſibi facit per dictos ramos arterioſos, cuius effluxus criticus eſt aut ſymptomaticus.

Eadem ratio eſt arteriarum meſentericarum, quibuſcum officium commune eſt plurimum ſerum naturaliter deferre, pituitam, alioſve ſupervacaneos humores aut vitioſos in inteſtina, id quod oculis obvium eſt ex purgationibus artificio excitatis, vel etiam ipſa Anatome, anaſtomoſes ergo illarum plurimum hiare debent, Sin contigerit ſanguinem copia peccare, aut qualitate vitioſa, eam viam ſibi quærere poteſt, motu æque critico ac per quamcumque aliam partem corporis.

Sed ſi Dyſenteria aliquando fiat more critico, ſanguinem effundente natura, multo ſæpius accidit eſſe ſymtomaticam ratione vlceris quod innaſcitur inteſtinis, hinc vix curationem recipit, vel propter alia accidentia conſequi ſolita: Nam vel ſanguini liber commeatus per vaſa meſenterica denegatur, vel plus debito fluidus eſt & ſeroſus, vel etiam plus quam decet acer & corroſivus.

Cum ſanguinis per venas commeatus liber non eſt, id contingit ob pituitam craſſam & viſcidam, quam arteriæ in inteſtina continuo eructant: Fieri porro poteſt vt humor iſte ſubſiſtat, atque in glandulis etiam inteſtinalibus concreſcat, aut ductibus ex iis emergentibus, ideoque adeo premat venas vt ſanguis ex arteriis illuc influere nequeat: Vel ipſas ſubingrediatur venas pituita, aut in extremis arteriis hæreat, eaſque in tantum obturet, vt ſanguis viam vi ſibi faciat in inteſtina, à quo vt plurimum vlcus inducitur, eo quod acrimoniam illic contrahat.

Dicto in caſu circulationi ille reddendus eſt, fluxuſque per venæ ſectionem inhibendus aliaſque vacuationes: clyſteres idonei iniiciendi ſunt, tum purgantes, tum diſcutientes, incidenda eſt pituita eadem purganda couvenientium remediorum vſu: Tum temporis perpendenda ægri temperies, qui proculdubio pituitoſu eſt, tardus, febris expers, cum appetitu imminuto, parum hilaris, niſi acida vna cum pituita dominentur, neque dolorem neque corroſionem inducentia.

Aliquando ſanguis plus nimio ſeroſus & fluidus eſt, ſicuti contingit in fluxu hepatico, ob quem loturam carnium crudarum in limpida aqua factam refert: Tunc in inteſtina non influit ratione compreſſionis, vel obſtructionis venarum & arteriarum: Id vero ideo contingit quod cum in illo deficiant calor naturalis & ſpiritus, coctionis humorum & ſecretio-

ſecretionis opifices, nequaquam ſecretus, ſed crudus vaſa illa permeat, admixtus pituitæ quæ diluta admodum eſt, debilitatis & depravationis viſcerum index.

In illo Fluoris alvi ſpecie non tam incumbendum incraſſationi humorum, vel illorum derivationi, aut motus inhibitioni verſus inteſtina impetum habentis, quam virium inſtaurationi viſcerumque corroborationi, ope remediorum cardiacorum & ſtomachicorum.

Non raro accidit ſanguinem admodum acrem eſſe, corrodendi vi præditum, ſcilicet bilioſum aut melancholicum, ſi ſcilicet ſalia fixa aut lixivialia & acida exſuperant: Id cum contigerit, alvi fluor ſemper periculoſiſſimus eſt, ſi præſertim chronicis morbis ſuperveniat, aut diarrhœis, eo quod partes maxime ſpirituoſæ ac dulces ſanguinis, à quibus ſolis ſalium acrimoniæ temperatio expectanda, diſcuſſæ fuere, aut etiamnum fixatæ ab intenſo calore in illas agente.

Maius vero periculum invehit ſi ægris intenſa ſitis moleſta ſit, eo quod pauciſſimus ſuperſtes ſit liquor ſeroſus & dulcis, qui ſalivæ materiam præbet, ac acres humores mitigat, vel ſi quæ adſint illius reliquiæ, in vitio is ſit, eo quod illorum ſaliva ſemper aut craſſior, aut ſalſa, vel amara aut acris fuerit: Cunctæ autem prædictæ pravæ qualitates, quæ facile ſe produnt, intenſum calorem arguunt, ac inſignem in ſanguinea maſſa confuſionem, vt & in viſceribus.

Curationem Dyſenteriæ quod ſpectat, ad cauſas principales & varias à quibus producitur ſemper attendendum: Diætam quod ſpeciat, laudo panatellam, aut pultem cum ſaccharo & ovis paratam, dimiſſis iuſculis carnium, ſi ſcilicet abfuerit febris, aut ſaltem ſi levior: Hordeum & oryza in lacte rite cocta, aut in carnis jure, præſtantiſſima quoque ſunt: Ptiſana non alia ſit quam quæ a me ſuperius præſcripta, reſpectu habito humoris prædominantis. Addere licet radicem conſolidæ majoris, argentinam, veronicam, bugloſſam, ſaniculam, pimpinellam, ſed præſertim agrimoniam.

Remedia Dyſenteriæ curandæ idonea eadem ſint quæ Diarrhœæ competunt, a me capite præcedenti allata, additis regulis obſervandis juxta humorum qualitates: Sed præterea nonnulla allaturus ſum admodum convenientia, & experientia comprobata.

Sed præ cæteris ad ſanguinis miſſionem attendendum, triplici de cauſa nunquam omittendam, primo ad temperandas & coërcendas ſanguinis partes activas ſi plus juſto æſtuent & tumultuentur.

Secundo ad vacuationem partis illius exuberantis, aut portionis cacochymiæ acrimonia ſua illum exagitantis: adeo vt vniverſa maſſa ſan-

guinea pauciore reddita. & ſui iuris,minuſque in vaſis commota, circulatio facilius perficiatur, minoreque impetu in partes illabatur, ac proinde placidius verſus extremitates arteriarum meſaraicarum deferatur.

Tertio ad curſum ſanguinis verſus alias partes inhibendum, ſicuti id in more poſitum eſt in curatione cuiuſcunque hæmorrhagiæ

Solenne eſt in principio Dyſenteriæ catharſin inſtituere, at vero non ſemper neceſſe eſt huic dogmati adhærere,eo quod cuncta cathartica humores admodum exagitent, irritentque inteſtiua ac extremitates arteriarum meſaraicarum, plus ſolito hiantes: Nihilominus tamen illico purgandum *ſi materia turgeat.*

Morbi cauſa materialis & potiſſima aliquando adeo redundat,& furibunda eſt, vt ſæpe in mora ſit periculum, ideo neceſſaria eſt purgatio, *etiam in valde acutis*, ait Hippocrates, ſi præſertim ſanguis impurus appareat, aut viſcidos, quos fermentatio partium activarum ſubigere nequeat, aut per ſudores expellere, vrinas &c.

Purgationes validiores ne ſint,ideoque in vſum ducantur Tamarindi, Rheumbarbarum, Myrobalani, Caſſia, ac eiuſmodi cathartica quæ primas vias non tranſcendere cenſentur, quandoquidem temperandi potius ſunt humores quam irritandi.

Purgatio neceſſaria eſt ad mundandum vlcus inteſtinorum, ac expellendas materias quaſcunque fæculentas & noxias, à quibus impura fieri poſſunt & corrodi, ſi præſertim gracilia vlcerata fuerint, eo quod enemata & clyſteres eo penetrare nequeunt.

Sed præterea cita catharſis neceſſaria eſt ſi obſtructio arterias obſideat aut venas meſaraïcas, quinimo glandulas inteſtinales; Id quod ex ſignis a me ſuperius allatis colligere eſt, ſicut & ex maiori aut minori doloris ſenſu fluxionis initio.

Si bilis nigra purganda veniat, aut melancholia, id quod rarius faciendum, Pilulæ ſeqnentes admodum idoneæ ſunt, ob Mercurii vim, qui Acida ab Alkalibus etiam fixiſſimis ſegregat,cæteriſque corporibus, quibuſcum arcte cohæret.

℞ *Pulveris radicis Gialapæ.*
Gummi ammoniaci electi ãã gr. XV.
Scammonii
Mercurij dulcis ãã. gr. x.
Cum extracto granorum iuniperi fiant Pilulæ pro vna dozi.

Enemata perpetuo in vſum ducenda ſunt, imo ſi cathartica fuerint purgationum aſſumptarum vicem ſupplere poſſunt quando vlcus inferiora

inferiora inteſtina obſidet: Admodum conveniens erit iniectio clyſteris Detergentis cathartico per os ea die exhibito, aut ſaltem vtendum iniectionibus ad rem facientibus.

Clyſteres corroborantes, parati ex decocto abſinthij & roſarum Provincialium in aqua chalybeata ac vino rubro auſtero, diſſolvendo ovorum vitellos, confectionem hyacinthinam, theriacam, admirandæ ſunt vtilitatis tempeſtive adhibiti.

Eadem ratio eſt Paregoricorum, compoſitorum ex ſebo hircino, adipibus & oleis: Qui ex lacte cum ſaccharo fiunt, floribus chamomillæ & croco. Vel ex capitum & inteſtinorum vervecinorum decocto, admodum quoque conducunt ſi ſæpius iterati fuerint & exigua quantitate iniiciantur: Tria aut quatuor Laudani grana addita ſæpe mira præſtant.

Alterantia remedia quod ſpectat, non pauca attuli præcedentibus duobus capitibus: Hoc vero loco præcipue obſervanda venit, ſicuti ſuperius innui, qualitas bilis, quæ vt plurimum omnis Dyſenteriæ parens eſt: Hippocratis aphoriſmus veritatem effati aperte comprobat, *In longis Dyſenteriis ſi ructus acidus, qui prius non fuerat, ſupervenerit, probum eſt ſignum*: Supponit Hippocr. humorem prædominantem, Dyſenteriæ cauſam, Bilem eſſe flavam, ſubtilem & oleoſam, imo lixivialem & acrem, ac proinde deſtitutam partibus acidis a quibus temperiem obtinet: Ructus autem acidi, hoc in affectu ſupervenientes, indicia ſunt in bonis ducenda, eo quod Acida ſupervenientia temperant ſal acre & lixiviale Bilis, ac fixationem inducunt partibus lixivialibus humorum: Sin iidem ructus initio morbi ſe exhibuerint, ac in morbi progreſſu augmentum capiant, funeſta potius ſigna ſunt quam ſalutaria, effectus quippe bilis acrimoniam & mordicationem adeptæ, ob exuperantem Acidorum copiam a quibus fixata fuit, & vt ita dixerim dominium in eam obtinuerunt, adeo vt priori exuta fuerit natura: Immutatio illa accidit cum evadit nigra, aut ſaltem porracea, ſicuti ex deiectionibus apparet, aliiſve ſymptomatis pernitioſis, ac præſertim ex alvi torminibus, *Dyſenteria cum habuerit*, ait Hippocrates, *dolor adeſt per totum ventrem, & tormen, & egerit bilem ac pituitam, & ſanguinem combuſtum: Morbus longus eſt, laborioſus ac lethalis.*

In Dyſentericis deiectionibus perpetuo adparet materia albuminibus ovorum ſimilis, quæ omnium iudicio, Pituita inteſtinalis eſt: egeritur præterea Bilis, alias ſanguis aduſtus, qui bilis atra eſt: Quo magis autem prædictus humor prædominatur, eo diuturnior eſt morbus, laborioſior & periculi magis plenus hoc eſt, quo plus Bilis atra,

aut Melancholia, Acidi in ſe continet, eo acrior eſt, ac magis noxæ & detrimenti corpori infert.

Eiuſmodi ſalia eam aliquando acrimoniam & corrodendi vim contrahunt, vt merito comparatio inſtitui queat cum ſpiritibus acidis ſulphuris aut vitrioli: At vero cum nulla melior occurrat ratio temperandi & mitigandi vehementiam dictorum ſalium quam ope ſalium volatilium: ac partium mitium & ſpirituoſarum a quibus ſubtilitatem aquirunt; aliamque figuram induunt, ſicuti id conſpicuum eſt in coniunctione ſpititus ſalis cum ſpiritu vini.

In vſum quoque trahendum eſt omne genus ſalium volatilium & ſpirituoſorum ad correctionem bilis atræ, admodum acidæ, ſi præſertim vehementia febris abfuerit, aut ſitis exigua ſit.

Si metus fuerit incaleſcentiæ humorum, aut nimiæ illorum rarefactionis, vtiles necnon eſſe poſſunt pulveres animalium, e quibus ſalia educuntur, eo quod ea non polleant acrimonia, quæ ab igne ſalibus poteſt inuri: Hinc pulvis viperarum, ſerpentum, aſellorum, lumbricorum, pedum perdicum & caponum toſtorum, ex arte præparati, efficaciſſimum cenſeri debent remedium: Exhiberi poſſunt commiſti theriacæ, confectioni hyacinthinæ, extracto granorum iuniperi, vel conſervæ idoneæ, &c.

Vſus lactis amygdalarum dulcium, ex aqua hordei & plantaginis paratum, apprime quoque conducit. Emulſiones, quicquid denique Acido reluctatur conducere poteſt. Exempli gratia.

℞ *Seminum quatuor frigidorum maiorum lactucæ.*
cydoniorum ãã. ʒij.
amygdalarum dulc. excorticat. ℥ß.
Contundantur in mortario marmoreo, ſenſim affundendo hordei decocti & cornu cervi ℔ iß: Colaturæ expreſſæ adde Syrupi nymphææ.
papaveris albi ãã. ℥iß.
fiant tres doſes longe à paſtu ſumendæ.

Vel ℞. *Aquarum roſarum.*
plantaginis ãã. ℥iiij.
corallorum rubrorum præparat. ʒj.
diacodij ℥ß.
Miſce Fiat Potio ſumenda in duas dozes. Vel

℞ *Rhabarb. leviter vſtulati*
Sacchari roſati ãã ʒj.
Olei amygdalar. dulc. q. ſ.
Fiat Bolus mane ſumendus. Vel

℞ *Oculorum Cancrorum*

Sangui-

Sanguinis draconis ãã. ℈j
Theriacæ ʒj *Fiat Bolus.*

Si humores admodum tenues fuerint & æſtu perciti, remedia omnia acida aliquibus terreis iuncta, aut quibuſdam ſalibus fixis, admodum conveniunt, E. g.

℞ *Boli Armenæ* ℥j.
Succi limonum ℥ viij.
Macerentur tepide per xxiv *horas, miſceantur deinde cum aquæ plantaginis aut chalybeatæ* ℔ iij.
Sacchari ℥ vj.
Simul agitando ex cochleari frequenter vtatur æger.

Aqua parata ex conſerva roſarum vitriolata, & laudano cydoniato, remedium eſt a me ſæpenumero experimento confirmatum. Vel

℞ *Aquæ aut ſucci vrticæ maioris* ℥ viij
ſacchari ℥ j.
ſpiritus vitrioli ad gratam aciditatem, Fiat Potio in duas aut tres doſes Vel

℞. *Croci Martis adſtringentis* ℥ j
Rhabarbari torrefacti
Cornu cervi vsti
Sanguinis draconis ãã. ℥ vj
Laudani ℈ j
Fiat Opiata cum ſ. q. ſyrupi de Berberis aut de limonibus, Doſis ʒj *ſero & mane.*

Quandiu in vſum ducitur hæc Opiata, ex intervallis iniiciendi clyſteres Detergentes & Adſtringentes: Admodum idonei ſunt qui parantur ex lacte bubulo chalybeato: Imo ſucceſſu non infelici vſurpantur facti ex oxycrato & aqua plantaginis, in quibus diſſolvere licet ovi albumen cum tantillo alumine trito, ſed tunc temporis inſtitutum eſt inteſtinis refrigerium afferre, ac temperare humores bilioſos ſalſos potius quam Acida obtundere; vlcerum cauſam ordinariam.

Interim ſicut cauſa immediata & frequentiſſima Dyſenteriarum vlcus eſt inteſtinorum, à quo reſerantur orificia arteriarum & venarum, vnde maximus in hoc morbi genere imminet metus, ideo nominatim illius curationi attendendum ope remediorum detergentium & conſolidantium: Deterſio ab initio obtineri poterit mediantibus illis purgantibus quæ eodem tempore maximam partem cacochymiæ ſanguini commixtæ exhauriunt.

℞ *Temarindorum* ℥ß.
Rhabarbari pulveriſati ʒj

Roſarum rubrarum pug. ij.
Salis Tartari ʒß.
Coque in aquæ plantaginis. ſ. q. In colaturæ ℥v. diſſolve ſyrupi roſati ſolut. ℥j aut ℥iß.
Fiat Potio Vel

℞ *Rhabarb. pulverati ʒj*
Terebint. coctæ ℈j.
cum ſyrupo de roſis ſiccis Fiat Bolus.

Enemata detergentia, & Decocta vulneraria ſemper plurimam opem afferunt, E. g.

℞ *Decocti hordei, furfuris macri, plantaginis & roſarum rubrarum ℥vj.*
Diſſolve Terebinthinæ Venetæ vitello ovi diſſolutæ ʒß.
Mellis roſati ℥j
Fiat Enema diu retinendum. Vel

℞ *Ariſtolochiæ rotundæ*
Summitatum hyperici ãã. ℥ij
Infunde per xxiv *horas in vini generoſi ſeu albi, ſeu rubri, & Aquæ phagedenicæ ana ℔ iß.*
Bulliant ad quartæ partis conſumptionem in vaſe terreo, Cola & utere ad Iniectiones.

Vis ineſt dictæ aquæ detergendi vulnera, necnon & conſolidandi: Illi poteſt addi tinctura aloes, ſi deterſione multa opus fuerit: Simplex iniectio partium æquarum aquarum plantaginis & phagedenicæ, cum ſpiritu vini optima eſt: At ſimili in caſu non melius ſuppetit remedium quam balſamus ſulphuris terebinthinatus, hoc eſt cum oleo terebinthinæ paratus, imo ipſo etiam olivo: Ore aſſumitur ex ptiſana officinali, vel alia quapiam idonea decoctione, a guttis tribus ad decem. Ex. gratia.

℞ *rad. ſymphiti maioris.*
raſuræ cornu cervi ãã. ℥j
roſarum rubrarum pug. ij.
Decoctum ſ. a. In colaturæ lib. j. diſſolve Balſami ſulphuris guttas xv. *pro iij dozibus* Vel

℞ *Decoct. veronicæ, vincæ pervincæ, agrimoniæ, ſaniculæ, centinodiæ, plantaginis, ſummitatum hyperici ℔ j.*
diſſolve maſtiches ſubtiliſſime pulveratæ ʒij.
lapidis hæmatiii ʒ j.
ſyrupi myrtini ℥ ij.
Fiant iv. *dozes mane & veſperi ſumendæ.*

Poteſt

Poteſt & mixtura parari ex maſtiche, olibano ſemine plantaginis & hypericonis optime tritis, cum cera flava minutiſſime diſſecta, partibus æqualibus miſtis, exhibendo drachmam vnam bis in die ex ovo ſorbili.

Olim novi calebrem Medicum, qui felici ſucceſſu remedio ſequenti vtebatur, Accipiebat caput mortuum ſpiritus vitrioli, rite edulcoratum; committebat partibus æquis ceræ minutiſſime raſpatæ, ac drachmam vnam porrigebat, ſemel aut bis in die quotidie ex ovo: vel Bolum conficiebat additis guttis aliquot olei hyperici, aut ſcorpionum Matthioli.

Nulla Topica hic loci allaturus ſum, vti nec ſexcenta alia remedia quæ vi ſpecifica cohibere feruntur ſanguinem; quia ſi indicationibus ſatisfactum fuerit, ab humorum natura deſumendis, dyſenteriam inducentibus, facile eſt ea quæ maxime ſunt idonea nancisci, adeo vt aliorſum divertendum non ſit, ad ea ſcilicet quæ eo nomine tantum plurimi ſiunt quod ignota ſint & paratu difficilia.

CAPVT VII.

De Teneſmo.

Teneſmus eſt perpetua deſidendi cupiditas, qua viſcida quædam excernuntur, purulenta & cruenta: ſolum inteſtinum Rectum in hoc morbo efficitur cum porro cæteris carnoſius ſit, remedia autem commodius admoveri queant, hinc minus adeſt periculum quam in Dyſenteria, ſub qua altius deliteſcit vlcus & in partibus minus carne præditis.

Cauſa autem continuam illam irritationem inducens in Teneſmo, pendet ab exquiſito ſenſu & particulari inteſtini Recti, ad quod deducuntur quatuor rami inſignes nervi Intercoſtalis: Præterea fibræ nerveæ & annulares ſphincteris muſculi, dicatæ, vt ſic dicam, delationi inſtinctus aperiendi & claudendi inteſtinum, ſenſu admodum acri præditæ ſunt: Cum autem perpetuo irritentur ab impactis humoribus acribus, tunicis vlcus inducentibus, ideo in motu perpetuo dilatationis conſtituuntur, quo ſe a re moleſta & vrgente liberent.

Cauſæ Teneſmi eædem vt plurimum ſunt quæ Dyſenteriæ, imo & Diarrhœæ: Non ergo aliæ ſunt haurienda indicationes ratione remediorum quam in hoc fluore alvi: quamobrem cum plurima attulerim capite de Dyſenteria, & in præcedentibus, tam ratione visceris quam humorum ipſam committentium, inutile eſſet illa hic repetere, aut analoga præſcribere.

Illico in Teneſmo purgandum remediis benignioribus & nonnihil adſtringentibus, crebro vtendum injectionibus, clyſteribus, ſicuti prædixi in Dyſenteria:

Commode inſtituuntur ſuffumigia ex maſtiche, thure, corticibus granatorum, roſis Provincialibus; Valent & Fotus ex abſynthio & floribus chamæmeli &c. ex vino rubro, aliquando etiam lacte, ſi magis mitigandi quam roborandi conſilium fuerit: Podicis præſertim Embrocatio valet ex decocto thapſi barbati, vel verbaſci & continodiæ.

Obſervandum hic ſæpenumero humores admodum incaleſcere, & phlegmone quandoque adeo inſigni obſideri rectum inteſtinum, vt ipſi etiam veſicæ vrinariæ communicatur, cui nonnunquam ſtranguria ſuccedit aliáque ſymptomata periculi plena: Tunc neceſſaria eſt ſanguinis emiſſio, imo e re eſt ſæpius ſanguiſugas admoviſſe:

Quemadmodum fluxus Hæmorrhoidalis ſæpenumero concurrit in Fluribus alvi, Dyſenteriæ ſpecie poteſt imponere, etſi aliquando tantum fuerit motus criticus ſanguinis, aut ſolummodo effectus conatus quem adhibet Longanon in Teneſmo, imo in diarrhœis & aliis fluoribus alvi: Quamobrem non intempeſtivum fuerit occaſione data earum naturam exploraſſe, ac paucis illius fluxus generationem attuliſſe.

Opinio trita eſt ſanguinem melancholicum, craſſum & impurum, qui per vaſa hæmorrhoidalia effluit, immediate a Liene exoriri, qui fluxus hoc viſcus liberet a pleriſque impuris humoribus tam ipſum crebro obſidentibus: At cognita ſanguinis circulatione, & vaſorum hypogaſticorum diſtributione, in aliam omnino abeundum eſt ſententiam, Perpendendum eſt hæc vaſa, arterias ſcilicet & venas hæmorrhoidales, Internas eſſe vel externas: Internas ſoboles eſſe arteriæ Cœliacæ, quæ deferuntur in ſubſtantiam membraneam recti Inteſtini; Externas autem ramos eſſe Aortæ, derivatos à ramo hypogaſtrico, qui diſſeminantur in vniverſam ſubſiſtantiam muſculoſam podicis: Ideoque venæ hæmorrhoidales internæ ſunt rami venæ Portæ, Exteriores autem venæ Cavæ: At vero cum maxima pars ſanguinis hæmorrhoidalis per venas exteriores prodeat, aut per venam Cavam, quæ ipſum ex Aorta recipit, nemo jure dixerit, ab ipſius effluxu exonerari Lienem, eo quod arteriæ, ſanguinem ad podicem deferentes, nullum cum hoc viſcere habent commercium.

Neque etiamnum ſanguis per hæmorrhoidas internas prodiens, è Liene prodire dicendus eſt, eo quod illac commeatum non habeat priuſquam ad anum deferatur: Quicunque ergo ſanguis per hæmorrhoidas

rhoidas efferatur, non magis viſcus hoc deplet quam alias imi ventris partes, quas alluit arteria cœliaca.

Quicquid ſanguinem in arteriis & venis hæmorrhoidalibus cohibet, aut quicquid ipſas irritat & reſerat, parit fluorem de quo nobis ſermo. Ideoque humores acres & pungentes, à quibus vlcus inducitur inteſtinis, vaſa hæc irritare & aperire valent, & fluorem parere, non minus ipſis alvi fluoribus periculoſum: Vt plurimum accidit ob tumores hæmorrhoidales, qui ſunt interni vel externi, occulti vel manifeſti: Interni autem externis magis dolorifici ſunt, eo quod tunica membranea & nervoſa inteſtini, in qua generationem habent, tenuior eſt & acriori ſenſu prædita quam pars inteſtini carnea quo pertingunt Externæ: Sunt vero præterea periculoſiores, cum enim ſanguis facilem exitum inveniat, putredinem aliquando concipit ob diuturniorem moram extra propria conceptacula, & vlcus inducit membranæ inteſtinis nerveæ, cuius curatio difficilior eſt quam vlcerum in partibus carneis genitorum.

Tumores eiuſmodi oriuntur cum ſanguini liber ab arteriis in venas influxus prohibetur, ob cauſam quampiam vaſa illa obturantem, aut comprimentem & coarctantem: Sanguinis pars aliquando craſſiſſima in interſtitia vaſorum effunditur, quæ paulatim diducit & dilatat: Cum porro arteriæ ſemper illum & affatim ſuppeditent, extravaſatus ille ſanguis vnum aut plures tumores excitat, qui nequaquam adſcribendi ſunt, vt vulgo cenſent, venis tumidis, ſed variciformibus venis.

Hæmorrhoidum curationem hoc loco non attingam, eo quod illas tantummodo hic perpendam tanquam ſymtomata fluoribus ventris ſuperveniens, quorum variæ cauſæ varias ſuggerunt medendi indicationes: Hoc vero ſolum aſſero, ope remedij ſequentis mira me præſtitiſſe.

℞ *Succi millefolij* (laudant alij linariam) ℥ iv.
Sevi porcini recentis & inſulſi ℥ iij.
Salis Saturni ʒ iij.
Fiat ſ. a. Linimentum quo partes dolentes calide foveantur

Hoc reſolvit & mitigat æque humores craſſiores, acres & acidos, parientes Hæmorrhoidas internas & occultas æque ac externas.

℞ *Vngu. Althaæ.*
Olei chamomillæ ā ā ℥ ij.
Mercurij ʒ iij.
Miſce ſ. a. fiat Linimentum, cuius vſus vt ſuperioris.

Capvt VIII.

De Alvi fluxu Pingui.

NIl frequentius occurrit in Fluore alvi quam humor albugineus, aut pituita viſcida & craſſa, index cruditatis ventriculi & inteſtinorum, aut concoctionis in iis male peractæ, ſed & aliquando adeo inſigni in illis acrimonia, vt vniverſa inteſtinorum tunica bombycina & glandulоſa erodatur & fruſtillatim cum humoribus cruentis & purulentis excernatur.

Symptoma id admodum verendum eſt, vlcus enim tunc inſigne eſt, imo ſæpe extrema arteriarum, quin & venarum, tantopere hiant, vt profluentem ſanguinem cohibere vix concedatur; Sed inter ea quæ ex inteſtinis prodeunt in fluoribus alvi, à nullo maius periculum imminet quam ſi pinguia & fœtida excernantur.

Me non latet dari Fluores alvi per quos pinguia deiiciuntur, quorum cauſa adſcribenda eſt alimentis pinguioribns ingeſtis, eapropter ventriculo adeo ingratis vt omnino qualia ingeſta ſunt egerantur, ſed illi fluori facile eſt medelam afferre immutata diæta & roborato dicto viſcere ac inteſtinis, prius iiſdem deterſis & mundis redditis,

Sunt & præterea alij Fluores Ventris per quos craſſa & viſcida prodeunt, vehementiam febris inſequnti, ſi adeo ſit inſignis ſanguinis æſtus, vt ab hoc vniverſi humores colloqueſcant, imo ipſæ partes ſolidæ: Periculoſa ſunt eiuſmodi alvi profluvia ratione febris ipſa inducentis aliorumque ſymtomatum concomitantium: At vero cum vtplurimum ſint progenies ſummæ humorum redundantiæ, qui incendium facile concipiunt, inteſtina autem nequaquam exulcerationem patiantur, contingit nonnunquam dictos fluores criticos eſſe effectus ipſius febris qui nequaquam metum incutere debent.

Fluor ventris Pinguis omnium maxime metuendus, is eſt qui ſuccedit chronicis quibuſdam morbis, vel etiam aliis fluoribus, de quibus actum.

Sub hoc Fluore vires ægri & carnes manifeſte concidunt, cum febre lenta, inducta ab humoribus ſalſis & acidis: Huiuſmodi febris Colliquativa eſt & Hectica, Neque difficile eſt colligere quo pacto febribus chronicis ſuccedat, in quibus quicquid in ſanguine maxime dulce eſt & ſpirituoſum a calore abſumitur & febris perſeverantia: Interim ſalia, quæ biliosa ſunt vel acida, nequaquam volatilia evadunt, quin potius fixantur, ſinceriora evadunt & acriora: Quamobrem cum mediante circulatione vna cum maſſa ſanguinea corpus vniverſum peragrent,

ragrent, materia autem ſulphurea pauca adſit, quæ inflammationem parit, ideoque febris eſt lenta, pulſus celerior, at non elatus: Salia, admodum acria, ac materiæ ſulphureæ expertia, quibus ante turgebant, diſpoſitionem obtinent naturalem ad eam admittendam, ſubſtantiam ſcilicet mitiſſimam & maxime oleaginoſam ſuperſtitem in partibus ſolidis, quas pertranſeunt, abripientia: Hanc continuo abſumunt, eamque verſus inteſtina deducunt, vna cum ſanguine eo jam cum cæteris humoribus præter naturam vergente: Quamobrem mirum non eſt ſi per alvum pinguia & oleoſa deiiciantur, ſemper fœtida: Hoc in caſu fœtor perpetuo mali eſt ominis, eo quod ſpiritus non amplius ſufficienti adſint copia ad temperationem partium ſulphurearum, a quibus omnis putredo humorum deducenda eſt, ſi plus juſto exaltatæ fuerint, atque ex his effugiant cum partibus quibuſdam ſalinis, acribus, pungentibus, & odoris admodum ingrati.

Ad Curationem huiuſmodi Alvi Profluvij, ad Diætam primum attendendum eſt, & Remedia viſcera corroborantia, mitigantia humores, & rarefacientia potius quam incraſſantia: Convenit Ptiſana parata ex hordeo ad crepaturam vſque excocto jujubæ, vvæ paſſæ, raſura cornu cervi, eboris, &c. Poteſt & in vſum trahi lac amygdalinum dulce in Potu, vt & hordeatum vel avenatum, quæ pro alimento ſolum ſufficient, proſcripto carnium juſculo: Vſus Lactis cum pane & ovis etiam apprime eſt vtilis:

Porro cum vires admodum deiiciantur & atterantur, illarum reparationi conſulendum, vſurpatis ſpirituoſis & plurimum alimentum præbentibus: ideoque ex intervallis concedi poterit tantillum gelatinæ cornu cervi cum vitulina commixtæ, additis pulveribus quibuſdam aromaticis, aut ſucco ex coxa vervecina elicito.

Ad Ventriculi robur, & præcavendum ne ab Acidis acribus (à quibus incaleſcunt, & corruptionem ſubeunt alimenta) ipſum coaguletur Lac, ſingulis matutinis aſſumi poterunt ſcrupuli duo, ieiuno ventriculo, oculorum cancrorum præparatorum, ex drachma vna vel altera conſervæ roſarum liquidæ.

Quoad remedia hoc in caſu vſurpanda, omnia ad eum ſcopum collimare debent vt Salium in humoribus exiſtentium acrimonia contemperetur eo modo quem adduxi. exempli gratia.

℞ *Olei quatuor ſeminum frigid. maiorum.*
Sacchari optimi ā̄ā. ℥ ij.
Olei fœniculi, aut aniſi, guttas ſex.
Decocti herbarum vulnerariarum ℔ ij.
Fiat ex arte miſtura, cuius ℥ iij bis aut ter in die capiat æger.

Præſtantia huiuſce remedij in hoc ſita eſt, quod herbæ Aromaticæ, imo vulnerariæ, plurimum ſal volatile poſſident, quod adiungens ſe partibus ſulphureis & viſcidis ſacchari & olei, omnem acredinem humorum, qualiſcunque illa ſit, temperat & edulcorat.

Superius adnotavi maſſam ſanguineam admodum craſſam eſſe & viſcidam in eiuſmodi ventris Profluvio, eo quod inſufficiens adeſſet copia partium ſpirituoſarum & ſulphurearum; à quibus pendet tenuitas & rarefactio humorum: Ac quo ſalia ſinceriora ſunt & compactiora, eo humorem, quem conſtituunt acriorem craſſiorem & viſcidiorem evadere; id quod obſervare eſt in oleo vitrioli, ſulphuris in ſale tartari, ſapone &c.

Sic omnes hectica laborantes, in quibus febris quicquid oleoſum eſt fere depaſcicitur, & quicquid ſpirituoſum & tenue in ſanguine, humoribus ſcatent admodum ſalſis, viſcidis, craſſis & acribus, quamobrem non abs re præferendum eſt Lac aſininum vaccino, & muliebre cuicunque alteri ad curationem dictorum ægrorum, eo quod ſimul mitigatorium, dulce & ſubtile ſit: Imo appoſite calidum præberur, ex ipſis vberibus hauſtum, quo partes omnes ſpirituoſæ aſſumantur, quibus rarefaciendi, necnon temperandi eodem tempore humores acres & craſſos vis ineſt.

Eadem de cauſa exhiberi poteſt magiſterium aut Lac ſulphuris, id quippe non ſolum humores mitigat, abſorbendo Acida a quibus acrimoniam contràhuut, vt ait *Tachenius*, ſed præterea quia rarefacit, & ob ſalia volatilia refrigerat, quæ ſeſe a centro iſtius mineralis extricarunt, mediante fermentatione quam inducit ſal tartari, aut ſal calcis &c.

His poſitis, partes dulces & ſulphureæ ſacchari & olei ſimul conveniunt & intricantur cum aculeis acribus & corrodentibus humorum eoſque obtundunt, ſed penetrare nequeunt, neque interins eadem efficacia dulcorare ſicuti exterius, eo quod ramoſi ſint & viſcidi: Neceſſaria ergo eſt additio ſalium volatilium, quorum ope penetrandi vis accedat, rarefaciendi, mitigandi, ac denique vt partes oleoſæ in vniverſam humorum etiam craſſiſſimorum & acerrimorum maſſam deferantur.

Ideoque quæcunque remedia plurimis oleoſis ſpiritibus pollent, hoc eſt, ſalibus volatilibus, quarum exigua acrimonia temperatur quapiam ſubſtantia oleoſa & ſpirituoſa, admodum idonea ſunt, e. g. Pulvis ſequens.

℞ *Sacchari albiſſimi* ℥j
Salis c. c. aut ammoniaci ʒ ij.

Olei

Olei fœniculi guttas iv.
Miſce ſ. a. fiat Pulvis, Doſis ʒ j *cum liquore, aut cum conſerva convenienti.* Vel
℞ *Decocti agrimon. & pimpinell,* ℥ viij.
Syrupi de tuſſilag. compoſiti ℥ij.
Elixir. propriet. ſine ſpiritu ſulphuris, aut ipſiuſmet balſami ſulphuris gut. iij. *aut* iv. *Miſce fiat Potio in duas dozes ſumenda*
Vel
℞ *Tabellar. alth. compoſit.* ℥ j.
Confect. de hyacintho ℥ ß.
Cum ſyrupo capilli Ven. fiat Opiata, Doſis a ʒj *ad* ʒ i ß. *ſero & mane.*
℞. *Pulver. tragacanthi.*
Salis abſynthij.
Sacchari roſati ãã. ʒ j.
Nucis moſchatæ ʒ ß.
Miſce fiat Pulvis, cuius ʒ ß *ad* ʒ j *detur in ovo ſorbili*

Cuncta hæc remedia. & plurima alia huius naturæ, attenuant & mitigant humores, hoc eſt partes ſalinas edulcorant, quæ acres ſunt & viſcidæ: Laudanum ſæpenumero hic conducit,

Vlcus Inteſtinorum quod attinet, eidem illi cura debetur quæ dyſenteriæ: Addendo, ſi lubet, in Enematis, & Iniectionibus vulnerariis guttas aliquot balſami ſulphuris vulgaris, aut ſequentis.

℞. *Olei terebinth. Venetæ.*
hyperici ãã. ℥ ij.
Sacchari ℥j.
Digerantur ſ. a. in vaſe vitreo, & fiat Balſamus.

Si Dolores admodum intenſi fuerint, parari poſſunt Enemata anodyna ex lacte vaccino cum tribus aut quatuor granis Laudani, additis ſemper prædictis Balſamis.

Finis Novembris Anni. 1680.

ZODIACI

ZODIACI MEDICO GALLICI

SIVE

Recens in Re Medica & Naturali Exploratorum.

DECEMBER Anni 1680.

QVÆSTIO.

An Potus glacie refrigeratus ſit noxius, Vel Num eo ipſo momento quo hauritur noxam inferre poſſit, aut deinceps tantum, Vel nulla omnino metuenda ſit.

Domini GAVTIER *Medici Nivortenſis.*

GLACIES nihil aliud eſt quam aqua, cuius minimæ particulæ, motu privatæ, iuxta poſitæ mutua quiete fruuntur: At vero, cum porro requiratur agens æque validum ad ſiſtendum corpus motu concitatum, ac ad ciendum in motum aliquod corpus quieſcens, neceſſe eſt cauſam diſquirere ob quam particulæ aquæ in rigiditatem & immobilitatem coguntur, quæ ante flexiles & fluidæ erant: Etſi vero pronum non ſit dictam cauſam reperire, non multum forte aberraturus is eſt qui voluerit perpendere corpora aquam ambientia cum hæc in glaciem concreſcit.

Porro, cum recte eiuſmodi examen inſtituitur, nullum deprehendere datur agens quod aquam immediatius contingat præter aërem ipſum: Neque tamen credendum eſt ab vniverſa aëris mole hunc effectum edi, hæc enim perpendenda venit tanquam ſpatium vel area, quam incolit infinitus numerus omnigenæ materiæ, cuius vnaquæque particula ſingulari proprietate donata eſt.

Vero

Vero magis conſonum videtur adſtruere Spiritum mundi, (cuius exiſtentiam quotidie nobis manifeſtam faciunt Chimici, quando aëri exponunt caput mortuum cuiuſpiam mineralis) principium eſſe naturale cuius vi fixatur & congelatur aqua quadam anni tempeſtate: Ideoque admodum veroſimile eſt ſales volatiles, viſus aciem effugientes, dictum ſpiritũ conſtituentes, quod minori motu hyeme polleant quam vllo alio tempore, ſubſiſtere, ac infixos inhærere quaſi totidem cuneos exiguos, intra particulas aqueas, quas penetrare amplius non valent, neq; exire, neque intra eas motũ inchoatum abſolvere, quo fiat vt aquæ particulæ, quæ antea erant fluidæ, immobiles iuxta ſeſe poſitæ maneant, efficiantque corpus durum, cui *Glaciei* nomen inditum fuit.

Experimenta a me mox adducenda non parum coniecturam hanc aſſerunt: Si fruſtum glaciei aſſumatur, idque ad ignem in vapores ſolvi ſinatur, evaporatione peracta in fundo plurimum ſalis deprehendere licet, atque plus quam ſi tantumdem aquæ communis exhalare permiſiſſes: At vero hæc ratio admodum valida eſt, quæ apertum faciat Salem verum eſſe principium cujus opera vtatur Natura ad duritiem conciliandam liquoribus aqueis.

Præterea Glacies artificio excitata non parum ſententiam meam adprobat: ſi enim eiuſmodi productionem ad examen revoco, non video qua alia ratione explicari queat, quam adducto ſimili à re quapiã prioribus analoga deſumpto: Atque vt clarius innoteſcat id quod propoſiturus ſum, in medium afferendus eſt modus quo omni tempore Glacies produci queat: Si nempe cyatho partes æquales ſalis communis, nivis & glaciei indideris, tantillo tempore agitentur & eo momento cyathũ pelvi aquam continenti immiſeris; tunc aqua pelvi indita, cyathu immediate ambiens, concreſcit prout materiæ cyatho immiſſæ liqueſcunt & ſolvuntur: Alio item modo concretio aquæ promovetur, ſed qui magis admirationem ciet, quandoquidem iuxta ipſum ignem res contingit; En arcanum, Accipiatur lanx nive referta, cuius medio imponatur cyathus aqua plenus; poſtmodum ſi impoſueris lancem prunis candentibus, tunc illico iucundo ſpectaculo conſpicere eſt aquam concreſcentem & nivem ſimul colliqueſcentem.

Cui adhibito ſtudio phænomenorum horum cauſas rimari conſultum fuerit, is forte nihil probabilius deprehenſurus eſt quam ſi animo concipiat corpuſcula ſpiritus vniverſalis, quarum ope particulæ aqueæ nivis & glaciei vinctæ & colligatæ detinebantur, actione ignis libertatem nanciſci aut ignis communis: ambo enim illa agentia, vi irrumpentia in compoſitum glaciem conſtituens, id diſſolvunt,

atque omnino ſub iugum mittunt, adeo vt corpuſcula illa frigida diſſiliant poſtquam e poris in quos ſeceſſerant excuſſa ſunt: porro cum eadem indeſinenter perſequantur, atque ad circumferentiam vſque liquoris impellant, non arduum eſt animo concipere ea tandem cyathi parietes tranſmeare, quandoquidem ſufficienti ad eorum penetrationem vi prædita ſunt; ideoque cum in novum liquorem effundantur, in quo nihil quod eorum obſtetactioni inveniunt, illum in glaciem convertunt, eadem vi qua ventus ſeptentrionalis, admodum frigidus afflando illum condenſat.

Tradita generationis Glaciei ratione, nunc porro oſtendendum eſt quodnam ſit Ventriculi Diſſolvens, quandoquidem primarium eſt agens quod in potiones glacie refrigeratas effectum depromit. At vero quo rite eius natura exploretur, illius originem ante omnia inquirere neceſſe eſt: neque ardui erit laboris illam nanciſci, ſi modo illud perſpectum fuerit ad ventriculum ex naturæ lege nihil deferri quam per exiles glandulas, per interiorem eius membranam ſparſas.

Sed præterea Os & Guttur Fermenti partem Ventriculo ſuppeditant, quo ad ciborum concoctionem vtitur; certum vero eſt liquores ingeſtos id non abſorbere, quia citius pertranſeunt nec moram in eo nectunt: Ideoque ſalivam in medium non adducam, vbi a me tradenda erit digeſtionis liquorum ratio, etſi revera ſuccus ſit qui non ſolum cibos ſolidos permeare idoneus eſt, cum ore eos verſamus, ſed & eos in chylum tranſmutare, id quod in iis conſpicuum eſt qui per incuriam a paſtu dentes non emundant; ſi enim duabus tribuſve a cibo horis illos abſterſerint, eluitur materia chylo omnino ſimilis, vnde evidens deducitur argumentum non parum ad alimentorum concoctionem conferre ſalivam.

Quandoquidem neceſſarius non eſt Salivæ interventus ad liquorum digeſtionem, ſufficiat animo finxiſſe ex glandulis membranæ villoſæ ventriculi, tunicæ ſcilicet illius interioris & glanduloſæ, exſtillare humorem tenuem & penetrandi vi præditum, coctioni liquorum idoneum: Non temere humorem ex prædictis glandulis deduco, experientia ſi quidem duce exiſtentiam illius percipimus: Si enim accurate inſpiciantur granula illa glanduloſa, tunicæ villoſæ maximam partem conſtituentia, vnumquodque granum manifeſto foramine pertuſum perſpicitur, e quo compreſſione facta exilire conſpicitur aqua limpida in ventriculum expreſſa: Præterea in eadem membrana infinitus pilorum tenuium & brevium numerus conſpicuus eſt, inter dictas exiguas glandulas diſſeminatorum: Etſi hactenus pili prædicti tantummodo

do pro fibrillis accepti ſint, eruditi tamen quidam anatomici neoterici canaliculos quoſdam illos eſſe cenſent, glanduloſos, e quibus emulgetur lympha, fermenti ventriculi partem conſtituens.

Neque ſatis eſt noſſe perpetuo e prædictis glandulis villoſæ tunicæ in ventriculum liquorem quempiam exſudare, noſcere quoque expedit vnde illum hauriant: quamobrem ne in hac diſquiſitione error forte contingat, vaſa omnia illuc pertingentia diſquirere eſt animus, ac pro virili illorum vſus perſcrutaturus ſum.

Arteriæ gaſtricæ, Venæ cognomines; Nervi ex octavo pari deducti, vt & ab intercoſtali, ac tandem ſingularis quidam Canalis; quatuor inquam hæc vaſa perpetuo vnucuique glandulæ conglomeratæ adhærent: Arterias & Nervos quod ſpectat, ambo hi canales à natura comparati ſunt ad delationem humoris in illis contenti: Venæ, ex circulationis legibus, ſanguinem reſorbent ab arteriis illatum, demum ad fontem revehendum: Porro cum radices venarum in dictis glandulis, qua proportione ſanguinem ex arteriarum extremitatibus illatum excipiunt, eadem efferre nequeunt, neceſſe eſt congeri in dictis extremitatibus, atque ideo has intumeſcere; at vero id nequaquam fieri poteſt quin liquor lymphaticus per earum denſitatem exſudet, leviter illabens per plurimos exiles admodum tabulos, ex naturæ inſtituto ipſi glandularum ſubſtantiæ inſertos: quæ exilia filamenta, tandem coeuntia & collecta, deſinunt in canaliculum illum ſingularem, à me ſuperius deſignatum, in quem excurrit humor lymphaticus, ac proinde tandem in ventriculi cavitatem ipſam illapſurus.

Firma ratione nixus aſſerui ſi ſanguis qui affatim in arterias epigaſtricas defertur, non eodem impetu ab anaſtomoſibus venarum excipiatur, portionem ſeri per tunicas vaſorum exſudare, Docent enim experimenta anatomica, ligata vena Cava, aut arteria Aorta, aut quopiam illarum ramo, perpetuo ſubſequi ſeri, in partes vicinas vaſis ſanguiferis quæ intumuerunt effuſionem; conſtanti enim naturæ lege, in ſanguinis naturali commeatu, ſero hic deſtituitur ſi repagulum aliquod ipſius motui obiiciatur.

Quæ hactenus de Fermento ventriculi protuli, optime illi quadrant quod ineſt tenuioribus inteſtinis; ne vero iterum adducantur quæ de priore fermento dicta ſunt, hoc nunc protuliſſe ſatis ſit, Fermentum inteſtinorum multo potentius eſſe fermento ventriculi: id quod ex venis lacteis comprobare in proclivi eſt, quarum omnium radices inteſtinis infixæ ſunt, cum nullæ ad ventriculum pertingant: Præterea in hoc conſpicua tantum eſt materia craſſius diſſoluta, cui deeſt fluiditas illa atque albedo quæ ipſi in inteſtinis comparatur: Rei veritas vlte-

rius confirmatur ex eo quod ab Anatomicis obſervatum in formatione pulli gallinacei, inventus enim exiguus canalis ſingularis, in eo inteſtinuo, deſinens ad quod defertur flavus humor: Id quod proculdubio à natura nunquam effectum fuiſſet, niſi ibi loci alimenta vltimum perfectionis complementum, vt chyli formam induerent, adipiſcerentur.

Cognito jam quo modo eiuſmodi Fermentum ad ventriculum deferatur, & ad inteſtina, videamus quinam ſint illius effectus: At vero optandum eſſet vt prius compararetur idea propriæ illius eſſentiæ, quamobrem illi inveſtigandæ operam ante omnia navaturns ſum: Etſi res omnino ardua, eo quod nobis deſint media per quæ experimenta fiant circa id Fermentum aut Diſſolvens: enitar tamen aliquid veritati proximum afferre, probalitati innixum.

Nullæ ſunt Glandulæ, neque conglobatæ, neque congloberatæ, quæ a Natura non donatæ ſint ſingulari quodam eoque exiguo canali, per quem lympha limpida continuo defertur: Glandularum cognitio, & vaſorum lymphaticorum, docet nos eiuſmodi lympham perpetuo fermenti vices tenere in liquoribus contentis, in locis ad quæ excurrit: Præterea ex eadem cognitione conſtat ambas illas glandularum ſpecies vt plurimum convehere lymphas, vtrobique dulces, ſubtiles & limpidas; qua in re omnino inter ſe conveniunt.

Ex hac cognitione apparebunt media per quæ nobis cognita fiet natura diſſolventis aut Fermenti ventriculi; quamobrem ſoli ſunt in conſilium adhibendi Chimici, cum ſubiectam habent operationis materiam lympham aut ſerum ſanguinis: Ideoque cum per diſtillationem ex illis plurimum aquæ & ſalis volatilis eliciant, atque oleum penetrans cum tantilla terra, ex aliis principis conflatam eſſe Lympham vix veroſimile eſt, niſi forte aliud quodpiam chymicorum operam & induſtriam eludat, eo quod diſtillationis organa poros ſufficienter conſtrictos non poſſident ad id cohibendum aut effugium prohibendum: Spiritum illum per aëra oberrantem intelligo, à quo præſertim in motum incitantur, quique ſanguini arterioſo colorem vividum & rutilum inducit: Ideoque admodum veroſimile eſt eiuſmodi ſpiritum concurrere ad alimentorum concoctionem: hoc vero extra omnem dubitationis aleam rem conſtituit, quod nos anatomica inſpectio docet, Piſces in branchiis exiguum obtinere canalem, qui in ventriculum deſinit.

Anatome Lymphæ, coniuncta Chimiſtarum doctrinæ de ſalium actionibus, nitide nobis declaraturæ ſunt quomodo hæc Lympha digerat liquores, cuiuſmodi eſt Vinum, in exemplum à me aſſumendum:
Sic

Sic enim probabile eſt vinum,ſtatim ac in ventriculum pervenerit, ab aëris ſpiritu pervadi, at a ſale volatili alkali, quo Lympha perpetuo turget: Miſſa hic facio cætera Lymphæ principia, aquam ſcilicet & terram, activitate pené ad alimentorum concoctionem deſtituta: Quoad oleum penetrativum, motum eſt follis tantum vicem ſubire, cuius ope ſpiritus athereus efficacia maiori pollet: Ideo quo rite percipiatur ratio qua concoctionem ſubit Vinum, ſufficiat diligenter exploraſſe proprietates ſpiritus aëris, ac ſalis volatilis Lymphæ, nam illico in mentem veniet vtraque hæc principia activa & liberata, totam vini hauſti ſubſtantiam illico ſubire, quamobrem vbi ſpiritus aëris obviam habuerit partem ſalinam ſulphuream vini, ſtatim eã id inſilit, vim illi facit mille repetitis ictibus, quouſque tandem pars ſulphurea a ſalina plane extricata fuerit cui cum intime vniebatur: Sed poſtquam pars illa vini ſulphurea eo pacto extricata fuerit, ob vim a ſpiritu aëris illatam, cum dicto ſpiritu congreditur & luctam init: quamobrem inter ambo illa elementa inſignis oritur efferveſcentia, tantum modo deſinens per concentrationem ſpiritus ætherei cum parte ſalina ſuperſtite:

Hæc dum fiunt, ſal volatile alkali Lymphæ in partes quoque venit, vniverſam enim illam maſſam liquidam imprægnans, ad fermentationem quoque confert vna cum ſalibus acidis naturaliter ibi concluſis: quapropter ambo illi Sales, hoc eſt ſal volatilis lymphæ, & acidus vini, invicem ſe fixant poſt actionem reciprocam, non ſecus ac videre eſt acidos ſales & volatiles, qui ex animalibus eruuntur, fixari eorum commiſtione facta, ac efferveſcentia deſinente.

Actiones ſpiritus ætherei, ac ſalis volatilis alkali lymphæ, in vinum; ſenſim me in notitiam manu ducunt generari nitrum dum concoquuntur liquores: ante enim demonſtratum ambo hæc principia formare & conſtituere binos ſales natura diſcrepantes, cum in vinum agunt: Primo ſpiritus æthereus concentratur cum parte vini ſalina, poſtquam partem ſulphuream a miſtione ſeparavit, ideo fit quod pars hæc in acidum commigret, ſicuti Chimia nobis ſuppeditat exempla in productionibus naturalibus & artificialibus Acidi.

Secundo, ſal alkali volatile fixum evadit per intimam cum Acido vini factam commiſtionem: Quapropter ambo iſti ſales, ſcilicet ſal iſte fixus, alter acidus, ſimul concurrentes dum peragitur concoctio liquoris, vna efferveſcunt, ac proinde in fermentationem adducunt compoſitum quod ingrediuntur: Sed poſtqnam iſti ſales à mutuo congreſſu ſe intime pervaſerunt, ac, vt ita dicam, ſaturati ſunt, ſimul colligati vniuntur, ac conſtituunt ſalem quendam nitroſum, illi ſimilem qui

arte paratur, quando ſimul commiſcentur ſpiritus acidi cum ſale fixo Tartari.

Hoc vnum mihi afferendum ſupereſt quoad Liquorum concoctionem, Naturam ſcilicet, dum circa hanc incumbit, nullum alium ſcopum propoſitum habere quam nitri confectionem: Quare iſte Sal à me perpenditur tanquam vitæ noſtræ baſis & firmamentum, quandoquidem admodum idoneus eſt ad fomentum puræ illius flammæ in ſanguine, cujus ope vitam obtinet non ſecus ac cæteræ corporis partes, ad quas propagatur:

Obſervatur itidem iſta ſalis neceſſitas in plantarum vegetatione; non enim ante ramos protrudunt, folia, gemmas, & flores quam vbi Niſtrum copioſum in terra reperitur: Neque argumenta deeſſent ad rei confirmationem; atvero iam tempeſtivum eſt inquirere num ex poſitis principiis quidpiam elicere liceat, e quo quæſtio à Mercurio propoſita elucidari queat.

Profecto dictis principiis probe cognitis, & citius & nitidius deciſiones elici poſſunt circa effectus *Liquorum glaciei ope refrigeratorum*: Vt vero res facilius ſuccedat, illud à limine præſciendum eſt, id principium, ex quo liquores refrigerationem contrahunt, eiuſdem eſſe naturæ cum ſpiritu æthereo lymphæ: atque vtrumque horum principiorum eo tantum diſcrepare, quod prius, à quo aqua refrigerium ſuſcipit, pauciſſimo, quinimo nullo motu pollet; poſterius autem, quod in Lympha eluceſcit, energia plurima donatum eſt: Argumenta ſuperius à me adducta, ad probandum aërem ſupervenire ad alimentorum concoctionem; nec non ea per quæ à nobis oſtenſum ſpiritum æthereum elementum eſſe à quo deducenda ſit congelatio liquorum aqueorum, fidem mihi faciunt ambo illa agentia eiuſdem eſſe naturæ, diſcrepare tantum quibuſdam conditionibus quas ſubeunt: Ideoque nemini dubium eſſe debet quin ambo dicta principia eaſdem induere valeant proprietates, dummodo ab iiſdem cauſis in motum impellantur, adeo vt exiſtimem Potiones glacie refrigeratas ex propria natura noxias non eſſe, ſi præſertim ventriculi Fermentum admodum validum fuerit: Eo enim tempore, etſi ſpiritus æthereus in Potionibus refrigeratis poſſit illico inducto ſtupore obtundere orgaſmum ſpiritusætherei, ac ſalis volatilis Lymphæ, attamen cito reviviſcit ille motus, atque una cum iis concurrit ad digeſtionem peragendam.

Præterea cum vt plurimum in vſum ad potum veniant ſolum liquores tenues & ſubtiles, ſicuti vinum, cerevisia &c. eo minus incommodi ex iis glacie refrigeratis expectandum, quod eiuſmodi liquores tur-

geant partibus ſpirituoſis & ſulphureis, fermentationis idoneis vna cum corpuſculis frigidis liquoris hauiti; ſed præterea vna cum illis aptis natis augere fermentum ventriculi, ob effervefcentiam horum naturalem.

Poſitis his principiis, intrepide aſſero ſalubres eſſe potus glacie refrigeratos, ſicuti in Gallia vſitati ſunt: Quibus porro fermentum ventriculi in vapores facile effertur, ii non leve emolumentum ex eo percipere debent; Eo quod ejuſmodi potio temperiem nanciſcitur dum fermenti nimiam agendi vim obtundit.

Neque tamen negaverim quoſdam ex Potu glacie refrigerato illico, aut elapſo temporis ſpatio, colicis quibuſdam doloribus prehendi: at vero me iudice illi dolores ortum non ducunt ex alterationibus à frigiditate liquorum in fermentum ventriculi inductis; id quod proculdubio accidere neceſſe eſſet ſi dictum frigus propria ex natura noxium eſſet: Multo proinde veriſimilius eſt ejuſmodi dolores ex accidente produci, ideoque qui illis tentantur, tunicam ventriculi glandulosam, aut inteſtinorum, iuſto teneriorem obtinent, imo quibuſdam in locis quaſi contuſam: Ideoque ſicuti tunica nervoſa, quæ immediate glandulosam contingit ſibi ſuperſtratam, admodum ſenſibilis eſt, ob copiam ſpirituum illam illuſtrantium, non difficile erit intelligere inſolitas impreſſiones, quas pariunt liquores glacie refrigerati, omne genus dolorum excitare qui ſimilibus de cauſis excitari conſueſvere.

Interim qui ima montium incolunt, atque aquis tantum nivalibus pro Potu vtuntur, contrarium inferre videntur iis quæ modo protuli de affectibus potuum algorem à glacie nactorum: Ii enim ſtrumis, & tumoribus gutturis, (bronchocelas vocant) obnoxij tantum, (quod malum illis endemium) videntur, quod aquis ex ſoluta nive vtantur, quæ paulatim ventriculi fermentum deſtruant, ac itidem naturalem texturam exiguorum tubulorum glandularum, per quos eiuſmodi fermentum exſtillat vitient.

At vero hæc obiectio opinioni meæ non obſtat, nec enim à me conſtitutum fuit ſalubre eſſe omni tempeſtate vti Potu ex nive ſoluta, quin potius toto animo ab illo abhorreo, ratione acrimoniæ, cuius omni tēpore nix particeps eſt, originem proculdubio nactæ ex ſulphuribus & ſalibus acribus in ſublime aëris cum aqua evectis ex quibus nix conficitur: Argumenta quædam hic a me poſſent adduci ad confirmandam nivis acrimoniam ejuſque vim corrodentem, ſed hæc ſatis ſint ad concludendum *Salubrem eſſe Potum glacie refrigeratum, æſtate, eo quod tunc temporis ventriculi fermentum maxime incaleſcat, ideoque temperie indigeat vt melius officio fungi queat.*

Observatio I.

Mortuus reviviſcens.

Die Lunæ, quarta præſentis menſis Martij 1680, quidam in ſuburbio D. Antonij Apoplexia correptus eſt, quæ in Lethargi ſpeciem quandam abiit: Ex Chirurgi Vrbici ſententia mortuus pronunciatur: Porro, cum advena eſſet, hac vero temporis conſtitutione quicunque morte ſubita & inopinato occumbunt veneno interempti cenſentur, eapropter in Caſteletum delatus eſt, cultro anatomico aperiendus; vt obitus cauſa innoteſceret, ex mandato Prætoris: Quam primum vero admotum eſt ſcalpellum a ſopore excitatus is eſt, etſi tam a biduo illuc importatus eſſet.

Observatio II.

Mors ſequuta remedij Febrifugi vſurpationem.

Illuſtriſſimus Dux Rupefoucaultius primo Podagra per aliquot dies tentatus, poſtea humore qui in femora & tibias decubuerat, (ob quem intumuerant) in thoracicas partes refluo, excitata eſt febris, comitem habens dyſponeam: Præmiſſis aliquot ſanguinis emiſſionibus, a quibus levamen aliquod obtinuit, in medium allatus eſt vſus remedij Medici Angli, Acriter autem illius exhibitioni obſtitit Dominus Liſotius, primarius Medicus Sereniſſimi Fratris Regis, aſſerens optima quæque remedia ex dextero illorum vſu talia cenſenda eſſe, addens, quantum ex coniecturis Medicis colligere dabatur, multa veriſimilitudine nixus, ſi bis iterum ſecaretur vena, Aegrum ſanitati reſtitutum iri: At vero occupatio animi, aut ſuffragiorum multitudo cum potior fuiſſet, Illuſtriſſimus Dux e vivis exceſſit quadraginta circiter horis ab aſſumpto prædicto Febrifugo, nocte ſcilicet quæ 16 & 17. huius menſis intercedit.

Finis Decembris Anni 1680.

ZODIACI

ZODIACVS MEDICO-GALLICVS,

SIVE

MISCELLANEORVM

Medico-Phyſicorum Gallicorum,

TITVLO

RECENS IN RE MEDICA ET NATVRALI Exploratorum, vnoquoque menſe Pariſiis Gallicè prodeuntium

ANNVS TERTIVS,

Scilicet M. DC. LXXXI.

Authore NICOLAO DE BLEGNY R. G. C. O.

GENEVÆ,

Sumptibus LEONARDI CHOUËT, & Soc.

M. DC. LXXXII.

ZODIACI MEDICO GALLICI,

SIVE

Recens in Re Medica & Naturali Exploratorum.

Anni tertij, qui 1681.

IANVARIVS.

OBSERVATIO PRIMA.

Anonymi.

Præparatio ſalis ſulphuris ſingularis, ad quoſvis Pulmonum affectus vtilis.

ACCIPE Ceram flavā quam recentiſſimam habere poteris, liquefiat lento igne in vaſe fictili vitreato, incorporetur cum duplici portione arenæ rite elotæ & exſicatæ: impone omnia Retortæ vitreæ luto obductæ, & diſtilla igne lento: poſtea adjice libram vnam ceræ oleo quod in recipiens exſtillavit: hæc commixta impone alteri retortæ ad rectificationem olei per iteratam diſtillationem; Demum adiice tribus libris prædicti olei, ſulphuris pulveriſati tantundem: Oleum diſco argenteo impoſitum lento igne adhibito in vaporem ſolvito, continuo ſpatula lignea materiam verſando quoad omnino ſicca remaneat: Demum remixtæ æquali ponderi nitri depurati, & inditæ retortæ vitreæ, luto non incruſtatæ, adde par pondus aquæ pluviæ, vel roris majalis, quater diſtillati, vt deinde diſtillationi ſubjiciatur igne arenæ leni ſubdito; ter cohobando liquorem

ſupra materiam reſiduam, quam demum è retorta confracta exime, illam exſiccando, pulveriſando, ac deinde eum aceto ſtillatitio diluendo, aut phlegmate per diſtillationem elicito: Poſtea immiſſa aqua communi in retorta, ad diſſolutionem ſalis materiæ reſtibili inhærentis, id purifica ad vſum, filtratione facta, evaporatione & cryſtalliſatione more conſueto.

Doſis hujus ſalis erit à ſcrupulo ſemis ad drachmam vnam: multo ſucceſſu exhibetur bis, ter vel quater in die, pulmonicis, phthiſicis, aſthmaticis, ex juſculo, vel hauſtu decoctionis ligni juniperini & Scapilli veneris, in formam ptiſanæ addita liquiritia deducti.

OBSERVATIO II.

D. Dn. VERNEY Chirurgi & Anatomici Regij.
Cutis Anatome.

IN cute, juxta doctrinam priſcorum Anatomicorum, nihil præter derma & epidermidem obſervabile eſt; at ex ſententia quorundam neotericorum, ac præſertim Clariſſ. Stenonis & Malpighij, compoſitionem multo magis organicam obtinet, vi idonea fiat ſenſationibus illi aſſignatis: Prædicti authores opinionum ſuarum argumenta tradituri, operam ſuam in pedibus navarunt, labiis aliiſque quibuſdam brutorum partibus; at cum nacti non ſint ſubjecta idonea, eapropter imperfectè tantum conſtructionem cutis humanæ demonſtrare illis conceſſum fuit; ſuppleturus vero ab illis omiſſa, hanc trado hiſtoriam.

Dimiſſa Epidermidis conſideratione, ad amuſſim à plurimis Anatomicis deſcripta, hæc à me obſervata fuere in Cute partium maxime principalium.

1. Plurimi flocculi, aut papillæ, quorum cauſa variis in locis extima epidermidis ſuperficies extuberat; ex compage plurimorum filamentorum nerveorum in cutem deſinentium conſtructa.


2. Cutis cribrum, aut ejus contextus, cujus fibræ carneæ ſunt, ac eo pacto diſpoſitæ vt foramina componant, quorum ope papillæ ſufficienter ad extima deferuntur, vt extrorſum epidermida propellere valeant.


3. Glandularum infinitus numerus, cribrum diſpoſitarum infra, à cæteris glandulis exiguitate tantum vtplurimum diſcrepantium.

4. Species quædam retis admirabilis, conſtructi ex intertextu vario fibrarum & diverſorum vaſorum.

5. Cuncta hæc facilius animo comprehendentur inſpecta figura ſequenti, cujus effigies deducta eſt ex portiunculis cutis humanæ, cum ſpiritu vini præparatis, in aqua marina aſſervatis.

Ann. 2d Obs vlt: pag: 79





Ann. 3: pag: 5

Explicatio Figuræ præcedentis.

A A A Cutis portio, qualis oculis objicitur.
B B. Alia cutis portio, in qua plurimi viſui occurrunt flocculi, aut papillæ.
C C. Epidermis inverſa, vt pateat veræ cutis ſuperficies exterior.
D D. Cribrum cutis, in quo detegere licet tranſitum flocculorum, aut glandularum, illud trajicientium.
E E. Glandulæ infra cribrum ſitæ.
F F. Rete admirabile cutis, ſuperficiem interiorem conſtituens, cujus ope intime pinguedini cohæret.

Animadversiones.

Circa varium Cutis partium vſum.

Senſatio in animalibus cum nonniſi nervis mediantibus contingat, veriſimile eſt flocculos aut papillas cutaneas, quas conſtituunt filamenta nervea in ſuperficie cutis deſinentia, vera eſſe organa perceptionum quæ mediante ſenſu Tactus accidunt: Hacque in re antiquis aſſentiendum Epidermidem, dicta filamenta inveſtientem, productam fuiſſe ad ſenſus in illis acutiem obtundendam; etſi veriſimile ſit legitimum illius vſum eſſe conſervationem ſenſus prædicti, cujus partes organicæ fortè labem paterentur ab actione rerum diſſolventium per aërem oberrantium, aut attererentur à continua vicinia & communicatione partium noſtri corporis cum variis corporibus nos contingentibus.

Etſi omnino requireretur vt cribrum tranſitum concederet flocculis aut papillis, quo poſſent attingere ſuperficiem internam epidermidis, rationi tamen conſonum eſt illius foramina nominatim dicata eſſe colligendis & coadunandis fibris nerveis papillas prædictas conſtituentibus; quorum nempe defectu diſtraherentur & diſſociarentur ſi membra violentam aliquam extenſionem perpeſſa eſſent, ac proinde cutis ſenſus æque obtuſus ſupereſſet atque is qui à carnibus percipitur.

Rete mirabile quod ſpectat, id cum ex neceſſitate emergat ex contextu vaſorum & fibrarum verſus corporis ſuperficiem tendentium, ad formandam cutis conſtitutionem naturalem, eámque fovendam, inutile foret illius vſum perſequi: Glandularum vero vſum ſcrutari omnino neceſſe eſt, qui omnino eſt eximius, ideòque accurate perveſtigandus.

Nec enim primo dubitare licet quin illæ inſerviant excipiendo ſero à maſſa ſanguinea ſecreto, continuo exſtillante ab extremis vaſis ſanguiferis

in cutem deſinentibus ; quo fit vt corpuſcula ætherea & ſulphurea ſola remaneant circa dictas glandulas, ubi conſtituunt pinguedinem, decorationi cutis non ſolum inſervientem, ſed præterea defenſioni totius corporis ab occurſantibus quibuſvis injuriis per aërem diſcurrentibus.

Præterea ejuſmodi Glandulæ non modo vtilitatem præbent excipiendos humores ſuperfluos, atque corpus ab iis liberando, extra eos pellendo per inſenſibilem tranſpirationem, ſi exigua illorum ſit copia ; aut per ſudores, ſi exſuperent ; ſed præterea duo alii vſus illis aſſignari queunt, non levis certe momenti : Prior eſt irrorandi & continenter humectandi cutis flocculos, aut papillas, atque eo pacto mobiles illas & flexiles conſervandi ; conditiones ſane requiſitæ quò in tactu facile & prompte commoveantur ; quæ ſi deeſſent, filamenta illas componentia ſicca, rigida, inflexilia, & ſenſationibus inidonea evaderent. Poſterior vſus eſt perpetuo in cutis ſuperficiem, per canales ipſis proprios, ſtillatim infundere & inducere glutinoſum & viſcidum quendam humorem, fucorum omnium ſimpliciſſimum & maxime coumendabilem; eum ſcilicet à quo pendet omnis nitor, omnis lævor & æqualitas, paucis, quicquid pulchritudinem naturalem, vividúmque colorem exhibet.

Observatio III.

Dom. DES NOVE Academicorum Exploratorum Socij.

Deſcriptio Anatomica eorum quæ in cadavere humano reperta ſunt.

CIrca vmbilicum integumenta extabant & protuberabant à ſubſtrato corpore pingui, quod è peritonæo enatum, omento nequaquam annexum, inter binas aponeuroſes, muſculos rectos ambientes ferebatur.

In latere dextro neque annuli, neque teſticulus, neque vaſa ſpermatica, imo neque amputationis veſtigia vlla deprehendebantur.

Horum vicem ſupplebant Lienes tres in hypochondrio ſiniſtro ſiti; quorum vnus magnitudinem & figuram naturalem obtinebat ; etſi reliqui duo vix renem vervecinum mole adæquarent : Illud vero obſervatione dignum fuit quod alter minorum Lienum, quoad totam ſuam ſubſtantiam vno tantum gauderet ramo ex vena ſplenica orto, in majorem lienem deſinente : Alterum contra habuiſſe ramum inſignem, ex vena cava oriundum ; cui venæ illud peculiare inerat quod æque craſſa eſſet ac brachium cadaueris.

Hinc eluceſcit Naturam à legibus ordinariis, ſæpe aberrare: at illud obiter hic notandum venit, multo rarius eſſe vnicum teſticulum reperiri, quam exceſſum in numero; quandoquidem non pauci occurrunt tribus, imo quatuor teſticulis præditi: ſin contingat vnicum tantum in plurimis obvium eſſe, illi congenerem ſemper interius deliteſcere, viam ſibi parantem per annulos circa pubertatis tempus.

Observatio IV.

Anonymi.

Quæ reperta in cadavere pueri variis affectibus tentati.

SI contingat occurrere morbos quos inſignia & plurima comitentur ſymptomata, illud quoque certum admirandas conſtitutiones internas corporum obvias eſſe; ac proculdubio plurima in admirationem trahentia deprehendenda eſſe ſi cadavera omnia, antequam humi mandarentur cultro anatomico exponerentur? Rei fidem faciet ſequens hiſtoria.

Obiit puellus ſex annos natus, octimeſtri morbo fatigatus, per cujus decurſum nauſeis premebatur, leipothymiis perpetuiſque ſpaſmis; dolore punctorio in omnibus pene pectoris partibus cum difficultate anhelitus, ac paulo ante obitum tenſione inflammatione que extraordinaria in imo ventre.

Hic ab accurato Chirurgo me præſente diſſectus fuit, atque ſequentia oculis obſervata fidelibus.

1. Epiploon omnino conſumptum fuerat, non ſecus ac panniculus adipoſus.

2. Inteſtina ſphacelo variis in locis affecta erant.

3. Iecur & Lien vix ſub aſpectum veniebant, exſiccata ſcilicet & marcida.

4. Pulmones, qui toto ſuo ambitu coſtis adhærebant, partim abſceſſibus tentati erant, partim lapideam duritiem adquiſiverant.

5. Ne liquoris guttam continebat Pericardium; Cor vero, quod figuræ erat rotundæ, abſceſſu in baſi tentabatur; diverſis in locis à vermibus perforatum, ejus magnitudinis vt lanuginoſi manifeſto deprehenderentur.

Observatio V.

Anonymi.

Grave capitis vulnus feliciter curatum.

Quidam nomine Corbineau, Lapidicida, malleo in vertice capitis percuſſus fuit, à quo fracta & depreſſa ambo oſſa parietalia: Adinotum fuit Trepanum ad oſſa elevanda, ſquammas extrahendas, ac evacuandum ſanguinem ſupra duram meningem effuſum: qua mediante operatione ablata fuit vtraque diplois in vtroque parietali oſſe: Attamen vulneratus brevi tempore convaluit; etiamſi prædicta oſſa craſſitiem extraordinariam obtinerent.

APPENDIX,

SIVE QVÆSTIO.

Dom. GAVTHERII, Medici Niortenſis.

Num ab animi Pathematis immineat probæ valetudini detrimentum?

Vt quæſtio hæc fuſius elucidari queat, è re eſſet abſolutam humani corporis anatomen inſtituere, proba enim valetudo omnino pendet à ſtructura omnium illius organorum, ac temperamento liquorum illud irrigantium: At aliud hic loci eſt propoſitum, diſſertationem nempe inſtituere compendioſam, An ſanitas ab animi paſſionibus concuti queat? in id ſolum incumbam vt functiones quaſdam corporis humani extricem, ac inter cæteras, quæ maxime paſſionibus pateant: Hoc munere vbi functus fuero, ſpero me manifeſtas facturum perturbationes ab animi paſſionibus oriundas valetudini aduerſas.

Quandoquidem è re erit functiones nonnullas corporis humani tradidiſſe, ac ſanitatis ideam quandam edidiſſe, forte non melius exordium duxero quam ſi preſſo pede ſequutus fuerim alterationes quæ chylo inducuntur, poſtquam illi contigerit penetrare canales lacteos, ac tandem maſſæ ſanguineæ ſe inſinuare: Tunc enim temporis ab illo liquore abripitur, cui confuſus aliquandiu circulatur, etſi nullam alterationem perpeſſus videatur, ſicuti id obſervare eſt in iis quibus vena ſecatur quatuor aut quinque horis à paſtu largiori, tantundem enim lactis in cruore emiſſo, & ſcutellis excepto, quantum ſanguinis conſpicuum ſe exhibet: At vbi chylus per aliquot horas in circulum actus eſt, perpetuo immutationem

tationem aliquam ſubit, eo quod à principiis ſanguinis activis vndique verberatur & conquaſſatur, ac paulatim illius elementa diſgregantur.

Prima & ſimpliciſſima immutatio quam experitur chylus, videtur contingere per evaporationem humidi illius ſuperflui; etenim animo concipio id quod maxime ſubtile ſanguini ineſt illico adoriri chyli minutas particulas eas conquaſſando, adeoque reſerando vt exitum concedant partibus aqueis quas incluſas continebat; quo fit vt chylus minus quam antea fluidus evadat ac paulatim craſſitiem adipiſcatur: At vero cum chylus ſic præparatus in ſingulas corporis partes per arterias defertur, admodum vero conſentaneum eſt quamcunque partem alimenti indigam, portionem illius aliquam ſibi aſſumere.

Interim ſi ad illum ſolum ſuccum animum attendas, nemo cum ratione audeat aſſerere partem quampiam inde ſolum alimentum capeſſere, quandoquidem aliud docet experientia; ſi enim præcidatur nervus quiſpiam, qui in aliquem muſculum ramos ſuos diffundat, aut aliam quampiam corporis partem, tunc contingit illam marceſſere & tabefieri alimenti defectu: Quapropter vero conſentaneum dixerit, qui aſſeruerit materiam alimentum partium futuram, æque è nervis deduci quam arteriis: Etſi vero hactenus intactam reliquerimus materiam in canales nerveos illabentem, abſurdum tamen non dixerit qui ſtatuerit illam quando chylo commiſcetur, huic vigorem novum impertire, lenémque fermentationem illi inducere, per quam abſumuntur reliquiæ humoris aquei; vnde tunc temporis parti alendæ affigitur humor lentus, vel gelatina quædam, illi propemodum ſimilis quam obſervamus in patinis carnium ſuccum continentibus, ſilente ex iis ſinatur humor in vaporem reſolvi.

Chylus ejuſmodi elaborationem ope ſanguinis adeptus, proculdubio idoneus eſt reſtituendis diſſipatis ſuccis, non minus quã reparandæ conſumptioni partium ſolidarum; id enim niſi contingeret, proculdubio maſſa ſanguinea prompte exhauriretur, quandoquidem viſcera ex illa quotidie ſupplementum ſibi neceſſarium eliciunt: Ideoque portio ſucci nutritii, quæ in ſanguine remanet, poſtquam altera ceſſit in nutrimentum partium ſolidarum, vlteriorem adhuc perfectionem exigit, & majorem ea quam ante obtinuit: Cor enim & arteriæ eam ſubigere & conquaſſare non deſinunt; vt neque ſpiritus ſanguinis illam permeare & penetrare: Et hac præſertim de cauſa ſanguis tincturam contrahit ex ſucco illo nutritio, ea propemodum ratione qua ſpiritus terebinthinæ, affuſus floribus ſulphuris, elicit ex his id quod puriſſimum ineſt, induitque colorem rubicundum, antea in illo non conſpicuum.

Prout vero ſanguis ſuccum nutritium extricat, atque in propriam ſubſtantiam illum tranſmutat, itidem viſceribus ſuppeditat humores,

quos ex propria natura filtrare ſolent, ſed inter cæteros per exiguos canales adipoſos dimittit materiam quandam oleoſam, quæ per varios mæandros delata volatilitatem majorem adipiſcitur, quouſque in maſſam ſanguineam irrepſerit, cui iterum confunditur.

Si mihi exhibenda eſſet idea eſſentiæ illius oleoſæ, nulla magis apposita inſtitui poſſet comparatio quam cum liquore ſulphureo ſupernatante liquori elicito è ſpiritus vini libra una, commiſta ſemilibræ fortiſſimi ſpiritus vitrioli, ſi ter vel quater ſimul exſtillati fuerint; tunc enim obſervare eſt duos liquores à ſe invicem diſtinctos, quorum aliter infimo loco conſtitutus referre tantum videtur ſpiritum acidum vitrioli, qui ſpiritus vini parti ſpirituoſæ ſe adjunxit; alter vero ſupernatans, liquor eſt oleoſus, limpidiſſimus, qui abſque dubio nihil aliud eſt quam ſulphur aut oleum purius ſpiritus vini.

Si quando materia hæc mere ſulphurea è vaſis adipoſis in maſſam ſanguineam illapſa eſt, ab impetu illius liquoris abripitur & cum illa in cordis ſinum dextrum illabitur, è quo cum illico in arteriam pulmonalem exprimatur, ibi diutius non inhæret quia particeps fiat ſpiritus luminoſi per aërem diffuſi: ſpiritus enim ille materiæ prædictæ communicatur in intervallis quæ interjacent extremitates arteriæ & origines venæ pulmonaris. Porro cum materia hæc oleoſa, non ſecus ac phoſphori, idonea eſt quæ in ſe recipiat inſignem copiam ſpirituum luminoſorum, ideo neque poteſt effugere incendium in pulmonibus ſi illorum copia turgeat, non ſecus ac materia combuſtibilis ſi exciperet radios lucis collectos in ſpeculo ardente.

Si in medium afferendum eſſet exemplum alicujus materiæ eo momento flammam concipientis quo aëri exponitur, nullum accommodatius ſuppetit quam phoſphori liquidi, de quo in Ephemeridibus eruditorum; Refert enim author, ſi aſſumatur ille liquor qui colligitur in ampulla vitrea rite obturata, leniter vero digito extremo unica gutta ſuper volam manus, aut alium locum extendatur, illico exſurgere flammam illi ſimilem quam emittit ſpiritus vini, non ante extinguendam quam tota materia abſumpta ſit. Dicta autem flamma ea de cauſa tantum erumpit, quod liquori illi innatum ſit lumen in ſe allicere ſtatim ac aëri fuerit expoſita; quamobrem in flammam non erumpit quamdiu continetur in phiala optime occluſa: corpora enim luminoſa quæ abſorpſit tunc temporis ſufficienter commotatur non ſunt, neque forſan ſufficienti adſunt copia: Nihilominus ſi agitatio neceſſaria (ampulla commota) illis comparata fuerit, illico liquor totus inſtar ignis incandeſcit, etſi aër ambiens nequaquam illum contingat; unde colligo materiam lucidam quæ in pulmonibus incendium concipere incipit, quam cum dicto phoſphoro contuli, flammam ſuam conſervare poſſe in ſingulis partibus quas pertranſit, vi ſolius motus illi inſiti.

Objiceret forte quiſpiam, ſi adeſſet materia oleoſa in pulmonibus inflammationis capax, futurum vt illi proculdubio comburerentur, nec minus cæteræ partes per qua diffuſa fuit? His reſpondeo non omnem flammam æque conſumendi corpora quæ attingit vim obtinere; flamma enim quæ exſurgit è carbonibus quibus utuntur Fabri, multo validior eſt, & aptior corporibus objectis deſtruendis quam flamma è ſpiritu vini emiſſa: præterea, ea quæ emittitur ex phoſphoro liquido, de quo modo verba facta ſunt, adeo mitis eſt & benigna, ut ne corpora maxime omnium combuſtibilia diſſolvere valeat. Si enim dicto liquore madeſcant capilli, vel quæpiam alia materia flammæ rapax, illico in flammam erumpit ipſa omnino intacta & illæſa: Quamobrem mirum ne ſit ſi materia oleoſa quæ lumen abſorbet, & quæ in pulmonibus accenditur, nequaquam comburit partes quas pertranſit, quin potius illis vitam afflat & vigorem conciliat; cum animalia tantundem vitæ obtinere videantur quantum illius flammæ continent.

Iterum vero quis opponet, Quo argumento comprobaturus es vitam animalium nihil aliud eſſe quam flammam? Ecce tibi validiſſimam, Id primo obſervandum quæcunque ad vitam neceſſaria ſunt, ne deficiat, eadem eſſe quæ ad flammæ conſervationem requiruntur; quapropter vtraque in globo vitreo extinguitur illico ac aër inde antliæ ope eductus eſt, unde conſpicuum fit aërem vtrique ad ſubſiſtentiam neceſſarium eſſe: Aliud præterea alimentum illis eandem præbet; ſi enim in animalibus chyli commeatus interceptus fuerit, illiuſque in ſanguinem introitus impeditus, illico pereunt, non ſecus ac flamma lampadis aut candelæ, ad quorum ellychnium ceræ aut olei aſcenſus denegatur: Quapropter cum vita & flamma ab iiſdem rebus fomentum accipiant, neque perdurare valeant niſi ſingulis momentis ad illa commeet aër & materia oleoſa, veroſimile eſt vnius ejuſdemque eſſe indolis, ac proinde vitam animalium aliud nihil eſſe quam flammam.

Cum ratum illud eſſe debeat vitam à flamma non diſtingui, hinc conſpicuum eſt ſanguinem liquorem eſſe animatum, quandoquidem flamma, aut vita, redintegrationem in pulmonibus accipit, atque inde per vniverſum corpus diffunditur, juxta leges circulationis ſanguinis: Sed præter iſtius flammæ (quæ ſanguinem ad minimas vſque illius particulas pervadit) efficaciam erga omnes humores diffuſam, à viſceribus depuratos & quaſi filtratos, nominatim filtrationem hanc conſequitur in exiguis glandulis quæ conſtituunt ſubſtantiam cineream cerebri, eapropter deinceps elabitur per tenuiſſimos tubulos, originem in dictis glandulis conſequutos: Cum porro tubuli illi plurimis gyris deferantur, ac varios plexus efficiant in ſubſtantia calloſa cerebri, antequam cranio egrediuntur, vitalis illa flamma neceſſario eadem via progreditur, ac diverſimode abrumpitur,

ſtatim vero ac dicti canales cranio elapſi vndiquaque lineis vtcunque rectis diffunduntur, non obſervatis diverſis plexibus, qui vnico intuitu in cerebro occurrunt & cerebello, ſi tranſverſim diſſecta fuerint : Tum enim adnotare licet ramificationes arborum ramis non incongrue comparandas.

At vero ſi animum adjicio experimentis quotidie obſervandis, ſi ligetur nervus, aut accidat vertebrarum luxatio, eo magis in eam ſententiam compellor materiæ nervos irrigantis ineſſe ſentiendi facultatem; ſi enim nervus infra ligaturam examinatus fuerit, obſervare dabitur ipſum factum eſſe flaccidum & ſenſus expertem, cum parte ſuperiori aliquantulum tumidus videatur, ac ſenſu extraordinarie vivido pollere; vnde colligo materiam nervis concluſam principium eſſe, vi ſentiendi præditum, quandoquidem quo mômento deſinit influxus illius in partem ad quam ante ferebatur, ſenſus illico perit; cum ex oppoſito fortior fiat & acutior ſi plus ſolito eo confluxerit.

Non arduum eſt ſtatuere quænam ſit materia nervorum cui vis ineſt ſentiendi, eo quod illius ſcaturigo alibi quærenda non eſt quam in glandulis cerebri : Cum porro exiguæ illæ glandulæ, ſtructura præditæ omnino ſingulari, inter cætera officia ſeparēt ignē à quo vivificatur ſãguis, veriſimile eſt id quod in nervis vim ſentiendi obtinet, nihil aliud revera eſſe quam eundem ignem, aut eandem flammam, quæ poſt trajectas dictas cerebri glandulas, liberatur omnino ab illis quæ illius lumini obſcuritatem inferre valent.

Senſus ergo quo pollet flamma quæ in nervis lucet, aliud probabiliter non eſt quam productio ab ipſius ſingulari ſtructura pendens: corpora quippe naturalia nunquam agunt quam pro ratione texturæ aut conſtructionis partium : Ideoque aurum tum demum fulminans evadit cum ſpiritus aquæ regiæ ipſum pervaſerunt, ac deinceps ſale fixo tartari præcipitatio facta eſt; tunc enim ex conjunctione & ſtructura triplicis illius materiæ exſurgit compoſitum, multo vehementiorem & impetuoſiorem ſtrepitum edens quam pulvis pyrius; quandoquidem ab impoſitis cochleari ſolummodo granis aliquot, lento igne excalefactis, ſtrepitus ingens exoritur.

Vt vero apertum fiat ſtrepitum illum, quin potius tonitru, effectum tantummodo eſſe; aut omnino & neceſſario pendere à ſtructura calcis illius auri, inde manifeſtum fit quod ſtatim ac ſtructura illius periit, fulminandi proprietas ab auro recedit, id quod certo contingit ſi pauco ſpiritu vitrioli aut ſulphuris irroretur, immutatio enim ſitu & configuratione partium illius, vis ea fulminans illi detrahitur.

Nec arduum forte eſſet pluribus aliis experimentis demonſtrare, nullos effectus in rerum natura exhiberi poſſe quorum cauſa quærenda non ſit in partium.

partium materiæ ad invicem collocatione & conſtructione, non ſecus ac nulla dantur vocabula quæ non ortum ducant ex literarum alphabeti conjunctione.

At vero ſi vlteriorem dilucidationem quis deſideret, exemplo ab arte deſumpto, huc adducendum foret ab horologio, deſumptum, cujus cunctæ particulæ, tantummodo activæ ſunt, ac motus ſuos obtinent à ſtructura partium; niſi enim elaſtes, libramentum, rotulæ cæteræque partes debitum ſitum nactæ ſint, nunquam illarum ope, ſicuti fit, deſignarentur minuta, horæ, ac ſexcenta alia huc non pertinentia. Quapropter nihil diſcriminis imminet ſi quis aſſeruerit omnes affectus, tam naturales quam artificiales, omnino pendere à ſtructura & collocatione partium materiæ: Adeoque ſenſus qui in nervis peragitur, perpendi tantum debere tanquam conſequentiam, aut effectus, texturæ flammæ ipſis animam afflantis: hoc eſt, ſenſum, & contextum ſingularem iſtius flammæ intra nervos, vnam eandemque rem eſſe.

Quandoquidem ſenſus nihil aliud eſt quam contextus particularis flammæ, vndique nervos percurrentis, admodum rationi conſentaneum eſt flammam vitalem quæ cerebrum illuſtrat, & quæ nondum nervos ſubiit, ſuis vndulationibus, aut iuxta mutationes quæ illi accidunt, perficere ſingula mentis munia: Quapropter veriſimiliter aliquando eſt Imaginatio, aliquando Memoria, juxta varias modificationes aut novos contextus quos induit:

Ideoque hoc pacto non difficile forte fuerit omium Animæ operationum rationem tradere, quandoquidem hypotheſis hæc ſimplex eſt, ac ejus naturæ vt ex ea elici queat non exiguus phænomenorum numerus: Adde his vero conſentaneam apparere, quandoquidem innititur iſti Naturæ legi, omnino inviolabili, ſcilicet effectus perpetuo prodire & ſequi ſtructuram partium materiæ.

Si quando quis aſſenſum præbuerit integrum huic veritati & poſtremæ demonſtrationi, ac curæ ſit hanc adplicare operationibus Animæ, non arduum fuerit intelligere quomodo Animi pathemata formentur, quandoquidem nihil aliud ſunt quam impreſſiones à corporibus ambientibus in anima excitatæ; atque ejuſmodi impreſſiones non ineptę referunt vndulationes illas quas facit levis aura aquam afflans; vel ventilationes illas quæ in flamma foci conſpiciuntur, ſi in ignem nitrum conjectum fuerit, aut ſimile quidpiam.

Quandoquidem illud ratum eſſe debet paſſiones aliud nihil eſſe quam impreſſiones corporibus exterioribus in animam inductis, nemo in dubium revocaverit. Num à paſſionibus ſanitas labefactari queat, ſtatim ac in animam tranſeunt: Cum enim nihil aliud ſint quam immutationes animæ accidentes, anima autem ſit principium à quo diriguntur cunctæ corpo-

ris noſtri functiones, manifeſtum eſt à paſſionibus poſſe infringi probam valetudinem: Neque propterea exiſtimandum eſt ab omnibus æque pathematis illi labem poſſe inferri, quandoquidem a quibuſdam melior evadit, ſicuti à nonnullis deterior: Rei varitas ex eo innoteſcit quoties animo obverſatur voluptas quæ in comœdiis percipitur, & mœſtitia exſurgens ex preſentia perſonarum ingratarum: In exitu enim è comœdia animus eſt hilaris, gratis ideis refertus, cum vice verſa mœſtitia & anxietas eos occupet qui ſe à cœtu liberant in quo nihil jucundum occurrit.

At cum generalia non æque animam afficiant ſicuti particularia, neceſſarium duco ſingularem quandam paſſionem ad examen revocare, atque demonſtrare quid ad ſanitatem conferat: At vero cum nulla vulgarior ſit, majoriſque amplitudinis quam *Amor*, hanc paſſionem in præſens aſſumo atque explanandam ſuſcipio, extricaturus, quantum in me eſt, interiores effectus quos inducit ſi fixius animo inhæſerit.

Et ſi vero in promptu non ſit explicare quomodo formoſus vir aut mulier in amorem ſui pelliciat, ſi nihilominus id obſervatum fuerit ex omnibus corporibus effluvia quædam, ipſa ambientia prodire, facilior erit ad rem arcanam aditus & penetratio, fingere enim licebit effluvia, è corporibus manantia, vndequaque efferri mediantibus lucis radiis, id quod adparet in corporibus odoratis ſi Soli expoſita fuerint, quandoquidem tum temporis ex ſe effundunt odorem circumcirca perceptibilem: neque tamen exiſtimo cauſam merito Solis radiis adſcribi poſſe, odorem hac illac diſpergentibus, hoc eſt particulas inviſibiles corporum odoratorum.

Ideoque cum ſingulis momentis effluvia è propria noſtra ſubſtantia exiliant, (id quod nequaquam in dubium revocari debet) rationi conſentaneum eſt radios Solis, ex eleganti obiecto reflexos, in ſeſe ſuſcipere effluvia inde manantia: quapropter prædicta effluvia vna cum lumine ad oculorum vſque fundum penetrant; cum vero poſtmodum commiſceantur lumini, in vnica retina lucenti, tunc illico in cauſa ſunt vt magis quam antea micet, non ſecus ac nitrum flammam in foco ordinario excitat, fulgoremque maiorem illi conciliat.

Statim ac lumen iſtud ſplendidius factum eſt, fulguris inſtar à retina in cerebrum convolat, in quo infinitas ſenſationes parit, ſed quas ſemper interſecat idea grati objecti ipſas parientis: At vero dicta idea, quæ amantes adeo implexe detinet, imago tantum eſt rei pulchræ quam depereunt; quæ imago tam profunde animæ inſculpta eſt, ac infixa, vt objecto ſimilis fiat, ad eundem prope modum quo lineamenta a peritiſſimo pectore tilæ inducta: Quæ res extra omnem dubitationis aleam poſita eſt, quandoquidem experientia teſte, objecta omnia viſus ſenſui occurentia, imagines ſuas contractas, & quaſi per compendium retinæ inſculpunt:

hinc

hinc dictæ imagines, mediantibus animæ vndulationibus, ad cerebrum vſque, ſequutæ nervi optici filamenta deferuntur.

Quoad Animæ reflexiones, imaginis illius, aut ideæ perpetuas comites, amantium animo tam fortiter impreſſas, nihil aliud videntur eſſe quam modificationes & refractiones quas lumen ſpirituale patitur, prout intra cerebri mæandros convolvitur: Liceat & dixiſſe actus maxime puros & lucidos ab anima productos, manare à fulgoribus inibi excitatis, ibidemque propemodum eundem ortum habentibus qualem ignes illi ſubitam in aëre generationem & eclampſin nactis.

Hinc duæ res innoteſcunt, quas amor rurſum inſpirat in animum amantium: ſtatim enim in vultu elucet & conſpicuam ſe exhibet imago aut idea rei amatæ, ac demum reflexiones, aut variæ formæ ideæ illius perpetuæ comites: Ideoque ſi labefactata percipiatur valetudo vi amoris, id proculdubio adſcribendum eſt primis duabus dictis cauſis, alterationem in anima inducentibus; adeo vt eapropter viſcerum quorundam functiones pejus obeantur.

Si amor intra mediocritatis terminos conſiſtat, nec idea illum pariens jam alte animo inſculpta ſit quin ex eo deleri queat, provt anima ſibi imperat, aut varias verſat cogitationes, tum temporis illud pathema acutiem majorem & ſubtilitatem menti conciliat, eo quod quietem illi non concedat, quo fit vt quicquid impuri animæ ineſt, ac caliginem illi obducere, & functiones vitiare valeret, tum temporis à centro ad circumferentiam impellatur, non ſecus ac vini impuritates præcipites ad imum dolium deferuntur, ac ad circumferentiam ebullitionis tempore compelluntur.

Si amor intra mediocritatis fines poſitus animo vivacitatem & ſplendorum induxerit majorem, eadem quoque ratione ad valetudinem probam conducit, quandoquidem anima, tum temporis defæcatior quam ante effecta, magis quoque corporeis actionibus edendis idonea evadit, proinde fit vt fulguris inſtar moveatur, acanta agilitate in ſingulos nervos, nulla obiecta remora inferatur: Ideoque tunc temporis cor & arteriæ valide micant, ac alimentorum concoctio & celerius & melius perficitur.

Sin amor jmmodicus fuerit, idea autem rei amatæ animæ adeo infixa fit vt indebilis omnino fuerit, quemcumque conatum adhibeat, tunc dicta paſſio amantes cogitabundos efficit & mœſtos, hinc valetudo proba labem patitur; cogitabundi evadunt amantes, eo quod illorum anima in vnicam ideam intenta ſit, tam profunde illi inſculptam, vt nullæ obverſentur cogitationes quin illis impreſſus ſit idem character ſtatim ac enaſcuntur; Inde prodeunt illorum diſtractiones ac conſtantia.

Quod ſanitatis alterationem inductam ab hoc pathemate ſi modum ex-

ceſſerit,

ceſſerit, explicandam eſt quomodo id contingat; aut ſaltem indaganda eſt natura pathematum interiorum, quibus percelluntur plus nimio amantes, id quod ex equi deinceps tenitur.

Si perpendamus animum Amantium in id ſolum occupatam eſſe vt amatum objectum contempletur, illud in mentem veniet prædictam occupationem, ob quam intra cerebrum diſtricta tenetur, in cauſa eſſe vt in nervos non influat pleno pro more alveo; quamobrem partes, ad quas pertingunt nervi, illorum influxu perpetuo indigi, officio ex parte tantum funguntur & ignave.

Hinc ratio elucet cur amantes cor propemodum oppreſſum & occupatum ſentiant; ſpiritus enim qui in cerebro univerſi impenduntur in obſequium objecti illis perpetuo illuceſcentis, penſorum obliviſcuntur, neque ut ante ubertim in nervos octávi paris influunt, ac in nervum intercoſtalem: Eapropter cor, quo plures rami eorundem nervorum, pertingunt, pulſationes ſegnius obit, hinc ſanguis, qui continuo in id per venam cavam influit, ac per venam pulmonicam, in vaſa illa redundat, atque cor eo modo obſidet, ut oppreſſio in eo oriatur, cujus perpetuus comes eſt mœroris ſenſus.

Oppreſſio, aut conſtrictio cordis, perdite amantibus familiaris, ſuſpiria vt multa emittantur efficit, quæ ea de cauſa videntur excludere vt illius, quam depereunt, rigidum animum flectant: Ortum autem ducere videntur ejuſmodi ſuſpiria quod ſpiritus & copioſe & confertim à cerebro in nervum, qui ſepto tranſverſo inſeritur, deferantur & irruant; quapropter tunc temporis hoc violenter deprimitur, repetitis ſed interciſis vicibus: Ideoque cum magis ac magis, ac inæqualiter, per leves illas contractiones pectus diducat, aër proprio pondere illuc fertur, idque tumultuoſe quaſi & ſubſultim ingreditur, prout dilatatur; ideoque lugubres illi ſonitur, vel ſuſpiria exſurgunt, perpetua indicia vehementis pathematis animam occupantis.

Eo in ſtatu conſtitutis amantibus, ſi contigerit à fortiſſima animi occupatione hujus influxus intercipi, adeo vt his ceſſantibus nervi ad cor & diaphragma tendentes ſpiritus non amplius excipiant, tunc hæ partes officio fungi deſinunt, & à motu fere abſtinent: Quamobrem amantes nonnunquam ſubito, quaſi mortui, ad amaſiæ pedes procumbunt; qui ſtatus alius mihi non videtur à ſyncope, vel leipothymia communiter dicta, quam aliquando experiuntur illi quos amor omnino ſub jugum ſuum miſit.

Quamdiu hæ tragœdiæ intra amantium pectora aguntur, vultus illorum omnimodæ mœſtitiæ teſtis eſt, macies enim & defœdatio illum ſemper occupat, eo quod cor ſanguinem illuc impellere non valeat: Quapropter omnes venulæ, quæ in facie plures contextus efficiunt, liquorem illum rubicun-

rubicundum vix amplius excipiunt, ea de cauſa decolores ſunt non ſecus ac vultus, qui colorem naturaliter obtinet à ſanguine venulas illas ſubeunte.

Adeo inſignis adeſt ſympathia inter faciem & oculos, vt ille mutationem aliquam vix induat quin hi eandem ſubeant: Quamobrem ſi amantibus vultus concidat, ſicuti modo adnotavimus, in oculis conſpicuus eſt triſtis & mollis languor. Porrò cum hic languor, ſicuti cæteræ omnes corporis paſſiones, ortum debeat ſtructuræ illius mechanicæ, veriſimile eſt ipſum inde fieri quod anima amantium non vt opus eſt nervos patheticos afficiat, necnon aliquos ramos è quinto pari nervorum oriundos, & ad palpebras delatos, Ideoque hæ concidiunt, & cum vix aperiantur, globos oculorum media parte operiunt, interim dum hi à nervis patheticis eo modo commoventur vt nonniſi mœroris ſpeciem exprimant & moribundum languorem tot illecebris irretitum.

Si amantes ad illum vſque ad ſtatum deducti fuerint, aliquando ad tantum mœrorem & languorem deveniunt, vt ſæpe numero invitis lacrymæ ex oculis effluant: Id vero proculdubio contingit, eo quod nervi qui vaſa ſanguinea vbique comitantur, in glandulas oculorum ſufficientem ſpirituum copiam non deferunt vt hæc vaſa contractiones ordinarias obire queant; quamobrem ſanguis illuc continuo appellens cum vix inde exprimatur, vaſa plus ſolito replet & diſtendit: Ideoque, juxta leges circulationis ſanguis, per tunicas illorum major ſeri copia transſudare debet, quod exigui tubuli, glandulis illis incluſi, excipiunt ac deferunt in plurimos tubolos lacrymales, non ſolum in extremas palpebras deſinentes, ſed & interiores illarum ſuperficies.

Quæ in cerebro illorum quos amoris vehementia obſidet contingunt non minus lugenda ſunt, neque minus admiratione digna quam quæ in pectore ſe produnt, in vultu & oculis, Vigiliis enim diuturnis aliquando adeo infeſtantur, vt dies & noctes integras in ſomnes ducant: Cauſa partim inediæ adſcribenda eſt, inappetentia enim fere perpetua detinentur; quamobrem parcus affluens ſuccus nutritius animam captivam detinere non valet, ac ad ſomnũ illam invitare: Partim illorum in ſomnia quæ ortum ducunt ex eo quod idea objecti amati, vel ſigillum, tam profunde animæ inſculptum eſt, vt ſingulis momentis ad id convertatur, idque millies volvat & revolvat, ac proinde ab actione ceſſare nequeat, idea rei amatæ identidem illam incitante & ſtimulante: idcóque quicquid ſucci nutritii illuc vergit, illico circumquaque propellatur ab agente anima: non ſecus ac vini impuritates à circumferentia ad centrum fermentationis ope expelluntur, quo fit vt anima non amplius irrigua, aut ab hoc ſucco madida, cujus beneficio in ſomnum inclinabat ex intervallis, perpetuis

vrgeatur vigiliis, neque amplius alto ſomno fruatur, ſub quo ſepulta aliquando jacebat.

Si per prædicta in ſomnia amanti amaſiæ ſuæ idea frui non liceat, quin corrivallis memoria (qui amori reciproco impedimento eſt) animo, identidem obverſetur, tum exſurgit illa paſſio, quam vocant Zelotypiam animam quoque occupans, & inſignem confuſionem in illa excitans, eo quod à duplici illa idea ſingulis momentis vrgeatur & percellatur, in ea quippe quaſi fluctus excitantur ſeſe invicem cum impetu propellantes: Eapropter amans Zelotypia correptus, quaſi quodam dolore continuo infeſtatur, ex inquietudine & odio permiſtis conflato: At vero cum ex occurſu prædictorum fluctuum, animam adeo quatientium, ambæ dictæ ideæ confundantur & commiſceantur, propterea fit vt amaſiæ imago nunquam in mentem veniat, quin ſimul cum amore competitoris idea tranſverſim occurrat: quapropter anima perpetuo quatitur cogitationibus admodum percellentibus, neque minimam quietem concedentibus.

At vero ſi in perdite amantis animam incurrat idea corrivalis, qualitatibus prædi i quæ amorem amaſiæ excutere ex animo valeant, & corripere, tum temporis in animo adeo inſignes tumultus excitantur, vt ſui impotens fere fiat, ac proinde ad deſperationem adigatur, imo etiam violentas manus ſibi inferat, & pugione pectus perfodiat.

Vt ratio pateat paſſionis tam enormis, ſciendum eſt; ſicuti vnaquæquæ res pro viribus conatur ſeſe tueri & eſſentiam ſuam conſervare, Amore perciti animam eodem appetitu teneri, Ideoque quandoquidem ejus Anima omnes conatus adhibet ne ſibi eripiatur grata in amaſiam inclinatio, nihilominus quantumvis valide adnitatur, prædicta inclinatio ſtare nequit eadem voluptate & jucunditate ſtipata, hinc neceſſe eſt animam ſuccumbere eo temporis momento, & intime concuti tumultibúſque crudelibus cieri, quamobrem nil intentatum relinquit quo ſe ab ærumnis liberet.

Exemplo res illuſtrior fiet, ſi ſupponatur flamma lampidis ſenſu pollere, ſicut anima noſtra, illico in mentem veniet ſtatim ac oleum, aut fomes, intercepta fuerint, tunc terroribus, & inquietudinis ſenſu illam perculſum iri, eo vehementioribus quo flamma internecioni proximior erit: In terroribus autem, & ejuſmodi anxietatibus animæ, natura deſperationis quærenda eſt; qui deplorandus ſtatus ex eo proculdubio oritur quod Anima, quæ perpetuis conatibus tentat tueri jucundas ideas ab amaſia inſpiratas, quæ illi vice pabuli ſunt, harum potens amplius eſſe nequit, eo quod in amore competitor has illi abſtrahit, quantumvis reluctetur.

Quandoquidem, deſperatio vltimus eſt ſtatus ad quem amantes vi amoris deducuntur, tempus eſt vt finem imponam iis quæ proponenda habui

habui circa hoc pathema, ac ſimul circa Quæſtionem *An ſanitas ab animi paſſionibus labefactari queat* ? Sed forte non intempeſtivum fuerit pius monuiſſe, differre Animam à me in hac diſſertatione deſcriptam ab ea quam Deus tempore formationis hominis illi incidit; cum multum à ſe invicem diſſideant, quandoquidem Religio & Sacræ Literæ nos docent, eam quæ à Deo eſt, immortalem eſſe, ſubſtantiam mere ſpiritualem: cum anima ſenſitiva, nobiſcum innata, de qua hactenus fuit mihi ſermo, pure ſit materialis.

ZODIACI MEDICO GALLICI,

SIVE

Recens in Re Medica & Naturali Exploratorum. FEBRVARIVS Anni 1681.

OBSERVATIO PRIMA.

Dom. DES-NOVES Academici recens Exploratorum.

Rariora quædam obſervata in Genitalibus mulierum.

CVM quæſtio num materia à muliere ad generationem ſuppeditata, merum ſit ſemen, an ova, nondum ſoluta fuerit, atque vtraque opinio paribus rationum momentis firmata ſit, vt in quam partem inclinare debeat animus vix videant etiam pertiſſimi, credidi nec abſque ratione, inſcitiam noſtram occaſionem præbere dubiis, atque ſi ſagncioribus nobis liceret eſſe in indaganda nativa ſtructura organorum generationi dicatorum in mulieribus, futurum vt excuſſis tenebris grata luce frueremur: quamobrem ad novum dictarum partium examen impulſus fui quoties nova occaſio ſeſe obtulit; indeque anſa mihi porrecta rariora quædam adnotandi, in poſterum eximium vſum allatura.

A me enim obſervatum eſt Vteri illam partem quæ in Vaginam deſinit, vocaturque orificium internum, nonmodo ſtructuram obtinere eo

modo

modo conformatam vt maſculino ſemini introitum facilem concedat conceptionis tempore; concepto fœtui tempore partus exitum permiſſura, ac præterea, ſi ita lubet, ſanguini menſtruo, id quod ab Anatomicis omnibus eſt proditum; ſed & etiamnum ideo conſtitutam eſſe vt conceptaculi vicem præbeat ſpeciei ſingulari materiei ſpermaticæ, quam neceſſitatis tempore eundem in locum effundat in quem effunditur coitus tempore ſemen maſculinum.

Obſervationem hanc conſequutus ſum mediantibus tribus ex ordine diſſectionibus, trium cadaverum mulicbrium, rei veritatem confirmantibus, atque has ideo exhibeo circumſtantias.

1. Mediocri facta expreſſione prædicti orificij, illius membrana exterior variis in locis inæqualiter turgebat, effingens quoſdam tumores ſubrotundos.

2. Fortiori adhibita compreſſione, materia prædicta guttatim prodibat per foraminula quædam ex prædictis extuberantiis vel tuberibus, propemodum magnitudine & forma illa referentia quæ conſpiciuntur in parte virili, Verumontanum dicta.

3. Leviter ſcarificata parte illa cuſpide ſcalpelli falcati, adhibitáque vehementiſſima expreſſione, illico exiliere inſignes flocci ejuſdem materiæ ſupra vnamquamque ſcarificationem.

4. Paucis, nequaquam diffidebat ab illa quæ ſe in virilibus teſtibus exhibet, colore, conſiſtentia, ac proinde omnino alia erat ab humore oleoſo quem in libidinis ſtimulis profundunt mulieres, cujus originem vulgo deducunt à quibuſdam glandulis infra glandulam vaginalem ſitis.

Vlterius inquiere, ac curioſitati meæ ſatisfacere non licuit; quod cadavera prædicta in alios vſus diſſecarentur: At occaſione data pro rei dignitate diligentius diſquiram, quicquid in poſterum ſeſe prodiderit manifeſtum facturus: Teſtes tamen adhibuere volui oculatos prædictarum obſervationum.

Cæterum, res admirationem meretur, hujus rei conjecturas, à Domino de Blegny jampridem emiſſas, omnino conſonas fuiſſe obſervationibus hiſce, experientia comprobatis: Adeant curioſi volumen ſecundum, tractatus de morbo Venereo ab ipſo editi, in quo fuſe tradita quæ à me ſuperficietenus conſcripta ſunt.

OBSERVATIO II.

Dom. FERRANTI Medicorum Lemovicenſium Decani.

De vſu Catheteris in vrinæ ſuppreſſione.

PRætermiſſis variis Iſchuriæ cauſis, aut omnimodæ vrinæ ſuppreſſionis, quæ acciditæ veſica nimis turgida, eo quod nulla è renibus influere queat, ad inſtitutum meum ſufficiat eam ſpeciem expendiſſe quæ fit ab excedenti veſicæ tenſione, cum hæc adeo vrinæ copia diſtenta eſt, eam replentis, à nimiopere relaxatis fibris, quod præter naturæ modum extenſæ fuerint, hinc impares evadant foras perpellendo lotio, eo quod carnea membrana, illi officio dicata, (non ſecus ac elater diutius in diſtenſione detentus) ſeſe contrahere amplius non valeat, vllumvè motum edere.

Corrigendo illi ſymptomati nullum hactenus aliud remedium excogitatum eſt quam catheteris in veſicam intromiſſio, vt exinde eliciatur ſtagnans vrina, ac fibrarum illius membranarúmque per fotus adſtringentes corroboratio, quo priſtinum tonum recuperent.

Ex Dn. Riolani, in Enchiridio anatomico ſententia, catheter in vſum bis in die ſpatio vnius vel alterius menſis duci debet quovſque veſica priſtinæ conſtitutioni reſtituta fuerit; aſſerens quamdiu libera eſt, & facilis introductio ejus magnam ſanitatis cóſequendæ, adeſſe ſpem, deſperatá contra fere eſſe ſi ſubire veſicam illi non concedatur. Imo illo in caſu author eſt, ad lotii eductionem, & vt orci faucibus æger eripiatur, vt veſica pertundatur in imo hypogaſtrio probe os Pubis; vel eo in loco qui aperiri vulgo ſolet ad lapidis extractionem, adhibitis circumſtantiis ab ipſo adnotatis; Aſſerit plurimos eo præſidio liberatos fuiſſe, ac mortem imminentem evaſiſſe.

HISTORIA.

Per quam oſtenditur ratio multo facilior, & tutior, cujus ope ægri breviori tempore evadunt, prætermiſſa inciſione.

EXeunte menſe Februario accerſitus fui ad quendam vocatum Heliam Feillusium, Magiſtrum Tinctorem, hujus vrbis incolam, annos natum

natum ſexaginta ſex, omnimoda lotii ſuppreſſione laborantem, cum intenſis in collo veſicæ doloribus, ob irritos conatus ſubinde adhibitos ad propellendam vrinam inibi contentam, etſi ne guttula prodiret.

Contrectata hypogaſtrij regione, in qua deprehenſa à me tumens & elata veſica, magnitudine mediocris melonis, nullum omnino apud me dubium fuit quin iſta ſuppreſſio veſicæ adſcribenda foret nimis tumidæ, ejuſque fibris præter modum naturalem diſtentis: Cum æger vltro confiteretur ſe in cœna die præcedente ſymptoma, quo affligebatur, apud amicum convivam contraxiſſe, hauſiſſe paulo liberalius vinum ſubtile, ac lotium præ pudore cohibuiſſe, mea de re conjectura confirmata fuit, quamobrem ad catheterem confugiendum eſſe neceſſarium duxi, educendæ gratia ſuppreſſæ vrinæ.

Illum introduxit D. Vidandus, magiſter Chirurgus Iuratus, ſed non ſine labore, quia diutius malum pertulerat æger: Educto lotio, eo quod nulla requies conceſſa fuerat, ſomno occupatus fuit, ad novam vſque veſicæ repletionem, iiſdem recurrentibus moleſtiis, non alia arte quam catheteris iterata inductione removendis: At tandem effectum eſt vt à frequentiori catheteris inductione collum veſicæ intumuerit, ac inde copia ſanguinis prodierit, adeo vt neceſſitatis tempore aditum non inveniret in veſicam, hinc ægri vita in ſumma verſaretur diſcrimine ſi catheteri deinceps in veſicam perveniendi libertas denegaretur, eo quod non aliud ſuperſtes eſſet remedium quam punctio iuxta os pubis inſtituta, aut veſicæ inciſio in illius collo facta,

Vt præcaverem damna illis imminentia qui eiuſmodi in ſtatu conſtituti ſunt, quæ lethalia fuiſſe pleriſque novi, quod catheteri introitus denegaretur, in mentem mihi venit, poſt crebram ſed irritam enematum refrigerantium injectionem, & venæ ſectionem in ſuperis & inferis partibus inſtitutam, præcavendæ & cohibendæ gratia inflammationis in collo veſicæ excitatæ, in vſum ducere encathiſmata ad promovendum vrinæ exitum, additis fotibus adſtringentibus hypogaſtrio admotis, tum in balneo tum extra balneum, vt corroborarentur fibræ vim paſſæ veſicæ; cum ratione exiſtimans ea tantam de cauſa illam iterum impleri quod textura illius & fibræ exolutæ eſſent, quibus non concederetur tempus ad reſtitutionem virium, niſi veſica diutius inanis, & abſque lotio permaneret: Cogitatio inquam ſubiit, vt convenienti conceſſo tempore robur ſibi compararet, immiſſum vltima vice catheterem, (quo maxima cum difficultate pervenire potuit) inibi relinquere, vt ſimul & ſemel depleri poſſet & impleri.

Eodem tempore ægro, admodum ſitienti, largiſſimum potum conceſſi, quem illi ante denegaveram quamdiu exitum non nanciſcebatur lotium, ne citius & nimisquam par eſſet repleretur: Adaptavi matulam vrinam

vrinam excipientem, per catheterem interdiu & noctu ſtillantem: In alterutrum latus convolvere ſe illi licebat nullo metu, ne offenſionis à cathetere: commodius eo ſitu ſomnum inire, ac vrinam in matulam facilius effundere.

Interim eoſdem Fotus adſtringentes in vſum duxi, comparatos ex decocto corticum granatorum, cinnamomi craſſiuſcule contuſi, roſarum rubrarum, & florum chamomillæ in vino rubro auſtero, ex ſacculis admotos veſicæ regioni, ſæpiúſque iteratos quamdiu vacua erat, ad corroborandas fibras nimiopere relaxatas. Injectiones quoque per catheterem curavi fieri, quaſdam anodynas, leniendi gratia doloris; alias adſtringentes, ad priſtini toni reſtitutionem, quas detinere pro libitu licebat, catheteris oſculo obſerato; atque educere eodem foramine reſerato.

Relicto in veſica per biduum cathetere, atque toto eo tempore tum fotibus tum injectionibus vſus, acervari permiſi vrinam per tres quatuorvè horas, obturato catheteris extremo, exploraturus num veſica ſponte vrinam expelleret, reſerato canaliculo catheteris, ad promovendum exitum, eoque pacto agnoſcendum num robur priſtinum recuperaſſet quo foras expellere valeret vrinam, catheterem poſtmodum omnino detracturus: contigit autem vt quarta die veſica ſatis vrinam collegiſſe viſa fuerit ad ſperatum effectum edendum: quamobrem cathetere remoto æger valetudinem priorem adeptus eſt, citra vllam recidivam.

ANIMADVERSIONES
Ejuſdem
In præcedentem hiſtoriam.

SI bene ſentio ex hac relatione colligendum eſt.

1. Neceſſe eſſe intromiſſum catheterem prima, aut ſaltem altera vice, in veſica relinquere, quo effundatur vrina ſimul ac in veſica colligitur, atque hoc modo prohibeatur iterata illius collectio: id quod declinare non licet ſi educatur catheter, quandoquidem fibræ veſicæ deſtitutæ ſunt vi ſe conſtringendi poſt enormem illam & violentam extenſionem, ſi diutius relaxatæ perſtiterint: Cum etiamnum metus immineat ne fibræ à nimia diſtenſione dirumpantur, vnde affectus curationem omnino reſpueret, etſi catheteri pateret introitus, atque ibi detinere illum liceret, quandoquidem diruptæ fibræ priſtinas vires nunquam ſibi compararent.

2. Inutile futurum extrahere catheterem, quo deinceps iteratis vicibus immitteretur; quandoquidem manifeſtum eſt quo ſæpius extendentur fibræ

bræ, eo difficilius eaſdem conſtrictum iri, ac proinde ſatius eſſe ſemel immiſſum detinere, aut ſaltem altera vice.

3. Vſum fotuum adſtringentium, regioni veſicæ admotorum neceſſarium eſſe, nec non injectionum conſimilis facultatis per exiguum canalem catheteris, ad corroborationem fibrarum veſicæ, quamdiu vacua illa fuerit, ope ſiphunculi.

4. Catheterem è veſica non prius extrahendum eſſe quam vbi deprehenſum fuerit illam ſatis roboris adquiſiviſſe vt ſponte vrinam foras propellere valeat: id quod nullo negotio deprehendere eſt ſi ad tempus aliquod cohibeatur in veſica lotium; ſi libuerit explorare num ſufficienter corroborata fuerit; eapropter occludendo, meo exemplo, ſiphunculum catheteris; inſpiciendo demum num veſica vires lotium expellendi obtineat, quo tempore tuto cathetere omnino abſtinere licuerit.

OBSERVATIO III.

D. MORELLI Mag. Chirurgi Noſodochij Charitatis & Iurati.

Obſervationes circa curam Aneuriſmatis.

ETſi Aneuriſmata neque ad ſuppurationem deducantur, neque reducantur vel reſolutionem admittant, eorum tamen curatio aliquando tentative ſuſcipitur per ſuppurantia aut reſolventia; quia ſigna certa & indubia ad eorum dignotionem ſæpe abſunt; cum maxima Aneuriſmata nullam comitem habeant pulſationem aut fluctuationis ſenſum, per quæ cætera notitiam ſui præbent.

Hæc obſervatio à Paræo proponitur in illius operibus, quam experientia recens comprobat in Nob. Domina à Longueil, cui enatus tumor admodum durus in flexura brachij, quem de natura ſcrophularum multi artis periti pronuntiaverant, at tandem Aneuriſma fuiſſe evertus comprobavit, apertione facta coram duobus chirurgis peritiſſimis.

Non pauci authores prodiderunt recentia Aneuriſmata poſſe curari ſolum ope ligaturarum & faſciarum arctius conſtrictarum, ſed nemo in medium prodit qui eo pacto ſe curaſſe aſſerat, imo perquam raro occurrunt Chirurgi quibus in mentem venerit illud præſidii genus in praxin revocandi: me vero quod attinet, periclitari auſus ſum, ac fortuna duce fauſto ſemper ſucceſſu, hac tamen lege obſervata vt ſplenia aqua ſtyptica madeſcerent; ſicut id feliciter nuper ſucceſſit in domeſtico quodam Dom. Iuſtel ante bimeſtre.

A quo tempore obſervatum fuit quam proſpere ſanguis cohiberetur

poſt membri cujuſpiam amputationem, ligatura facta vaſorum, maxima authorum pars ſuaſit idem operationis genus in Aneuriſmate; hac tamen exceptione adhibita quod inefficacem illam crediderint, imo periculi plenam in inſignibus arteriis, quamobrem timore adeo perculſi fuere plurimi Chirurgi, vt hodierna die, qua Chirurgia perfectionis culmen adepta videtur, nonnulli inter celeberrimos, dimiſſa ligatura, admotionem globuli chalcanthini prætulerint; faſcias decuſſatim impoſitas; digiti continuam appreſſionem, aliaque ejuſmodi præſidia.

At vero cum experientia edoctus noverim eſcharæ caſum, quam inducit vitriolum, ſæpenumero ſubſequi lethalem hæmorohagiam; ſpleniorum & vſum ligaturarum arctiorum rariſſime optatum finem afferre, digiti autem appoſitionem non minus grauem eſſe ægris quam moleſtam illis qui apprimunt; ex mea ſententia, multis penſitatis, ſatius duxi præſidium, ab omnibus fere improbatum, à me toties feliciter vſurpatum vbi ſe occaſio obtulit, vt cum illius vtilitas omnino mihi perſpecta ſit, officii eſſe credam omnes hortari chirurgos vt præſidio vtantur Arti Chirurgicæ & honorifico & proficuo.

Cæterum, cum in Noſodochio Charitatis hæc experiri licuerit, de certitudine apud neminem dubium eſſe debet, quod plurimos & Medicos & Chirurgos teſtes habuerim, vna mecum fidem facturos à ligatura diſcindi vas aliquando tertia, ſed vt plurimum quinta vel ſexta die, nulla effuſione ſanguinis ſubſequente: Imo poſſe conſtringi filo truncum arteriæ axillaris ſupra præcipuas illius bifurcationes, ſi inibi Aneuriſma excitatum fuerit, procul à metu necroſis membri ſubſequuturæ, vel alterius ſymptomatis; id quod poſtremo notum eſſe volui Dom. de Blegny & aliis.

Observatio IV.

Dom. PANTHOTI Medici Aggregati Lugdunenſis.

De morte ſuccedente vulneri pectoris, intra tertiam & quartam coſtam inflicto etſi cavitatem non attingeret.

Dom. Gervaſius, Chirurgus Satellitum Regiorum, aſſerit ſibi quendam cognitum fuiſſe qui percuſſus gladio inter tertiam & quartam verarum coſtarum, initio numeri ducto ab inferioribus, vulnere capacitatem non pertingente, ac proinde illæſis omnino partibus interioribus, ſtatim

ſtatim tamen à læſione aphonus fuit factus, ac mortuus paulo poſt, voce privatus.

SOLVTIO

Per Dom. PANTHOTVM D. M. Lugdunenſem.

Ere foret ad legitimam quæſtionis deciſionem noviſſe & temperamentum & mores vulnerati, quo in ſtatu foret ante vulnus inflictum affectus, & ægritudines quibus obnoxius erat, ac præſertim num forte pectus antea male affectum foret; imo num poſt ictum conciderit, fugiens aut retrocedens.

Prædictarum circumſtantiarum cognitio conferret proculdubio adipiſcendæ cauſæ mortis illius ſubitaneæ, meo judicio non adſcribendæ vulneri à gladio facto, pro occaſione tantum infortunii habendo, at potius & omnino veriſimiliter, motui violento à timore inducto, quem conſequutus eſt repentinus confluxus ſanguinis in cor, ſuffocatum à ſubitanea illa irruptione & concentratione humorum, à quibus extinctus fuit calor nativus illi principio inſitus, ac tandem inducta fuit ſyncope cardiaca, plurimis ſimili in caſu lethalis.

Neminem latet inter homines alios aliis eſſe timidiores, ac vim eſſe maximam conſpectus gladii evaginati in animum timidum, vltima infortunia ſubeuntem ad periculi vmbram, quod alii declinent in maximis etiam diſcriminibus: Neque cuiquam porro dubium quin Naturæ ſumma vis inferatur ſi animi pathemata vehementiam extremam attigerunt, vbi ſanguis & ſpiritus cum impetu à corde in habitum, vel ab hoc in cor deferuntur.

Imo lætitiæ ipſius exceſſus nonnullis ſubito exitialis fuit, vbi ex improviſo quædam ſupervenerunt, ob quæ ſpiritus & ſanguis, motu illi contrario quem excitat timor, adeo affatim à centro ad circumferentiam delati fuere, vel à corde ad corporis habitum, vt prædicta pars, ſine qua ne momento temporis vita permanere poteſt ſanguine & ſpiritibus deſtituta, ad interitum decucti ſunt præ vehementiæ illius animi pathematis, quod alias vitæ fomes ſemper eſſe ſolet.

Ex plurimis obſervationibus docemur violentos ejuſmodi motus admodum metuendos eſſe, nec minus verenda eſſe animi quam corporis vulnera: Quæ nuper in hac ipſa vrbe contigere non parum rem confirmant.

Prius exemplum eſt viri ſexaginta duos annos prætergreſſi, qui dome-

ſticos in auxilium vxoris, quæ apoplectica conciderat, invocans illico præ dolore vel mœrore obiit.

Aperto illius cadavere, reperti ſunt pulmones lividi, illorum vaſa admodum turgida, cor ſanguinis copia adeo inſigni diſtentum vt nequaquam flaccidum deprehenſum ſit, ſicuti in illis quos alia quæpiam cauſa extinxit: Imo obſervatus cruor, quem continebat ventriculus dexter pene omnis coagulatus.

Poſterius exemplum eſt viri viginti ſex annos nati, qui ad conſpectum duorum amicorum pugnis decertantium, ac fauces mutuo ſibi præcludentium, illico extinctus eſt dum illos à pugna divellit; nullo adhibito conatu, ac ne minimo ictu impetitus.

Cadaveris aperiendi cura mihi demandata, obſervari cor & pulmones ſanguine admodum turgere, à timore, & ſtudio amicorum componendi diſſidium, illuc compulſo ſubitoque concentrato: Labus alter pulmonum lateribus cohærebat; alter prave conſtitutus erat, ſanguis autem ſinu dextro cordis incluſus ex dimidio concretus apparuit.

Ex prædictis colligere eſt gladii ictum pectore exceptum, quod cavitatem illius non attingebat, non fuiſſe cauſam obitus vulnerati; quandoquidem ibi loci non occurebant venæ aut arteriæ, vel aliæ partes alicujus momenti, quæ mortem adeo ſubitam inferre valuerint.

Quotidie enim apertio fit pectoris dictis in locis empyematis cauſa abſque vllo periculi metu: Infinitus autem illorum eſt numerus qui vel gladio, vel globulis à catapultis emiſſis icti fuere, vulnere truncum corporis tranſgrediente, qui tamen omnimodam valetudinem adepti ſunt. Quamobrem, ex mea ſententia, obitus cauſa adſcribenda ſolum eſt ſyncopi cardiacæ, cui vulnus & gladius anſam præbuerunt, timor autem vera fuit cauſa.

Observatio V.

Dom. PVRI, Chirurgi Sereniſſimi Principis à Longavilla &c.

De Infante monſtroſo.

QVæ circumferuntur de gravidarum phantaſia, ac validis impreſſionibus ejus efficacia in fetu excitatis, hoc exemplo plane extraordinario confirmatur.

In Pago Carnoviés, Cracovia Poloniæ metropoli duabus milliaribus diſſito, mendicus obtulit ſe Pagi Dominæ, à quatuor menſibus & ſemis gravi-

gravidæ, quam in ſui commiſerationem excitaturus, detexit herniam vmbilicam ſibi moleſtam; Domina ad mali magnitudinis conſpectum pavore adeo inſigni perculſa fuit, vt vix ad ſe redierit; obiecti idea tota nocte ſubſequente imaginationi obverſante, imo ſæpius toto gravidatis tempore.

At vero ſubſequutus eſt maxime lugendus effectus, fœtus enim quē legitimo tempore peperit, vmbilico geſtabat tumorem pugni magnitudine, coloris ad plumbeum vergentis, aſpectu quidem æqualem non item tactu, nam quibuſdam in locis mollior erat, in aliis vero durior. Baſis circumferentiæ exhibebat circulum rubrum vividi coloris, per cujus medium, in tumorem elatum, ferebuntur vaſa vmbiliculia: Puer ille, qui nullo tota vita alimento ſuſtentatus eſt, quarto à nativitate die obiit, mihique diſſectione facta ſequentia exhibuit, præſente Domino Akakia, Regis Chriſtianiſſimi extraordinario legato, & Dom. Okosky Puerperæ Medico ordinario.

Iecur, quod vnico lobo prolongato præditum erat, vna cum fellis veſicula tumoris partem ſuperiorem occupabat, maxima pars inteſtinorum gracilium illius fundo includebantur; medium vero illius continebat cyſtidem partim flatu, partim ſanguine nigro & fœtido repletam: Cæteræ partes ſitum naturalem ſervabant, conformationemque legitimam, præter diaphragma, quod duplex manifeſto adparuit, intra cuius duplicaturam obſervabile erat inſigne ſpatium.

Observatio VI.

Dom. CRETERI. Medici Gratianopolitani.

Anatome mulieris Diarrhoea laborantis.

DVm Monſpeſſuli ſtudiis incumberem, me præſente diſſecta fuit mulier, cui diarrhoea per annos quatuordecim moleſta fuerat, ante obitum adeo vrgens, vt ſeptem menſibus prius quam accideret, intra quartam vnius horæ partim tricies deſidere cogeretur.

Dom. Gimelius, Medicus Anatomicus, à quo diſſectum cadaver, nullam aliam obitus cauſam obviam habuit, præter bilem petrificatam ex qua in veſicula fellis formatus fuerat lapis durus & inæqualis, vniverſam illius cavitatem occupans, à quo etiannum admodum & vltra dimenſionem naturalem diſtenta fuerat.

Observatio VII.

Authoris.

De Cometa ſub finem anni præteriti conſpicuo.

NOn me latet doctrinam de Cometis ad Aſtronomiam pertinere, hanc autem ſcientiæ naturalis partem conſtituere, cujus principia eadem quæ Medicinæ; attamen omnino tibi ſatisfacere hac de re nunc non licet; quandoquidem paralaxin illius determinare nondum conceſſum fuit: Nec circa illum obſervationes a cæteris adhuc communicatæ ſint: Hoc vnum in præſens dico, ratum eſſe apud Aſtronomos noſtros alium hunc eſſe ab eo qui conſpicuum fuit in conſtellatione Virginis ſub finem Novembris proxime præteritii: Caudam illius hic loci obſervatam fuiſſe ad LXII. Argentinæ ad LXIII. gradus longitudinis: Tandem in Gallia Narbonenſi adeo illuſtrem fuiſſe, vt mediante illius lumine, nocte admodum tenebricoſa, ex cacumine montis pagus duabus leucis diſſitus in conſpectum venerit.

Cæterum de Cometarum natura plurima vltro citroque allata ſunt: quicquid hac de re hactenus evulgatum fuit, id ad examen deductum. Vnaquæque opinio ſuos patronos habuit; Eruditorum autem plurimi à partibus Carteſij fuere: Dom. tamen à S. Dionyſio nouvum ſyſtema affert multorum exercens ingenium: Periti illius Aſtronomi conjectura eſt, Corpus illud aliud nihil eſſe quam Planetam ex parte vna concavum, quem penetrent radii Solares: Vt vt vero ſit, nemo indubium revocaturus eſt corpus eſſe cœleſte, ex quo augurari non licet effectus quorum cauſæ à ſublunaribus ſemper pendent.

Observatio VIII.

Authoris.

Ouvm Cometæ figuram referens.

FIgura ſequens refert Gallinæ ovum, quod primum poſt vehementes glocinationes excluſit Romæ ſecundo Decembris anni 1680. quo tempore conſpicuus fuit cometa: Figura expreſſa eſt cura D. à S. Iohanne, Chirurgo Romano, ad Ephemeridum Collectorem tranſmiſſa.



Zod: Med: Gall: ann: 3?: pag. 30



pag 73

TRACTATVS.

De Origine Medicinæ

Dom. A SELVA Nemauſenſis.

MEdicinæ nulla origo eſt, hæc nuſquam quidem non eſt, & vbivis gentium, judice *Celſo* lib. de *Medicina*: Siquidem etiam imperitiſſimæ gentes & nationes barbaræ, ſola duce ratione, remedia & plantas à Natura ſuppeditatas noverunt ad conſervandam probam valetudinem morboſque arcendos: Medicina donum eſt Dei, ait Avicenna, & majores noſtri, Paganiſmi erroribus involuti, exiſtimarunt à Diis Medicos ſuſcitatos fuiſſe ad curationem morborum, iracundiæ illorum & indignationis teſtium, *Honora Medicum propter neceſſitatem*, ait Eccleſiaſtes 38. *etenim creauit illum altiſſimus, à Deo enim eſt omnis medela.*

Patriarcham Seth, qui author linguarum Hebraicarum, ac vnicuique ſtellæ proprium nomen indidit, ait Genebardus, cum peritiſſimus fuerit Aſtrologus, admodum veroſimile eſt artem medicam calluiſſe, eamque ab ipſo inter ſcientias & artes liberales collocatam fuiſſe; ejus ævo inſculptas duabus columnis, vni æneæ, quo impetum fluctuum retunderet; alteri lateritiæ. vt ignis activitati obſiſteret: Imo probabile eſt ejus filium Enos ideo fuiſſe vocatum, hoc eſt hominem, ob ſui ipſius notitium, & corporis humani, artis medicinæ partem conſtituentis.

Quoad Patriarcham Iacobum, nulli dubium eſt ipſum iſtius ſcientiæ callentiſſimum fuiſſe, cujus ſpecimen egregium exhibuit in diviſione & diſgregatione pecorum cum avunculo ſuo Laban inſtituta.

Vna ex Pharaonis Filiabus, cui nomen Thermuta, educandum curavit Moſen quaſi proprius fuiſſet filius, ac ſcientiarum omnium quæ tunc temporis inter Ægyptios docebantur, gnarum eſſe voluit: Proculdubio quoque medicinam edidicit, quandoquidem adultior factus tam manifeſta peritiæ indicia edidit, dulcedinem quippe conciliavit aquis amaris in Mara, evidenti artis peritia, ex judicio Eccleſiaſtæ, *Altiſſimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa, Nonne à ligno indulcata eſt aqua amara? Eccleſ. 38.*

Archangelus Raphael, ſic nomen ſonat (Rapha enim apud Hebræos ſignificavit *ſanauit*, Et *Deus*) munere medici functus eſt, viſum reſtituens patri Tobiæ junioris, vſus jecore piſcis, quem ideo aſſervatum voluerat, quod ſanationi idoneum crederet.

Regum ſapientiſſimus, qui ter mille Parabolas conſcripſit, & odarum quinque millia, imo plurimos libros edidit de Natura arborum, & de

Cedris Libani, de Animalibus, de Piſcibus, Avibus & Plantis, diu aſſervatos in Theſauro Templi Hieroſolimitani, ſed tandem combuſtos juſſu Regis Ezechiæ, quo ſuperſtitioni omnis occaſio ſubtraheretur, in quam proclivis erat Iudæa natio, ſic ſentiente Apuleio, Salomon inquam rerum naturalium ſcientiſſimus fuit & medicinæ.

Imo exſtruendam curavit, tradente Ioſepho, Piſcinam Agnorum, de qua S. Iohannes cap. 5. in Evangelio, Ægrorum caterva impatienter expectabat motum miraculoſum aquarum illarum ſalutarium, ab Angelo quodam certis temporibus ſubagitatarum, vt innoteſceret adventus Medici, & monendorum ægrorum gratia; quorum qui primus poſt turbidas redditas aquas deſcenderet, omnimodam adipiſcebatur valetudinem, quocunque morbi genere detineretur. Id miraculum deprehenſum fuit ſub adventum Filij Dei, quod immediate ab ipſius morte obliteratum eſt cum antiqua Lege.

Salvator mundi, Summus Animæ & corporis Medicus, quoſcunque ægros ſibi oblatos curabat, eademque poteſtate donavit ſuos Diſcipulos, qui Magiſtri exemplum ſequuti ſunt: S. Lucas Evangeliſta fuit Medicus, ſicut ait D. Paulus *Salutat vos Lucas Medicus dilectus. Coloſſ.* 4.

Ægyptii, qui ſe inventores elegantiſſimarum Artium perhibent, medicinæ inventionem adſcribunt Deo quem colunt, ac vocant Theut aut Thoon, quod nomen imponunt primo anni menſi: Diodorus tamen aſſerit Mercurium Triſmegiſtum, quem plurimi, Moſen ipſum fuiſſe ſtatuunt, authorem illius fuiſſe, nec non Arithmeticæ, Aſtrologiæ & artis hermeticæ, à quo nomen Hermetis obtinuit.

Tradit Galenus artem Anatomicam apud Ægyptios originem nactam eſſe, eo quod ad condituram cadaverum neceſſaria eſſet pro more gentis.

Græci Apollinem medicinæ authorem ſtatuunt, quem Ethnicus Poeta ſic loquentem inducit,

Inventum medicina meum eſt, opiferque per orbem dicor.

Ovidius 1. *metamorph.* Rationem reddit Macrobius, quia, inquit, Sol temperatus morbos omnes diſcutit. Iamblicus & Apollonius Tyaneus ab arte divinatrice medicinam traxiſſe originem adſtruunt. Imo Hippocrates adſtipulari videtur, cum ait artem Medicam & Divinatricem eundem Deum authorem agnoſcere.

Illuſtris Centaurus Chiron, Saturni filius, & Nymphæ Phylliræ, Argonautarum fuit Medicus, quem cum Hercules lethaliter ſagitta vulneraſſet, ſtatim inter ſigna cœleſtia collocatus eſt, Sagitarii nomen retinens: Peleus & Thetis filium ſuum educandum illi tradiderunt; hunc Teſtudinis vſum docuit, & medicinæ levi cognitione imbuit; illíque indicavit herbam ad ſanandum Telephum, quam hujus nomine inſignivit, refere-

referente Plinio libro xxv. cap. v.

Tandem Aſtrologiam quoque Herculem docuit, ac Medicinam Æſculapium, illi iniquam, fulmine enim ictus eſt quod è mortuis excitaverit Tyndarum, Hyppolitum, Glaucum, & Androgeum, aut quod à morbis lethalibus illos liberaverit, ex mente quorundam authorum: Filius erat Appollinis & Nymphæ Coronodis: Taritius tamen *lib. De Illuſtr. Vir.* aſſerit obſcuram eſſe illius originem, qui à venatoribus expoſitus canis lacte educatus fuerit:

Duos edidit liberos, Machaonem & Podalyrium, ſequutos ducem Agamennonem, ad obſidionem Trojanam cum triginta navibus proficiſcentem, auxilio inſigni commilitonibus opem ferentes, vulnera illorum curando: Homerus Iliados libro quarto refert Machaonem, hæreditaria ſcientia inſtructum Menelaum Regem perſanaſſe.

Podalirius, qui à pedum longitudine id nominis obtinuit, poſt incendium Trojanum in Cariam, vbi cum capris nutritus fuit, ſeceſſit: Ibi loci ab ipſo valetudini reſtituta fuit Filia Regis Damethei, quæ ex ſummo domus culmine deciderat: Rex remunerationis ergo valetudini reſtitutam Filiam vxorem conceſſit, additis duabus Provinciis, in quibus duas condidit Vrbes, quarum alteri vxoris nomen, Syrnæ, indidit: Medicinæ Scholam Rhodis condidit, quam ipſemet docuit.

Ab eo tempore ſepulta latuit & incognita medicina, ex relatione Plinij, totos quingentos annos, ſcilicet ad bellum vſque Peloponneſiacum, quod geſtum trecentis annis à Roma condita: Tunc temporis Hippocrates Democriti diſcipulus, natus in Inſula Co, Æſculapio ſacra, ſcientiam hanc humano generi adeo neceſſariam & vtilem ſuſcitavit, primuſque decumbentibus ægris medicinam adhibuit, cum diſcipulus illius Prodicus ſolummodo vnguentis & emplaſtris vteretur:

Diocles, Praxagoras, hujuſque diſcipulus Pliſtonicus, inſignes illos Viros ſequuti ſunt, Chryſippus Gnidius illi ſucceſſit cum diſcipulo Eraſiſtrato.

Ab his ſubverſa eſt vniverſa medicina, ſanguinis miſſionem omnino reprobantibus: Poſtremus hic natus fuit ex vna Filiarum Ariſtotelis, & à Rege Ptolomeo centum talenta reportavit ob reſtitutam valetudinem Parenti Antiocho: Ab illo ipſo deprehenſus amor quo Antiochus deperibat novercam ſuam Stratonicen; qua de cauſa in dubium vocavit Galenus an detur Pulſus amatorius.

Interim Empedocles, Pythagoræ diſcipulus, ſectam Empiricorum in Sicilia condidit, qui medicinam ex experimentis ſolis & multo vſu addiſcunt: Hic poſtquam præcipitem ſe dedit ex monte Ætna, Acro diſcipulus veſtigia ejus inſequutus eſt.

Herophilus deinceps Medicinam in confuſionem dedit, inſignemque

que immutationem illi intulit; cujus diſcipulus Philinus, errata Magiſtri carpens in majora incidit.

Aſclepiades, Pompei magni coætaneus, artem medicam ex conjecturis tantum fecit: A peritis tamen ſui ævi in pretio habitus: Mithridatis Regis invitationes contemptim habuit, à quo provocabatur: Ne exiſtimaretur ſibi ipſi valetudinem conciliare non valuiſſe, lethum ſibi intulit, uá ex ſublimi ſcala ſponte delapſus eſt.

Mithridates, celeberrimus ille Ponti Rex, qui viginti & duas callebat Linguas Populorum ſibi ſubditorum, Medicinam acri ſtudio excoluit: hunc vbi Pompeius ſuperavit in conclaui illius ſecretiori Mithridaticæ antidoti compoſitionem reperit; quam parvi fecit, eo quod ſimplicia, ex quibus conſtat, admodum vulgaria ſunt & exiguo numero, ſicuti ex ſequentibus verſiculis deprehendere eſt.

Antidotus vero multis Mithridatica fertur
Conſociata modis, ſed magnus ſcrinia Regis
Cum raperet victor, vilem deprehendit in illis
Syntheſin, & vulgata ſatis medicamina riſit,
Bis denum rutæ folium, ſalis breve granum,
Iuglandeſque duas, totidem cum corpore ficus.
Hæc oriente die, parco conſperſa Lyæo
Sumebat metuens, dederat quæ pocula tutor.

Attalus Pergami Rex, qui populum Romanum hæredem inſtituit, ter centum annis ante Auguſtum, Medicinæ levi notitia imbutus fuit, ac naturam plantarum cantavit, teſte Galeno de Antid. libro ſecundo capite primo.

Themiſon Aſclepiadis diſcipulus methodicorum ſectæ author fuit, quem deinceps Theſſalus inſequutus eſt imperante Nerone: Eo vero arrogantiæ & impudentiæ hic deductus eſt vt tumulo ſuo, in via Appia conſtituto ſuperbum hoc epitaphium inſcribi juſſerit, *Iatronices*, hoc eſt, *Victor Medicorum.*

Nicon Geometriæ peritus fuit, inſignis Architectus Pergami, Galeni pater, nati ante imper. Marco Aurelio: Tam inſignis fuit ſobrietatis, vt nunquam ad ſatietatem comederit aut biberit: Nihil crudum vnquam ingeſſerit, quamobrem ſuavis ſemper & gratus illi anhelitus, vitam tranquillam & quietam duxit (id quod ſonat illius nomen) ſpatio centum quadraginta annorum.

Illi cum innotuiſſet dari ſcientiam quæ doceret rationem morbos ſanandi, ac valetudinem corporis tuendi, tam acri ſtudio illi ſe addixit, vt toto vitæ decurſu poſtmodum immunis à quovis affectu vixerit, vel leviore,

viore, excepta febre Ephemera, quam quivis ſuæ ſponte declinare ſi lubet poteſt, vt ipſus inquit.

Narrat Dion, Imperatorem Adrianum, quantumvis ille in medicina claruerit, ſuo ſepulchro inſcribi iuſſiſſe, *Turba medicorum perdidit Cæſarem.*

Quartum ſeculum doctiſſimos Medicos peperit, cujuſmodi fuere Aretæus Cappadox, Oribaſius Sardis natus, Iuliani Apoſtatæ primarius Medicus, ob doctrinæ profunditatem inter numina relatus, ſi Suidæ fides, Alexander Trallianus Lydienſis, Paulus Ægineta, & diſcipulus Pauli Eumonij, Ætius Antiocheni, qui Dei exiſtentiam negabat: Conſtantinus quartus, Imperator Conſtantinopolitanus, cognomento Pogonatus, à prolixa barba, Medicinæ peritiſſimus fuit, Rhetoricæ, Philoſophiæ, & Agriculturæ: Paulus Iovius in Elogiis Illuſtrium virorum refert Petrum Leonem, Spoletanum, Aſtrologum inſignem, Medicum fuiſſe Laurentii à Medicis, ſed deſperabundum quod improſpere artem exercuiſſet, præcipitem ſe in puteum dediſſe.

Archagatus Lyſaniæ filius primus omnium Romam venit, referente Caſſio Hemina, anno quingenteſimo triceſimo quinto ab Vrbe condita, Conſulibus Marco Æmylio & L. Livio: Civitatis jure illico donatus fuit, aſſignatæ illi ſplendidæ ædes, ære publico emptæ in compito Acilino, ab omnibus illico humaniſſime exceptus eſt, ſed ſui faſtidium non diu poſt peperit, eo præſertim nomine quod omiſſa priſtina ægrorum curandi ratione, totus eſſet in diſſecando, diſlocando, incidendo, & ſimilibus, terrorem ſola nominatione Romanis incutientibus; quibus effuſio ſanguinis in caſtris minus diſplicebat quam in officina Chirurgi: Cum ideo Vulnerarii nomen egregium adeptus eſſet, nec limites ſævis operationibus ſuis præſcribere vellet, vulnera tantum & apoſtemata excipiens, vt eſt in adagio, Carnificis quoque nomen illi inditum: Ab illo tempore, ſicuti à Plinio recte adnotatum, Romanis in horrore fuit ars Medica, imo ipſi Medici.

Cato etſi Medicis ſui temporis parum faveret, ſicuti Marco filio apertum facit, notitia tamen qualicunque plantarum & remediorum naturalium imbutus fuit, ſed in vſum tantum familiarium & domeſticorum.

Succeſſit his Pompeius Magnus, qui in Latinam linguam verti juſſit per Lenæum, vernam, libros medicos à ſe repertos in ſcriniis Regis Ponti: Nec caruit deinceps illuſtribus Medicis Romana civitas, inter quos Ælius Gallus, Eques Romanus, qui primus felici Arabia potitus eſt: Cornelius Celſus, triginta circiter annis in lucem veniens poſt natum Filium Dei: Alter Hippocrates, Scribonius Largus, Marcellus, Q. Serenus, Laudatus à D. Hieronymo & Macrobio, quod fuerit Præceptor

juvenis Gordiani, & hæreditate obtinuerit Bibliothecam ex viginti ſex millibus voluminum conſtructam.

Medici Arabes, quantumvis recentiores, in arte tamen medica præſtantiſſimi fuere: Prodiere tantum circa annum ſexcenteſimum ſeptuageſimum, regnante Muavio, qui Damaſcum, Syriæ metropolin domicilium ſibi ſtatuerat, quo confluebant omnes eruditi, & ſcientiarum & artium periti; qui hinc in Hiſpaniam Regem ſequuti commigrarunt circa ſeptimum ſæculum.

Anno ſeptingenteſimo quadrageſimo Avenzoar prodiit; hic referente Averroe, omnes theſauros medicinæ in ſe condebat: Rhazes natus anno millleſimo octuageſimo, attigitque ætatis annum centeſimum & viceſimum: Avicenna & Averroes inſignes fuere, circa medium vndecimum ſæculum: Avicenna Rhaſis diſcipulus fuit in Alexandria, vnde Cordubam venit, peragrata vniverſa Ægypto.

Plurimi denique arte illuſtres fuere, ſicuti Serapio, Iſaacus, Albategnius, Albucaſis, Haly, imo nepos Regis Damaſci, Evangeliſta Medicorum nuncupatus, ob ſummam authoritatem.

ZODIACI MEDICO GALLICI,

SIVE

Recens in Re Medica & Naturali Exploratorum.

MARTIVS Anni 1681.

OBSERVATIO PRIMA.

Dom. DE ROY Saverdunenſis Anatomici.

Nova explicatio naturæ Liquorum quos continet Corpus humanum:

DISSERTATIO PRIMA.

VEREOR Auditores ne inſtitutum meum temeritatis à vobis arguatur; in concentu publico dicturus, Auditores nactus plurimos ingenio & iudicio præſtantes, tractandam ſuſcipiens rem & obſcuram & ab induſtrio tantum viro diſquirendam: At vero quæ hac de re à me afferenda ſunt eo majoris ſunt momenti quod in ſe comprehendant analyſin naturalem partium ſanguinis, ac proinde quæcunque maxime idonea ſunt illuſtrationi naturæ iſtius Liquoris, qui degener factus omninum pene morborum cauſa evadit: cujus itidem iuſta conſiſtentia probæ valetudinis principium eſt certiſſimum.

Inte

Interim quantumvis vtilis futura ſit explicatio à me ſuſcepta, gloriari liceat primum me in hanc arenam deſcendiſſe: Cur hactenus poſthabita fuerit, neſcio, ſuſpicor autem difficultates quas in ſe continet, ac rerum plurimarum cognitionem quam ſupponit, cauſas fuiſſe prætermiſſionis.

Rem aggreſſurus, Liquorum nomine intelligo fluidas omnes & liquidas ſubſtantias, naturaliter in corpore humano comprehenſas, quas in genere diſpeſcere licet in eas quæ originariæ ſunt, & eas quæ iis pendent.

Priores duplicis ſunt generis, nempe *Chylus*, qui aliud nihil eſt quam alimenta in ventriculo diſſoluta, ac per cribrum inteſtinorum filtrata, & *Sanguis*, vniverſa ſcilicet illa maſſa liquida, in arteriis & venis contenta, motu circulari agitata mediantibus deſtinatis canalibus, toto vitæ decurſu.

Liquores cæteri, Secundarij, quia ſuperſunt à depuratione ſanguinis, ſubdividi poſſunt in ſpirituoſos & materiales.

Spirituoſi (quibus hoc nomen impono, quia ſubtiliſſima illa materia, quam vocant Spiritus animales, in eorum compoſitione dominium obtinet) ſub ſe duas ſpecies particulares complectuntur, ſuccum ſcilicet nerveum & ſemen.

Quos materiales dixi, quia nullos aut pauciſſimos continent ſpiritus, ſunt aut ſimpliciter liquidi, cujuſmodi eſt Lympha; aut liquidi & acidi, quales ſunt Lacrymæ, Vrina, Sudores, aut oleaginoſi ficuti Bilis; aut inſipidi & aliquantulum colorati, qualis eſt Succus Pancreaticus, & liquor Pericardio incluſus: aut Tartarei & fæculenti, cujuſmodi eſt flavum excrementum quod in auribus reperitur, ac commentitius ille melancholicus humor, quem in liene congeri ajunt, & in capſulis atrabilariis, vel tandem dulces, albi & craſſi, quale eſt Lac.

De ſingulis his Liquoribus ſigillatim dicturus ſum, initio ducto à chylo, quem perpendo tanquam cæterorum omnium originem.

OBSER-

OBSERVATIO II.

Seu Diſſertatio Phyſico Mathematica

Dom. COMIERS Ebrodunenſis Theologiæ Doctoris, Matheſeos apud Pariſienſes Profeſſoris.

Num Cometæ ex propria natura novorum morborum authores eſſe queant.

ALibi à me demonſtratum Cometas futuri nequaquam indices eſſe, atque omnino indifferenter ſe habere : Revera degeneres tantum animos percellunt emiſſæ ab Aſtrologis prognoſes, quos Hieremias Propheta cap. 10. verſ. 2. vocat idololatras , Ne timere, *ait*, ſigna cœleſtia quæ timent idololatræ : Neque enim populus Dei vſus eſt Aſtrologia, futuri notitiæ cupidus : Veritatem hanc nemo impugnaturus eſt , quandoquidem Sacra Scriptura in libris Moſis, Numeror. cap. 23. verſ 23. ſic loquitur, *Nullum eſt augurium in Iacobo, neque vlla divinatio in Iſraële :* Imo Deus mandavit Prophetæ Iſaiæ, cap. 7. verſ. 24. vt diceret Regi Achas , *Ne timeas, & cor tuum ne terreatur à duabus caudis titionum illorum fumantium.*

Eccleſia Aſtrologiæ vſum quoad ea tantum concedit quæ ſpectant artem Medicam , Nauticam & Ægriculturam , in bullam Papæ Sixti V. *Cœli & terræ Creator tantum eſt ne vllus eſſet Aſtrologiæ vſus præterquam in Medicis , Nauticis & Agriculturis* : Liceat ergo mihi rimari num Cometæ novos morbos inducere valeant.

Libro à me de *Natura Cometarum* anno 1665. edito, demonſtratum fuit ipſos corpora eſſe de natura Planetarum , orbi terrarum coæva , quæ alterationem ſubeuntis à calorem , corruptionem, majori comparata mole in conſpectum veniant &c. Eadem tamen de cauſa ob majorem materiæ extenſionem , magis ac magis verſus firmamentum linea recta ferantur , à Sole recedentia, non ſecus ac cadaver hominis aquis ſubmerſi , poſt aliquot dies putredine interiora invadente , ex aquæ fundo emergit.

Manifeſtum feci ex Sacra Scriptura , atque juxta leges immutabiles quas in rerum natura obſervari videmus, Solem non eſſe corpus ſolidum ſed Oceanum, vel potius luminis congeriem , quarta creationis mundi die in centro vniverſi collocatam; Ideoque creatum non fuiſſe , ſed formatum ex concurſu luminis quod vndique in centrum Syſtematis noſtri confluxit, locum indictum collectioni vniverſali à Creatore : Hinc Sol , etſi nun-

quam

quam non tui ſimilis, nunquam tamen idemmet eſt, idem enim lumen, ex quo conflatur, cum in id centrum devolutum ſit ex ſupremo firmamento, iterum aſcendit radio oppoſito illi è quo præceps fertur, ad æqualem altitudinem loci ad inferiora vnde delatum eſt.

Oceano, aquarum Terræ alveo inſignis analogia intercedit cum Sole; formatus fuit ex concurſu aquarum, quas perpetuo refundit omni ex parte irrigaturus intimas & extimas terræ partes, nunquam exhauſtus, eo quod aquæ in mare recurrunt, principio omnino innatto, quod ars facile imitari poteſt, ſicuti ſuo loco oſtenſuri ſumus.

Commeatus dicti Luminis, corporis quod in motu ſuo leges naturales cæterorum omnium corporum obſervat, angulum reflexionis, æqualem angulo incidentiæ &c. intelligi poteſt ex vibrationibus, itibus & reditibus automatæ machinæ, Pendulæ dictæ, quæ moveri ideo deſinit quod conſtet ex plurimis aliis Pendulis, variæ longitudinis, quæ proinde ἰσοχρόνοι eſſe nequeant, quamobrem breviores cum citius metas ſuas & vibrationes abſolvant, hinc fit vt longiorum motus abrumpatur; ideoque cum omnium æqualis eſſe nequeat duratio, Pendulorum motus ex neceſſitate abrumpitur & ceſſat: id quod non contingeret globo tormentario, qui præceps decideret in puteum ac diametraliter terram pervaderet quia globus qui ſemper acquiſivit novos gradus accelerationis motus ſui ad centrum vſque terræ, ex altera parte aſcendendo aſſequeretur locum è quo elapſus eſt, ideoque nunquam ſubſiſtens alternis vicibus conſpicuus eſſet in vtroque iſtius putei, fundo carentis, orificio ſupra ſuperficiem vtriuſque hæmiſphærij: Id quod fingimus contingere debere illo globo tormentario, idem ſuſpicandum futurum in vnaquaque luminis atomo. &c.

His poſitis, cenſeo lumen ſolis quod in terram incidit, poſtquam in Cometas influxit, illoſque illuſtravit, imprægnatumque fuit exhalationibus in atomos diviſis, ex ſtellis illis fumantibus emiſſis; ab his naturaliter poſſe vaſtari ſegetes & fructus, aquas inquinari, peſtem exoriri, plurimoſque funeſtos morbos, hactenus Medicis ignotos mediantibus venenat inquinamentis & corpuſculis heterogeneis, exhalationibuſqur à Cometa emiſſis, quas lumen Solis repercuſſum repellit & inferius in terram depellit.

Revera inviſibiles illæ atomi exhalationum Cometæ, quas radii Solis reflexi in terram devolvunt, corpora noſtra diſſolvere valent, non ſecus ac aquæ fortes mineralia, fixare aptæ ſunt humidum noſtrum radicale, ſicuti vapor plumbi liquefacti denſat Mercurium; coagulare ſanguinem, non aliter ac venenum viperæ &c. ac morbos vlceráque inducere, de quibus eleganter Paracelſus.

Multi Cometæ, ait Seneca, aciem oculorum noſtrorum effugiunt, quia intra radios Solis immerſi ſunt. Ac ſane refert Poſſidonius vnum aliquando con-

do conſpicuum fuiſſe durante Solis eclipſi, *Multi Cometæ viſum noſtrum effugiunt quoad obſcurantur radiis Solis, quo deficiente quendam Cometam apparuiſſe quem Sol vicinus obtexerat, Poſſidonius tradit,* Iure ergo aſſignare licet materiæ exhalationum Cometarum cauſam morborum epidemiorum, per certa tempora funeſtarum: Ideoque, referente Plutarcho in vita Coriolani ſub finem, Hippocrates (quem eorum cauſæ latebant & remedia) Deum ſolum authorem & cauſam immediatum eorum conſtituebat.

Vt manifeſtum fiat quomodo Solis radii reflexi à Cometis vehicula ſunt, & ad nos convehunt ſubtiliſſimas atomos exhalationum à crinitis iſtiuſmodi Aſtris emiſſorum, inſpiciantur radij Solis per feneſtram cubiculi ſubingreſſi quomodo commovent & ſurſum efferunt myriades atomorum, varie in aëre congredientium, coeuntium, aſcendentium &c.

Eodem modo ſi ſimplex vitriolum, nequidem dealbatum per calcinationem ad Solis radios factam, tritum & inſperſum linteo cruento; vel etiam eodem linteo madefacto diſſolutione vitrioli, à lumine abripiuntur, & quoquoverſum deferuntur atomi vitrioli refrigerantes ad vulneratam partem, quo imbuuntur atque illico ardorem compeſcunt, Ex oppoſito ægro ardorem intolerandum conciliant, ſi incaleſcat aqua illa vitriolata cui immerſum fuit cruentum linteum.

En Auditores, quo pacto Lux vehiculum eſt neceſſarium pulveris ſympatethici, cuius effectus ea tantum ratione admirationem parit, quod è diſtanti vitriolum actionem ſuam exſerit, quamobrem ignari id genus remedij renuunt, quia non percipiunt illius agendi rationem.

Solum id ſupereſt, vt Medicos & Chirurgos horter, peritos & charitatis animo donatos, ſedulo incumbant examini accidentium omnium Symptomatum morborum & vlcerum extraordinariorum: Imo crebro aperiant cadavera, vt quamprimum in apertum veniat indoles morbi contagioſi & epidemij, & ſedulo inquirant nova & ſpecifica remedia ad citam ægrorum ſanationem, & præſervationem à morbis illorum qui ſanitate fruuntur.

OBSERVATIO III.

Epiſtola D. Royerij Chirurgi, Sereniſſimi Principis Condæi.

Continens Obſervationes.

Circa curationem Aneuriſmatis.

EXhibita mihi fuit vltima Ephemeris, & in ea diſſertatio D. Morellij de Aneuriſmate: Exiſtimo ipſum ſuppoſitam voluiſſe & notam illius na-

turam necnon quam generationem habeat, quandoquidem nullam illius tradit definitionem, ſatiſque illi eſt modum afferre illa curandi juxta experimenta ab ipſo facta: Ego vero cenſeo, *Aneuriſma eſſe Tumorem mollem, tactui cedentem, ſanguine refertum, ortum ab inciſione, ruptione, aut ſaltem dilatatione tunicarum arteriæ.*

Non dubito illorum ſæpe numero ſuſceptam fuiſſe curationem perſuppurantia & reſolventia, at ejuſmodi praxis ab illis ſolummodo tentata eſt quibus omnino ignota fuit tumoris indoles, quandoquidem æque incapax eſt ſuppurationis atque reſolutionis: Id quod illis non difficulter perſpicuum fuiſſet, examine facto num inſideret arteriæ ejuſmodi ex quo exſurgere poſſet aneuriſma: Num pulſatio, quæ ſemper deprehenditur in minoribus, manifeſta eſſet, num aliquando non perciperetur compreſſione à digitis facta, illico motu redeunte: Num cuti ſuus conſervaretur color naturalis, ac tandem Num illo compreſſo murmur quoddam in fundo tumoris obaudiretur, id quod tantummodo contigit quando foramen eſt exiguum.

En, vt judico, ſigna quæ comitari ſolent exigua Aneuriſmata: in majoribus enim, hoc eſt illis quæ magnitudinem inſignem adepta ſunt, pulſatio nulla obſervatur: cum vero ejuſmodi ſtatum attigerunt, vel occuparunt arteriarum truncos, periculi tunc plena eſt operatio.

Rationem curandi Aneuriſmata quod ſpectat (ſicuti ab illo proponitur) per ſolam adpoſitionem ſpleniorum & ligaturarum, tantum abeſt vt mihi dubia ſit, quin potius exemplis illam confirmare animus ſit, Anno enim 1665. cum Pontæſiæ adeſſem, ad me adducta eſt puella ruſtica, annos XIII. vel XIV. nata, cui diviſa fuerat arteria in flexura cubiti per venæ ſectionem, ante duodecim aut quindecim dies: Re explorata, animadverti ſupra arteriæ locum tumorem avellanæ magnitudine, cum pulſatione: Non dubius num tumor ille eſſet Aneuriſma, in animum induxi meum, cum adhuc recens eſſet affectus, curationem poſſe adhuc admittere ope ligaturæ & faſciarum: Admotum ergo à me fuit ſplenium decies aut duodecies complicatum, inſerta lamella ferri albi latitudinis nummi ſemi coronati argentei: His, ſupperaddidi aliud ſplenium ejuſdem craſſitudinis, ſed paulo latius; atque porro tertium adhuc latius prioribus: Deinceps admovi faſciam à Dom. Fournerio *Rhombus ad medium membrum* dictam, vulgo vſurpatam poſt venæ ſectionem in brachio, ſed hoc diſcrimine, quod adeo valida fuerit conſtrictio, vt poſtridie totum brachium intumuerit: Veritus vero gravius quid ipſo malo, cui medelam adhibere inſtitueram, laxiorem paulo feci ligaturam, digitis fortiter ſplenia comprimens; interim contentus totis octodecim aut viginti diebus inflammationi obviam ire: Exacto eo tempore ligaturam ſolvi, ſplenia removi; cumque nulla tumoris veſtigia animadverterem, at contra cutem ibi-

dem

dem depreſſam, faſciam minus arcta vius ſum, ac ruſticam ad lares ſuos remiſi.

Quoad Operationem, quæ mediante inciſione fit, nequaquam dubito quin inſtitui poſſit in axillari ligatura ſupra illius bifiorcationem facta, quãdoquidem mihi compertum est partem ideo atrophia non corripi, ac ſanguinem alias ſibi parare vias irrigaturum vniverſum humerum.

Cæterum, mirum ne ſit ſi cum in vſum ducti fuere globuli è chalcantho, hæmorrhagia ſuccedat decidua eſchara: At vero id miror quod D. Morellus aſſerat facta ligatura, ſi arteria inciſa fuerit, poſt triduum hæmorrhagiam non accidere: multum illi ars deberet ſi rationes addidiſſet, majorque illi fides adhibita fuiſſet &c.

Reſponſio ad præcedentem Epiſtolam

Domini BOVRDELOTII Primarij Reginæ Suecorum Medici, ac Sereniſſimi Principis Condæi &c.

GRatam rem mihi feciſti quod ſententiam meam exquiras de natura Aneuriſmatis: Verba facientem ea de re alias me audiviſti ac benignas aures præbuiſti mihi diſſerenti cum D. Langroſtio avunculo tuo, Chirurgo peritiſſimo, Necnon cum D. Morrello de ejuſmodi Tumore diſſertationem habui, miror vero quod tam jeiune de eo conſcripſerit, proculdubio totus eſt ægrorum rebus addictus, aut forte quæ coram eo diſſerui animo exciderunt, quod vitium multis familiare eſt, quorum mens evagatur ſi ſermo habetur de re quam rationum momentis confirmare opus fuerit, Dom. Tourberius & Pimprenelle omnibus cæteris in enarratione palmam præripuerunt, ſed poſterior hic præ aliis, faſciarum adhibendarum non ignarus: Non levem vero peritiam per experimentum in memet ipſo factum mihi comparavi.

Inciſa mihi fuit arteria in flexura brachii dextri, qua ſub vena mediana decurrit, quanquam à me monitus fuiſſet Chirurgus ibi loci pulſare arteriam; Vbi animadverti ſanguinem eã ejaculari ad ſingulas pulſationes, plurima ſplenia adponi curavi, ac longa quiete vſus ſum; cutis prompte coaluit, ac cicatrix exterior cito genita eſt, interim ad aliquod temporis ſpatium tuberculum quoddam eminebat, quod paulatim incrementum habuit, irritis quibuſque remediis.

Denſiſſima ſplenia, aquis ſtypticis imbuta, opem nullam afferebant, cujus rei ratio paulo poſt mihi innotuit; aquæ vis quinque integumenta pervadere nequit: Non hic inſtituenda eſt pugna qualitatis cujuſpiam in aliam, exempli gratia, non agitur de calefactione partis refrigeratæ, vel confirmatione emollitæ aut relaxatæ, Obuiſendum eſt conatui arteriæ,

ſingulis momentis ab interioribus ad exteriores vulneris oras impellenti, quod ideo amplius hiat, ac deinceps ſanguini arterioſo patentiorem viam facit, foramen ingreſſuro: Si id foramen clauſum ope ſpleniorum tenere adnitaris, hæc contingunt, à ſpleniis exporrectum brachium quidem conſtringitur; hoc vero flexo illa laxantur, atque intra horæ quartam partem arteriæ foramen amplius fit, hiat vero niſi amplius conſtringatur.

Sin arctiſſima inſtituatur Ligatura ad coarctationem arteriæ, omnes brachii venæ, quæ per ſuperficiem oberrant, quaſi ſtrangulantur, brachium & manus primo rubent, poſtea liveſcunt, totus humerus ſtupet & friget, ac progreſſu temporis oboriri poteſt gangræna ſuffocato ſanguine; Adde his faſciam, & ſplenia, cum ſemper cuti, quam coſtringunt, adhærent, pruritus intolerabiles accidere, anſam arteriæ porrigentes vulnus dilatandi ſi fricanda pars aut ſcalpenda aut laxanda ſit ligatura: His omnibus ſymptomatis obviam ivi, ſtrangulationem venarum declinans, & pruritum, & viciſſitudines laxandi & conſtringendi ligaturas, in flexura brachij aut ejus longitudine faciendas; de his inferius verba facturus ſum; ſed prius quæ ſit natura Aneuriſmatis diſquiramus.

In genere Tumor eſt à ſanguine arterioſo ortus, qui aliquando contingit ab illius in vaſis ebullitione: Borbonij videre mihi contigit Matronam, Francicam Belgam, cui quinque aut ſex inerant Aneuriſmata longiuſcula; Borbonij malum in pejus abiit, Opportunius illi præſcripta fuiſſet aqua quæpiam ſtyptica quam calida & bituminoſa, ac ſolum piſces pro cibo venire debebant.

In corpore noſtro plurima Aneuriſmata interna generantur à ſanguinis æſtu: à me in corporum anatome deprehenſa ſunt, ac nominatim in Comite Caſtelli Villani, Duci Atrienſi, in quo duo corda adeſſe creditum eſt, revera duobus in locis pulſatio in pectore deprehendebatur, ac duplex cor animadverſum; alterum vero aneuriſma tantum fuit craſſiſſimum & carneum, in quo altera pulſatio percipiebatur: Hunc per ſexennium & vltra mihi Romæ videre contigit, ac demum Pariſiis prope Fanum D. Sulpicij, vbi illius ædes erant.

Intenſa vocis emiſſio Aneuriſmata aliquando parit in pectore & jugulo; à magnis enim conatibus arteria extendi poteſt & dirumpi; Ludimagiſtrum vidi Agendici, cui nomen Granjean, hominem robuſtiſſimum, cui à conatu in elevando manu ſiniſtra campanæ piſtillo, plumbea hæc & livida evaſit, varicoſis redditis cunctis venis: Eadem vis facile infertur arteriolis, cum earum extremitas ſimplici membrana conſtet, ſicuti in venis.

Vidi Equitem Digbæum, amicum intimum, egregium Philoſophum Chimiſtam, cujus præſcripta medica curioſa, typis mandata Pariſiis, à Trefelio mihi dicata fuere; Exortæ illi fuere venæ & arteriæ variciformes in tibiis

in tibiis cum pedum impulſu conaretur infringere fores ſepti ferarum, quibus Rex Angliæ adſtabat, quo cum venatum ibat: Forte contigit in eo occurſu vt tunica arteriarum media crepuerit, ipſa autem arteria admodum dilatata; tunc temporis tumor longitudinem arteriæ inſequitur, in extenſione vim patientis.

Maxime vero frequens & decantata Aneuriſmatis ſpecies ea eſt quæ ſequitur arteriæ diviſionem in venæ ſectione: Ego vero illud pro compertum habeo ejuſmodi Tumorem in arteria non conſiſtere: Generationem habet ab impulſu ſanguinis ex arteria prodeuntis, Res ſic accidit.

Chirurgus erroris conſcius, ac vbi ſe arteriam offendiſſe agnoſcit, ſtrictam inſtituit ligaturam in eo cuius læſit arteriam, ſpleniū albumine ovorum madefacit, illique addito nummo argenteo robur addit, quo pacto quinque integumenta paucarum horarum intervallo coaleſcunt & conſolidantur; tunc temporis ambæ vulneris, arteriæ inflicti, oræ, à pulſatione aſſidua verberatæ, neque coaleſcere poſſunt neque conſolidari eadem celeritate, cum præterea nervoſa ſit illius canalis ſubſtantia, tendinoſa, imo quibuſdam in locis fere cartilaginea, alba & dura: ſanguis per id vulnus ejaculatus, exiguum cavat foramen in membranis, vel aliis partibus vicinis; omnes enim noſtri corporis partes ſimul colligantur, quæ vbi earum inſtituenda diſſectio lacerandæ ſunt: fovea interna in exteriori parte eminentiam vel tuberculum facit, quod ſemper augmentum capeſſit, atque diducitur à continuo motu & affluxu ſanguinis eiuſque copia, at præſertim cum vulnus magis abſcedit, & ſanguis extra locum natalem compellitur, generantur quædam fibræ, quæ invicem coaleſcunt, atque contextum quendam avis nido non abſimilem faciunt, alio tegmine coopertum, carnem ſpongioſam & lienis parenchyma referentem, cujus extima pars durior & ſiccior eſt quam interior; hæc perpetuo contingunt in corpore humano, cujus partes illæ quæ vim patiuntur continuo ampliores evadunt, id quod comprobant peditum tabellariorum pedes, & manus artificium coactilitii operis.

Tumor ergo iſte cyſtin nanciſcitur ex carne ſpongioſa & ex fibris conflata: quamdiu exiguus eſt, vi impellitur ſanguis, eius enim impulſus vehemens eſt, cyſtidis fundum percutiens, at cum ad magnitudinem inſignem pervenit, obtunditur impulſionis impetus, eo quod ſtagnum trajiciendum ſit: Sanguinem illum in arteriam repellere licet, qui in reditu murmur obſcurum edit.

Perpenſa ergo Tumoris natura, non video cui vſui eſſe queant reſolventia & ſuppurantia medicamenta: à poſterioribus his poteſt perforari cutis, dum molliorem eam efficiunt: at vero hæc cutis vicem gerit faſciæ contentivæ & indolentis, non parum hic neceſſariæ:

Dilucidatio generationis iſtius Tumoris inutilitatem arguit plurimarum

futilium quæſtionum : Iuilletius, vir admodum curioſus negat arteriam duplici tunica conſtare, aſſerens vnica illam donatam eſſe, quæ dividi poſſit in viginti & plures pelliculas : Corpus arteriæ ſolidæ admodum texturæ eſt, vixque perrumpitur : Cyſtim tumoris Aneuriſmatodis quod attinet, conculcata & coacta videtur ad modum lanæ, vel pilorum ex quibus galeri conficiuntur : Multum temporis mihi conceſſum eſt vt meditatri mihi licuerit modum generationis Aneuriſmatis illiuſque augmenti.

Id quo affectus fui magnitudinem attigit ovi junioris gallinæ, Curationem obtinui intra anni ſpatium, tumor in dies minuebatur, ad plicato ſcuto rotundo, cuius lora non procul à cubito, ſupra & infra, ducta cohibebantur ope fibulæ clavi : Lora prædicta, exiguis foraminibus pertuſa, ad conſtrictionis vel relaxationis facilitatem, vacuum ſpatium concedebant redeunti ſanguini, ad cor emiſſo per venas, tanquam infra ponticulum : Scutum profunde arteriam contingebat, paucam ſuperficiem occupans, exiguumque pruritum inducens, cui obviam ibam ſcutum immergendo aquæ ſale imbutæ, in qua alumen vſtum diſſolutum fuerat.

Non eſt metuenda arctior arteriæ conſtrictio, cuius ambo parietes, nunquam ad vnitatem redeunt, neque coaleſcunt quamdiu perſtiterit tumor, hiatus ſemper remanet, vel via ab arteria ad tumorem : Sed ſi contigeret à vehementiori ſcuti compreſſione corpus arteriæ ibi loci conglutinari, ideoque ſanguini arterioſo in humero excurſum ſolitum prohiberi, nihil tamen inde periculi immineret, diſtributio enim ſanguinis nihilominus æqualiter fieret.

Adeo inſignis eſt ramorum arteriarum per brachium diſſeminatorum, maioris officio fungentium, vt exiguo temporis ſpatio copia ſanguinis arterioſi, ejuſque impulſio, dum diducuntur & ampliores illæ fiunt, in alia vaſa viam ſibi faciat ab abſolvendam circulationem, imo natura, neceſſitate vrgente, alias arteriolas generare poteſt, vel minores ampliare, antea viſum effugientes & propemodum capillares, quæ in amplitudinem extenduntur.

Id porro cuivis obvium eſt in iis quibus Lupiæ & Nattæ innaſcuntur inſignes, ſive in collo ſive aliis in partibus, omnes nam illæ præditæ ſunt venis & arteriis, ad illarum ſubſiſtentiam & augmentum neceſſariis.

In ægris, qui peritum medium nacti ſunt, & jacturam, vel diminutionem ſubſtantiæ hepatis alteriuſve visceris paſſi ſunt, illæ inquam jacturæ reparabiles ſunt, id quod Tractatu ſingulari oſtenſurus ſum : Neoteriſmus ille, aut nova regeneratio partium, aperte oſtendit inſignem induſtriam & fœcunditatem à Natura inditam corporibus viventibus, cujus ope diſtinguntur à machinis artificialilibus, quæ quotidie imminutionem patiuntur.

Si-

Si quis à me quæſierit, quo tandem abit id tegmen ſeu contextus, ſanguinem Aneuriſmatis continens, ſi quando hoc omnino ſanari contigerit, ac pars ad eundem omnino ſtatum redierit quem obtinebat ante inflictum vulnus? Reſpondeo id evaneſcere, tanquam ſpongiam vi compreſſionis à ſcuto factæ, id quod inde exprimitur influere in arterias; interim venulas quaſdam & arteriolas, quæ ſubſtantiam illius irrepſerant, non ſecus ac contingit in Nattaratione conſtrictionis, nullam percipere ſanguinis diſtributionem, adeo vt cyſtidis ſubſtantia nullum amplius alimentum admittens areſcat & diſſipetur.

Idem aliis in caſibus obſervare eſt, ac nominatim in vulneribus magnum ſpatium occupantibus, ob carnes ſpongioſas & tumidas illis adnatas, quibus plurima penicilla & turundæ indebantur, nihilominus cicatrix adeo exigua remanet vt vix poſtea veſtigia ſuperſint.

Inſignis vero illa tumorum reſolutio & diſſipatio admodum conſpicua eſt in iis qui hæmorrhoides paſſi ſunt, *Quibus podex dehiſcebat tanquam crude bovis*, Pars illa, quæ in immenſum aucta fuerat, & pondere grauis admodum erat, tandem ſubſidet, ac ad ſitum naturalem redit, reſolutione facta, ſedata fluxione & intemperie correcta.

Brachium, qua parte tumor enatus fuerat, nulla illius gerit in me veſtigia: Duorum annorum ſpatio in arteriæ totius corpore ſuperſtes fuit ſenſus, circa vulneris locum, quaſi conſtrictionis à ſpira, & cicatricis: Duritiem nunquam ceſſuram credidi, arteria enim ſubſtantiam obtinet nerveam & ſolidam, attamen diſſipatio omnimoda conſequuta eſt, ne ſuperſtite quidem cicatrice; In flexura brachij à ſcuto efficta erat fovea, at intra trium aut quatuor menſium ſpatium oppleta illa fuit, exiſtimo arteriolas & venulas humeri, quæ vices ſupplebant arteriæ læſæ, de qua verba feci, & in amplitudinem diductæ erant, coarctatas fuiſſe & in nihilum redactas, conceſſo meatu ſanguini arterioſo per canalem ſolitum, inſigni arteriæ trunco aperto manente & libero.

Hoc loco elegans quid obſervatione dignum occurrit, Dom. Mery, Chirurgus Vatanenſis, ſexcentis officiis in Noſodochio Hoſtel Dieu, Pariſienſis inſignis, qui innumeras obſervationes curioſas colligit, ſignificavit mihi arteriolas, quæ ſibi mutuo & proxime incumbunt, coniungi & inoſculari per anaſtomoſes; nec ſecus eſſe de venis, id quod in brachio manifeſte conſpicuum eſt.

Egregia eſt iſta obſervatio; at ille conſequentiam, falſam tamen, inde deducit, arterias per anaſtomoſes cum venis non coniungi, ſed tantum eo modo conjungi arterias cum arteriis, venas cum venis: Contrarium illi oſtendere, ſi admiſerit, paratus ſum: Oſtenſurus illi ſum arterias ſatis inſignes, eaſque vibrantes, ſanguinem contentum omnem in venam non pulſantem effundentes: Venæ illæ & arteriæ, de quibus agit, quæ

cum

cum aliis venis & arteriis inoſculantur, in idem officium concurrunt, imo vnica aliquando duarum officio, vrgente neceſſitate fungitur, cujus rei elegans hæc eſt demonſtratio.

Sereniſſimus Princeps Condæus catapulæ ictu læſus fuit in expeditione Hollandica, prætervectus Toluſium, glans plumbea læſerat arteriam quæ pulſationem efficit in brachio dextro, inciſiones in vulnere factæ, & cicatrix relicta dictam arteriam ſtrangulaverunt, adeo vt ſanguini neceſſe fuerit aliam ſibi viam parare, ac novum curſum inſtituere: ab illo intumuit inibi arteria tribus digitis inferius ſita juxta cubitum, quæ ad tantam amplitudinem pervenit, vt conſpicua ſit illius pulſatio, quo in loco exploratur pulſus ſi valetudine infirma fuerit Sereniſſimus Princeps.

Hanc in rem multæ mihi ſuppetunt Obſervationes, quæ ſpeciatim tractari deſiderant; hic vero Tractatus ſat amplus eſt: Nihil reſponſurus ſum ad id quod affertur de conſolidatione arteriæ ligatæ: Aſſerit D. Morellus pauciſſimorum dierum ſpatio illam perfici, abnuere nolō, ſed ſi ſcuti ope ſanatio obtineri queat, quis adeo amens vt permittat longa facta inciſione aperiri ſibi brachium? arteriam à carne liberari, illam conſtringi, atque cuncta prolixæ Chirurgiæ ope, dolorificæ, per quam æger in ſpaſmi periculum conjicitur, hæmorrhagiæ, ac tandem mortis? Sanius eſt ad ſcutum confugiſſe, quod auxilium nunquam inane eſt: Ac forte ij quos jactitant vti eſcharoticis lenioribus & ſecurioribus cæteris, ex induſtria in vſum ducunt clam adſtringentia, & faſcias comprimentes: Atque hæc eſt ſententia noſtri Conventus &c.

ZODIACI MEDICO GALLICI,

SIVE

Recens in Re Medica & Naturali Exploratorum.

Aprilis Anni 1681.

Observatio Prima.

D. DE ROY Saverdunenſis, Chirurgi Anatomici.

SIVE DISSERTATIO.

De Natura Liquorum in corpore humano contentorum.

VLtimo conventu de liquoribus in genere verba feci; Ideæ ergo à me propoſitæ inſiſtens initium, à chylo ducendam eſt, cujus naturam ſingularem exploraturus ſum.

Cum in animo non ſit prolixa verborum ſerie aures fatigáre, quicquid hac de re dicturus ſum quatuor capitibus præcipuis complectar, quæ ſtrictim explanaturus ſum.

Primum illius eſſentiam explicaturum eſt.

Secundum quæſtionem ventilaturum eſt, Num verum ſit chylum principium eſſe materiale cæterorum omnium Liquorum corporis noſtri?

Tertium deſignabit quomodo ſubſtantia, ſpecie tenus homogenea, in materias adeo diſcrepantes concludere poſſit.

Quartum eius proprietates tradicurum eſt.

Quoad primum, dico Chylum nihil aliud eſſe quam alimenta ipſa; quæ poſtquam levem quandam præparationem ſubiere in ore, ac demum in ventriculum detruſa ſunt, per quandam concoctionis ſpeciem dividuntur, diſſolvuntur ac in ſpeciem minutalis conciduntur, per omnimodam diſſolutionem vinculorum quorum ope illorum partes intime & ſine tumultu conjungebantur invicem.

Miſſam hic facturus ſum ſpeciem motus per quam in hanc partem detruduntur, nec non diſſolventia per quæ à ſe invicem abſcedunt; hæc enim ſi attingerem, multa præterea adducenda eſſent in medium ad rem meam non facientia, ſatis ſit dixiſſe, poſtquam partes alimentorum digregatæ fuere ope fermenti illi vſui dicati, liquidas illas & fluxiles evadere vſque eo vt ad pylori regionem vergant, ſucceſſive in inteſtina illabantur, ac tandem per cribrum trajiciantur, hoc eſt, foramina quibus eorum tunicæ ſcatent, quæ plurimi credunt nihil aliud eſſe quam orificia vaſorum lacteorum.

Quandoquidem ope fermentationum & filtrationum partes heterogeneæ à corporibus optime ſegregantur, eæ quas modo adduxi omnino chyli depurationi neceſſariæ erant, hoc eſt, ſeparationi partium craſſiorum commixtarum partibus illius homogeneis, quarum ratione ſe nobis exhibebat conſiſtentiæ lutoſæ quamdiu præparabatur, ſuperveniente autem dicta præpartione, ac poſtquam venas lacteas ſubiit, à nobis conſpicitur forma & conſiſtentia lactis.

Tradita jam rudi hac Chyli imagine, quæ tamen quadantenus ſatisfecit illorũ curioſitati qui de hac materia hactenus aliquid tradiderunt, alienum fore videtur vlterius in illius naturam inquirere, At cum à me conſtitutum ſit hunc liquorem originem præbere cæteris omnibus fluidis ſubſtantiis quæ in corporibus noſtris occurunt, opportunum erit inquirere num hæc propoſitio fundamento aliquo innitatur.

In dubium forte res revocari poſſet ſi in hominis corpore canales adeſſent & receptacula diverſimode conſtructa, nec interrupta, ad diſtributionem & ad præparationem alimenti, ſed cum nulla reperiantur quæ non conveniant inter ſe continuitate, ſtructura & vſibus, hoc eſt, quorum diſpoſitiones non in eundem conſpirent finem, hoc certũ eſt cum alimentũ adeptum eſt naturã chyli depurati, id tranſire in verã ſanguinis materiã ac proinde cæterorum omnium liquorum qui ex illius depuratione exſurgunt, quibus ea de cauſa fecundatiorũ aut dependentiũ nomen impoſui.

At porro hoc concedendum eſt non adeo facile eſſe colligere, quomodo materia, quæ nobis guſtui, viſui uniformis apparet, in ſua compoſitione includere poſſit ſubſtantias adeo alienas tum colore, tum dulcedi-

cedine ac conſiſtentia, cujuſmodi ſunt bilis, ſuccus parcreaticus, vrina &c.

Ad extricandam hanc difficulatem penitius res perpendenda eſſet, ac memoriæ mandandum, juxta tenorem doctrinæ Dom. de Blegny, alimentorum compoſitionem ſubingredi, ac proinde ſanguinis inde exorientis, quinque diverſas corporum elementariorum ſpecies, quas ipſe comprehendit nominibus terreſtrium aut alkalinorum, acidorum, liquidorum, æthereorum & igneorum.

Quæ corpuſcula quandoquidem in ventriculo aliam mutationem ſubire non valent quam diviſionem neceſſariam quo in vaſa deferri queant, chyli & ſanguinis natura alibi non quærenda quam in complexu & cohæſione dictorum principiorum; at in prædictis liquoribus adeo commixtorum & confuſosum, vt à ſenſibus noſtris nequaquam diſtingui valeant, priuſquam à ſe invicem extricata fuerint ope naturalis cujuſdam Chymiæ, hoc eſt, poſt eorundem factam analyſin, quærendam in filtris, ſanguinis depurationi dicatis.

Sed vt redeam ad proprietates ex congerie illa emergentes, hoc eſt, quæ in chylo deprehendi poſſunt, in vniverſa ſua maſſa conſiderato, dico illum eſſe album, liquidum, dulcem nonnihil craſſum: Album quidem, quia partes craſſiores alimentorum ab eo ſeparatæ fuere, ac ad craſſa inteſtina amandatæ; eæ vero ex quibus componitur, conſtructionem quandam & modificationem acceperunt, propter quas lucis radij in eas incidentes reflectuntur, (vt ait Carteſius) modo idoneo qui in cauſa ſit vt percipiamus vel deprehendamus qualitatem aut, quod in idem recidit, accidens Albedinis nomine donatum.

Dulcem autem, quia particulæ ex quibus conſtitutur, quantitatem proportione quadam dimenſam acceperunt, cujuſmodi deprehenditur in fructibus maturis, quibus juſta accedit modificatio, diſſipata à parte acidi & humidi in illis exuperantis; atque additione corpuſculorum æthereorum & aëreorum quæ Sol in eorum ſubſtantiam infundit.

Liquidum, paucis, eo quod plurima corpuſcula aquea eius compoſitionem ingrediuntur.

Nonnihil craſſum, quia præter liquida, quæ illius partem conſtituunt, multæ etiamnum adſunt particulæ ſolidæ, exempli gratia, terreſtria corpora illum componentia.

Obſervatio II.

D. SAVLSEII, Academiæ recens Exploratorum Socij, Chirurgi Iurati &c.

Hernia vterina graviditatis tantum tempore manifeſta, tandem lethalis.

VXor Piſtoris Bagnuſienſis, à quadrimeſtri gravida, ex caſu graviter læſa ad vmbilicum, quia impegit venter in ſtipitem ligneum quadratum: non diu poſt animadvertit tumorem Nattam referentem, paulatim incrementum ſuſcipientem, partus tempore magnitudinem pugni adeptum, ſed à lochiorum fluxu decreſcentem, quamobrem minus terrificus fuit ægræ, cum à partu omnino diſparuerit.

Sed accedente altera graviditate, exacto biennio, admodum territa fuit, num primis diebus emerſit idem tumor, qui deinceps adeo auctus eſt, vt tempore partus in magnitudinem capitis infantis increverit; Sed iterum excuſſus eſt illi timor, eo quod denuo poſt partum nulla ſui veſtigia exhibuerit: Accidit tamen vt initio tertiæ imprægnationis, quæ ſeſqui biennio circiter à ſecunda contigit, iterum exortus, circa non imenſis finem pedalem altitudinem excederet, ac in circumferentia, vt minimum, ad baſin (quæ totam regionem hypogaſtricam occupat, ac vmbilicalis maximam partem) binos pedes.

Porrò accedente partus tempore, illius comites dolores experta eſt, qui etſi vehementes, & crebrius vrgerent ad id tantum temporis momentũ exporrecti ſunt quo aquæ effluere cœperunt, illico enim ab illarũ exitu maxima copia erupit ſanguis, quæ quanquam inſignis, non potuit tamen orificium interius vteri reſerare quo concederetur tranſitus capiti infantis, etſi multum jam progreſſi, ratione indebitæ magnitudinis.

Eapropter ægræ conſanguinei meum auxilium imploravere; Sed cum in eo ſtatu verſaretur qui omne reſpueret; cum præterea indubia adeſſent indicia fœtus mortui, omniſque mihi præcinderetur ſpes alterutrum, matrem ſcilicet aut infantem ſervandi, aſſidentibus palam feci inique me acturum ſi manum crudelem operi admovendo matris interitum accelerarem: hoc vero in caſu ſatius mihi fore ſi obtemperarem mandato D. Thomæ, quo mulierem in graviditate morientem, immediate ab animæ exitu diſſeccandam præcipit, Id quod paulo poſt à me præſtitum, atque ſequentia vt adnotarem occaſionem præbuit.

Inciſis partibus continentibus imi ventris, latere ſiniſtro, atque eo in loco aperto vtero: illico prodiit materia nigra, fœtida & purulenta pituitæ

vnius

vnius menſura, poſtmodum detecto fœtu, obſervari ipſum in cavitate vteri duplicatum eſſe, adeo tamen vt ab ipſo formaretur totus ille tumor exterior pro Natta habitus, cujus nates partem magis eminentem referebant.

At vero nihil me magis in admirationem pertraxit quam magnitudo, ad quam pervenerat præ hac partis illius extenſione, eo enim exempto ex vtero, & dimenſo, numerati in illius altitudine viginti ſex pollices, donato craſſitie ad hujus proportionem, etſi ab aliquot diebus mortuum eſſet colligerem, eo quod epidermis excoriata eſſet, ſecundina autem adeo corrupta & putrida, vt putredo iam ſerpſiſſet ad vſque vteri partem cui annexa erat.

Cæterum, quandoquidem nunquam cuiquam dubium fuit quin membranoſę partes, ex accidenti, vltra dimenſionem naturalem præter modum extendi queant, nullus admirationi locus ſubeſt in hac muliere vterum extraordinariam hanc dilatationem paſſum eſſe, nulla ſubſequuta fibrarum ſenſibile diviſione, Sed non ſecus ac partes continentes naturaliter contentas in officio & ſitu continent, adeo vt nullam ex illis evagari omnino ſinant, quamdiu nulla acceſſerit vis externa, ita certum eſt ab vtero, ſimili in caſu, non potuiſſe induci tumorem peculiari modo circumſcriptum, quo tempore læſio contigit, niſi quæpiam partium continentium propriarum, aut ſaltem peculiariter peritonæum, quoad propriam ſuam ſtructuram divulſum fuiſſet, ac eo modo vtero conceſſiſſe ſpatium ad quod vltra ſtatutos limites deferretur, hoc eſt, penetraret locum iſtius dilacerationis.

Suppoſita autem hac circumſtantia, facile eſt cæteras quas hæc hiſtoria continet explicare, quandoquidem extra ordinem naturæ non accidit quod peritonæi diviſio (quæ proculdubio initio exigua admodum fuit) augmentum aliquod ſuſceperit in priore graviditate, majus in ſecunda, ac tandem inſigne in tertia; quandoquidem in ſingulis imprægnationibus circumferentia illius diviſionis ab vtero ſemper occupata fuit, qui extenſionem vlteriorem ab augmento fœtus admittere non potuit quin, eodem tempore amplius dilataverit circulum membraneum quo tunc cingebatur: Itidem ſtatuere licet tertium fœtum eo majus incrementum capeſſere debuiſſe, quod tunc temporis hiatus peritonæi admodum inſignis eſſet, ſiquidem vtero nullum amplius occurrebat ad extenſionem ampliorem impedimentum: Atque hinc proculdubio deducenda cauſa obitus fœtus, ob ruptionem inevitabilem fibrarum ſecundinam componentium, ac proinde illarum quæ ſitæ erant in parte vteri contigua cui adnectebatur: his adde hæmorrhagiam vterinam ſupervenientem, & ſymptomata varia partum impedientia, nulli remedio locum concedentia, mortis cauſam immediatam.

OBSERVATIO III.

Dom. CLERICI Medici Compendienſis.

Puella ſine cerebro nata.

NOb. mulier viginti ſeptem circiter annos nata, viro pluſquam ſexagenario deſponſata, ſed generoſo & robuſto, paulo pôſt matrimonium gravida facta eſt: circa ſextum imprægnationis menſem variolis fœdata fuit, vbertim erumpentibus, cum febre continua intenſa, maligna: Quindecim dierum ſpatio his omnibus defuncta eſt, quibus exactis puſtulæ iterum diverſis in corporis partibus erumpunt, repetitiſque vicibus, ſed citra graviora accidentia: Vbi tandem perfectam adepta eſt valetudinem ac fœtus ad maturitatem venit, puellam feliciter enixa eſt, quæ in lucem exiit ſine ploratu, mammam non ſugens, tantum lacte ſuſtentata, pauculo vino & ſacharo per quinque dies.

Alphonia illa perpetua, motus & ſenſus privatio in toto corpore, ſed præſertim tumor capiti ab ortu innatus, conſiſtentiæ flaccidæ & fluidæ circa futuram coronalem, quæ hiare videbatur, Hæc inquam omnia nobis cupiditatem dederunt vlterius in cauſas ab obitu inquirendas: Id quod ſedulo à nobis præſtitutum.

In tota cranij capacitate nihil præter aquam limpidam deprehendere licuit, omnino adimplentem membranas, nullo præſente cerebro aut ſubſtantia ſolida: Ejuſmodi prodigium in admirationem ſummam nos pertraxit, exiſtimatumque rem adeo novam & extraordinariam celandam non eſſe, quin potius Academiarum Doctoribus communicandam.

Quandoquidem vero innotueram Domino Vallotio, Primario Regis Medico, erudiſſimo & rerum novarum curioſo, hiſtoriam ad illum perſcripſi: obitus autem illico ſequutus reſponſum intercepit, atque hactenus res ſilentio involuta.

DISSERTATIO

In præcedentem hiſtoriam.

Dom. DES-NOVES Academiæ Eruditorum Socij.

AD Phænomeni iſtius explicationem, ſi bene judico, diſtinctio adhibenda eſt vſuum cerebri in Neceſſarios & Vtiles: Priorum nomine illos audio per quos quædam functiones animæ abſolute & ex neceſſitate

funt:

fiunt : Poſteriorum autem eos per quos operationes animales perfectiores nobis adparent : Quæ geruntur circa ſenſum communem, rationem, memoriam, & imaginationem, ea pertinent ad vſus neceſſarios : Procul enim dubio ſi organica cerebri diſpoſitio eovſque immutata fuerit, vt omnino inepta evadat receptioni figurarum quas anima in eo delineat, ejuſmodi obitura operationes, ipſa nunquam idonea futura eſt edendis effectibus inde oriundis.

Itidem id quod geritur circa filtrationem & diſtributionem ſpiritus in exemplum venire debet vſuum vtilitatem tantum præbentium, extra enim dubium eſt ſi cerebrum rite conſtitutum ſit, ſpiritus illos ſubtilius filtrari ac majori copia diſtribui : Sicut & hoc certum eſt cum illius ſubſtantia ex toto aut parte conſumpta eſt, ſatis eſſe ſi cæteræ partes, quæ intra cranium continentur, atque intra ſpinam conſtitutionem ſuam nativam ſervaverint, ad jugem & perennem actionum animalium motum, etiamſi tunc temporis imperfectius edantur.

Ex his duo non parvi momenti inferre mihi liceat ; Primo, ſi cerebrum ex toto conſumptum fuerit, aut quoad maximam ſui partem, hominem neque ingenio neque iudicio pollere ; aſſertionem comprobante exemplorum multitudine, quæ cuncta referre eo inutilius foret, quod ad rem præſentem nihil faciant.

Secundo (id quod maxime mihi perpendendum incumbit) cum cerebrum eo modo conſtitutum eſt, motum qui vitæ principium eſſe videtur nihilominus continuum eſſe & in ſanguine & in partibus ſolidis, dummodo nulla immutatio contigerit in ſtatu naturali meningum, medullæ productæ ſpinalis ; & nervorum.

Ad rectam hujus propoſitionis intelligentiam, id primo adnotandum eſt, aërem ad animalis vitam ea tantum ratione neceſſarium eſſe, quod intra ſui particulas contineat ſpiritum illum vniverſalem, quem multi vocant Animam mundi, qui in nobis motor eſt, aut vt potius dicam, actionum omnium noſtrarum immediatum principium.

Secundo, ſatis illi eſſe ad impulſionem ſanguinis ipſum à pulmonibus admiſſum fuiſſe, atque inde in cor deferri : Ad nervos vero vt transferatur, ac vt partibus ſolidis motum conciliet, ex neceſſitate depurari debere, hoc eſt ſegregaria corpuſculis elementaribus, ſanguineam maſſam conſtituentibus, alias futurum vt agitatio neceſſario impetu deſtitueretur.

Tertio, cerebrum nonnihil conferre illi depurationi, quia illius ſubſtantia cineritia & corticalis glanduloſa eſt, at multuo perfectius illam obiri in glandulis piæ matris, ſicuti id ſæpius à me demonſtratum eſt in Academia noſtra, atque data occaſione id ipſum oſtenſurus ſum.

Quarta tandem, partes illius ſpiritus, poſtquam filtratæ fuere per prædictum

dictam membranam, deinceps cohiberi & colligi à dura meninge, quæ eapropter condita eſt leniſſima & compactiſſima, vnde circulariæ intra duas dictas membranas occaſionem nanciſcuntur ſubeundi orificia nervorum, inde deferendæ in ſingulas corporis partes, per quas hæ obtinent facultatem motricem, vitæ præcipuum fundamentum.

Ex his enim ſuppoſitionibus inferendum eſt ſpiritus animales, non concurrente cerebro, ſat perfecte filtrari poſſe, ſufficienti copia diſtribui ad ſubſiſtentiam animalis viventis; medullam autem ſpinalem, & medullam elongatam, quæ proprie nihil aliud eſt quam illius productio, multo majoris eſſe momenti quam cerebrum, ſi ſcilicet ſolummodo vita ſpectetur.

Prior harum circumſtantiarum ſufficienter comprobatur à re ipſa quam explanandam ſuſcepi, adeo vt neceſſe non ſit hic afferre exempla quæ apud authores proſtant: Poſterior autem confirmationem accipit à quibuſdam obſervationibus, nequaquam curioſitatis cauſa prætermittendis.

1. Si pluribus mallei ictibus concutiatur caput bovis, variiſque in locis, non tamen vita privatur; à minori vero atque vnico vettici inflicto, illi ſcilicet loco in quo ſpinalis medulla intra cerebellum elongari incipit, productiones ſuas ad cerebrum vſque delatura, illi animali illico necem infert.

2. Vnico virgulæ ictu eodem loco equus percuſſus, adeo percellitur & ſtupeſcit, vt vix progredi valeat, imo vix ſtare.

3. Si pede collum felis vel leviſſime comprimatur, atque cohibendi tantum cauſa, eodem tempore retrahatur cauda, multo citius & certius interficitur quam ſi mille ictibus caput contuſum fuiſſet.

4. Cani, vel feli, abſtrahi poteſt cranium, imo plurima demi cerebri ſubſtantiæ portio abſque vitæ jactura; ablata autem vel tantilla medullæ ſpinalis portione, illico & ſine ſpe concidit.

5. Tandem coqui, qui citra laborem & cito grandiores piſces interimere volunt, ſola ſpinæ levi contorſione vita illos privant.

His perpenſis, ex mea ſententia cerebrum dicti infantis conſumptum fuit à vi ſuccorum, acrimoniam quampiam adeptorum, quo tempore mater variolis laboravit; quæ acrimonia quod ſatis non habuerit activitatis vt vitiare voluerit duram & piam meninges, nervos & ſpinalem medullam, neque medullam productam, quæ ejus partem conſtituit, hinc factum vt vita & augmento frui in vtero matris potuerit: imo credibile eſt vitam vlterius produci potuiſſe niſi flacciditas & marcor acceſſiſſent.

Aquas autem in cranio collectas & concluſas quod attinet, cenſendum eſt illas ortum habuiſſe partim ex phlegmatis ſeceſſu & ſpirituum depu-

ratione

ratione, partim ex ſolutione continui quæ vaſis accidit lymphaticis quo tempore conſumptio cerebri contigit: quibus addere liceat humectationem ab ipſis inductam partibus à me dictis, marcorem prohibuiſſe, atque citiorem exſiccationem.

Observatio IV.

D. FOVRNEAV Chirurgi Loudunenſis.

Ilei inteſtini inſignes portiones ablatæ mulieri ſuperſtiti.

MVlier vteri procidentia laborans, neſcio cujus ſuaſu malum aurantium majus forma peſſarij in vaginam intruſit, ſed per incuriam cum diutius ibi illud detinuiſſet, nec per intervalla eduxiſſet vt recenti locum cederet, plurimis ſuperfluis humiditatibus imbutum eſt, ibique corruptionem ſubiit, adeo vt ægra impatienter moleſtiam inde enatam ad tempus tulerit, ſed tandem maximis adhibitis conatibus ad id extra pellendam, herniam inde completam contraxerit, cum ſtrangulatu.

Dolor recentem hanc ægritudinem conſequutus cum ægram ſæpe impelleret ad manum ſupra tumorem deferendam, tentatura num forte partem elapſam ad interiora valeret retrudere, illuc tantam vim humorum convocavit, atque tam vehementem inflamationem acceſſivit, vt cum vocatus fuiſſem vna cum duobus Medicis ad illi opem ferendam, mali magnitudo terrorem nobis incuſſerit: nec tamen prohibuerit quin, præmiſſo prognoſtico, tumorem aperuerim adhibitis præcautionibus neceſſariis.

Qua apertione peracta magna prima die copia profluxit materia fœtida, quam vix excepit ingens pelvis: tam vero fœtida vt vix odori ferendo pares eſſemus, Poſtridie autem portio Ilei ſemi-vlnæ vt minimum longitudinis, gangræna per totã longitudinẽ obſeſſa ſe extulit, à reliquis inteſtinis ex parte ſeparata, omnino ex altera, quamobrem diviſio omnimoda à me forficum ope inſtituenda fuit, ne quid ad interiora retruderetur quod in exitium cætera pertraheret.

Res vero vlterius perducta eſt, poſtridie portio dicti inteſtini, ejuſdem longitudinis, obtulit ſe hiatui tumoris, omnino a reliquo divulſa, gangræna ſicuti prior infecta, adeo vt nemini poſtmodum dubium fuerit affectus lethalis omnino fuerit necne, ſicuti jam ante prædixeram.

Interim quum mearum eſſe partium crederem lethum imminens quantum in me eſſet differre, vnoquoque trihorio manus medicas loco affecto admovi, vſus injectionibus detergentibus: Nec me abiterruerunt ab ope

re tria foramina à ſanie inducta, ſupra vulvam, exitum fæcibus alvinis concedentia, vel gangræna cutim inficiens, ac regionis hypogaſtricæ partem ad magnitudinem manus occupans, nam partem gangrænâ obſeſſam abſtuli, partim ope remediorum partim ſacrificationum.

Accuratæ deterſioni foraminum, podicis vices gerentium ſtudui, quæ cuncta adeo ad votum ſucceſſere, ut exacto bimeſtri à ſuſcepta curatione, alvi excrementa priori & naturali viæ inſiſtere inceperint, nulla alia ſuperſtite in ægra moleſtia, quam quod inſigne murmur in abdominis cavitate perciperet cum deſidere neceſſe erat; Hiatus in tumore factus, ac cæteri paulatim cicatrice obducti fuere; ægra autem utcunque tranquilla per triennium vixit, exercitiis ſolitis incumbens: ſed poſtmodum apoplexia tacta in paralyſin incidit, quam excepit vita languida, ad mortem paulatim me inſcio illam deducens; quamobrem ſpe excidi cognoſcendi qua ſagaci induſtria Natura adeo inſignem vaſtationem inſtaurare potuerit.

Observationes

In præcedentem hiſtoriam.

Hiſtoria hæc, cujus circumſtantiæ fere fidem excedunt, quam authoris obitus incertam reddit, veriſimilitudinem tamen obtinet ex ipſius autographo, cui præterea aſſenſum præbet, teſtimoniumque perhibet Dom. Fourneau filius, Pharmacopœus Regius Pariſienſis: Minus forte dubia evadet hiſtoria, quanquam omnino extraordinaria & ſtuporem pariens, ſi ad ea animus advertatur quæ in ſequentibus Ephemeridibus tradenda ſunt de totali inteſtinorum ſectione, in quodam qui adhuc eſt in vivis, huius Urbis adhuc incola.

Alibi à me traditum Inteſtina præciſa, vel ſolutionem continui paſſa, non coaleſcere, ſive rotundæ figuræ illa fuerit, vel tranſverſim inflicta, vel cum deperditione ſubſtantiæ, attamen ejuſmodi ſolutiones aliquando reparabiles eſſe, cum loca, quibus acciderunt, coniungi poſſint, adpoſitione facta ad alias partes, quæ mediante hac conjunctione ſupplent defectum ſubſtantiæ amiſſæ.

Confirmationem accepit doctrina hæc à D. à Parco, Chirurgo ordinario Domus invalidorum, qui diſſecans bina cadavera, quibus cicatrices inerant in imo ventre, obſervavit dictas cicatrices ad inteſtina ipſa pertingere, peritonæo adhærentia & muſculis abdominis, qua parte inflictum vulnus fuerat.

Ex prædictis obſervationibus, quoad rem præſentem, colligere licebat minus

minus rationi conſonum eſſe ambas extremitates inteſtinorum , vage errantes per cavitatem ventris ægræ , coadunari potuiſſe modo idoneo qui effingere potuerit canalem eadem continuitate donatum quam ante obtinebat ; ſed saltem contigiſſe vt oræ vtrinque proximæ factæ ſint , adeo vt mediantibus membranis meſenterij , peritonæi , ac forte epiploi , inter illorum orificia formata ſit cavitas circularis , idonea excipiendis fæcibus ex portione ſuperiori inteſtinorum , quas poſtea infuderit in inferiorem abſque vlla eff.ſione , ea propemodum ratione qua res accidit circa Coecum inteſtinum, atque inde veriſimiliter deducenda ratio eſt murmuris percepti , de quo ſuperius actum eſt.

Cæterum ex prædictis apertum eſt ſi Ars præſidia quædam levia ſuppeditat ad ſupplenda deficientia , à Natura hac in re illam multo ſuperari , ſi modo induſtria accedat quæ illam in inſtituto juvet , arceatque mala à quibus in opere diſtrahi poteſt.

Observatio V.

Dom. COMERII Theologiæ Doctoris, & Matheſeos Profeſſoris Pariſienſis.

De Balneis mineralibus Borbon. Anſelmienſibus & admirandis facultatibus Aquarum prædictarum Thermarum.

NOnnulla de admirandis effectibus aquarum mineralium Borbonenſium Anſelmienſium ex officio dicturus ſum, quarum egomet analyſin inſtitui anno 1667. cum ab vſu earum miraculi fere inſtar , evaſerim periculum imminens à perniciosſimo veneneo & penetrantiſſimo exhibito , ejuſdem commatis cum illis quæ veneficus ſceleratiſſimus Sancta Crux, ejuſque ſequaces præbere ſoleut.

Vrbs Borbonium Anſelmium ſitum habet ad extremos Burgundiæ fines, quarta leucæ parte à fluvio Ligeri , quindecim ſupra Noviodunum , ſex autem procul à Molinis.

Ex Provinciæ Statuum decreto; poſt menſem Iunium, infra Balneum Regium tria alia Balnea , ad duodecim pedum altitudinem obruta & occulta mundari juſſerunt ; quorum medium deprehenſum eſt obtinere quinquaquinta duos pedes altitudinis , & quadragintæ duos latitudinis ; Alia duo Balnea quæque habent quadraginta duos pedes capacitatis in lon-

gitudine; latitudo autem vniuſcuiuſque eſt ſolummodo viginti ſex pedum; præciſe ſcilicet media pars quinquaginta duorum pedum latitudinis Balnei mediani, à cujus latere diſtinguuntur mediante pariete ex lapide cæſo conſtructo, quinque pedes craſſo: Vbique cuncta inveſtiuntur, nec non pavimenta & gradus, tabulis marmoreis Carrarienſibus, plurimis in locis obviis, præ ertim in minore Balneo à parte orientalis quod præ cæteris integritatem ſervavit, & vbique fere marmore incruſtatum ſe exhibet.

Supra vnum ex altaribus Balnei, à parte orientali, reperta eſt ſtatua marmorea trium pedum & ſemiſſe longitudinis.

Circumcirca tria prædicta Balnea occurrerunt canales ex lapidibus cæſis, latis, profundi, confectis, aqua frigida, limpida, imo potabili repletis Vnde inferre licet alia præterea adeſſe Balnea in quæ deducebatur aqua è rivulo vicino, aut alia aqua è fonte ſcaturiente; vel maxime quod à ſcaturiginibus aquæ calentis, vſque ad locum in quem aquam invehunt per ampliorem canalem (non minus in ſtructura mirandum quam materia) numerantur centum quadraginta decem pedes aut octingenti nonaginta quatuor pedes.

Intra dictum canalem evacuatorium, præter Balneum Regium & Balneum pauperum, tria prædicta Balnea diſcooperta, nunc obſervantur vndecim ſpiracula, duo fontes frigidæ, ſeptem calidæ, quorum receptacula tota ſunt marmorea.

Septem dicti fontes aquæ calentis differunt à ſe invicem gradibus caloris; limpidiſſimi ſunt omnes, levitate cum aqua pluvia certantes, non minus potabiles quam optima fontana omni, ſapore & odore deſtituti.

Egregiæ illæ dotes in cauſa fuere vt Henricus tertius illas cæteris omnibus quæ in Gallia reperiuntur prætulerit, quamobrem primam inſtaurationem inſtituit anno 1580. directore D. Miron Primario illius Medico: Inſtaurationem continuari juſſit Henricus IV. qui priſtino nitori Balnea dicta reſtituere inſtituerat.

Si veſtigia antiquorum adeo ſplendida ſunt, vt tota Europa nullum monumentum illis æquiparandum videat, vires aquarum inferiori non ſunt loco: actu admodum calent, nec tamen ab illarum vſu interiora corporis incaleſcunt: ac proinde aquarum illarum potus ardores temperat, eo modo quo juſculum calens portulaca alteratum: Humectant & ſitim ſedant illico, multo certius quavis ptiſana refrigerante.

Subſtantia conſtant ſubtiliſſima, quia imprægnatæ ſolo mineralium ſpiritu, illis vim afflantium; eapropter naturæ amiciſſimæ ſunt, ventriculo ac partibus œconomiæ nutritiæ dicatis penetrant, detergunt, mundant om-

nes

nes obſtructiones ſolvunt , ſingulas partes corroborant ; caloris illarum nativi inſtauratione, ſingulis priſtinam temperiem reddendo.

Fluxum prætereaquemcumque compeſcunt.

Cum porro Balnea diverſæ temperaturæ ex iis componi poſſint , ac vniuſcuiuſque individui conſtitutioni accommodari , nullus non morbus exterior , vel habitus corporis , illarum efficaciæ non cedit , ſi pauciſſimos exceperis.

Denique egregiæ facultates aquarum calidarum mineralium Borbonenſium ad Anſelmium , ſcaturiginum multiplicitas , amplitudo & ſtructuræ magnificentia,faciunt vt primas inter Europæ aquas minerales teneant.

Sat celebrant veteres , decus immortale , ruinæ.

ZODIACI MEDICO GALLICI,

SIVE

Recens in Re Medica & Naturali Exploratorum.

Maivs Anni 1681.

Observatio Prima.

Seu Epiſtola ad Authorem.

D. MORELLI, Chirurgi Noſodochij Charitatis.

Circa Aneuriſma conſiderationes.

EX epiſtola D. Royerij, Chirurgi Sereniſſimi Principis Condæi, perſpectum mihi eſt exquirere ipſum à me ampliorem dilucidationem de natura & cauſis Aneuriſmatis, cui in præſens ſatisfacturus ſum: Teſtis es obſervationum à nobis emiſſarũ de cura ejuſmodi Tumorum, ac proculdubio meminiſti, quibuſdam in conſiderationem prius adhibitis, apud nos ſtatutum fuiſſe, vbi de re ſingulari agitur inutile eſſe in medium quicquid in genere de ea re enuntiari potuit attuliſſe, cujus criminis rei ſunt qui ραψωδίας tantum emittunt, ab Illuſtr. D. Bourdelotio merito in Epiſtola ad primarium Regis Medicum conſcripta, Ephemeridibus Eruditorum inſerta, increpati: Nec mirum eſt ipſum non abs re conqueri quod tot Logiatri reperiantur Pariſiis, qui à tot annis nihil cumulo addiderunt, laborantes vitio quod omnino

nino

nino declinare ſtuduimus : Artis peritiſſimi quique ne indictum ſcopulum impingerent caverunt.

At vero id mirum quod D. Royerius omnino alio vergat, atque in animum inducat neceſſe mihi fuiſſe, tradituro tres vel quatuor obſervationes, aut canones circa Aneuriſmatis curam, afferre illius etymologiam, definitionem, differentias, cauſas & ſigna ejuſmodi tumorum : Revera ſi has obſervationes deſcripſiſſem in gratiam tyronum, & eorum quibus ignota ſunt principia Medicinæ & Chirurgiæ, officii fuiſſe mei credidiſſem rem fuſius explicaſſe; at vero ſi hoc rationi quadamtenus conſentaneum eſt, viceverſa ludibrium proculdubio deberem rem minutius perſtringens, quandoquidem mihi cum artis peritis tantummodo agendum ſit : Annon, quæſo merito cum illo expoſtulandum eſſet quem laterent ea quæ à minimis ſcriptoribus fuere tradita, in ſcholis toties decantata, imo à me publice in collegio Medicorum Pariſienſium per annos quindecim, vt & cæteris Profeſſoribus publice propoſita ſunt ?

Praxeos eadem ratio non eſt, nam cum hæc ab exercitio perfectionem obtineat, Obſervationes ſingulares à peritiſſimis gratiſſime excipiuntur, ac de iis veriſſime enuntiare poteſt legitima illas eſſe medendi artis fundamenta : In Medicina vltro citroque de hypotheſi quapiam diſſeratur, futilis futura eſt quæcunque ratiocinatio niſi concinat experientia: Experimenta autem nunquam fructu carent ſi nobis ſuppeditaverint vtilia ad morborum curationem præſidia, etiamſi rationem contrapugnantem habitura ſint; atque eapropter exiſtimavi ſtrictim à me ſcribendum de Aneuriſmate, & quid circa illius affectus curationem à me obſervatum fuerit.

Doleo vicem D. Royerij quod novis documentis illi opus fuerit, id mihi ſi innotuiſſet tacitam operam lubens in id navaſſem in id etiamnum paratus, ſed ſciat velim me res tritas & vulgatas pro recens exploratis depromere non velle, cujuſmodi eſt doctrina de Aneuriſmate : repetat illas ex libris Chirurgicis, vbi Tumorum doctrina & curationum illis convenientium exhibetur : illud præterea noverit me ſemper præſto fore dilucidandis difficultatibus obviis, dummodo id fiat viva voce, quandoquidem quæ chartæ mandata ſunt perperam interpretatur, ac tam ſiniſtre rem chartæ conſignatam interpretatus eſt, alioquin nequaquam obſcuram.

Revera, vbi mihi objicit ignotam illis eſſe naturam Aneuriſmatum, qui ad illorum curationem vtuntur ſuppurantibus & reſolventibus, nunquid cujvis obvium eſt ipſum rem omnino nitidam obſcurare? cum enim aſſerui ejuſmodi tumores neque ſuppurantibus neque reſolventibus cedere, curationem tamen aliquando tentari per ſuppurantia & reſolventia, quia deſint certa ſigna quibus agnoſcantur cum in majoribus neque pulſatio neque fluctuatio deprehenduntur, nunquid in medium protuli rem

omnibus

omnibus conceſſam ; ab ipſo D. Royerio acceptam eodem tempore quo ipſam refellere conatur ?

Sed etiam ſi non admitteret, non minus tamen vera eſſet ; Hippocrates, omnium judicio maximus inter antiquos Medicos rerum obſervatorem nitide explicat aphor. 41. ſect. 6. *Quibus (ait) ſuppuratio aliqua in corpore abdita non innoteſcit, iis propter craſſitudinem vel puris vel loci deliteſcit :*

Puris enim vocabulo intelligit author quodvis humorum genus, quod mutatione loci & conſiſtentiæ naturæ grave eſt, atque eapropter in diuturnis ſuppurationibus in apertum veniunt aneuriſmata, ſub pure occultata ante quam hujus concoctio facta fuerit.

Experimentum à me productum factum in Domina à Longueil, coram D. Courtois D. Medico Facultatis Pariſienſis, D. Tourberio & Bertrando Mag. Chirurgis Iuratis, rem vlterius confirmant ; Tandem, vt plurima alia prætermittam quæ moleſtum eſſet recenſere ; concedo quæſo rem tibi enarrem, cujus teſtes habeo Dom. Tanqueret, primarium Chirurgum Seren. Fratris Regis, & D. Dalencé, Iannotium, & Corbeau Chirurgos Iuratos.

Apparitori Curiæ arteria brachij læſa fuit ab inepta venæ ſectione : Chirurgus erroris proprij ignarus, ſolummodo cohibuit ſanguinem arteriæ compreſſione non facta, Pars in tumorem paulo poſt elata eſt : Affectus in conſiderationem venit, & menſis ſpatio curatus tanquam ſimplex humoris in partem influxus, ſed perperam ; Cum moleſta eſſet ægro hæc tumoris pertinacia, is me accerſendũ curat : Manu admota deprehendi præter materię fluctuationem quandam, pulſationem obſcuram, quæ mihi aneuriſmatis ſuſpicionem intulit : Chirurgi pertinacia in contrariæ ſententiæ aſſertione, in cauſa fuit vt præcautionem adhibuerim : Alios in conſilium adhibui, Chirurgi à me ſuperius nominati convocati etiam fuere : conſenſere illi mecum tumorem aperiendum eſſe ; apparatum autem aneuriſmati dicatum præſto eſſe debere ſi neceſſitas ingrueret : Apertio coram illis facta viam fecit inſigni copiæ materiæ purulentæ, ac in apertum protulit ſanguinis grumum arteriæ diviſionem obturantem, hinc poſtmodum affatim exiliit ſanguis quouſque præſidiis ordinariis repreſſus eſt.

Quod vero contemptim habeat D. Royerius methodum à me propoſitam in curatione recentium aneuriſmatum, ſolam admotionem ſpleniorũ & faſciarum, vix capio quo fundamento innixus illam improbet ; nam etiamſi in medium protulerit rem ſibi incognitam non afferri, id ſaltem certum eſt plurimorum cognitionem ſubterfugere potuiſſe, neque opinionem nobis facit ſingularis hac in re peritiæ, quandoquidem ipſemet confitetur à ſe adeo arcte conſtrictum fuiſſe brachium Dominæ à Pontoiſe, vt ligaturæ ſucceſſerit fluxio, ipſi magis metuenda affectu cui manus medicas afferre volebat ; Atque proclive eſt hariolari ipſum ſubintelligere

partis

partis necroſin, perpetuo ſubſequi ſolitam cum ſtrictioribus factis ligaturis commeatus ſanguinis & ſpirituum intercipitur; id quod & ibidem contingit in vitioſa conformatione fracturarum, ſi faſciæ ex methodo circumductæ non fuerint: Quæ res apertum facit vnicuique neceſſariam eſſe propriam experientiam, aut ſaltem recto judicio opus eſſe vt in vſum veniant obſervationes al æ.

Sed quo facilius percipiat D. Royerius quid interſit diſcriminis inter Chirurgum experientia fretum, & Chirurgum theoreticum, enarrabo quid nuper acciderit inter me & Dominum Abbatem Bourdelotium, cuius genius & ingenium tibi perſpecta ſunt; proculdubio is artem Medicam ad ſummum perfectionis culmen evecturus eſſet ſi ratiocinationes ad illam via eſſent; ſed neſcio quo fato quæcunque omnino inde dependent dubitationis aleæ ſunt expoſita, quovique ab experientia fidem obtineant; imo pro abſolute falſis accipienda ſunt cum illi adverſantur: Id quod plus nimis familiare eſt iis qui nulli alii fundamento innituntur quam hypotheſibus, ſyſtematibus & ratiociniis, manum operi non admoventes, plurimum enim illi à recto aberrant, etſi cæteros fidem ſibi adhiberi velint & iis quæ commenti ſunt.

Id quippe contigit Domino Abbati Bourdelotio, qui me conſcium eſſe voluit mentis ſuæ quo tempore vna cum illo verſarer in ædibus Condæis ſanguinem miſſurus Sereniſſimæ Principi: Acri ille fretus judicio animadverterat in vlceribus adeſſe acre quoddam diſſolvens cujus motus inhibendus foret, atque obtundendi aculei admoto quopiam leniente; eapropter ratus eſt fruſtū carnis vitulinæ crudæ adplicatum excellenti fore remedio; conjecturam hanc ſuam tanquam arcanum eximium mihi propoſuit, cujus ope in ſummum Chirurgum evaſurus eſſem cui parem Europa non ferret; atque inſigni verborum energia ad experimentum me impulit in Noſodochio Charitatis, ſed res infauſte & illi & mihi ſucceſſit, neque eventus votis reſpondit, ab humiditate enim carnis vitulinæ in tantum adaucta eſt vlcerum putredo, vt ægri quaſi veneficio infecti in diſcrimen vitæ adducti fuerint, ac cadaveroſa illa medicamina miſſa facienda fuerint, locum factura remediis ordinariis.

Ex his colligere eſt quantum experimenta præſtent mentis & phantaſiæ partubus, ac ſatius eſſe aliquando res conciſius tradere quæ praxim ſpectant quam evagari ideas chimericas, nulli vſui futuras afferendo &c.

Observatio II.

D. PRIOVX, Chirurgi Illuſtr. Marchionis à Sillery.

Manus inſigne vulnus curatum.

PRæ manibus habeo quendam a decennio laborantem ingenti vulnere tranſverſim inflicto toti parti interiori manus ſiniſtræ, conculcatæ à trochlea torcularis, tendines enim muſculorum flectentium, ſublimis & profundi quatuor digitorum contriti fuere & lacerati; medij vero ex parte diſciſſi: Balſamus viridis Dom. Feuilletij, quem parare ſoleo juxta methodum F. Wirtzij, cum viridi æris vnicum eſt remedium quo vtor ad curationem iſtius vulneris, ſuperaddito ſolummodo Emplaſtro idoneo ad juvandam illius vim: Vir ille (qui valetudinem fere omnino adeptus eſt) neque dolorem expertus eſt, neque fluxionem, neque vllum omnino ſymptoma, imo vix ipſa ſuppuratio ſenſibilis fuit.

Observatio III.

Ejuſdem.

Hæmorrhagia vterina vehemens repreſſa.

MVlier quædam a vi externa circa octavum graviditatis menſem, illico hæmorrhagiam paſſa eſt, quæ me ad partum accelerandum impulit, vt ſaluti illius & fœtus ſimul conſulerem: id quod tam feliciter ſucceſſit, vt fœtum vivum eduxerim, atque illico à partu fluxus ſanguinis deſierit, adeo vt nulla alia vacuatio ſucceſſerit quam Lochiorum ſolita: Sed cum præ impatientia decimo quinto à partu die lecto valedixiſſet, meis mandatis non obſecundans, hæmorrhagia denuo ingruit, tanta vehementia vt ſatis cito in auxilium adeſſe non potuerim & opem ferre per præſidia ordinaria, adeo vt in agone illam conſtitutam nactus ſim, omnino deſperatam: nonnulla tamen remedia cum libuiſſet experiri, in mentem mihi venit, & quidem fauſte, injectio iterata in vterum per exiguum metrenchyten, tubo incurvo donatum, aquæ cujuſdam ſtypticæ, ad cochlearia duo, quam acceperam debeo Domino Deniſio: Effectus adeo celer & mirandus fuit, vt illico fluxus repreſſus fuerit, citra vllam recidivam, etſi toto graviditatis tempore ſingulo fere ſemeſtri hæmorrhægius paſſa fuerit.

OBSERVATIO IV.

D. HAMELII, Chirurgi Iurati Lexonienſis.

Emplaſtrum miræ efficaciæ, breviſſimo tempore Fiſtulas & vlcera calloſa cicatrice obducens.

ACcipe mumiæ ſubtiliter tritæ vncias duas, ſucci radicis conſolidæ majoris drachmam vnam; terebinthinæ Venetæ drachmam vnam & ſemis, miſceantur omnia & incorporentur in mortario: Poſtquam diu agitata fuerint extendantur ſuper corium, admovendo deinceps parti affectæ, ſexto demum die exactò removendo: Recentia emplaſtra ſexto quoque die adplicentur, quovſque malum ſuperatum fuerit; id quod vtplurimum ſuccedit tertiæ aut quartæ adplicationi.

D. du Hamel ait ſibi ſæpius contigiſſe vt hujus remedij ope herniales in infantibus curaverit, admovendo illi parte cui annuli ſubjacent: Necnon deſcenſum vterinum ſanaverit in mulieribus, lumbis illo adplicato; ac tandem vrinæ incontinentiam, pubi impoſito.

OBSERVATIO V.

D. ROY, Anatomici curioſi, Chirurgi Anatomici.

DISSERTATIO III.

De natura Liquorum corpore humano contentorum.

QVi vltimo Conventui interfuerunt, norunt de Chylo ſermonem à me inſtitutum fuiſſe; De eo tunc temporis à me nihil præterea allatum fuit quam quod iſte vaſis ſanguiferis infuſus inducebat naturam illius quem vocamus Sanguinem; atque à me aperte oſtenſum ante & poſt ejuſmodi tranſmutationem, intra ſe complecti principia omnia elementaria quæ in cæterorum mixtorum compoſitione reperiuntur. Supereſt ſolum vt demonſtrem quomodo ruborem contrahat, à quo nova illi forma conciliatur; quomodo particulæ heterogeneæ ac ſuperfluæ ab eo ſecernantur; ac tandem quomodo ſuccedat illa inſtauratio in animalibus, quam vocamus Nutritionem.

Antiqui, qui ruborem ſanguinis ab eo qui hepati ineſt deduxerunt, quod illius arbitrati ſunt eſſe principium, potiori iure illum adſcripſiſſent diſpoſitioni partium chyli: facile enim colligere licuiſſet cum is jam obtineat

odorem, ſaporem, ac ſanguinis conſiſtentiam, cum intra proprios canales coercetur, nihil admiratione dignum ſi ruborem contrahat, poſtquam in pulmonibus & corde admiſit aërem à quo augetur illius motus, rareſiunt illius partes, in fermentatione agitur, idemque ab eodem à centro ad circumferentiam impulſus in earum partium ſubſtantiam adigitur, quæ illius depurationi inſerviunt: Mediante autem dicta fermentatione partes illius homogeneæ, ramoſæ & fibroſæ nutritioni idoneæ evadunt, hoc eſt illi aſſimilationi per quam perficitur reparatio ſubſtantiæ diſſipatæ.

Quod ſi quis non perceperit quomodo aër rubedine ſanguinem inficere valeat, perpendat is quod in nupero Conventu à D. Des Noües allatum eſt, atque experimenta ab ipſo facta in ſententiæ ſuæ corroborationem; firmiſſimis enim argumentis ſtabilivit aërem eſſe corpus refertum vndique particulis nitroſis; inſuper nitrum ſolum, exigua quantitate inſigni maſſæ ſanguinis venoſi inditum, ipſum illa rubedine ſplendida, quæ in ſanguine arterioſo conſpicua eſt inficere.

Quoad ſanguinis depurationem, vt de ea nitide fiat mentio, id obſervatum volo, juxta obſervationes celeberrimorum & neoteriorum Anatomicorum, animalium corpus nihil aliud eſſe quam inſignem faſcem fibrarum invicem complicatarum, quæ pro varia textura & compagine inſerviunt conſtructioni duarum generum partium ad quas cæteræ omnes referri queunt; ſunt vero hæ vaſa & glandulæ.

Vaſa ſunt Nervi, deſtinati ſpirituum diſtributioni, Arteriæ autem & Venæ concludendo & deducendo ſanguini qui à Corde, ejus ſcaturigine, ad cæteras partes amandatur, atque ab his partibus ad cor motu circulari refertur: quo fit vt comparatio inſtituta ſit diſpoſitionis & cõtinuitatis horum vaſorum cum circulo quodam; In hac porro inſertione vtriuſque dictorum vaſorum generis, hoc eſt, qua parte motus ſanguinis determinationem ſuam immutat, deprehenduntur glandulæ eo modo diſpoſitæ vt ſint quaſi totidem intermedia quorum ope facile evadit commercium inter arterias & venas; dum alteræ excipiunt quod in alias deponunt, ſuntque quaſi totidem ſecernicula partes nutritioni idoneas ſeparantia ab heterogeneis vel exuperantibus; vnicuique quippe canalis excretorius à natura conceſſus per quem excutiunt onus in loca excretionibus dicata.

Hoc vero maxime admiratione dignum in iſtiuſmodi ſeparatione, conſtructionem ſcilicet dictarum Glandularum æque variam eſſe ac variæ ſunt figuræ ſanguinis partium excrementiarum; adeo vt quarundam pori illas aptas efficiant quibuſdam expurgationibus quas cæteræ præſtare nequeunt; quo fit vt mediante circulatione ſanguinis maſſa perpetuo depuretur, citra vllam confuſionem, eo quod quicquid purum & ſuperfluum eſt, in hoc vel in aliud filtrum ſecedit, provt configuratio accommodari poteſt figuræ & magnitudini cuiuſque glandularum ſpeciei, quo fit

vt qualacunque ſint alimenta, ſauguis,qui illorum veluti quoddam extractum eſt ac quinta eſſentia,in corpore ſano ſit ſemper liquor purus, dulcis, temperatus, conſiſtentiæ mediocris, quæ qualitates illi & chylo communes ſunt;quarum proinde nullas traditurus ſum explicationes,ne eadem inculcentur.

Cæterum vt manifeſtum fiat quomodo ſanguis ſubſtantiæ partium jacturam reſarcire queat, id tantum in medium afferendum eſt, in exitu à corde ipſum impelli in omnes arterias, quarum extrema vbi attigit,ipſarum poros trajicere, maxime patentes quo momento illius impulſio expandit earum tunicas; hinc exceptus intra parva interſtitia vaſorum & glandularum, ac motu ejus directo à capacitate ſpatiorum vbi tunc reperitur, partes illius ad ſe mutuo accedunt, atque ita efficiunt exiguas columnas aut filamenta, ex quibus conſtituuntur fibræ carneæ,quarum aliæ rectæ ſunt, aliæ obliquæ aut circulares, pro ratione naturalis partium conformationis.

Ex hac explicatione non arduum eſt judicare corpus nutriri, cum iuxta fibras tantum adjungitur materiæ ſanguineæ quantum illius diſſipatur: Augmentum fieri,cum ejuſmodi materia majori copia adjungitur quam quę exhauſta eſt; ac tandem eadem ratione imminui corpus, cum minus accedit quam exhauſtum eſt: Adde his animalia magis vel minus nutriri, provt illorum corpus naturaliter, vel accidentaliter, plus aut minus indilatationem pronum eſt, atque ſanguis aptus eſt ad influendum in partes majori aut minori copia.

Ex poſtreme hac obſervatione non difficile eſt explicare quid contingat ratione nutritionis ſecundum ætatum varietatem: Infantium enim cum ſingulæ partes teneræ ſint, flexiles & penetrari aptæ, vix aliter fieri poteſt quin per arterias maior ſanguinis copia adfinat quam ad illarum ſolum nutritionem equiratur.

Itidem ac exſiccatio partium in ſenibus in cauſa eſt quod organa nutritioni dicata priventur diſpoſitione neceſſaria liberæ ſanguinis traductioni: id quod in ipſis inducit manifeſtam imminutionem, ex accidenti tantum contingentem in media ætate,non ſecus ac augmentum à me dictum;cum ambæ hæ qualitates conſiſtant in duobus exceſſibus mediocritati adverſis, in qua præſertim ſita ſunt juvenilis ætatis commoda.

His adderet liceret cauſas vnitatis & coaleſcentiæ partium diviſarum, cur facilior aut difficilior ſit, aut etiamnum impoſibilis aliquando; ſed cum hæc matieres vltra metas me abduceret,ſatius fuerit illam retuliſſe in tractatum de vulneribus, quem deinceps Deo dantæ traditurus ſum.

Observatio VI.

Sive Epiſtola ad Authorem Domini COMIERS Matheſeos Profeſſoris Pariſienſis.

Ratio nova cibos coquendi in gratiam ægrorum & ſanorum.

ACademia recens Venetiis inſtructa, perfectioni artium & ſcientiarum intenta, ex Anglia ſubduxit eruditum & experientiſſimum Dominum Papinium: Hac iter fecit, amicos viſitavit, atque manuſcripto donavit quo traditur ratio conciliandi aquæ ſimplici vim adeo admirandam, vt exigui ignis ope, paucis horis, nullis ſumptibus omne Oſſium genus in optimum, gratiſſimum & ſapidiſſimum alimentum, ſanis & ægris idoneum tranſmutet: Auxilium hoc immenſæ vtilitatis eſt in diuturnis navigationibus maritimis: Ab hujuſmodi experimento ſcientiæ naturali plurimum incrementi accedet, cui tempore & loco meum quoque adpoſiturus ſũ, per quod ſcilicet vbique locorum, ipſo momento, nullis impenſis, quanta libuerit quantitate, aquam marinam potui idoneam reddendi.

Interim ecce methodum Dom. Equitis Boylei, Angli inter eruditos celeberrimi, coquendi carnes atque oſſa cujuſcunque animalis fuerint, quæ vaſi rite ſtanno obducto indita, ſtriatim occluſo, addita aqua, demum in aliud vas immiſſa, quod maris balnei vicẽ teneat, coopertum quoque & ſtriatim clauſum, intra duarum horarum ſpatium elixantur, nulla jactura ſalium volatilium & partium nutritiarum, ac pro gradu coctionis ſaporis jucundiſſimi.

Hoc vero admirationem ſuperat, quod oſſa, & cornu cervinum exuta naturali conſiſtentia, præbeant gratiſſimum & delicatiſſimum cibum, adeo vt perdix, exempli gratia, eo modo cocta duorum hominum paſtui ſatis eſſe queat.

Rationem reddere neceſſe non eſt, notum quid nova Philoſophia maxime rarum tradiderit de natura ſalium aliorumque principiorum mixtum componentium: Neque ipſum vulgus latet ipſum odorem vini, ope ſalis acidi volatilis, conciliare ſpiritibus & ſanguini motum qui in ſyncope & leipothymia ceſſare videtur &c.

Arcanum id Anglice emiſſum prope diem Gallico idiomate proditurum eſt.

Obser-

OBSERVATIO VII.

Continens remedia quædam.

Contra Colicam nephriticam.

D. Habertus, Pharmacopœus Sereniſſimi Fratris Regis, aſſerit ſe ſæpenumero expertum fuiſſe aquam ex ſucco *vermicularis* exſtillatam, quatuor vnciarum pondere cum vncia vna ſucci limonum, valentiſſimum eſſe remedium ad liberandos & mundandos renes arenulis gravatos, pure aut aliis impuritatibus.

Contra Dentium dolorem.

Expertus eſt D. Lardreau Vareanenſis, ſpiritus ſulphuris & terebinthinæ æquis portionibus commiſtos, atque denti dolenti impoſitos, vt & in aurem è regione, ſedare dolorem Dentium.

Vt decidat eſchara à combuſtionibus inducta, vtque cicatrix relicta vix conſpicua ſit.

Idem jubet adplicari vrinam & acetum æquis portionibus commixta prima die, ac deinceps aquam calcis cum oleo nucum incorporatam.

Ad cohibendum deſcenſum inteſtinorum.

Idem præcipit ore adſumi radicem bryoniæ pulveriſatam ex vino albo; & imovendo interim parti afflictiæ oleum ovorum linimenti forma; ſuperinjecta faſcia contentiva.

OBSERVATIO VIII.

Ratio educandi infantes recens natos abſque Nutricibus.

DEſinenti anno proximo Eruditi quidam propoſuere Dominis Adminiſtratoribus Paidotrophij novam rationem educandi infantes recens natos, abſque nutricum ope: Quod res non levis momenti viſa ſit, illius conſcium voluere Dominum Procuratorem Generalem Curiæ; Ex cujus edicto convocati Domini Quarterius, Facultatis Medicæ Pariſienſis Decanus; Morellus & Lamy, Medici Nosodochij Charitatis: Dom.

Theva-

Thevartius, Finotius, Raiſantius, Tourberius & Bienaiſius, Medici & Chirurgi Aulici, ſuperadditis duabus Matronis Iuratis, vt quid hac de re ſtatuendum eſſet judicarent.

En præcipuas circumſtantias ipſorum Relationis.

1. Infantes recens natos nutricibus committendos eſſe ad quartum vſque menſem, vt minimum.

2. Succeſſum fore dubium, ac proinde experientiam periculoſam.

3. In eam rem ſaltem requiri alimentum, à natura chyli tam parum alienum, vt nulla fere concoctione indigeat, ac proinde facilis ſit diſtributionis.

4. Ejuſmodi dotes neque in aqua tritici reperiendas eſſe, neque in pulte, neque in gelatina ex pane confecta; neque in cæteris quibuſvis alimentis quæ hunc in ſcopum proferri poſſent: Optimum ſuccedaneum fore lac ipſum, ſi deſit muliebre, ſubſtituendum vaccinum.

5. Suctionem circumſtantiam eſſe omnino requiſitam, quo dehiſcant vaſa ſalivalia, ac proinde ſalivationem chylificationi eſſe neceſſariam, cujus ſaliva primaria eſt cauſa.

6. Tandem viam illam tot experimentis inniti, vti citra temeritatis notam poſſit illius periculum fieri in primæ ætatis infantibus, qui hoc pacto perduci potuerunt ad illum ſtatum quo valeant tolerare vſum alimentarum ſolidiorum, cujuſmodi illa ſunt de quibus mentio facta eſt.

ZODIACI MEDICO GALLICI,

SIVE

Recens in Re Medica & Naturali Exploratorum.
IVNIVS Anni 1681.

OBSERVATIO PRIMA.

D. PICHART, Chirurgi Aurelianenſis.

De Generatione & expulſione Molæ, ſeu falſi Conceptus, ſingularia quædam.

MVLIER recens connubio juncta, ex menſium ſuppreſſione, faſtidio ciborum, nauſeis crebris & vomitibus, ventris elevatione, aliiſque ſimilibus indiciis cum ſe gravidam crederet, plaudebat ſibi felicem hanc ob conditionem, patienter prædicta mala tolerans: At circa quartum menſem dolores quidam invadunt parturientium doloribus ſimiles, etſi nulla vis externa adfuiſſet, neque vlla hæmorrhagia vterina.

Revera D. Pichartus, in auxilium advocatus, comperit illico vterum accingere ſe ad excluſionem corporis, quod qualenam eſſet nominatim dicere non potuit quovſque eductum fuiſſet; at deprehenſa forma omnino extraordinaria, examen illius ſingulare inſtituere voluit, quia participes eſſe voluit amicos qui ſcientiam naturalem excolunt, En ab ipſo traditam deſcriptionem.

Corpus excluſum figura ſphærica propemodum donatum duorum pugnorum magnitudinem circiter adæquabat; Tota maſſa conſtabat veſiculis quibuſdam majoribus, quibuſdam minoribus, membrana communi deſtituta, nam ſua cuique peculiaris inerat tunica, à cujus ergo exurgebat ligamentum quoddam, ſingulas annectens loro cuidam, aut vaſi brachij circiter longitudinem obtinenti, adeo vt minimæ illi proximiores eſſent, majores amplius diſſitæ; hinc exurgebant ordines illis propemodum ſimiles qui in ovarii gallinarum obſervantur; à Dom Kerkringio collata cum teſticulis fœmineis: hunc ſequutus Dom. Deniſius, qui quinto conventu anni 1672. rem ſe compertam habere ait ex anatome mulieris, in qua deprehendit veritatem opinionis Dom. Kerkringij.

Cæterum dictarum veſicularum maximæ magnitudinem ovi columbini attingebant, omnes repletæ humore limpido & ſeroſo; numerus ad quatuor aut quinque millia perveniebat; lorum autem, cui adhærebant tanquã meſenterio cuipiam, conſtructum videbatur ex conjunctione plurimarum divaricationum vaſorum, ortum ducentium ex maſſa carnea à placenta non multum abſimili, ſecundinæ partem conſtituente.

Paulo anteqvam hæc Obſervatio ad me tranſmiſſa fuerit, Dom Roberdeau, Academiæ noſtræ Decanus, nobis obtulerat maſſam propemodum priori ſimilem; emiſſam quoque à juvencula muliere, quæ à quatuor menſibus gravidam ſe eſſe exiſtimabat: Ex mutua enim vtriuſque collatione ſimilitudo quammaxima intercedebat, hoc vnico diſcrimine quod rami iſtius maſſæ trunco carerent qui lori formam obtineret, nec ad aliud quodpiam corpus pertingerent quod placentam referret.

En obſervationes à Dom. Picharto factas circa extraordinariam illam productionem: Sin animadverſionibus eorum qui Illuſtrem Cœtum veſtrum componunt dignæ fuerint, non exiguam relaturus es gratiam à quamplurimis ſi proximæ Ephemeridi inſertæ fuerint, me vero quod ſpectat, ne dubites quin tibi communicem inſignis illius veſicularum congeriei, conſtructionem, ac vſus funis annexi placentæ: Sin in iiſdem Ephemeridibus nobis objiciantur concluſiones à D. Delnoves deducendæ ex recenti illius exploratione ſingularium quorundam in genitalibus mulieribus, multo proclivius eſſet certi quidpiam determinare circa materiam à muliere pro generatione ſuppeditatã: Multam porro initurus eſſet gratiã ſi firmis demonſtrationibus oſtenderet an id quod emiſſum ſemen ſit an ova: Qualis vero ſucceſſus futurus ſit, conjecturas tamen meas allaturus ſum &c.

OBSERVA-

ANIMADVERSIONES Authoris.

In obſervationes præcedentes.

ETſi Natura æqualiter concurrat ad generationem Entium corporeorum perfectorum, aut informium, hominis habita ratione dici nequit illam cauſam eſſe efficientem & immediatam monſtrorum, molarum aut falſorum conceptuum, quandoquidem à conceptione ſemper productura eſſet fretum perfectum, niſi actio ejus interrumperetur à diſpoſitionibus contrariis: at vero cum diſpoſitiones hæ in materia ſemper lateant, in quam actionem exerere debet, inferendum eſt materiam hanc, quatenus copia aut qualitate vitioſa eſt, cauſam eſſe proximam productionum omnium deformium & prodigioſarum quæ nos in ſtuporem toties pertrahunt.

Sed præterea, qua veriſimilitudine ſemini maſculino aut fœminino aſſignabitur generatio vtriuſque maſſæ ante deſcriptæ? Quando pravis imbuta qualitatibus inepta invadunt generationi hominis perfecti, Natura vt plurimum ex illis molas tantum aut alias quaſdam falſorum conceptuum ſpecies effingit, avis figuram propemodum referentes, at vero ab his maſſis omnino diſſimiles.

Nec rationi quoque conſonum ſi illarum productio referatur ad ſanguinem effuſum in vterum illic cohibitum; experientia enim comprobat inibi concreſcere, indureſcere, aut in pus abire; adde quod ſolus inepta fuiſſet materia conformationis vaſorum quibus veſiculæ erant adnexæ: Interim conſtat in his tantum duabus materiis quærendam eſſe originem admirandæ hujus genituræ.

Veriſimile eſt vtrumque æqualiter concurriſſe, hoc eſt, ſanguinem menſtruum in vterum citius à conceptione irrumpentem, commixtum & confuſum ſeminibus antequam germinum naturam adepta eſſent, aut, vt loquitur Hippocrates, genituræ; vnde exorta eſt fermentatio, ex contrarietate partium horum liquorum quæ excitare valuit efferveſcentiam ſat inſignem vt ideo effictæ ſint ſpecies hæ ampullarum, aut veſicularum, illis ſimilium quæ erumpunt in aqua ebulliente, vel in quam aliæ incidunt imbris modo, quæ poſtquam formam nactæ ſunt augmentum adipiſci potuerunt non ſecus ac molæ ac alia falſa germina, hoc eſt, ſervata priſtina forma.

Necnon vtile erit in alterius effectus cauſam inquiſiviſſe, ſcilicet expulſionis vtriuſque harum maſſarum à quarto circiter menſe: quamobrem

obſervandum eſt quotieſcunque conceptio quæpiam contingit, vera aut falſa, non modo ſanguinem menſtruum in vtero cohiberi, ſed etiamnum maximam illius partem qui aliis temporibus eo defertur, quo fit vt germina nequeant eſſe æque rara aut poris prædita ſicut illa, quin illum imbibant in tantum vt exiguo tempore ejuſmodi magnitudinem acquirant qua vtero inde comparetur vltimus extenſionis gradus, ideoque ad rei moleſtæ expulſionem excitetur.

Hoc vero curioſos in vlteriorem diſquiſitionem impellere valet, num ſcilicet prædictæ veſiculæ, ex quibus maſſæ prædictæ conflatæ erant, convenientiam forte quampiam habeant cum ovis, quæ authores quidam in vtero ſe reperiſſe aiunt, aut per vaginam excluſa ſe vidiſſe aſſerunt, Sed etiamſi aſſenſus daretur huic de Ovis opinioni, inferendum eſſet aut dictas veſiculas alterius eſſe indolis, aut ratione illarum multiplicitatis, atque mutuę connexionis, totũ ex illis compoſitum ovarium integrum debere conſtituere, quorum nihilominus avulſio, & extra locum naturalem motio ſecundum naturæ leges impoſſibilis eſt, vel maximam partem ovarii, cujus diſruptio & ſeparatio non minus incomprehenſibilis eſt.

Revera Dn. Roberdeau cum animi gratia nonnullas ex illis veſiculis, è maſſa excerptis (cujus extractionis gratia accerſitus fuerat) in aqua elixandas curaſſet, obſervavit humorem in illis contentum inter ebulliendum abſumptum fuiſſe, nulla adepta conſiſtentia, ſola ſuperſtite vniuſcujuſque membrana ex qua conſtabat, quæ in admodum exiguam molem deducta fuerat, flaccidam redditam & rugoſam.

Revera anno proxime præterito medicus quidam multo rumore extulit rarum quid à ſe repertum, quod contrariari videtur iis quæ à me adducta ſunt, aſſerens à ſe deprehenſum in vtero muliebri immenſum globulorum numerum, ovorum cenſui eo veriſimilius adſcribendorum, quod facta eorum elixatione eandem ſoliditatem ſeruaverint quæ obſervatur in ovis abortivis gallinarum, cùm ad experimentares deducitur.

At vero iſtud in dubium revocari poteſt, eo quod in conventu publico, ſecus ac à D. Roberdeau factum non fuerit; atque id omnibus in confeſſo ſit authorem illius inſignem eſſe patronum opinionis de ovis evulgatæ; animus enim pręoccupatus illos eo vſque impulit vt naturæ ordinẽ perturbare non veriti ſint tentare, quo præconceptæ opinioni conſonus fiat, id quod in pluribus locis operum illorum animadvertere licet, ac præſertim quoad naturalem tubarum conformationem, quibus aſſignare voluerunt (ratione habita commentitiorum illorum ovorum) infundibili figuram, adeo vt Kerkringius, eumque ſequuti alij authores in emiſſis ab eo libris, Tubas depingi curaverint ea figura vt illarum orificia ſtrictiora ſint qua parte vterum ſpectant, latiora vero verſus partem laciniatam, id quod veritati plane reluctatur.

Ejuſmodi error, aliique in eorum operibus adnotati, me non impellunt vt in partes contrarias ſecedam; ſcio facile eſſe ad rectum ſenſum eos adducere, atque appendicem falſam rem ex fundamento veram non poſſe concutere.

At vero quis vero non ſtupeat, ac in admirationem rapiatur à recenti explorato D. Des Neües, per quem deprehendere licet vniverſum orificium internum vteri refertum eſſe veſiculis, quibus continetur materia ſpermatica, conſiſtentiæ optimæ? ſi præſertim illud perpendatur maximum argumentum illorum qui opinionem de ovi tuentur, fundamentum habere in fœtibus qui ſæpe deprehenſi ſunt in tuba vterina latere, quandoquidem illud argumentum tam ſtrenue impugnatum fuit tractatu à me edito de fœtu Tholoſano; nec magis adſtruere dictam ſententiam quam ſi quis inferat fœtum in omnibus imi ventri partibus formationem obtinere poſſe, ſi prædictis ovis contigerit à loco nativo aberraſſe; quandoquidem Ephemerides Germanicæ afferunt infantem rite conformatum extra vterum matris repertum fuiſſe, in quo neque fiſſura, neque vlcus neque cicatrix apparuere; inter illam partem & inteſtinum rectum collocatum, Alium Dolæ repertum 28. Iunij 1661. etiam extra vterum, ſitu incompoſito, nullo exitus veſtigio in illa parte relicto.

Observatio II.

Dom. REGNERII, Academici curioſi.

Singulare vulnus capitis.

VVlnus à patre meo tractatum & curatum quod comitem habebat contuſionem, dilacerationem pericranij, depreſſionem & fracturam cranij, diviſionem vtriuſque meningis, ac deperditionem partis ſubſtantiæ cerebri; ſymptomata autem mentis & vocis privationem, vomitum, hæmorrhagiam narium, & ſanguinis exitum ob apertum ramum arteriarum carotidum, cujus orificium hians ſub cranio deliteſcebat, adeo vt nulla ratione in conſpectum veniret.

Nil mirum ſubeſt hujuſmodi accidentia ſubſequuta fuiſſe tam inſigne vulnus, at vero id admiratione dignum quod nulla convulſio contra antiquorum ſententiam acciderit, quare confirmatur exempla allata in Ephemeridibus Medicis, variis locis, ex quarum lectione conſtat duoram, piam meningem, imo cerebrum ipſum ſolutione continui poſſe affici, etſi demum nullus motus ſpaſmodes contingat.

Hoc ſingulari ſpeculatione dignum eſt quod licuerit ſanguinem, ex arteria aperta manantem, cohibere etſi ejus orificio impoſſibile fuiſſet

quicquam admovere; eo loco ſitæ qui non admittat vſum præſidiorum ſolitorum, ligaturæ enim vaſis nullus concedebatur locus, quandoquidem extremum illius attingere non licebat, nec proinde interceptio in ſubſidium venire quam facit erga motũ ſanguinis digitus admotus: Penicilli vel turundæ ad locum vſque debitum impelli nequaquam potuiſſent, quin graviora induxiſſent accidentia & ſæviora illo cui manus admovenda erat: Neque vitriolum, neque alia medicamenta corrodentia vel eſcharotica vim ſuam exſerere potuiſſent in partes ejus naturæ, nervoſas ſcilicet, quin lethales irritationes induxiſſent: Bolus autem aliaque ſimilia lenia medicamenta imparia erant, neque ſatis efficacia: Tandem Aqua ſtyptica, cujus effectus tantum adparet cum immediate admovetur vaſi hianti, nequicquam opis ſpondebat.

Quibus conſiderationibus adducti plurimi Medici & Chirurgi peritiſſimi in conſilium accito, id vulnus curationem reſpiruere cenſuerunt, ac vulnus proinde abſolute lethale pronuntiaverunt.

Interim Parenti meo cum in mentem veniſſet Naturam ſæpe miracula edere ad valetudinem hominis, ac ſæpe numero genium & ingenium ſupplere quæ artis teoremata non produnt, *Ingenium arti maxime vtile*, ait Avicenna; Id porro ratum cum haberet Medicum Chriſtianum ægrum deſerere nunquam debere, etſi videatur omnino deſperatus, Hippocrate prævio decrevit incerta potius remedia tentare quam ægrum abſque præſidiis derelinquere.

Id inſtitutum adeo felix ſucceſſus excepit, vt poſtquam animo expendiſſet conſiſtentiam qua pollet, & proprietates ſpongiæ, atque ejus fruſtulum electam adaptatumque cranij hiatui, eo modo diſpoſitum vt concederet exitum puri & ſanguini extravaſato, hæmorrhagia tam perfecte ſubſtiterit, vt fruſto illo remoto poſt viceſimum diem, vulnus eo in ſtatu conſtitutum reperarit, vt tractationem & curationem admittere potuerit ſicuti cætera capitis vulnera quæ ſymptoma ejuſmodi non comitatur: Hinc valetudo adeo firma conſequuta eſt vt ſuperſtes fuerit vulneratus longa annorum ſerie, nulla ſuperveniente ægritudine quę in vulnus tanquam cauſam rejici potuerit.

Cæterum vt iſtius eventus reddatur ratio, id adnotatum volo, ex ſententia Avicennæ plurimorumque aliorum celebrium ſcriptorum, ſpongiam quendam obtinere ſiccitatis gradum ob quem adſtrictione tanta pollet, vt combuſta, & in pulverem aut cineres redacta, omnem ſanguinis fluxum cohibeat, ac mirandum in modum cicatrice obducat vulnera & vlcera; prædictis dotibus addere eſt poros, quibus inſignita eſt, non minus ad id conferre quam illius ſiccitatem, quandoquidem integra vel combuſta, ſummam obtinet levitatem; vnde patet intra illius particulas maxime, ſubtile, ſcominceri ſpatia, quæ etſi inſenſibilia ſint, & ſub ſenſum non cadant,

in

in conſiderationem tamen duci debent: atque ratione horum ſpatiorum, aut pororum, faciliſſime imbuitur quovis liquorum genere; id quod experiri licet cum ad curationem Bromchoceles in vſum ducitur; atque id non parum confert ad pariendam adſtrictionem quam maxime efficere valet, præſertim ad ſiſtendum ſanguinem, cujus partes ramoſæ faciliſſime intricantur in exiguis anfractibus atque ideo cædemmet eavadũt cauſa interruptionis quam induxit ſpongia exiturienti ſanguini, quandoquidem eo modo conjuncti, vna conficiunt corpus præciſe accommodatum figuræ partium quas attingit, atque idoneum obſtaculum inpetui maſſæ ſanguine, neque tamen duritie aut gravitate partes lædere valet.

Observatio III.

Anonymi.

Remedium contra Hydropem expertum.

ACcipe Senæ orientalis electæ drachmas duas, rhabarbari drachmam vnam, infundantur hæc in decocti hepatici, dilutioris vnciis quatuor, diſſolve demum in colatura mannæ vnciam vnam; fiat iterum colatura, atque adde ſyrrupi rhamni cathartici ℥iij, tartari vitriolati grana viginti, cryſtalli mineralis ſubtiliter triti grana triginta.

Mixtura hæc, vnicam dozin conſtituens, de tertio in tertium diem exhiberi debet, vſque quo aquæ ſint exhauſtæ, id quod vt plurimum menſis vnius ſpatio abſolvitur.

Observatio IV.

Dom. COMIERS, Matheſeos Profeſſor Pariſienſis.

In qua confirmatio experimenti de modo oſſa in alimentum convertendi.

Item De Tinctura coralli.

Et Philoſophia Colorum, confirmata raris & curioſis experimentis.

HOdie 18. Maij prandium ſumpſi apud D. Hubin, tantopere celebrem fabrica oculorum artificialium, atque innumerarum machinarum vitrearum

vitrearum ,revera demonſtrantium quicquid ſingularis obtinet nova rerum naturalium ſcientia.

Parari is curavit ex cupro & ſtanno duo vaſa cylindrica coquendis idonea,in modum Balnei Maris, carnibus & oſſibus abſque jactura vllius ſalis volatilis, qua de re mentio in vltima Ephemeride (vide obſervat.) Hodierna die primum rem ad experimentum adduximus , atque à nobis deprehenſa oſſa,vervecina & bubula, medullæ inſtar mollia , ſapidiſſima: mitto deguſtanda à Te & amicis : Propediem ad te miſſurus ſum librum D. Papini, qui brevi prelum evaſurus eſt.

De Coralli Tinctura.

Non licuit mihi vltimo conventu , ob tumultum à quibuſdam excitatum , quos cubiculi tui anguſtia excluſerat, experimento confirmare num Corallium rubrum tincturam ſuam in albam ceram depoſuiſſet , cui ipſum decoquendum impoſueram , quod inde extraximus rubedine ſua ſpoliatum adeo vt à cunctis aſſidentibus album deprchenſum fuerit in ſingulis fruſtis quæ confringere licuit.

Sicuti perſpectum habeo plurimos eruditos Coralli Tincturam numero non entium accenſuiſſe , miratus non ſum D. Frapinum Mag. Pharmacopœum,ab illorum partibus ſtetiſſe; addidit vero hic coralli rubrum colorem acceptum ferendum cuidam ſulphuri, quod ſolus calor in halitus ſolveret : Cui repoſui.

Primo ſi id verum eſſet, ceram vel aliud quodpiam menſtruum idoneum hoc ſulphure impiægnatum iri , ac deinceps futurum vt Tinctura inde eliceretur.

Secundo , ſi à ſulphure obtineat corallum colorem rubrum , cur fumus ſulphuris exuit roſas recens expanſas colore rubro? cur ſericum crudum dealbat & telas ſericeas? Cur Tinctores candorem pannis conciliant ope ſulphuris, quod probe excutiunt , antequam illos colore inficiant.

Tandem ſi coralli rubedo à ſulphure pendet, diſſolvi poterit in oleo terebinthinæ , quandoquidem ſulphur vulgare illi commixtum protinus in oleum abit , & balſamum coloris ſanguinei ? Id quod etiamnum antimonium crudum accurate tritum , eodemque oleo inditum , ſeorſim præſtat.

Id porro mihi compertum præſtantiſſimum minium confici ex pulvere granorum kermes,commixto alumini crudo , demum calenti in aqua plantaginis extincto.

Si à Sulphure deducendus rubeus ſulphuris color, qui fit vt ramus corylinus emittat florem cinerei coloris,vel piperi longo ſimilem,hunc abrumpe quoties libuerit , fragmentum ſuperius rubrum ſemper conſpicietur, inferius ſemper album.

Excute-

Excute florem ſpicæ ſecalinæ, hanc ori immitte, iterum florem emiſſura eſt.

Medicorum intereſt noviſſe naturam coloris ſanguinis & aliorum liquorum corporis humani, quandoquidem exinde iudicium ferunt de colore vrinarum cæterarumque excretionum : Ac proinde ſpero in Illuſtri veſtra Accademia proxime examinatum iri cauſam colorum immediatam, alterationum & immutationum : Decrevi Te participem facere cunctarum mearum obſervationum & experimentorum, vt inde exurgat ſyſtema integrum : At vero recte cum Seneca Philoſopho dixero.

Tollimus ingentes animos & maxima parvo
Tempore molimur.

De Elementorum numero

Experientia vero duce ante triginta annos doctus ſum verum eſſe quod inquit Polybius libro XII. ſuæ Hiſtoriæ, *Illa rerum curioſa inquiſitio* magnis conſtat *laboribus magnoque ſumptu :* Chymia enim obſtetrix eſt quæ Naturam juvat in partu illius fœtuum, cujus diſſectionem mediante igne inſtituit, vnico illius cultello anatomico; quam anatomen præfero analyſi illi ſpecioſæ noſtri Algebri.

Illico tamen de numero elementorum conſenſus eſſe deberet : quaternarius eſt apud Peripateticos, ſtatuunt Ignem, Aërem, Aquam, Terram: Ternarium faciunt Paracelſici, Sal, Sulphur, Mercurium; iis enim nominibus donant quæcunque quomodocunque cum prædictis conſentiunt.

Neoterici quinarium conſtituunt, quamobrem addunt phlegma aut aquam inſipidam, ac terram damnatam, quam vocant Caput mortuum, Sed infruitus eſt differentiarum numerus : Paucis, quicquid calcinationis ope flammam concipit, & cum aqua commiſcibile non eſt, vocatur id *Sulphur* ; Quicquid quovis modo lapidum eſt, ac in aqua ſolubile eſt, *Sal* : Idquod inſipidum eſt, nec in aqua diſſolvi poteſt, dicitur *Terra* : At vero neque Ariſtoteles, neque Paracelſus reperturi ſunt Elementum omnino purum & compoſitionis expers.

Ego vero in mixtis duo tantum Elementa agnoſco, Aquam & Ignem, atque Aquæ nomen *Alkali* impono, aut Salis vacui, Ignem autem voco *Acidum* : Aqua enim eſt Principium materiale rerum omnium, Ignis autem principium formale : Aqua mater eſt generationis, Ignis Pater Cum omnis generatio fit ex Aqua ab Igne fœcunditatem nacta; quæ ſententia eſt Hippocratis libro primo de Diæta, *Conſtituuntur omnia Igne & Aqua.*

Docet nos Sacra Scriptura Aquam omnibus rebus dediſſe originem, poſtquam enim Moſes dixit Spiritum Dei *incubaſſe aquis*, *Incubabat Aquis*, ſicut textus Hebræus explicari poteſt, pergit in narratione ordinis rerum creatarum: Per ſpiritum illum Dei, qui perambulabat Aquas, intelligo cum Valleſio in Sacra illius Philoſophia, Ignem: Intelligo cum S. *Auguſtino lib. ſup. gen. imperf. cap.* 4. Et cum Tertuliano contra Hermogenem, Auram vitalem, materiam ſubtiliſſimam, quæ penetrans aquas & calefaciens, illas fœcundas efficit: ideoque Sol, anima mundi.

Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem & magno ſe corpore miſcet.

Quarta die conditus fuit ex congerie & concurſu atomorum lucis quam Deus ante creaverat: Poſtmodum Aquæ in mari & in terra fœcunditatem adeptæ ſunt ab Acido ſolari, Dei juſſu ordinatæ ſunt generationem plantarum, lapidum, & mineralium, pro ratione proprietatis ſeminis cujuſque ſpeciei, *nam in auro ſemina ſunt auri*, cum ſemina nihil aliud ſint quam ſal coctum & digeſtum, ac concretum in figuram idealem cujuſque ſpeciei.

Voco igitur hunc Spiritum Dei, à quo Aquæ fœcunditatem hauriunt, Calorem, Humidum Igneum, tandem Acidum quoddam; ideoque *Alkali & Acidum* duo ſunt inſtrumenta mechanica Naturæ:

Ignis enim pro varia ſua Acida vi Aquam in diverſa corpora concreſcere facit; Idquod in plumbo animadvertere licet, quod ab acido aceti in corpus album abit, dictum Ceruſſam; deinde Minium rubrum ab Acido ignis: Si illi ipſi ceruſſæ, ſine vllo humore contritæ, & ad ignem carbonum exſiccatæ, addideris boracem, ac tantum olei tartari quantum ſatis eſt vt ſimul coeant, immutabitur invitrum flavum primo liquationis igne: Porro Artifices omnes, & diſcipuli Helmontiani, omnia corpora in aquam elementarem diſſolvere norunt.

Seneca capite decimo tertio libri tertii Quæſtioni Nat. ait ſe ſequi ſententiã Thaletis, primi apud Græcos Philoſophi aſſerebat: hic omnia entia ortũ ſuum Aquæ debere; Revordor jam me alias experimento facto didiciſſe plantas majoranæ dulcis, meliſſæ, pulegij &c. creſcere & augmentum ſuſcipere in aqua ſimplici: Ecce vero demonſtrationem invincibilem; ſcinde ad digiti longitudinem cacumen menthæ criſpæ; Impone ſegmen illud phialæ aqua plenæ, ita tamen vt pars ſuperior ſegminis extra phialam emineat, quo conſervetur, nec violetur ſitus naturalis fibrarum & canalium plantæ; Caudex ille intra aquam radices emiſſurus eſt, & folia extra ampullam, etſi nullum aliunde capeſſat alimentum quam ab aqua.

Exiſtimo me apprime explicare Prothei fabulã non de Antimonio, ſicuti anno 1653. Cardinalis Alphonſus Richelienſis Lugduni interpretabatur, eo quod in igne omnes ſuſcipiat colores, ſed de Aqua; Profert cerealia racemos,

cemos, conſtituit plantas, arbores, folia, flores, fructus &c. varia genera lapidum & metallorum: Fœcunditatem, qua pollet, tot tamque varios quos edit partus, debet *Acido*, quod tanquam principium formale in Aquam operatur per tot diſcrimina Acidorum quot productorum ſpecies occurrunt, totidem diſcrepantes coagulationes quas Ignis, aut Acidum, gignit ex Alkali vel Aaqua.

Eapropter Zoroaſter docebat res omnes ortum ſuum debere eidem Igni: Alium non facio ignem à quo incaleſcit noſter ſanguis, ab eo qui ardet in ligno, vel pinguedine; Neque diſtinguo ab igne, radiis, vel atomis liquidis Solis quas cum aëre inſpiramus, quæ infectis vitam reſtituunt, & quæ intricatæ cohærent cum aquis & alkalibus plantarum, lapidum atque eorum omnium ex quibus luciditatem adipiſcitur.

Ignis Solaris collectus in ſuperficie ſpeculi concavi, vel poſtica parte vitri convexi conſpicillorum ſenis, aut ampulla vitrea frigida plena, ignium omnium eſt maxime efficax: Quapropter D. Dionyſius Gallorum libro de Hierarchia cœleſti, luci multas ineſſe Divinitatis proprietates aſſerit.

De Colorum Natura.

Redeamus ad diſputationem D. Frapini, Num *ſulphur ſit cauſa rubedinis Coralli*, ac *Num vera Tinctura ex eo elici queat.*

1. Dico Colores omnes vnius ejuſdemque eſſe naturæ; quæ eo ſita eſt vt ſint viſibiles.

2. Obſervo Ariſtotelem pronuntiaſſe *Colorem eſſe extremitatem rei viſibilis terminatæ*; Idem libro 2. de Anima capite 7. aſſerit nullas eſſe voces quæ Coloris naturam exprimant: obſervat nihilominus cum cæteris animalibus, nihil abſque luce viſibile eſſe; Illius Commentatores tradunt Colorem eſſe qualitatem per quam corpus eſt viſibile: Meliori jure Scaliger in ſuis Exercitationibus contra Cardanum, dicit eſſentiam Coloris, ejuſque cauſas, æque latere intellectum ac ipſi colores viſui ſunt manifeſti.

Antiquus quidam Rabbinus *Filius Rhois*, Philoſophus erat, quandoquidem in paraphraſi libri de Senſu & Senſili, ajebat *Lucem non tantum cauſam eſſe colorum inductionis ad viſum, verum etiam eſſentiæ ipſorum*, additque *Ex luce fieri colorem*, Id quod neque à Scaligero improbatur, Exercitatione 325. contra Cardanum, ideoque colores aliud nihil ſunt quam lumen ipſum.

Authoritate itaque Ariſtotelis dimiſſa, vt & ipſius Galeni, qui *libro* 1. *de Officiis partium* c. 9. ait colores, odores & ſapores oriri ex temperamento, vel mixtione quatuor primarum qualitatum, Adhærebo Cardani axiomati, quod habet libro ſecundo de Subtilitate, *melius eſt tueri veritatem atque*

experimenta ipſa quam in perpetuum cum ipſis nugantes de Natura rerum nihil ſcire, Quare à partibus veritatis ſtando, atque experimentorum, aſſero vna cum *filio Rhois*, colores ex luce ortum ducere, atque nihil aliud eſſe quam lumen diverſe modificatum.

3. Oſtendo, quod ſicut gladij carent dolore, ita objecta viſibilia carent colore; nihil enim aliud ex iis nobis conſpicuum eſt præter lumen quod ab illis reſilit, quale id excipiunt: ſicuti ſpecula & corpora alba, in quibus textura extremæ ſuperficiei conſtat ex minimis ſegmentis, vel partibus globulorum, diverſimode modificatorum, quamobrem colores aſſignantur objectis, juxta ſenſationem quam lux ab ipſis reflexa imprimit fundo retinæ tunicæ in oculo aſpicientis: Sic dolor & color ſunt ſenſatio, quæ pro nihilo habenda extra nos.

4. Dico Lumen diverſimode modificari per quandam mixtionem, vel intervallum inter puncta retinæ ictæ à lumine, & puncta vicina quæ ab illis non afficiuntur: Varia hæc miſtio aut combinatio intervallorum punctorum vmbræ & luminis conſtituit variam illam modificationem à qua exturgunt diſcrepantes ſenſationes, quas vulgo efferre ſolemus per vocabulum Coloris, inepte aſſignando objectis quæ intuemur.

5. Dico variam modificationem, aut differentem conturbationem vnitatis radiorum luminis, reflexi à corporibus opacis, cauſam eſſe per variam coordinationem, aut texturam partium extimæ illorum ſuperficiei, diverſorum ſalium, quæ pro varietate figurarum varios gradus diaphaneitatis aut pallucidatis inducant: Quapropter lumen nunquam attingit fundum oculi quam poſt diverſas reflexiones, refractiones & diffractiones, obſervante R. P. Grimaldi.

Priſma, aut corpus triangulare vitreum, ſufficienter oſtendit id quod à me propoſitum eſt: Immutationem accipit pavimento impoſitum, aut adpoſitum parieti radios Solis faſciam luminoſam exhibet vivis Iridis coloribus ornatam; ſi vero vitrum illud oculis admoveamus, objecta obducta videntur coloribus elegantis illius Zonæ cœleſtis.

ZODIA-

ZODIACI MEDICO GALLICI,

SIVE

Recens in Re Medica & Naturali Exploratorum.
IVLIVS Anni 1681.

OBSERVATIO PRIMA.

Domini COMIERS Ebrodunenſis, Matheſeos Profeſſoris Pariſienſis &c.

Colorum natura, raris experimentis demonſtrata.

SI vis vt in pariete, aut linteo albo, appareat imago arcus cœleſtis ſive, zona illa colorum lucidorum & radiantium Iridis quam effingunt radij Solares poſtquam penetrarunt Priſma aut trigonum vitreum; Cavendum ne vel minimum lumen cameram ingrediatur quam per longiorem fiſſuram, factam ſecundum angulum quadraginta quinque circiter graduum in feneſtræ foricula; fiſſuræ illi inde Priſma vitreum, cum vero radij Solis inciderint in dictum Priſma, ac exinde colorati exilierint, oblique illi excipiantur ſpeculo metallico convexo cilindrico; exinde illi reflectentur in parietem, ac exſurget effigies arcus colorati, qui triplex videbitur ſi exceperis radiationem coloratam in exitu è Priſmate ſuper tres laminas vitreas ſtanno non obductas, conjunctas & impoſitas aſſeri in ſulcos excavato, adeo vt quæ medio loco collocata eſt angulum cum cæteris admodum obtuſum efficiat: Eo enim pacto futurum vt irradiatio co-

lorata in tres Zonas ſeparatas diſiungatur, quæ è ſpeculo refl. ctentur arcus forma incurvatæ.

Vivida illa & lucida Iridis imago Zonam circularem efficura eſt in modum coronæ, gloriæ dictæ, ſi exceperis irradiationem coloratam; Prodeuntem è Priſmate ſuper vitrum conicum, cujus acies offeratur illi radiationi, adeo vt illorum axes vnicam conſtituant lineam rectam.

Inſigne hoc myſterium patefeci Italo cuidam, in Fortalitio Cluſuræ, anno 1652. qui attonitus exclamavit *Curvarſi vn iri à diademas la teſta*, In memoriam ſibi revocavit Prophetæ Ezechielis viſioné cui Deus ſe exhibuit in throno ſuo Iuſtitiæ & Solio gloriæ Iride decoratú Pulchritudo illius Arcus anſam præbuit quibuſdam Philoſophis dicendi, ſi poſſibile eſſet vt Deus compoſitum quiddam foret, Veritatem fore illius animam, Lumen autem corpus.

Revera Iris, vt ait Salomon Eccleſiaſtici 43. Summum artis opus eſt Creatoris: Felicis Philoſophis, qui ejus naturam ſcrutari non potuerunt, ſatis fuit illam cum vulgo mirari Nulla res non pulchritudine cedit ſuperbo illi diademati terræ, vbi quæ igne decorato, adamantum fulgore, carbunculi flaminis, rubini radiis ac ſapphirorum ſplendore.

Triumphum agit natura in productione Zonæ illius cœleſtis, illius fornicis vividiſſimis coloribus micantis, oculis noſtris impreſſis medió lumine diverſimode modificato, quod aquæ guttulæ reflectunt poſtquá Solis radij duas refractiones paſſi ſunt, vnicamque reflexionem: ſtabilis videtur quamdiu aquæ guttæ ſucceſſive ſe ſubſequuntur; divulſa vero apparet iis in locis quibus deſinunt inferius illabi; centrum ſuum perpetuo obtinet in eadem linea recta, quæ à Sole prodiens per oculum ſpectantis huic excelſior adparet, ac proinde major & in modum ſemicirculi, prout Aſtrum illud inſigne verſus horizontem deprimitur & inclinat.

An quidpiam mirabilius occurrit egregio illo ponte nullibi ſuffulto, ex quinque zonis conſtructo, quem vividiſſimi colores decorant, ruber, flavus, viridis, cæruleus? Scala eſt Iacobi omnibus obvia, homines ad aſcenſum in Cælum provocans: refugit vero quoſcunque acceſſuros, niſi animus virtutibus omnibus prædiius fuerit, ac recedit non ſecus ac vmbra propria ſi illam inſequi voluerint.

Deus qui Iridem conſpici vult tanquam proprium arcum, poſt diluvium illum conceſſit in ſignum fœderis icti cum hominibus, *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram*; Eapropter, credo quia arcus iſte tunc & ſagitta deſtituitur, imo ſitum adverſum terræ obtinet, vt tela vibrari in illam nequeant; Atque genuina hæc eſt explicatio, veriſimilis ſaltem, illuſtris illius & mirandi ſymboli & ſigni fœderis, & pacis quam Deus pollicetur hominibus.

Lagena vitrea, exacte ſphærica, aqua limpida repleta, ſimiles Irides

ẽes productura eſt, ſi in feneſtræ foricula, cameræ atratæ, foramen rotundum ſemipedalis diametri effeceris; lagenam enim illam ad amuſſim in dicto foramine collocando, apponendo vero linteum album expanſum ad trium pedum diſtantiam, Solis radij in hoc depicturi ſunt in arcus effigiem plurimas lineas colore variegatas; Id quod & in lagena conſpicuum erit ſi eo feratur oculus.

Sed vt redeam ad Iridem quam effingunt radij ſolares in conclavi atrato, poſtquam tranſmiſerunt Priſma vitreum; Si collocaveris citra hoc priſma, ad trium aut quatuor pedum diſtantiam, Polyedrum, hoc eſt vitrum multis facibus donatum, tres vel quatuor pollices diametrales obtinens, & diaphanum, ab hoc reflectentur colores Zonæ Iridis in totidem particulas quot obtinuerit facies aut plures planities; quamobrem atratum conclave ſtellatum cœlum referet.

Hoc vero admiratione dignum, ſi polyedrum conſtitueris à muro diſſitum ad trium vel quatuor pedum diſtantiam, adeo vt admittat irradiationem priſmatis, adparebit ille conſperſus ingentibus fragmentis gemmas referentibus, colore admodum variegatas.

Sin propius parieti admoveris, radij effecturi ſunt ſtellam radiantem, variiſque coloribus ornatam.

Admiſſa irradiatione Priſmatis in vitro concavo, quia emittit radios divergentes, faſcia colorata expanſa magis adparebit, ac proinde color minus vididus & magis obſoletus.

Si ex oppoſito in vitro convexo excipiatur, conjunge colores in foco, in eo purum lumen accendent, adeo tamen vt colores præcedentes reſumpturum ſit poſt decuſſationem.

Tandem vnicum vitrum polyedrum, radiis ſolaribus expoſitum, Iridis colores in charta exprompturum eſt quam a tergo illi expoſueris, ac paulatim illam removendo, omnia lumina modificata in vno foco colliguntur, extinguuntur, ac poſt decuſſationem eoſdem colores induunt.

Sin vero coloribus diaphanis depinxeris imagines in ſuperficiebus vitri polyedri, collocati in foramine cameræ atratæ, in pariete expanſi & amplificati iſdem apparebunt.

Si effigies magis admirandas exoptaveris, inſere quadro ſeptem priſmata vitrea, adeo vt ex vno latere vnam tantum faciem exhibeant, adplica demum foramini quadrato facto in foricula cameræ atratæ: inſere præterea inter duas laminas cupreas ſibi ſuper impoſitas, rotunda forma omnes perforatas, ſeptem Polyedra, aut vitra variis facibus donata; cum radiis ſolis cameram ſubibunt priſmata trajicientes, horum irradationes coloratas excipiant polyedra, inde prodituræ ſunt in totidem particulas diviſæ quot occurrent facies: Inde camera apparebit perpeta mare obductas quaſi ex multis gemmarum millibus conſtructo, tanta colorum luciſſimorum

morum, micantiumque varietate, vt in rerum natura nihil vnquam elegantius conſpici detur.

Sæpe contingit hyeme, ait Ariſtoteles, ſi præſertim ab Auſtro aër humidior fuerit redditus, vt poſt diuturnam lucubrationem adpareat flamma lampadis, vel candelæ, circumdata coloribus Iridis.

Plurimæ hujus eventus adducuntur rationes; ſed ſi quidem nullo non tempore id accidat cum premente ſomno pulpebræ humore gravatæ concidunt, id totum aſſignandum eſt ſenſationi impulſionis factæ in retinam, radiorum flamma lampadis, modificatorum & reflexorum ab humiditate pulpebrarum: Aperte ea de re conſtat, nam ſi oculis ſupprimatur pars ſuperior flammæ, evaneſcit illico pars inferior illius Iridis; cooperta vero parte inferiore flammæ, coloratus iſte arcus diſſipatur ſuperiore parte.

Ampullæ quas excitant pueri inſufflando palæ tubuli ope in aquam ſapone imbutam, inſigniuntur vividis Iridis coloribus.

Iidem colores manifeſti ſunt inſpecta flamma candelæ per ſetam pennæ ſcriptoriæ, aut dentes pectinis denſiſſimi.

Plurimi panni bombycini, villoſi, vel læves vndulati variegatos obtinent colores & mutabiles pro vario luminis aſpectu, columbæ colli inſtar.

Dant mille averſo radiante ſole colores

Aquæ guttulæ ſuper folia herbarum, aut rerum aliarum, deciduæ, ſi matutinis horis conſpiciantur, ſucceſſive varios induunt colores, lucidos & micantes, pro varia oculi motitatione; id quod & animadvertere eſt ad conſpectum adamantum & cryſtalli cæſę & lævigatę.

Aquarum profundi gurgites, ſi illæ decurrant per locum vmbratilem, viridiuſculæ adparent, id quod hic experiri licet, ſi oppoſita ripa horis meridianis ex loco ad aquationem recens conſtructo conſpiciatur.

Textura filamentorum ſubtiliſſimorum, ſi ex iis quædam alba fuerint, alia purpurei coloris, alba oculis exhibebitur; Si filamenta nigra ſint & alba, textura dicta cœrulea lampadis lumini objecta, adparitura eſt; Colores autem virides noctu ſemper ſubcœrulei videbuntur.

Nivem rubicundam pronuntiabis ſi conſpiciatur objecta oculis bombycina tenuiſſima: mulieris porro ſuprema pectoris pars, etſi nivei candoris, rubicunda videtur ſi lumen tranſmittatur per plumacium nigrum: Non ſecus ac manus candidiſſima rubicunda adparet conſpecta oppoſitis digitis manuum conjunctis & extenſis.

Attente inſpicius albam domus ſuperficiem, feneſtris adapertis Luna illuſtri illas feriente, poſtea oculos conjice in quampiam cœli partem, oculis tuis eadem facies obverſabitur, feneſtris quaſi pertuſa, non ſecus ac ſi domus revera ibi collocata eſſet.

Vt tandem experimentis manifeſtum fiat purum putum lumen, diverſimode

mode modificatum, fundo oculi inducere impreſſionem, cujus ſenſatio vocatur Color, cameram omnino obſcuram procura, & in feneſtræ foricula foramen excavari trium aut quatuor pollicum diametralium menſura, illi chartam albam glutine obductam adpone, in qua atramento vulgari, vel alio colore diaphano depinxeris objecti cujuſpiam lineamenta rudiora, eo plane modo quo in fragmentis vitreis depinguntur imagines, noctu conſpiciendæ per magicam laternam: colorata illa & amplificata in pariete vel linteo albo ſi deſideras, fixis oculis, & diutius intuere pictam illam chartam, quo tempore Solis radij vehementer illam feriunt; poſtmodum velum illi objicias, vt camera atrior evadat & obſcurior, tunc adi cameræ partē maxime tenebroſam, ob oculos gerens chartā denſā albā, illico omnia flava adparitura ſunt, mox rubra, &c. poſtmodum exſurget zona, aut circulus ex vividiſſimis coloribus conſtans; tandem feneſtræ hiatus evadet rubicundiſſimus & fulgens, effingens circulum lucididum, qui ſucceſſive flavum colorem exhibiturus eſt, rubrum, cœruleum & nigrum, omnibus demum evaneſcentibus.

Ecce experimentum minus ardui negotij, eandem rem comprobans, cum Sol cameram tuam ingreditur, feneſtræ vnicam foriculam aperi, impone pavimento ingentem ſcyphum vitreum, aqua repletum, ab vmbra diſſitum quatuor aut quinque pollicibus, Solis radii illum pertranſeuntes plurimas Irides repræſentaturi ſunt in vmbra, ſi ſubſtrata fuerit charta aut candidum linteum.

Videtur Lux perpetua edere miracula effingendo diverſiſſima objecta, quæ in fundo oculi depingit per tenebras: Enitamur grande hoc myſteriū extricari facili experimento extra oculos noſtros; Id præſertim pendet ab expoſitione chartæ aut lintei candidi expanſi in medio conclavi, in quod tenebræ artificio inductæ ſint.

Inventum hoc mirabile nec non Vitruvium intellectui redditum facilem, debemus induſtriæ Danielis Barbaro, Nobilis Veneti, qui hoc publici juris fecit in Stenographia ſua, vel Optica practica, parte 9. capite 5. En ipſius verba.

Con mirabile diletto la natura ne inſegna la proportionnata digradatione delle coſe. Fa vn buco nello ſcuro della feneſtra, della ſtanza di dove vuoi vedere & piglia vn occhiale da vecchio, vedendo nella charta: lineamenti delle coſe tu povi con vn penello, &c.

Diu poſt Baptiſta à Porta Neapolitanus, in ſua magia naturali, edita anno 1589. publicum fecit hoc experimentum, quod tanquam novum edidit, quaſi ſe excogitatum.

Nunc autem, ait, enuntiabo quod ſemper tacui: Si cryſtallinam lentem foramini opponas, jamjam omnia clariora cernes, Vultus hominum deambulantium, colores, veſtes, actus & omnia; ac ſi propius ſpectares videbis tam

maxima jucunditate, vt qui viderint nunquam ſatis mirari poſſint.

Myſterium hoc eſt Cameram, tenebricoſam reddito; excavato foramen in foricula feneſtræ, pollicis circiter diametralis; foramini huic admove vitrum objectivum conſpicilli quinque aut ſex pedum longitudinis, aut ſaltem vitrum conſpicilli in vſum ſenum, Quando Sol radiis non ferit feneſtram, ſed ſolum illuminat objecta ipſi oppoſita, objice chartam, aut linteum candidum foramini, ſed paululum remotum, quouſque objecta in illis diſtinctiſſime appareant depicta vna cum coloribus ac motibus ſed ſitu inverſo; vocantur ejuſmodi imagines, ſpecies objectorum, etſi nihil aliud ſint quam lumen reflexum.

Diſtantia hujus chartæ ad vitrum convexum, foramen obturans, eo major eſt quo objecta proximiora ſunt, eadem ratione qua neceſſe eſt conſpicilla elongari vt diſtinctè adpareant objecta minus remota.

Diſtinctior futura erit hæc pars ſi ea quæ aperta relinquitur in medio vitro proportione reſpondeat jactui, aut foci longitudini ac diſtantiæ objectorum: Experimentis crebris deprehenſurus es aperturam requiſitam, ſucceſſive adplicando vitro chartacea diverſa, in quibus ſint foramina variç diametri: hoc enim modo in camera atata effecturus es, vel in oculis artificialibus (*Figur.1.& 2.*) id quod oculus naturalis neceſſitate vrgente præſtat motu involuntario & mechanico. In aperto lumine, & cū objecta proxima ſunt, & multum illuſtrata, coarctat aperturam quam vocamus oculi Pupillam; nimium enim lumen calore ſuo efficiens ſenſibilem rarefactionem in retina & in choroide has dilatat impellit, ac proinde ſuppeditat tunicæ rhagoidi vim contrahendi & imminuendi foramen ſuum, quod vocant vucam, ſic dictam ob ſimilitudinem quam gerit cum foramine uvæ cui pediculus ablatus: Vocatur quoque Pupilla oculi, eo quod reflexio humoris cryſtallini in ea repræſentat contractam effigiem illius qui cominus inſpicit oculum alterius, qui moribundus non ſit: Provt deſinit iſta rarefactio, retina & choroides tunicæ contrahuntur, ac proinde vndiquaque adducunt rhagoidem, quamobrem foramen medium, hoc eſt Pupilla, amplius fit.

Oculus demum officio fungi incipit facta iſta rhagoidis dilatatione, quæ accidit à calore & influxu ſpirituum à cerebro in oculum per nervum opticum influentium, hi collecti ab humore cryſtallino humorem aqueum diſtendunt, ac impetu ſuo impellunt & dilatant tunicam rhagoidem in medio.

Cum primum Muſis operam dedi, ratus ſum pro majori aut minori luminis appulſu ipſo nativitatis momento ad tunicam rhagoidem, tunc temporis admodum mollem & teneram, ipſi induci aliam atque aliam texturam & rugoſitatem, ob quam lumen poſt varias refractiones reflexum, in retina pariat ſenſationes, quas vocamus Colores, in alienis oculis,

Huic

Huic principio innixus, inferebam & colligebam horam nativitatis ex oculorum coloribus: Oculos omnino Nigros aſſignabam merinoctio, Albos horis quartæ vel quintæ matutinis; Cæruleos decimæ vel vndecimæ; qui ad viridiuſculum vergerent meridianis; virides & nigros quintæ vel ſextæ veſpertinæ; Felinos ſeptimæ vel octavæ horæ; Flavos inſtar corticis mali aurantij nonæ vel decimæ noctis: Hoc poſito, Homerus, Cœcus ille divinus, Poëta eruditiſſimus, de coloribus ineptum judicium tulit, pronuntians Venerem formoſam donatam eſſe oculis nigris; doctam Minervam cæruleis: Magiſter autem Ariſtoteles, & Albertus Magnus, inutiliter tradidere præcepta per quę judicium ferri queat de varia hominum indole ex oculorum coloribus.

Pro maiori aut minori rhagoidis reſiſtentia, hinc ejus extenſionem & rugas inductas, variam conſequitur diaphaneitatem, aut alium contextum in ſua ſuperficie qua corneam ſpectat, quapropter reflectit lumen diverſimode modificatum, vnde & oculi diverſimode colorati apparent: Imo ſæpe ambo oculi in vno eodemque homine varij ſunt in colore, atque id porro certiſſimū eſt, inter mille homines vix viginti repertum iri (in quorum numero fui vſque ad annum 1668) quibus oculi omnino ſint inter ſe ſimiles conformatione & vigore. Dominus Gaſſendi, ſæculo noſtro Philoſophorum Mathematicorum maximus, ait ſe noviſſime adnotaſſe in ſe oculi vnius virium, quo objecta triplo majora quam alteri videntur; R. P. Chaleus Ieſuita, Tomo 2. mundi Mathematici pag 381. propoſ. 39. per ſe ipſum comprobat, & oſtiarium Collegij Camberiacenſis, pauciſſimos vno eodemque oculo idem objectum videre vno eodemque intuitu; ait enim prædictum oſtiarum myopia vno oculo laborare, altero viſione ſenum, quamobrem neceſſe illi eſſe occludere oculum myopicum, quo altero ſolo liceat objectum diſſitum videre: Oculum autem vitio ſenibus familiari laborantem occludere, vt liceret legere & ab invicem exacte diſtinguere objecta proxima ope oculi myopia affecti: Propria experimenta explicat pag. 368. & 369. nam ait ſe ſi ambobus conjunctim oculis objecta intueatur, turbida illa apparere, confuſa & maculis obſita.

Vt res experimento confirmetur, ab vno ſcil. oculo vt plurimum objecta diſtinctiora & majora videri quam ab altero, legatur 1. *Giornale de Letterati do 29. Gennario 1669. obſervatione del Signor Gio. Alfonſo Borelli intorno alla virtu inequale d'ogli occhi.* Reperies pagin. 11. Eruditarum illarum ephemeridum Romanorum quæ ſequuntur. *Si fa vn buco rotondo, ô ſi pone vna palla nerva pendente nel meſo d'vna feneſtra aperta, la quale palla ſi riguardi hor coll' d'eſtro occhio, hor col ſiniſtro e parango nate inſieme queſte vedûte: Si trova eſſer notabilmente diverſa l'imagine, perche l'occhio ſiniſtro vede le coſe piu grandi, e piu diſtinte, che il eſtro che repreſenta vn imagine con certa ombratura attorno.*

Reverendus Pater Fabritius Ieſuita jam ante omnes Philoſophos admonuerat, quod *Nullus fere oculus ſine aliquo vitio*: His vtitur vocibus pagina 310. libri *de Homine*, editi Pariſiis apud Muguetum anno 1666.

Alias determinavi diametrum apertionis illius vitri ad partem 77. longitudinis illius foci; Pagina nonageſima libri à me editi de *Natura Cometarum*, editi Lugduni anno 1665: Eodem libro, Tractatu 7. pag. 481. exhibui quæcunque vitrariam rem ſpectant, ac conſtructionem Batavicorum ſpecularium, compoſitorum ex pluribus vitris convexis.

Si foramen in foricula feneſtræ factum obduxeris illo extremo ſpecularis cui affixum eſt vitrum convexum & objectivum ſpecularis à Galilæo nomen obtinentis, lumen exiens per vitrum oculare concavum, in charta depinget objecta majora & diſtinctiora quo magis ſpeculare contraxeris, etſi contrarium accidat ſi objecta ipſa conſpiciantur admoto oculo vitro concavo ſpecularis.

At vero quia hęc pictura objectorum inverſa conſpicitur in charta, non ſecus ac quidvis quod nobis rectum adparet, in retina, ad fundum oculi, depingitur inverſum, quæ eſt quaſi camera tenebricoſa à natura conſtructa, e re erit media protuliſſe per quæ in charta realiter rectificetur dicta pictura, vel ſpecies objectorum, vt oculis objiciantur quaſi illic in ſitu naturali depicta forent.

Primo, ſi objecta ſint aulæa, vel ſtatuæ, actu ea invertantur, ac ſuſpenſa collocentur, inde fiet vt illorum ſpecies directæ depingantur ac in aëre vagantes.

Si à tergo obtendatur pannus niger magnus, aut in quo nubes depictæ; & idem inſternatur pavimento, adaptando foramini feneſtræ tubulum vel infundibulum chartaceum interius rite denigratum, cujus cuſpis detruncata comprehendat vitrum convexum, pars autem laxior admittat tantum lumen reflexum ab objectis quæ repreſentari cupis in atrata camera, in qua conſpicienda erunt comitibus motibus quæ clam conciliari poſſunt toti ſtatuæ, vel illius brachiis &c. Si modo verum id quod referunt Rabini de Rege Salomone, ipſum ſe videndum exhibuiſſe aliis in locis quam quibus erat, En rationem à me, niſallor traditam, aliam poſtmodum traditurus.

Eo pacto Rogerius Bacco, Anglus, videndum ſe objiciebat diſcipulis ſuis: Arabs Aralel in theatro, quicquid libuiſſet, conſpiciendum præbebat; Eo pacto, vel alio quopiam non diſſimilis, ſicuti ope laternæ magicæ; vel illuminationum exhibitarum in Comœdia Iobinæ, cui interfuit imperator Rudolphus Secundus. In qua repræſentati fuere omnes Imperatores à Iulio Cæſare vſque ad Carolum Quintum.

Secundo, obduce exiguum foramen, in aſſeris medio benę denigrato excavatum, vitro convexo, quod ad quandam diſtantiam pone chartam

oleo

oleo delibutam conſtitues, à qua exceptæ ſpecies inverſæ; dum enim id vitrum tranſmeabunt, reſtitutæ rectitudini conſpicientur in altera charta.

Tertio, Pone ſpeculum planum metallicum extra feneſtram, paulo ſupra vel infra foramen, ſpecies enim quæ ob reflexionem à ſpeculo factam inverſæ cameram ſubingreſſuræ ſunt; in ea dabunt depicta objecta directa in tabula chartacea alba, aut tela nova; eodemque tempore alia objecta inverſa adparebunt; imo ſæpe numero diverſæ illæ ſpecies adeo oppoſitę cœunt & conjunguntur, vt portenta non iniucunda à ſola natura efficta oculis objiciantur, nullo alio accedente quam lucis auxilio.

Quarto, Admove ſpeculum planum, infra vel ſupra chartam aut tabellam ſpecierum ad angulum rectum, vel quemvis alium, à quo reflectantur dictæ ſpecies verſus oculum; Has hoc pacto in ſpeculo directas habiturus es, ac cujuſmodi fuerint objecta extra cameram poſita.

Quinto, Ope Priſmatis vitrei licebit tibi ſpecies dirigere aut, quod in idem recidit, erectas videre.

Sexto, Si dictas imagines inſpexeris per vitrum omphaloptrum, hoc eſt, vtrinque convexum, erectæ apparebunt imagines.

Septimo, Dictæ imagines erectæ videbuntur, & majores ſi eas inſpexeris per conſpicillum vulgare, conſtructum ex vitro objectivo convexo, & vitro oculari concavo; eapropter vero neceſſe eſt tubi admodum producantur, quo dicta vitra plurimum à ſe mutuo recedant, atque eo modo exſurgit microſcopium, à me inventum anno 1652. in ſortalitio Cluſuræ, dũ legerẽ Kepleri Dioptricẽ: Eiuſmodi Microſcopium viſendũ obtuli anno 1655. Divioduni curioſis qui convenerant in ædes Clariſſimi Dom. Senatoris Lantini, vbi forte aderat Dom. Mariotte, quod publici juris feci pagina 53. libri à me De nova Scientia Cometarum, editi Lugduni anno 1665.

Octavo, Compara tibi Speculare ſeſquipedalis circiter longitudinis, conſtructum ex duobus vitris convexis: extremum, in quo vitrum objectivum continetur, impone foramini facto in foricula feneſtræ, adeo vt exacte obturetur; extrahe tubos quovſque vitrum oculare attigerit focum vitri objectivi, demum objice chartam albam tergo vitri ocularis ſpecularis, & fac accedere vel recedere quovſque pictura objectorum diſtinctiſſima adpareat & directa; id quod accidit eo quod radij à quibus effinguntur penicilli optici, ſitum mutaverunt ob decuſſationem aut interſectionem mutuam, citra ſecundum vitrum convexum.

Nono, Imagines illæ, aut ſpecies, in tabella inverſæ, erectæ tibi objiciuntur ſi inſpexeris vſus ſpeculari compoſito ex duobus vitris convexis, quandoquidem quicquid rectum eſt id inverſum oſtendunt: Si tubulum muro adaptaveris ſpecies erectæ tibi adparituræ ſunt, etiam non ingreſſo cameram tenebricoſam.

Decimo, Segmentum vitri hyperbolici oppoſitum foramini feneſtræ, ſolum productum erit projectionem ſpecierum in charta, in eodem ſitu quem obtinent objecta.

Vndecimo tandem, grande ſpeculum concavum impoſitum ſuppedaneo, præciſe in loco quem occupabat charta excipiens imagines inverſas, inverte vt incumbat geniculo, adeo vt è loco quem elegiſti in ſpeculo conſpicere queas foramen feneſtræ obſtructum optimo vitro convexo, objecta, quæ vltra id foramen reflexionis conſpicua tibi erunt in ſpeculo, multo manifeſtiora fient quam in charta, atque æque evidenter ac ſi vtereris optimis ſpecularibus, adeo vt ſi vitrum convexum ac ſpeculum concavum probæ fuerint notæ, in eo ſpeculo poſſis legere ſcripta ad ducentorum paſſuum diſtantiam à feneſtra cameræ tenebricoſæ.

Innotuit mihi arcanum, forte non contemnendum: Scilicet offerendum eſt vitro concavo, ad quandam diſtantiam, vitrum concavum conſpicilli vulgaris, atque inſpiciendum per vitrum objectivum convexum.

Non me latet Bettinum, cum aliis, tradidiſſe ſpeculum concavum, conſtitutum in puncto confuſionis ſpecierum, pone vitrum convexum quod obturet foramen feneſtræ, reflexurum imagines erectas, vel ad latera, ſi ſpeculum concavum paululum oblique ſitum ſit.

Licebit noctu per tenebras in camera conſpicienda exhibere quæcunq; volueris in aëre volitantia; Vide figuram V. Fiat in janua A. D. foramen rotundum, cooperiendum vitro P P. ex vtraque parte convexo, octo aut novem pedibus à foco diſtantia: Suſpende in camera ad parallelum januę tabulam R R R. raſam, experientia te docebit quantum à foramine diſtare debeat; Oppone januæ ad aliquot pedum diſtantiam candelabrum M. I. F. S. effictum in formam ſcandulæ rhedæ inſtructæ vitro plano O O B B. Cura depingi in eo vitro quicquid in mentem venerit, ſed coloribus vividis & diaphanis: reliquum vitrum cooperi panno nigro: E directo partis pictæ appone facem mjorem accenſam, Radij objectorum depictorum vbi penetrarint vitrum convexum P P. eorum imagines in camera tenebricoſa, ſupra telam R R R. effingent vividis coloribus & illuſtribus præditas.

Sin Candelabrum M. I. E. S. in ſe habuerit aperturam O B O B. atque habueris plures grandes laminas vitreas, variis figuris depictas, poteris ſucceſſive imagines in camera repræſentare, modo erectas, modo inverſas, imo quibus libuerit motibus donatas, inſinuando dictas laminas vitreas in aperturam candelabri à ſummo ad imum à dextra in ſiniſtram &c.

Prolixus fui in differendo de variis objectorum horum ſpeciebus, eo quod vſui ſint arti medicæ ad rite cognoſcendum oculi naturam, ejus partes & functiones, non exiguo proculdubio emolumento: Galenus, qui

qui oculum organi divini epitetho donati, aſſerit libro decimo, cap. duodec. de vſu partium, coactum fuiſſe ſe illius admiranda ſcripto tradere per ſomnium impulſum exprobrans injuriam Creatori illatam niſi hiſtoriam illius partis traderet, *Non lubens*, ait, *ſed ſolum vt Dei juſſui ſatisfacerem mathematicis theorematibus ſum vſus &c.* Ego ipſe lucis myſteria in vſum duxi à pagin. 440. libri mei cui titulus, *Nova inſtructio ad conciliandas Eccleſias titulo Reformatarum gaudentes cum Romana*, editi Pariſiis anno 1677 demonſtraturus præcipuum Religionis noſtræ myſterium in S. S. Euchariſtia, quandoquidem lux, colores, ac ſpecies objectorum, vnam eandemque ſpeciem corpoream conſtituentes, ſeſe colligunt, foramen pertranſeunt, ac colliguntur anguſto ſpatio in foco, citra tamen confuſionem, quandoquidem priſtinæ extenſioni, ſitui & ſpeciebus reſtituuntur.

Finem facio Te hortatus, ac quotquot Illuſtrem veſtram Academiam componunt, vt ſedulo velitis incumbere ſtudio & explorationi per experimenta myſteriorum & arcanorum naturæ, quo in rem medicam commodum redundet; Vt ad id impellamini, optarem in aula veſtra appendi Tabulam cui inſcripta eſſent egregia hæc D. Baſilij verba, vnius è quatuor Eccleſiæ Doctoribus, *Naturæ contemplatio eſt voluptatis cœleſtis veſtibulum, perennis jubilus mentis, porta tranquillitatis, humanæ felicitatis faſtigium, quod attingens anima è gravi veluti ſuſcitata veterno, luciſque regionem ingreſſa, ſuique oblita, non tam cœleſtis hominis quam terreſtris Numinis perſonam agere videtur.*

Observatio II.

Authoris.

Planta famen & ſitim ſedans.

IN Scotia reperta eſt planta famem & ſitim ſedans eam comedentium, quantumvis exigua quantitate: Nec eam ſiluerunt hiſtoriæ Romanæ: Propediem proditura eſt de ea planta elegantiſſima & curioſiſſima diſſertatio ejus nomen prodens, reliquaſque ad eam ſpectantes circumſtantias. *Datum Edimburgi Scotiæ metropoli.*

Observatio III.

Mag. ARTVVO Temple, Chirurgi Edimburgenſis.

Mulier cornuta.

ELizabetha Lovv, annum jam agens quinquageſimum, geſtavit tribus pollicibus ſupra auriculam dextram cornu, quod incrementum ſuſcepit per ſeptennium: Id cornu fere palmi longitudinem obtinet, craſſitiem ſemipollicis; coloris eſt obſcuri, inſtar arietini, figuræ incurvæ, huic ʒ ſimili, vel literæ, Græcæ inverſæ: Amputatum fuit à magiſtro Artuvo Temple, Chirurgo Edimburgenſi, quo donavit Academiam illius vrbis Videndum exhibetur in Bibliotheca Academiæ, cum lamina argentea, cui hiſtoria dicta inſculpta eſt: Iterum naſcentis primordia quædam obſervantur in capite dictæ mulieris.

Cornutæ hujus mulieris hiſtoria cum in conventu noſtro perlecta fuiſſet, eruditorum quorundam memoriam refricavit, de ambobus cornutis hominibus, quos memorat Dom. à Mezeray in hiſtoria ſua Gallica: Aſſeruit vero Dom. Roberdeau, ante vicennium vxorem Dom. Chanveau, Curiæ Procuratorem, habitantem in vico de la Parcheminerie, tunc temporis agentem annum circiter decimum ſeptimum vel decimum octavum, menſtruam periodum ter expertam, per plurimos dies perpeſſam eſſe dolorem gravativum & obtuſum in capite, parte dextrà & ſupra ſuturam lambdoideā in qua paulo poſt exortus eſt tumor, cujus ſuperficies ſtatim pertuſa fuit à cornu vel excreſcentia oſſea quæ incrementum aſſumpſit; ſed figuram curvam aſſumens, adeo vt circiter quatuor digitos tranſverſos longa eſſet, ac pars ſuperior & acuta carnem penetraret non longe à bazi, qua de cauſa dolor adeo acutus ægræ inductus eſt vt aſſenſum præbuerit extractioni illius cornu.

At vero licet operatio à peritiſſimo Chirurgo peracta fuerit, ſupervenere tamen gravia accidentia, caput enim intumuit, acceſſit febris, imo ingenium, quo illa ante ſatis vivido valebat, hebetius effectum eſt: Nec tamen infortunium hic terminum habuit, id enim cornu cum iterum erupiſſet, triennio circiter à primo reſecto, ejuſdemque longitudinis, ſponte id excidit, incolumi ægra, illabefactataque ſanitate, ſed ingenio plane orba quo inſtatu ad interitum vſque permanſit, duodecimo vel decimo tertio poſt anno ſuccedente.

Cauſa prædictorum omnium eventuum in prædicto conventu, adſcripta fuit quibuſdam materiis fermentativis, tranſlatis ad quaſdam partes, in

in iiſque ſubſiſtentibus : Ad quæ cum repoſuiſſem in vnaquaque materiæ portione latere quaſdam ſpiritus vitæ particulas, ex quibus exſurgunt animalia quotieſcunque ſufficientem obtinuere motum vt ſubſtantiis materialibus imprimere valeant (quibus una conjunctæ hærent) ambas illas mirandas proprietates, quas vocant motum & ſenſum, Aut ſolum modo plantæ fiunt, ſi eouſque tantum extricantur, vt ſoli vegetationi ſufficiant, Incomprobationem iſtius opinionis protuli hiſtoriam fungorum innaſcentium apparatui impoſito femori fracto, cuius memini Ephemeride ſeptima anni 1679, ac vlterius corroboravi additis duabus obſervaionibus Ephemeride ſequenti tradendis.

Finis Iulij Anni 1681.

ZODIACI MEDICO GALLICI

SIVE

Recens in Re Medica & Naturali Exploratorum.

AVGVSTVS Anni 1681.

OBSERVATIO.

D. LANDEI BAVGRANDI Chirurgi Sammeclovienſis.

Femoris Fractura cum Vulnere.

FILIA Mag. Orangei Cauponis Sammaclovij, annos ſeptem & decem nata, ex caſu menſe Iulio proxime præterito de ſecunda domus contignatione in ſubjacentem vicum, nullibi læſa fuit præterquam in femore dextro, quod cum vulnere effractum fuit, oſſe prominente & conſpicuo ad ſex digitorum tranſverſorum extantiam.

Quo facilior evaderet huius Fracturæ reſtitutio, ac liberior pateret puri exitus, qnod copioſum ſemper gignitur ea in parte eo modo læſa, maximam inſtitui inciſionem ad vulneris dilatationem, vnde non exigua vtilitas poſtmodum emerſit, pus enim adeo inſigni quantitate productum eſt, eoque corruptionis extraordinariæ gradu vt nequaquam exhauriri poſſe videretur, cuius fœtori ferendo præter me & miniſtros nullus par fuit; adeo vt toto primo menſe, per intervallum vnius curationis ad alteram, ſub ſpleniis & ligaturis infinitus vermium numerus ſubnaſceretur; etſi citra intermiſſionem medicamentorum adminiſtratio quotidie perageretur toto illo temporis decurſu, in vſum ducendo injectiones compoſitas ex vini ſpiritu, myrrha, aloe, & arri-

& ariſtolochia,vniverſuſq; apparatus vino & aquæ vitæ immerſus eſſet.

Hoc vero in admirationem pertrahit quod cum huiuſmodi putredini finis impoſitus fuiſſet, ac proinde rarius manus admoveretur loco affecto, hoc eſt exacto circiter quatriduo, in dies animadvertebatur ortus copiæ inſignis fungorum ſupra prædictum apparatum, id quod vltra bimeſtre perduravit; deinceps oſſium deſquammatio brevi ſubſequuta eſt, quam poſtmodum brevi ſequuta vulneris mundificatio & perfecta cicatricis inductio,adeo vt ægræ ad integram valetudinis reſtitutionem nihil nunc deeſſet, niſi,malo fato, non diu poſtquam lecto valedixit, ſororum altera crus iterum illi perfregiſſet, eodemque in loco, impetu facto in illam inſiliens.

Nonnulli meorum Collegarum, quibus eiuſmodi accidentia perſpecta ſunt, aſſerunt abruptum callum nunquam eam ſoliditatem adipiſci vt deinceps femur ſuſtinendæ maſſæ corporeæ par eſſe poſſit:Quid in poſterum circa iſtum callum futurum ſit neſcio, in quo inſignis exſquammatio contigit; hoc vero me aliquid ſperare iubet, quod ab ægra nequaquam animadvertatur crepitatio extremorum abruptorum, etſi vix octiduum a reſtitutione per me facta effluxerit: Si res felicem exitum habituta ſit vt certior nas curabo quo publici iuris fiat.

Authoris in præcedentem Obſervationem animadverſio.

Ex hac hiſtoria eluceſcit, dum peragitur fermentatio, duranteque illius impetu, quæ contingit intra & ſupra vulnus, ſpiritum vitæ animalia procreaſſe. ac vegetabilium ſolum quaſdam ſpecies quamdiu intra mediocritatis terminos conſtitit.

Hoc vero admiratione dignum, quaſdam nempe particulas, materiales & ſpirituoſas, quæ ſeſe inſinuaverant in propriam ſubſtantiam Vaſis Faventini,eiuſmodi fermentationem adeptas eſſe ob quam poſtmodum adeo rarefactæ ſint vt fungorum quaſdam ſpecies gignere valuerint in ſuperficie prædicti vaſis: Vt rarioris iſtius eventus cauſa eluceſcat, attenta menſe legenda eſt Obſervatio ſequens.

OBSERVATIO II.

Authoris.

Fungorum rara ſpecies ſuperficij vaſis figulini Faventini innaſcentium.

CVm aliquando vaſi figulino Faventino Collyrium Lanfranci immiſiſſem, compoſitum,ſicuti notum, ex aquis roſarum & plan-

taginis, vino albo, viridi æris,auripigmento, myrrha & aloë, idque menſis ſpatio paulatim abſumpſiſſem, pro re nata illud in vſum ducens,poſt dies aliquot in vniverſa exteriori ſuperficie vaſis illius emerſit cruſta quædam flaveſcens,quam eradi curavi, rei non attentus, at hæc biduo vel triduo poſt iterum exorta eſt, quamobrem repetita vaſis deterſione opus fuit, qua mundatione facta, aliiſque inſequentibus plurimis,cum id phænomenon perpetuo occurreret, decrevi rem Naturæ committendam, neque actionem ejus impediendam,quo adpareret quouſque progredi illi liceret: cum delectatione obſervavi increſcentem prædictum muſcum, ac variis in locis fungorum formam induentem, qui poſtquam magnitudinem exigui ovi gallinacei attigerant, altitudinem vero duorum tranſverſorum digitorum,excidebant, renaſcentibus aliis, eaſdem dimenſiones adeptis intra ſex ſeptimanarum ſpatium, poſtmodum ratione proprij ponderis, ac radicum exilitatis, proportione reſpondentium exilitati pororum vaſis,decidui, Id vero pluſquam per integrum annum perduravit.

Observatio III.

Ejuſdem.

Animalcula rara ex Africa recens allata.

D. Bongrandio, Mercatori Nemauſenſi, cum mercium cauſa Africæ meridionalis oras adiiſſet, exhibitum fuit animalculum extraordinariæ formæ, cui nomen ab incolis inditum *Arcbrougé*, voce Arabica, eximiis facultatibus ex illorum narratione præditum, quapropter dictorum animalium non exiguum numerum in Galliam intulit, publici commodi gratia: Nuper vnum prædictorum animalculorum Conventui noſtro exhibuit: Delineari id curavi accurate, cuius figura hic tibi apponitur:

Conchylia quoque ſingularis elegantiæ ex illis regionibus attulit in fundo maris quærenda, corallii ramis inhærentia, quæ contrita & diſſoluta in aceto certiſſime herpetes & lentigines delent iis affricta, Eorum vero animalium figura nimis ſingularis quam vt prætermitti debeat, adeoque eorum damus effigiem.

Pars pendula, inter ventrem & caudam ſita, veſicula eſt materia flava repleta,ſpiſſa & friabili,quæ conſervæ roſarum commixta, & mane jejuno ventriculo drachmæ pondere aſſumpta, vel ſeſquidrachmæ, omnem diarrhœam & dyſynteriam coercet, vna vel altera doſi: Cæterum ſe ab Arabibus didiciſſe retulit dictus Dom. Bongrandius, demum

mum Pariſiis & Maſſiliæ in plurimis rem experimento facto deprehendiſſe.

Cæterum examine inſtituto partium exteriorum prædicti animalis, cenſemus ad piſcium genus id referendum: Id vero tanto magis obſcurius eſt quod Arabes quid rei ſit D. Bongrandium latere voluerint, Neque vero vllus rerum naturalium ſcriptor, quod ſciam, deſcriptionem aut figuram tradiderit.

OBSERVATIO IV.

Dom. ROBERDEAV, Academiæ Recens Exploratorum adſcripti &c.

Surditas curata.

QVidam, cui audiendi facultas ablata ob vtriuſq; auris vitium, mihi oblatus cum fuiſſet, ex narratione autem ipſius agnoviſſem affectũ a ſorde quapiam indurata membranæ Tympano dictæ impacta, tanquam cauſa conjuncta & immediata ortum ducere, id quod ſæpenumero vſu venire ſolet, In id incubui quo materia illa inde abſcederet diſſolvereturque, infuſione in aures olei lini & iniectione decocti emollientis alternatim factis; Id quod adeo ad votum ſucceſſit, vt quinta die ab vſu prædictorum remediorum ex profundo auris ſiniſtræ prodierit corpus gypſeum, flaveſcens, magnitudine æquans mediam partem phaſeoli: Sub veſperam eiuſdem diei ab altera iniectione facta in eandem aurem, eductum eſt aliud corpus eiuſdem conſiſtentiæ, ac prope media parte maius priore, à cuius divulſione intenſus ægro excitatus eſt dolor, qui eo veriſimilius ortum duxerat a pertinaci adhæſione in auris fundo, quod eodem tempore quatuor aut quinque ſanguinis guſtæ emanarint: ac deinceps æger æque acuto auditus ſenſu valuerit ac ante affectus invaſionem: Quoad vero aurem dextram, cum minor multo materiæ eiuſmodi portio exilierit, eapropter ſonorum perceptioni ineptior remanſit, ac proinde officio narurali minus idonea.

OBSERVATIO V.

Authoris

Emplaſtrum efficaciſſimum ad curationem Herniarum.

QVibuſdam in opinionem venit Methodum qua Cœnobij Chabrienſis Antiſtes vſus fuit in curatione Herniarum, ſitam eſſe in vſu

vini cuiuſdam mediati, ac admotione Emplaſtri qua parte ſiti ſunt annuli : Id vero ſcire vtile eſt, nonnullos ſagacitatis non vulgaris exiſtimare veriſimile eſſe eiuſmodi vinum additione tantum conſtare ſucci apij : Alios vero aſſerere Emplaſtrum mox deſcribendum non aliud eſſe ab eo quo vſus fuerit prædictus Antiſtes.

Accipe picis nigræ vncias duas & ſemis, liquefactæ & prope ebullienti adde putaminum ovorum & radicis ſatyrionis pulveriſatæ vnciam ſemis, illico exemtæ ab igne adde ſanguinis draconis pulveriſati vnciam ſemis ; Ex maſſa hac refrigerata confice Emplaſtra admovenda loco relaxato, a reductione facta inteſtini, ſingulo quoque octiduo innovanda, addito ſubligaculo Emplaſtrum & partes reductas continente, per dies quadraginta geſtando.

OBSERVATIO VI.

Dom. DEPASSIS D. Medici Creſtenſis in Delphinatu.

Diabetes rarus.

TRitum eſt adagium, Rara non eſſe artis, Id quanquam verum, extant tamen regulæ in arte Medica ſpectantes curam & cognitionem morbi cuius deſcriptio proxime tradenda eſt, etſi raro admodum occurrat, cæteroquin de eorum numero eſt qui medici notitiam non evaſerunt, & deſcribuntur in practicorum libris : Porro cum morbi eodem nomine donati, eſſentialiter nihilominus ſæpiſſime à ſe invicem diſcrepent, ac revera in hoc circumſtantiæ omnino ſingulares deprehenſę ſint, obſervatione proculdubio dignæ, officio me deeſſe crederem ſi ſilentio involuerem ſequentem hiſtoriam à Dom. Depaſſis mihi communicatam, ab eodem deſcriptam.

Domicella Magdalena Farſacia, Vidua Dom. Meiſomiſii, civis Pariſini, triceſimum ætatis annum adepta, conſtitutionis atrabiliariæ, & valetudinis parum firmæ, menſtruis tamen periodos rite ſervans, initiante martio anni 1662 correpta eſt rara illa morbi ſpecie quam Galenus bis tantum toto vitæ decurſu obſervaſſe ſe ait, Diabeten vocamus, quadrimeſtre integrum illam vexante : per quod temporis ſpatium (etſi febris eſſet expers) toto corpore æſtum inſignem percepit, imo præſertim ventre, comite ſiti adeò intenſa vt deliquium animi præſto adeſſet ſtatim an potus deficeret, adeo vt vna quaque die, & per noctem, aquæ quatuor ad minimum ſitulas exhauriret, eam illico nequaquam immutatam per lotium profundens: Aderant præterea vigiliæ perpetuæ, cum tanta appetitus proſtratione, vt

vt præter panem vel offam, actu frigida exhibenda, omnia faſtidiret: Quamdiu affectio ipſi moleſta quandoque vomitus & levis diarrhœa acciderunt; ſed tandem ad extremum marcorem deductæ, ſummamque virium debilitatem, cutis nigrore infecta fuit, qui paulalatim excuſſus eſt, ſuccedente mali declinatione.

At vero initio eiuſdem menſis Martij anni 1667. eadem morbi ſpecie iterum ingruente & rediviva, ſed gravioribus multo quam ante ſymptomatis ſtipati, cum immenſam illam aquæ quantitatem ægra non profunderet quam ingerebat, ſicuti accidere conſueverat anno 1662, ab illa propemodum ſubmerſa eſt, ac omnimodam ſenſus & motus privationem incurrit, qui non ante reſtitui illi potuerunt quam ab exhibitis ſpatio viginti quatuor horarum plurimis remediis evacuantibus, quorum ope ventris ſarcina educta eſt, & Natura ab incumbente ac opprimente onere levata, novam molita eſt metaſtaſin materiæ in corporis ambitum & ſuperficiem, à qua cum iterum nigrore infecta fuiſſet cutis, fluxusque hæmorrhoidalis cum inſequutus eſſet liberalis, horis circiter quatuor durans, reſtitutionis in probam valetudinem altera cauſa fuit, ad menſem vſque Maium proxime ſequentem ſolnm durabilem, quo inſignia indicia funebris reditus illuceſcunt: Sed accedente vſu aquæ mineralis vitriolatæ, balnei domeſtici, lactis, cryſtalli mineralis, ac inſignis copiæ ceraſorum ab ipſa ingeſtorum, progreſſus vlterior inhibitus eſt:

Ex prædictis Obſervationibus colligere eſt hactenus perperam Diabeticæ affectionis naturam traditam fuiſſe, ac proinde remediorum illi dicatorum, quandoquidem ægra potius Naturæ beneficio valetudinem aceptam referre debeat quam auxiliis ex arte medica depromptis; Cū veroſimile ſit eiuſmodi affectus neq; a relaxatione, neq; a ſola renum intemperie ortum ducere, quin potius à faculta te cuiuſpiam ſalis ſumma acrimonia & calore præditi, cuius partes acidæ a ſalibus alkalinis retundi debeant, aut volatilium ope diſpergi & diſcuti: Id quod a me experimento comprobatum in Antonio Oullerio, cognomento Sebon, mercatore huius Vrbis, qui prædicto morbo affectus menſe Iunio anni 1676. integram valetudinem eiuſmodi remediorum ope conſequutus eſt.

OBSERVATIO VII.

Sive Diſſertatio de Speculis ardentibus.

MAteria horum ſpeculorum eſt compoſitum quiddam ex pluribus metallis depuratis, ex quibus exſurgit corpus ſingulare

chalybi non diſſimile.

Rotunditatem convexam obtinent & concavam in modum vitrorum obiectivorum in microſcopiis.

Pars illorum convexa refert imagines obiectorum minimas & quaſi in profundiſſimo receſſu.

Vice verſa pars concava eaſdem imagines ampliores quam revera ſunt refert, & foras remittit, adeo vt ſi quis ſpeculo eiuſmodi ſe obiiciat manu gladio armata, cuius cuſpis ſpeculum verſus vergat, videatur ipſi imminere quaſi vibratura.

Pro vario ſpeculi & objectorum ſitu, ſexcentas hæc formas & magnitudines induunt, quarum maxima pars portentoſæ ſunt & terrificæ.

Eadem pars concava Soli oppoſita, ſerena die, æſtate vel hyeme, adeo vt illius radios perpendiculariter excipiat, convergentes ipſos efficit, eoque pacto eos coniungit ad certam quandam diſtantiam, intra ſpatium aliquot linearum, vbi collecti coitione ſua excitant ignem ſummæ activitatis & admodum v rentem.

Plerique exiſtimant Archimedem inventorem eſſe huiuſmodi Speculorum; imo nonnulli Hiſtorici aſſerunt ipſum illorum ope claſſem Romanam combuſſiſſe cum obſidione cingeret Vrbem Syracuſas: Verum Pater Deſchaleus in ſuo mundo Mathematico, hunc effectum refert ad alias cauſas magis probabiles, atque rationibus adductis oſtendit hunc aſſignandum non eſſe vi fictitiæ, experientiæ nequaquam conſentienti.

Vt vt fuerit, certum eſt perfectionem horum ſpeculorum Ardentium deberi Dom. Vilettio, Mathematico Lugdunenſi, Cum nemo vnquam tantæ magnitudinis conflaverit, aut quæ ad eam perfectionem quam ipſis conciliavit deduxerit.

Ex eorum numero quæ fabricavit, quatuor enumerantur tum magnitudinis ratione, tum perfectionis admodum inſignia; Primum vendidit Dom. Tavernier magno Perſarum Imperatori: Secundum Lugduni emptum fuit in gratiam Regis Danorum: Tertium oblatum fuit Regi à Dom. Villettio, demum collocatum in Bibliotheca Regia. Quartum, idque omnium maximum, atque abſolutiſſimum, illud eſt quod iam cunctit exhibetur in Suburbio D. Germani, iuxra Sclopetariorum ædes.

Hoc quadraginta tres pollices diametrales obtinet, concavitatis circiter tres: Revnionis punctum, quod vocant Focum, ab hac cavitate diſtat circiter tribus pedibus & ſemis, adimplens ſpatium rotundum, duodecim prope lineas latitudinis habens, ſplendens & coruſcans

cans iuſtar Solis; Hac ipſa in parte reflexi radii, & coëuntes, momento temporis qualvis materias combuſtibiles oblatas comburunt, metalla omnia liquefaciunt, in vitrum redigunt lateres, argillam, cæmentum, lapides & oſſium omne genus.

Cæterum, præter effectus modo à me allatos, nullum non ſpeculum concavum, ingentem aliorum numerum profert, jucundiſſimo ſed admirando ſpectaculo: Exempli gratia, ſi vnum quodpiam illorum ſupra tabulatum inferius conſtitutum fuerit, adeo vt illius concavitas ſurſum ſpectet, ſuperius vero ſuſpenſum teneatur obiectum inter ipſam & circuli ſuperficiem, rectum id, aut inverſum apparebit pro maiori aut minori ſpectatorum diſtantia.

Si nocte admodum obſcura ſpeculo concavo opponatur facis flamma, adeo vt foco dicto e directo oppoſita fuerit, lumen admodum diffundetur, ac proinde obiecta admodum remota id exhibiturum eſt.

Si vocabula aliquot inſcripta fuerint ſuperficiei ſpeculi concavi, a muro tercentum paſſibus diſſiti, literæ autem inverſæ figuratæ fuerint & collocatæ, ac poſtmodum e directo foci fax accenſa poſita fuerit, diſtincte in muro legere dabitur quæ in ſpeculo ſcripta ſunt.

Eadem ratio erit figurarum ſpeculo inſcriptarum atramento ſplendenti, imo eaſdem in muro exhibere licuerit coloribus illuſtratas & magnitudinis ſtupendæ, introitum concedendo radiis reflexis per feneſtram cameræ obſcuræ.

Alios tandem & iucundos expromit effectus, omnes a varietate poſitionum pendentes, quos experientia melius demonſtratura eſt quam verba & voces: Qui videndi deſiderio tenentur, vnum ſatisfaciet in Academia noſtra proſtans, non minimæ magnitudinis.

OBSERVATIO VIII.

D. DVCIS Chirurgi Iurati Pariſienſis.

Partium Genitalium muliebrium diſpoſitio.

EXeunte Iunio menſe vltimo, iuvencula mulier primipara, cum fœtu edito morarentur ſecundinæ, arctius vtero adhærentes, Obſtetrix tam valida manu adduxit, vt illias indivulſas, vna cum ipſo vtero foras eduxerit, inverſo ſicuti contingit in illius Procidentia.

Admirandus caſus cum attonitam admodum illam reddidiſſet, neque ſatis eſſet induſtriæ vt cauſam mali agnoſceret, nedum vt auxiliatrices manus afferret, accerſitus fui conſilio iuvaturus, atque ope-

O

rationem hanc male cœptam vt perficerem.

Examinata diſpoſitione præſenti, cum occurreret Placenta ex parte divulſa a parte vteri dextra, iucundo ſpectaculo hic ſe mihi obtulit, qua parte dilaceratio illa obtigit, omnino conſperſus vaſis albicantibus, admodum tumidis, tenſis, ac veriſimiliter materia quapiam ſpermatica repletis, à parte ſuperna ad infernam deductis, ac veſicularum forma ad orificium internum deſinentibus.

Qui eventus obfirmavit mihi demonſtrationem a Dom. Deſ-Noues coram Dom. de Blegny factam, in vtero nuperrime educto e muliere mortua, quem penes me aſſervo ob ſingularia quædam in eo occurrentia, alio tempore à me deſcribenda.

Observatio IX.

D. RIVETI Chirurgi Regij & Iurati Pariſienſis.

Extractio infantis monſtroſi.

Accerſitus vt obſtetriticiam exercerem in Vxore cuiuſdam Panificis ſericei in vico Nonnaindierano, peractaque extractione fœtus rite conformati, alterum itidem eduxi cranio orbatum cum pauxillo cerebro, etſi ſatis adhuc vitalis fuerit vt ad Sacras vſque ædes deferri valuerit, ibique Sacro Fonte ablui.

Hoc vero præſertim admiratione dignum, quod antequam à matre conſpectus fuerit ille fœtus, prædixerit capite illum orbum futurum; eo quod ſingulari animi attentione conceptionis tempore conſpexiſſet imaginem B. Virginis, ſic depictam vt caput illius a manu cooperiretur.

Finis Auguſti Anni 1681.

ZODIACI MEDICO GALLICI

SIVE

Recens in Re Medica & Naturali Exploratorum.

SEPTEMBER Anni 1681.

OBSERVATIO I.

Dom. GVYSONI, Doctoris Aggregati Medici, & Profeſſoris ordinarij in Academia Avenionenſi.

Figura humana reperta in ovo gallinaceo.

VICESIMA nona die proxime præterita Menſis Iunij, quidam Chirurgus noſtras audito ſtrepitu extraordinario galli gallinacei & gallinarum, eapropter gallinarium cum ingreſſus eſſet, reperit Ovum ſine teſta ſarmentis inſtratum, cuius prima & craſſior membrana quibuſdam in locis roſtro impetita fuerat.

Curioſitate impulſus aperuit prædictum Ovum, ſed in ſtuporem actus fuit ad occurſum vultus hominis, ſed in compendium contracti; ideoque quod prodigium eiuſmodi non minus rarum foret quam ſtupendum, credidit ſuarum eſſe partium rem ſibi ſoli obviam pluribus patefacere, adhibitis in fidem & teſtimonium viris eiuſdem Profeſſionis, quapropter rogatus fui cum D. Chardonio & Olivario Filio, Collegis meis, ad examen deducere ſingularia quæ in dicto Ovo occurrerent.

Eam in rem cum conveniſſemus, ad primum obtutum ſe exhibuit vultus coloris carnei, in quo obſervabantur Frons, Oculi ambo clauſi, & diſtincti mediis duabus lineis igricantibus: Naſus, in quo duo exigua

puncta nigra, nares deſignantia; Os ſatis patulum, parte ſuperna habens ſulcum, aut lineam obſcuram parallelam, myſtacis quandam ſpeciem oſtentans, infra dictum os apparebat exiguum Mentum, cui ſubjacebat Collum.

Supernæ capitis parti adaptum erat velamentum, Turcicum referens, ex congerie plurimarum exiguarum glandularum conſtructum, effingentium maſſam fere cerebriformem, quæ videbatur inhærere alteri maſſæ, eiuſdem propemodum conſiſtentiæ & coloris, forma & ſitu à cerebello non multum abludenti, ſupra quam conſpicuæ erant plurimæ fibræ, cum corpore triangulari torcular non male referenti; in angulo anteriori & ſiniſtro duo puncta rubra inſtar ſanguinis obtinenti.

Ex eodem cerebello prodibat linea alba, quæ cum medulla ſpinali conferri poterat, in cuius inferiori extremitate duæ aliæ minores notabantur, eiuſdem coloris, crurum vicem vtcunque gerentes.

Obſervandum eſt id Ovum, quoad totum, compoſitum fuiſſe ex albumine coloris cineritij, membrana obducto, quod fulcimenti & pulvinaris vices tenebat erga in corpuſculum in cuius vultus parte ſiniſtra conſpiciebatur annexa nebula exigua, alba & rotunda, cuiuſmodi eſt cicatrix ovorum gallinarum, pullorum generationi idoneorum.

His obſervatis adde, Ovum dictum, poſt triduanam ad ſolis radios moram, accuratiſſime diſſectum fuiſſe à Mag. Laſſinio Filio, Chirurgo Anatomico, qui dextera manu cum diſſecuiſſet priorem membranam, nobis alteram & intimiorem obtulit videndam, magis flaveſcentem, ac denique tertiam & inferiorem, cui cum immiſſus flatus fuiſſet, in abdominis regione apparuit illa interius obducta materia pingui, ab epiploo non multum diſſimili, cui exterius circa medium funiculus quidam appendebatur.

Dempta poſteriori hac membrana, nobis licuit conſpicere productionem illam quam referre dixi medullam ſpinalem, eamque toto ſuo ductu exiguis circulis vel annulis coopertam, illis ſimilibus qui in lumbricis vertebrarum vicem obtinent.

Cæterum mollities illius corpuſculi, & colliquatio facta quamdiu ſolis radios expertum eſt, inutiles fecere conatus noſtros in obſervandis reliquis ope microcoſpiorum.

Interim populus ſuperſtitioni addictus, caſum hunc cum pro oſtento habuiſſet, & infelici augurio, Gallum autem tanquam cauſam proximam infortuniorum ab ipſo imminentium, & infauſti ominis hoc animal odio publico mactaſſet, anſam præbuit obſervandi vnico illum donatum fuiſſe teſticulo, in regione lumborum ſito, materia ſeminali

minali turgente, magnitudine humanum æquante.

Nobis aſſeveratum fuit nunquam obſervatum gallinas illius gallinarij à dicto gallo initas fuiſſe, etſi nullum præterea ſocium haberet: Ex quinque ovis ab illis gallinis excluſis poſt incubatum, tres prodiiſſe pullos more ſolito; quanquam dubium moveri poſſet num alterius galli ſoboles fuerint,

Cum multa iudicia ferrentur de hoc caſu, quidam examinandum dixit num prædictum ovum partus eſſet galli vel gallinæ; At cum notum ſit gallorum gallinaceorum ova, columbarum ova non excedere magnitudine, hoc autem cum multo plus contineret materiæ quam quæ tam exigua teſta contineri poſſet, a nobis iudicatum fuit revera a gallina, gallum gallinaceum paſſa, excluſum fuiſſe.

Nec tamen omnes aſſenſum præbuere; nonnulli enim aſſeruere genituram eſſe mulieris immature excluſam: Alij pronuntiavere forte ovum illud ortum ex concubitu hominis cum gallina: Alij tandem eo impudentiæ de venere, vt illuſum fuerit oculis noſtris crederent, aſſerentes pulli gallinacei figurã pro figura hominis nobis impoſuiſſe, naſũ fictitij illius animalis aliud nihil fuiſſe quam roſtrum iuſto depreſſius:

Nulla vero prædictarum opinionum probabilis viſa eſt iis qui iudicio pollerent, primam enim quod attinet, notum eſt poſtquam mulier concepit, cor primum omnium formationem obtinere, quod cæterorum veluti principium ſit, at vero in hac effigie humana id deprehenſum non eſt, vti neque in conſpectum venere diaphragma, meſenterium, inteſtina, iecur, veſica, maiora vaſa, ac pleræque aliæ partes quæ conformationem æque citam ac facies obtinent, vnde eluceſcit productionem iſtam nimis irregularem eſſe quam vt ad generationem naturalem hominis referri queat.

Diſcrepantia quæ animadvertitur inter partes genitales hominis & gallinæ ſecundam opinionem multo minus veriſimilem reddit: tertia vero eo magis exploſionem meretur, quod Illuſtriſſimus Vice Legatus, & Illuſtriſſimus Archiepiſcopus veritatis phænomeni à nobis allati teſtes ſunt oculati.

Dilucidationem vero magis conſentaneam allaturo, ſatis mihi ſit paucis oſtendiſſe cauſam illius omnino externam eſſe & fortuitam: Rei veritas ex hoc eluceſcet, ſi id obſervatum fuerit reflexiones non tantum contingere ex parte corporum, quæ omnino impenetrabilia ſunt, ſed etiam reſpectu ſpecierum ipſarum. Id quod experiri licet ope duorum ſpeculorum ex diametro oppoſitorum, cum ab vno ad alterum perpetua fiat reflexio effigierum objectorum eodem ordine quo excepta ſunt: Hoc enim ſuppoſito, facile eſt intelligere hominis

ideam, ſenſu communi gallinæ exceptam, in nervos tranſmitti poſſe, ac proinde in nervum paris vagi, qui ad cor tendit, & ad intercoſtalem, qui ad vterum: Atque hoc pacto validæ impreſſiones quæ in mulieribus contingunt primis graviditatis menſibus, tam ſæpe ipſi etiamnum fœtui impreſſæ reperiuutur, idque eo manifeſtius quo conceptionis tempus vicinius eſt: Id quod accidit quia tunc temporis vterus calidior eſt, & ſpiritibus magis turget,

Ex poſtrema hac obſervatione colligendum, diſpoſitionem præſentem vteri gallinæ non parum contuliſſe conformationi ovi de quo agimus: quandoquidem notum menſe Iunio gallinas in incubatum pronas eſſe, ac proinde maxime dicto anni tempore illarum ſpiritus turgere ac partes generationi dictas incaleſcere: quo fit vt illarum vterus facile concipiat ideas ſuſceptas, atque illas eadem facilitate transferre queat in ovum ibi contentum, ſi præſertim teſta adhuc deſtitutum fuerit: Hoc vero cum experimento non infrequenti conſentit; ſi enim ovum cera obductum fuerit, ipſique characteres quidam inſcripti ſint, poſtea acido quopiam ſpiritu madeſcat, futurum vt hi characteres vitello inſculpti occurrant ſi ovum coctum fuerit:

Ex mea ergo ſententia, quidam ſpiritus vi imaginationis gallinæ configurati, forte penetrarunt materiem molliuſculam prædicti Ovi, ac ibi impreſſerunt figuras quas ope cultri noſtri anatomici deprehendere licuit; At multo facilius eſt hæc mente concipere quam verbis explicare: Revera balbutiendo tantum hæc protuli: quæ tanquam meram conjecturam affero, quam Docti pro arbitrio emendare poterunt: Ipſis tantum pro compertis exhibens ea quæ hiſtorice protuli; qua in re quantum licuit ſyncerus & accuratus enarrator fui.

Observatio II.

Dom. DE PASSIS Doct. Medici. Creſtenſis in Delphinatu.

Vomitus atrabilarius periodicus, lethalis.

CVm maſſa ſanguinea in Domino Pourrayo, vrbis noſtræ Vice Seneſcallo, admodum depravata eſſet, vniverſum eius corpus ſale quodam imprægnatum fuit, eiuſdem prope indolis ac id quod affectionem diabeticam parit, de qua a me actum; quapropter illico in vomitum periodicum incidit, quo vnaquaque vice adimplebat ſex grandes patinas humore nigredinem fuliginis attingente: Eapropter ad vltimum maraſmum intra quadrimeſtre deductus eſt; quo exacto vivere deſiit, diſſoluta ipſa ſubſtantia partium omnium corporis.

Obser-

Observatio. III.

Eiuſdem.

Phthiſis vſu lactis muliebris curata.

DN. Tromparentius, alias Marchio, Mercator huius Vrbis, tunc temporis annos natus viginti ſex, temperamenti ſanguineo-bilioſi, affectus prius totis duodecim diebus febre continua maligna, & duplici tertiana, metaſtaſin humorum acrium in pulmones paſſus eſt, a quibus excitata tuſſis vehemens, expectorationes cruentæ, ac non diu poſt commiſtæ portionibus ſuſtantiæ prædicti viſceris, vnde deductus eſt ad phthiſin omnino deploratam, Qua tamen defunctus eſt beneficio lactis muliebris intra trium ſeptimanarum ſpatium.

Recurrente vero anno tuſſis iterum ſuborta eſt, accedentibus ſputis ſingulo quoque quatriduo, eoque modo afflictus fuit per quadrimeſtre circiter, quo tempore exacto cum ſputis vermes expectoravit, illis ſimiles qui in ſpongia bedegar dicta, cynosbato adnaſcente repeDriuntur, aut in nucibus carie infectis, at nulli alteri materiæ commiſtos, imo abſque febre: Ideoque id ſymptoma pauciſſimis diebus deſiit vnde poſtmodum æger non infelici valetudine vſus eſt; hoc vno excepto quod vocis levis raucedo ſuperſtes fuerit, cum reſpirationis difficultare & inæqualitate, ſi præſertim in actionibus præceps fuerit, neceſſitate impellente aut alia cauſa.

Eiuſmodi ſymptoma ſatis infrequens eſt, at non novum, vti neque calculorum, in pulmonibus genitorum excretio: Vnum videre nobis licuit magnitudinis exiguæ fabæ, expulſum à Dom. Vermendéo: Dom. à Simiane, Præſes in Curia Rationum Gratianopolitana, vlcere in renibus laborans, vermiculos non vna vice per lotium emiſit: Quatuor mulieres abdominis abſceſſu laborantes, plurimos vermes, lumbricos dictos excluſeruut: Cum hæc exempla ſimilia ab aliis allata confirment, nulli dubium eſt quin ad praxin conferant.

Observatio IV.

Organa Ocularia, Regi exhibita à R. P. Cherubino Aurelianenſi, A quo evulgata eſt illorum conſtructio, vſus & vtilitates, duobus voluminibus in folio ab eo editis: Poſterioris titulus eſt.

Viſio perfecta, aut odiſtincta, ex concurſu duorum axium in vno objecti puncto.

Dictorum inſtrumentorum præcipuum eſt *Binoculum.*


Binoculi voce nihil aliud audiendum eſt quam compages ex duobus Specularibus æqualis longitudinis & facultatis, ſuper angulos binorum axium viſionis.

R. P. Cherubinus duo genera eiuſmodi Binoculorum proponit, Vnum quod Teloſcopium dici poteſt, deſtinatum concipiendis objectis diſſitis; Alterum cum dicatum ſit perceptioni minimorum objectorum proximorum, ad Microcoſpiorum genus referri poteſt.

Eruditi nonnulli contendunt R. dictum P. non eſſe inventorem dictorum Binoculorum; at iidem concedunt ab ipſo non exiguam perfectionem illis conciliatam, ac rem admodum vtiliterque illuſtratam: Imo forte cuivis arduum fuerit probare, priuſquam id quod ab ipſo oblatum Illuſtr. Domino Duci à Chevreuſe, cuiquam aliquod conſpectum quod vſui fuerit.

Obſervationes Domini Gaſſendi vtilitatem Binoculi admòdum comprobant: aſſerit enim maxima cum probabilitate idem obiectum fortius oculis exhiberi, imo majus adparere ſi vtroque oculo attento conſpiciatur quàm ſi vnico; Pater vero Cherubinus vlterius progreſſus erat cum Binocli conſtructionem meditaturus eſt, Ab ipſo enim inexpugnabiliter demonſtratum in priori Volumine ex neceſſitate, vt viſio fiat, coniunctionem vtriuſqve oculi requiri, cum vtrunque hoc organum, naturalem conformationem ſortitum. apertum eſt eodem tempore, nullo præſente obſtaculo; Idque adductis expeiimentis adeo certis, rationibuſque adeo validis, vt Regis & Regiæ Familiæ applauſum meruerit.

Nulli



Zod: Med: Gall: ann: 3.us: pag. 113.

Nulli dubium eſt quin veritas tanti momenti, P. Cherubino adeo comperta, fundamenti vices obtinuerit vt in inventionem Binoculi perveniret, etiam non accedente auxilio quarundam idearum levium, quæ forte antea aliis obverſatæ ſunt, At vero hoc certum eſt acutiſſimi illum eſſe ingenij, & laboris amantiſſimum ad rerum elegantium inveſtigationem & inventionem: Ad corroborationem horum id accedat quod altero volumine operum ſuorum demonſtrative oſtenderit, Quamcumqne objectorum obſervationem, ſive cæleſtium ſive terrenorum, vtroque oculo conjunctim debere excipi, ſi modo exacta expectetur viſio: Patefacta poſtmodum facili ratione & certa fabricandi organa ad id neceſſaria, ac objecta inſpiciendi ſitu ſemper idoneo, abſque vlla exceptione ſupplementum tradidit eorum omnium quæ in prieri volumine deſiderabantur, ad integram & facilem Ocularis Binoculi conſtructionem, cujuſcunque molis fuerit: In confirmationem vero regularum à ſe propoſitarum Oculare Binoculum Regi obtulit, quindecim pedes longum ab edito in lucem ſecundo volumine; In quo præterea gratis publici juris fecit microſcopii vniverſalis fabricam, objecta omnia integra ad vnum obtutum exhibentis.

Observatio V.

Dom. COMIERS Ebrodunenſis Mathematices Profeſſoris Pariſienſis.

Colorum Philoſophia raris experimentis demonſtrata, ex Optices principiis, Dioptrices, cæterarumque Artium.

Solida fundamenta Philoſophiæ noſtræ novæ de Coloribus poſiturus, pergam in tradendis experimentis rarioribus, maxime curioſis & vtilibus: Deinceps oſtenſurus ſum, cur lumen Solis, quod Perfecti candoris nomine dono, eo quod ſit coloris expers, poſtquam penetravit corpora alba & diaphana, exempli gratia priſma vitreum, appareat tinctum vividis & illuſtribus Iridis coloribus: Agnoſcere dabitur quomodo lumen ſolis, ac quodvis aliud lumen, à corporibus opacis reflexum, modificatur, atque in fundo oculi inducat varias ſenſationes, quibus Colorum nomen indimus: Poſtea Artificia omnia percurram, Colorum intima arcana & myſteria indagaturus: Tandem, quandoquidem ſucci & tincturæ temporis momento exuuntur propriis coloribus, inſu-

ſione facta variorum ſalium Alkalium & Acidorum; Aut infuſione & commixtione liquoris cujuſpiam in alterum, Spero futurum ut *medicina*, Ars illa Divina *à Deo condita*, *quam ſapiens non abhorrebit*, non leve emolumentum perceptura ſit, imo multiplex, ex hujuſmodi Philoſophia; Periti porro & experientia freti Medici, quibus jampidem nota ex urinarum aliarumque dejectionum colore conjectura, hinc proculdubio nitidius & dilucidius de ſtatu interiori illorum judicaturi ſint, qui neceſſitate impellente illos honorant, in ſubſidium vocant, vitam & valetudinem tanquam numinibus terreſtribus committunt.

Quandoquidem Colores omnes eodem quo lumen momento naſcuntur, eſſe vero deſinunt ſtatim ac lumen illos deficit, ſtatuendum eſt ipſos nihil aliud eſſe quam lumen ipſum aliter atque aliter modificatum in fundo retinæ oculi; Hinc non ſecus ac embamma ſui ſenſum linguæ præbet, guſtus organo, pro varia mixtione punctorum aut atomorum diverſorum ingredientium, ſic Lumen è commenſurato numero punctorum umbræ, per intervalla certa proportione commixtum, ortorum ex differentibus refractionibus & reflectionibus illi accidentium, antequam oculum noſtrum ſubingrediatur, Viſus inſtrumentum, ex Galeni ſententia membrum plane Divinum, ea propter introitum tantum concedit puriſſimæ luminis ſubſtantiæ, quod agens ratione omnino ſpirituali, varias alterationes, aut ſenſationes retinæ inducit, quæ tenuiſſimus eſt fibrarum nervi optici expanſi contextus, *Omnes enim ſenſus conveniunt in ratione tactus*: Anima deinceps viſionem perficit, cujus diverſas ſenſationes enuntiamus per varia colorum nomina, quæ extra oculum noſtrum nullam exiſtentiam realem obtinent.

Concedo nihilominus pannis, quos coloribus infectos dicimus, Tinctores ope aluminis inducere & introducere particulas quaſdam admodum exiguas, elicitas è floribus, radicibus, lignis, imo etiam mineralibus quæ lumen modificationem adeptum diverſimode reflectunt, quapropter inepto loquendi genere vulgo dicitur Pannos novo colore tinctos eſſe, quandoquidem Colores nihil aliud ſunt quam diverſæ ſenſationes, quas lumen diverſimode affectum retinæ fundo oculi impertit, mediantibus ſpeciebus impreſſis, aut imaginibus objectorum, quorum lumen ſubſtantia eſt & ſimul vehiculum.

Recurrat Benevolus Lector ad Figuras Tabulæ in Ephemeridibus Iunii menſis proxime præteriti quærendæ.

Prima Figura oculum naturalem exprimit, ſectione facta per axis longitudinem: Ibi apponuntur nomina partium, præter hæc duo, *Humor aqueus*, à ſculptore omiſſa, inſcribenda inter duo ſpatia quæ interjacent tuni-

tunicam corneam & cryſtallinum humorem.

Secunda Fgura repræſentat diſſectionem grandioris oculi, artificio compoſiti, cujus partes naturalis oculi partibus proportione reſpondent, Introſpiciendo enim per per N N. commode, jucunde & ad mirabunde, in medio horto, vel platea publica, couſpicere dabitur obiecta omnia vivis coloribus depicta, & mobilia ſupra Retinam artificialem R R R R. Admirationem vero hoc ſuperabit, quod picturæ omnes inverſæ apparebunt, Cœlum ad terram devolvitur, hæc illius ſedem ſurſum ſcandens occupat, ideoque homines capite ſupra terram ambulare videntur, & canes dorſo ſupino pedibus currere: Qua in re decipitur Author Dioptrices ocularis, editæ anno 1671. qui aſſerit ope ſuorum conſpicillorum, ex binis vitris convexis conflatorum viſos fuiſſe canes inverſo dorſo currentes: Ipſiſſima ejuſdem ſunt vocabula pagina 234. niſi forte canes illi alterius ſpeciei fuerint in Luna, quandoquidem pagina 296. in qua vſurpat elegantia illa Eccleſiaſtæ verba cap. 42. *Memor ero operum Domini, & quæ vidi annuntiabo*, alte profitetur ſincere ſe tracturum quæ in Luna viderit, ſed, *addit idem*, modo omnino ſingulari, hactenus incognito; quem ſuo loco exhibiturus ſum.

Ex eo quod Natura effingit picturam objectorum inverſorum in fundo oculi artificialis, colligere debemus eandem Picturam objectorum ſemper inverſam eſſe in fundo oculorum cæterorum animalium.

Sin à me quæſieris, quomodo, non obſtante hac inverſione imaginum objectorum in noſtra retina, objecta eodem ſitu quem revera obtinent percipiamus? Reſpondeo Animam judicium ferre de ſitu partium objecti inverſorum & penicillorum opticorum vniuſcujuſque puncti obiecti, quorum omnium concurſus ad retinam appellit eamque ferit, vbi inducta bazi ſuæ diſtinctionis, imagines obiectorum fingunt: Porro, cum axes radiationum partium ſuperiorum obiecti è ſuperna parte diſcendunt, feriuntque infimam retinæ partem; axes autem radiationum partium inferiorum eandem feriunt ab imo ad ſummum, Anima quæ judicium fert de axe a quo percutitur oculus, ex eo obiectorum ſitum genuinum diſtinguit.

Redeamus ad deſcriptionem & vſum oculi noſtri artificialis: Tubus R.R. N. N. deſignat nervum opticum: Omnino apertus eſt in extremitate N.N. per quem conſpiciuntur ſpecies aut imagines obiectorum, quæ lumen reflexum depingit inverſa in Retina R R R B. à qua cooperitur os interius R R. ejuſdem Tubi R R. N N.

Artificialis hæc retina vt plurimum conficitur ex papyro optime extenſa, demum oleo amygdalino inuncta; ſed ſic multo pulvere cito obducitur, ideoque opaca evadit & flaveſcens, unde obſoleti evadunt & ca-

liginoſi, vividi colores ſpecierum obiectorum: His obviam iturus olim Retinam iſtam conciunabam ex tunica inteſtinorum lupi, qua vtuntur ii qui aurum in bracteas contundunt: Tandem cum otio abundarem in Fortalitio Cluſurarum anno 1652, Genevam acceſſi, ac ibi loci curavi exaſperari lævem ſuperficiem concavæ mediæ partis maguæ ampullæ vitreæ rotundæ, nitidæ, qua Gemmarii & Aurifabri uoctu vtuntur; inde excepturi ſuper opus, quod præ manibus habent, lumen lampadis flammæ ſplendidum, poſtquam traiecit dictam ampullam lympha repletam, limpidiſſimam ope tantillj vitrioli iniecti redditam; Vitrum hoc concavum & deterſum tubulo admovi, vt vices teneret Retinæ artificialis: Illico obſervavi prædictam exaſperationem, quod diaphaneitatis aut tranſparentiæ parte vitrum privaſſet, ſpecies detinere, atque ibi diſtinctius effingi quam in charta imagines obiectorum lateraliter advenientium, quippe cum illius concavitas ad amuſſim referat eam quæ Retinæ conceſſa eſt, in vniverſa ſua ſuperficie concava propemodum æqualiter diſtabat à vitro C. C. C. C. *Omphalopiro*, hoc eſt vtrinque conuexo, quod in oculo artificiali functionem obit humoris cryſtallini in oculis animalium: Eoque pacto vnumquodque punctum obiectorum æqualiter diſſitorum à parte anteriori pupillæ P P. poſtquam opplevit vitrum C. C. C. C. per baſin vnius coni radiorum, qui diuergentes eo mittuntur, (hoc eſt qui ſemper procedendo à ſe invicem diſcedunt) convergentes ex legibus refractionis egrediantnr; ac directe ad Retinam R R R R. deferant ſummitates conorum inverſorum ſuæ irradiationis, qui quaſi totidem acuminibus penicillorum, ibi depingunt veluti miniato opere vividam illam & mobilem objectorum imaginem, quam in ſerie præſentis Diſſertationis vocaturi ſumus *Baſin diſtinctionis*, aut *Focum obiecti*, reſpectu habito diſtantiæ obiecti: Baſin enim diſtinctionis imaginis Solis quod attinet, ſemper illa phyſice loquendo eandem diſtantiam obtinet pone vitrum; eo quod præ immenſa diſtantia à Sole, radii illi naturaliter ſemper cenſentur incidere paralleſi in vitrum, non minus quando ſol eſt in ſuo perigéo, quam cum verſatur in apogéo menſe Iunio.

Sicuti in omnibus ſcientiis terminorum aut vocabulorum notitia admodum neceſſaria eſt, hic explicandam duxi vim vocis, *Focus Solaris*, qui nihil aliud eſt quam ſedes in qua vitrnm ſphæricum & convexum, directe ſolis radiis oppoſitum, eoſdem cogit & compingit pone ſe in anguſtum ſpatium, ac veram & vivam ſolis imaginem exprimit, vocantque analogice Focum, eo quod viva illa Solis imago ipſiſſimus eſt ignis, à quo materiæ combuſtibiles obviæ ignem concipiunt.

Vocamus *longitudinem Foci*, vitri jactum, aut ejus vim, diſtantiam, quæ interjacet vitrum ejuſque focum, vel locum in quo radij ſolis colligun-

liguntur, poſtquam illorum divergentiæ in convergentiam mutatio facta eſt, vitrum penetrando; quem focum cum tranſgreſſi fuerint divergentes fiunt, magis ac magis à ſe invicem abſcedentes poſt interſectionem & decuſſationem mutuam.

Fuſius enarravi Tractatu de Conſpicillis, pluribus vitris convexis donatis, in libro à me edito de *Nova cometarum ſcientia* anno 1665. vitri parte vna convexi, ex altera plani, jactum, potentiam, aut longitudinem Foci, conſiſtere in longitudine axis ſphæræ, cujus vitrum eſſet ſegmentum; Ac vitrum æqualiter vtrinque convexum in eadem ſcutella, dimidium partem imminuere illius jactus, ac mediam tantum partem longitudinis ſemi axis ſuæ ſphæræ obtinere pro diſtantia *Foci* ſui *Solaris.*

Multum præterea intereſt adnotaſſe radios divergentes, qui ex vnaquaque parte ſolis procedunt, ob inſignem diſtantiam à loco vnde oriuntur, & exiguitatem baſis ipſos excipientis, cenſeri phyſice jncidere parallelos in vitri ſuperficiem, atque dum ipſum trajiciunt, invertere (iuxta leges refractionis) ſuum radiationis conum, ac apicem aut punctum conjunctionis deferre in punctum particulare Foci. Quamobrem, ſicuti Focus ille, vel imago Solis, effingitur à totidem diverſis apicibus conorum irradiationis, quot adſunt diverſa puncta luminoſa in ſuperficie aut diſco Solis, cujus minima diametrus apparens in cœlo eſt ſemigradus, diameter iſtius imaginis, aut Foci Solis, obtinebit ad minimum in ſua diametro, ſinum dimidii gradus magni circuli ſphæræ, cujus vitrum eſt ſegmentum.

Ex quibus colligo authorem *Doptrices ocularis*, editæ anno 1671. ignoraſſe principia fundamentalia egregiæ iſtius ſcientiæ, quandoquidem initio paginæ 173. ait vitrum ut idoneum ſit conficiendis conſpicillis tubulatis, effingere debere *acumen aut apicem coni, per refractionem radiorum Solis :* ac *debere colligi* in plano Soli appoſito, *radios illius in puncto*, nam, *addit*, ſi *id opportune contingeret, verum fore indicium præſtantiæ vitri illius objectivi.*

Nec magis Geometriæ peritus fuit, quandoquidem contra demonſtrationem Elementorum Euclidis, ait in contextu Propoſitionis cujuſdam, pagina 57. *Radios parallelos puncti cujuſdam objecti incedere perpendiculariter in ſuperficiem vitri convexi.*

Sed ne evagemur extra id quod ſpectat longitudinem *Foci objectorum*, juxta illorum diſtantiam quorum diſquirimus imagines depictas quam diſtinctiſſime in retina oculi artificialis: Ecce quatuor Theoremata generalia, quorum demonſtrationem inſtituimus in noſtra Dioptrice.

1. Si objectum ſit vltra vitrum C C C C, ad minorem diſtantiam

quam quæ eſt longitudinis Foci Solaris ejuſdem vitri, radij objecti inde prodituri ſunt divergentes, neque vnquam relaturi ſunt vllam objecti imaginem; quandoquidem prædictæ imagines effinguntur tantum ab apice conorum quos pariunt radii convergentes, colligentes ſe in vnicum punctum.

2. Si Objectum oppoſitum fuerit vitro C C C C. ad præciſam diſtantiam longitudinis Foci illius Solaris, radij objecti prodituri ſunt paralleli, neque vllum concurſum effecturi ſunt in Foco, ac neque proinde exſurget vlla objecti imago.

Rei vtriuſque veritatem jucunde agniturus es, ſi oppoſueris flammam cereoli ante vitrum, in locis de quibus verba modo facimus.

3. Si objectum aliquantiſper magis diſſitum fuerit a vitro C C C C. quam per longitudinem Foci illius Soleris, radij objecti tum futuri ſunt convergentes poſtquam penetraverint vitrum: ſed in infinitum quaſi removenda Retina R R R R. ut inde reciperetur Focus, qui baſis eſt diſtinctionis & imago diſtincta objecti.

4. Tandem quando objectum à vitro amplius removetur, Focus, aut baſis diſtinctionis radiorum objecti ad vitrum acceſſura eſt, ac breviorem efficiet inſignem diſtantiam quæ prius inerat: at vero quæcunque fuerit diſtantia objecti, nunquam ejus effigies, aut Focus, minus à vitro diſtabit quam effigies aut Focus Solaris: nam ab objecto admodum diſſito radi ex vno eidemque puncto emanantes, non ſecus ac Solis radij phyſice incidere debent parallelíſin vitrum, ac proinde focum ad eandem fere diſtantiam efficiunt: Porro, cum objecta, quorum effigies obtineri poteſt in retina oculi artificialis mediocriter ſemper diſtant, eorum focus aut pictura perpetuo pone vitrum C C C C. obſervabitur, ad paulo majorem diſtantiam Foci Solaris ejuſdem vitri.

Hanc in rem elegans Problema proponitur.

Foco Solari vitri plano connexi dato, & diſtantia objecti ad vitrum, qua ratione determinanda diſtantia foci ad objectum, Vel ad quam diſtantiam conſtitui debet charta pone vitrum, ad excipiendam baſin diſtinctionis, aut effigiem objecti in camera atrata, vel in oculo artificiali?

Primo, ex diſtantia objecti deme longitudinem Foci Solaris vitri:

Secundo. Reſiduum diſtantiæ divide in tres partes æquales, accipe vnam dictarum partium, qua mediante fiat hæc proportionis regula.

Si tertia hæc portio reliquæ diſtantiæ.

Dederit longitudidem dimidiam Foci Solaris vitri.

Vniverſa diſtantia objecti ad vitrum.

Datura eſt certum numerum quartæ longitudinis.

Tertio.

Tertio. Divide numerum hunc reſultantem ex quarta hac longitudine in tres portiones æquales, vnam demito, ambæ portiones reſtantes, conſtituent diſtantiam requiſitam à vitro ad focum objecti, vel ad baſin diſtinctionis & imaginis diſtinctæ ſpecierum objecti ſupra chartam aut retinam artificialem.

Sic, exempli gratia, jactus aut diſtantia Foci ſolaris vitri ſi ſit quatuor pedum, diſtantia autem objecti ad vitrum ſi fuerit tredecim pedum, Diſtantia vitri ad focum, aut imago diſtincta objecti ſupra cancellos chartaceos RRRR. Figura ij & iij erit lxix. pollicum & iv. linearum, quæ conficiunt quinque pedes, novem pollices & quatuor lineas.

Ad rite dignoſcendos effectus diverſorum conſpicillorum ex vitris convexis aut concavis quæ naſo imponuntur, quorum beneficio emendatur vitium viſionis in ſenibus aut myopibus, non minus vtile quam curioſum erit obſervaſſe quædam ſingularia circa ea quæ accidunt in repræſentatione ſpecierum objectorum in camera atrata, depicta Figura iij. foramen enim factum in feneſtræ foricula, vicem gerit Pupillæ: vitrum convexum foramini admotum, locum tenet humoris cryſtallini; charta autem RRRR. officio fungitur retinæ oculi; recipit ſcilicet imagines aut ſpecies objectorum anterius oculo oblatorum.

1. Id obſervandum quo magis objectum feneſtræ proximum erit, eo plus in camera atrata dimovendum eſſe à vitro convexo cancellum chartaceum RRRR. vt excipiatur diſtincte imago objecti.

2. Obſervandum qua proportione removebitur objectum, eadem promovendam eſſe chartam RRRR. vitri convexi: Tandem cum objectum fuerit ad inſignem ſatis diſtantiam poſitum, chartæ diſtantiam non admodum variam fieri quantumvis removeatur objectum.

ZODIACI MEDICO GALLICI

SIVE

Recens in Re medica & Naturali Exploratorum October Anni M. DC. LXXXI.

OBSERVATIO I.

Dom. LANGEI, Medici Lexovienſis, Academiæ recens in medicina Exploratorum Socij.

De Electione venarum in Sanguinis miſſione.

EX recentibus exploratis in re Medica Circulatio Sanguinis maxime omnium contulit explicationi innumerorum, phænomenorum hactenus in corpore humano cognitionem effugientium; at vero vtilitas inventi videtur intra theoricæ fines ſubſtitiſſe, neque ad praxin deducta, vt proinde commodi aliquod inde redundaret.

Revera etſi Sanguinis miſſio remediorum omnium vſitatiſſimum ſit, quod ex principij illius cognitione maxime pendet, non tamen vnquam animadverſum in vſum veniſſe quo rectius illa celebraretur, quin potius exiſtimatum eſt quandoquidem vnaquæquæ pars Sanguinis exiguo temporis ſpatio totum corpus peragrabat, perinde eſſe quodcunque vas reſeraretur; Sin electio quæpiam admiſſa ſit, omnino illa principiis ſuperſtructi fuit omni ſolido fundamenta deſtitutis.

Nihilominus tamen principiis, ab omnibus receptis innixus manifeſtum facturus ſum regulas quaſdam obervandas eſſe quoad electionem vaſorum in ſanguinis miſſione, pro varietate indicationum ex affectus natura oriundarum, imo periculum imminere ſuſq; deq; ſi habitæ fuerint.

Ad

Ad quatuor capita reduci queunt rationes quæ ad venæ in morbis apertionem impellunt: Nam primo Sanguis educitur temperandi gratia ardorem & æſtum illius.

Secundo, ad imminutionem copiæ illius exuperantis, ac proinde faciliorem reddendum illius circulationem.

Tertio ad remoram injiciendam motui ſanguinis æſtu perciti, illiuſque motum, cujus impetu ad ſingularem à aliquam corporis partem deferri poteſt coercendum.

Tandem ad impellendum illius motum, curſumque inhibitum reſtituendum, ſi non quantum ſatis opus eſt in aliquam partem influat, ad proportionem illabentis ſeri, vnde affectuum tam frequentium origo, quos vulgo ſub nomine Catarrhi involvunt, aut Fluxionum; vel ob ſpontaneum illius extra vaſa egreſſum, à ruptionem aut dilatatione vaſorū, ad quas ſequuntur phlegmones & abſceſſus.

Vnamquamque harum rationum ſeorſim expendamus, nam ex illarum examine eluceſcet vnamquamque ſuſpeditaturam indicationes omnino à ſe invicem diſcrepantes ad venarum ſelectum in ſanguinis miſſione.

Non hic immoraturus ſum vt probem venæ ſectionis ope, quantum in ipſa eſt, refrigerium ſanguini comparari: Hoc certum eſt æſtum illius aliter temperari non poſſe quam ab admixtione cujuſpiam ſucci, cujus partes cum ſint fixiores, minuſque exaltatæ, illius partium robur infringere queat; Succum illum proculdubio alium non eſſe quam chylum, ac proinde quo ſanguinis miſſio refrigerium præſtet, opus eſſe vt liberum chyli illius in venas commeatum efficiat.

Vt vero conſpicuum ſit quo in loco inſtitui debeat, finis illius conſequendi gratia, ſciendum eſt vniuerſum chylum deferri per canalem thoracicum in venam axillarem ſiniſtram; cum qua canalis dictus efficit angulum fere rectum: Inſertionem illius occludi a valvula chyli refluxui obſtanti, ideoque, cum ſanguis dilatetur in fermentatione, non ſolum obſiſtat ingreſſui prædicti liquoris, non ſecus ac fluvius aquis tumidus rivuli aquas influxu prohiberet ſi ad angulum rectum illaberentur; Imo etiam diductione facta membranarum venæ, valvulam omnino claudat, eoque pacto impediat commixtionem liquoris à quo temperari poſſit illius ardor, & agitatio partium compeſci.

Etſi rei veritas cōfirmatione non indigeat, apertior tamen evadet ſi obſervatio facta fuerit plurimorum ſymptomatum febribus ſuccedentium, quorum cauſa hactenus latuit; cujuſmodi eſt tenſio inſolita ventris, quæ non aliunde originem ducit quam à ſubſiſtente chylo, in omnes meſenterij glandulus irruente, in quibus poſtquam corruptionem ſubiit, verſus inteſtina refluit, invehens fœtidos illos & tetros alvi fluores, agris

Q

adeo infauſtos: Aut ab eodem in iiſdem glandulis, coagulato ab efficacia accedente quorundam acidorum ſuccorum, vnde obdurationes illæ pertinaces, à quibus cum premantur vaſa lymphatica, enaſcitur tandem hydrops, febrium diuturnarum frequentiſſimus & funeſtus exitus.

Ex prædictis inferre licet à ſolam venæ ſectione, quæ in brachio ſiniſtro inſtituitur, expectandum eſſe æfluantis ſanguinis refrigerium; ejus quippe ſolius ope facilis poteſt effici introductio chyli in venam axillarem, non modo propter imminutionem maſſæ ſanguineæ, refluentis ad locum inſertionis canalis thoracici, ſed & ob vim ligaturæ, quæ inſtar cujuſdam repaguli, vel cataractæ, cohibens refluxum illius liquoris, vas fere exhaurit ad vſque illius truncum; eoque pacto removens obſtaculum, à quo occludebatur valvula, chylo liberum concedit introitum, cuius tantum beneficio poteſt temperari ardor, ſi præſertim acceſſerit vſus alimentorum refrigerantium.

Evincunt etiam prædictæ rationes, ſi ſcopus ſolummodo fuerit imminuendi maſſam ſanguinis; cum hoc in caſu cavendum ſit ne influat novus liquor, ob quem eadem ſemper copia remaneret, inutilem eſſe venæ ſectionem in brachio ſiniſtro factam, quia hoc pacto tantundem chyli inveheretur quantum ſanguinis educeretur: At contra, ſanguinis miſſionem in brachio dextro, cum nullus liquor extraneus per eam admittatur, præſenti in caſu anteferendam eſſe.

Vt ſatisffiat tertiæ Indicationi, obſervandum eſt â duabus cauſis impelli ſanguinem ad locum vnum potius quam ad alium, *ἰυθυωρίαν* ſcilicet, i.e. viæ rectitudinem, ac facilem & pronam viam, nulla obiecta remora: Eapropter ſi præter modum commotus fuerit, perpetuo maiori copia in cerebrum defertur quam partes inferiores, nam præter viæ rectitudinem, adſunt adhuc aliæ duæ cauſæ illum eo deducentes; prior eſt proclivitas ſanguinis in reditu è cerebro ad cor, ob gravitatem nativam: Poſterior eſt magnitudo ſinuum aut cavitatum cerebri, cuius cauſa ſemper illi conceditur ſpatium ad motum liberum, etiam intercepto curſu illius verſus cor, (id quod ſæpenumero contingit, prout infra explicaturus ſum) cum in partibus inferioribus, gravitas obſtet illius aſcenſui, neque adſint devia itinera à quibus impediatur illius reſiſtentia, perpetuo illuc ægrius defertur.

Hoc vero iam affero. ſi ſcopus fuerit ſanguinis copioſiorem afluxum in aliquam partem prohibere, neceſſe eſſe vt facilis reddatur illius excurſus in arteriam per quam defertur in partem oppoſitam: cui ſcopo ſemper ſatisfit apertione venæ quæ immediatius ſanguinem excipit. Ea de cauſa in deliriis & phrenitide, quæ parit præceps excurſus ſanguinis præter modum æſtuantis & ſpiritibus turgenits in cerebrum, apertio ſaphenæ inſigni

gni

gni eſt auxilio, remoto enim impedimento allicit, vt ſic dicam, partem ſanguinis impetu abreptam in partem oppoſitam.

Nec tandem arduum fuerit ſtatuiſſe quodnam vas eligendum ſit ſi ſanguinis curſum reſtituere ſcopus ſit fuerit, cujus motus in parte quapiam corporis cohibitus ſit, ſi nempe eorum quæ ſuperius allata ſunt ratio fuerit habita, ſanguinem ſcilicet qui in maiori vaſe turget, & rapidius defertur, inhibere illius influxum qui illuc per minora vaſa infertur, ſi præſertim illorũ inſertio accedat ad perpẽdicularem, facile enim quivis concipiet frequentiſſimam ſanguinis in quapiam parte moræ hanc cauſã eſſe.

In ri confirmationem vnicum ſufficiat cerebri exemplum, fluxionum omnium originis; cujus venæ jugulares, tum externæ tum internæ, ad cor ſanguinem revehentes, & perpendiculariter in axillarem incidentes, ideo motus ſanguinis eadem ratione cohiberi poteſt, eodemque modo quo motus chyli impeditur.

Cum porro dixerimus ad facilem chyli introductionem, eam partem vaſis in quam immediate inſinuatur onere levandam eſſe; idem hoc in caſu aſſerendum eſt, ideoque in omni cephalalgia, in omnibus fluxionibus, ſemper aperienda eſt vena brachij lateri affecto reſpondentis: Sin dolor fuerit vniverſalis, vena brachij dextri, eo quod ſecta vena brachij ſiniſtri, cum chylus per latus vnum ingrediatur, & ſanguis cerebri ex altero in axillarem, minus huic ſupereſt, ſpatij quam in brachio dextro in quo nulla adeſt inſertio canalis thoracici: Ac in genere dicere licet, omnium fluxionum gratia & tumorum inflammatoriorum, ſemper aperiendam eſſe venam in loco proximo inſertioni vaſis deferentis ſanguinem à parte ægra ad cor.

Neque hic prætereundus affectus cujus gratia ſæpiſſime præſcribitur ſanguinis miſſio, quem concludere non potui intra quatuor capita ſuperius memorata; quia cauſa conſiſtit extra vaſa ſanguifera, hic eſt Rheumatiſmus, Omnes conſentiunt dolores illius comites non aliunde ortum ducere quam ab effuſione cuiuſdam ſeri, ſalibus imbuti, in habitum corporis; Porro lymphatica vaſa cum dicata ſint reductioni ſeri in ſanguinem, Ideoque quo venæ ſectio vtiliter inſtituatur, debere illam ſerum illud in maſſam ſanguineam revehere, vt per lotia extra feratur, aut alias vias: ſi poſtmodum illud in memoriam revocaveris pene omnia vaſa lymphatica inſeri in receptaculum & canalem chyliferum, inferendum erit in omnibus doloribus rheumaticis ſemper aperiendam eſſe venam brachij ſiniſtri.

Finem dicendi facio allata circumſtantia, quæ ſicut rationi admodum eſt conſona, ita accuratiſſime obſervata eſt, nequaquam ſçilicet ſanguinem emittendum quin prius imus venter depletus fuerit, eductis

impuritatibus quæ in vaſa inanita irreperent: at vero dico id maxime adnotandum cum ſanguis è brachio ſiniſtro demitur, & ex vtroque pede; porro conſiderationem illam parvi faciendam ſi in brachio dextro vena tundi debeat, præſertim ſi corpus plethoricum fuerit: ratio eſt quod venæ ſectio in brachio ſiniſtro inſtituta, cum promoveat chyli influxum in ſanguinem; venæ ſectio autem malleoli ſanguinem contentum in vene cava, ambo iſti liquores inquinari poterunt ab impuritatibus imo ventre conceptis: Cum vero vena aperta in brachio, dextro, vti diximus, nullius ſucci extranei commiſtioni introitus concedatur, inutile eſt hanc cautionem adhibere.

Observatio II.

Mag. PELLERINI Chirurgi Iurati & Lithotomi Gratiæ Portus.

Calculus monſtroſus è veſica vrinaria per lithotomiam eductus.

Peritiſſimus quidam Lithotomus, in Portu gratiæ, nuperrime ad me tranſmiſit lapidem à ſe è veſica eductum. Cum ſingularis admodum ſit formæ Figuram illius exhibere placuit, vtraque facie conſpicuam: Revera ſimiles in renibus non raro occurrunt; imo non ſæpius à me viſi in renibus eorum quos extinxit colica nephritica. At cum harum partium conformatio non parum conferat ad ejuſmodi figuram, multo minor admirationis occaſio quam in veſica, in qua nihil obſervare eſt quod ad conformationem adeo inſolitam vergat aut conferat.

Extractio hujus lapidis facta eſt triceſima die menſis Iulij vltimi, è veſica adoleſcentis vrbis Montivilierij, annos novendecim nati, qui nullo ſubſequente metuendo affectu perfectam intra conſuetum tempus conſequutus eſt valetudinem: Fauſtus ſucceſſus debetur dexteræ manui magiſtri Pellerini, qui plurimas obſervationes emittendas ſpondet.

Obtervatio III.

Dom. VIMONTII D. Medici Lexovienſis.

Infans monſtroſus.

Infantis hujus partes ſingulæ rectam conformationem obtinebant præterquam caput; labia enim leporina quodammodo referebant, intra quorum fiſſuram aderat lingua, quæ videbatur adnexa nari dextræ, magni-

magnitudinis & craſſitiei fabæ ordinariæ: coloris erat qualis in infantibus nuper natis, & poris inſignita, imo inferiori parti ligamento quodam colligabatur, iuxta quod aderat fruſtum carneum forma gingivam vtcunque referens: In regione palati conſpicuum erat aliud fruſtum carneum, magnum & rotundum inſtar pennæ anſerinæ, quod ex oris fundo exterius inſerebatur ementitæ iſti gingivæ.

Observatio IV.

Dom. CARONII Mag. Chirurgi Belvacenſis.

Vlcus in inguine, alvi fæcibus tranſitum concedens, ſanatum.

ANte paucos dies in manibus habui vnum ex ægris Noſodochii noſtri, Abſceſſu in inguine laborantem, cui putredo tam inſignis acceſſit, vt portio inteſtini Ilei, longitudinis quatuor tranſverſorum digitorum, ad ſuppurationem omnino deducta fuerit, adeo vt fere toto curationis decurſu fæces alvinæ per vlcus prodierint, nec tamen ideo non ſucceſſit conſolidatio, quæ intra quadrimeſtre ad perfectam cicatricem deducta eſt; valetudo vero ægri adeo integra ſucceſſit, vt alvi excrementa per alvum hodie excernantur, communi cum cæteris vivendi genere uſo ægro; etſi ſexageſimum attigerit annum.

Observatio V.

Ejuſdem.

Vlcus in inguine Enterocelen ſequutum.

QVidam laborans Enterocele completa, cujus reductio fieri non potuit, materia autem in inteſtino cohibita ad ſuppurationem cum deducta eſſet vna cum productione peritonæi, imo inteſtino ipſo, extremitas inferior vltimæ hujus partis agglutinata eſt circumferentiæ apertionis abſceſſus; idque mediante membrana ipſius externa, Eodem modo quo in Invalido de quo in Ephemeridibus menſis Iun. 1680. Obſ. 4. adeo vt interior membrana exterius producatur & in longitudinem promineat ob motum vermicularem, quem vocamus periſtalticum, expulſioni fæcum alvinarum dicatum: Iuxta plurimarum conſultationum decretum hiatus iſtius conſolidationem, ſutura adhibita, tentavi, ſed irrito ſucceſſu.

Observatio VI.

Ejuſdem

Vulnus Capitis Contuſum.

CVræ meæ commiſſum habeo in eodem Noſocomio puerum ex vulnere contuſo in capite decumbentem, ab equi calcitratu prope ſuturam coronalem : veritus ille manus Chirurgi, tribus demum exactis ſeptimanis illi ſe commiſit ; Nullum verendum ſymptoma conſequutum eſt, præter levem ecchymoſin vniverſum vultum occupantem, ac tantummodo decimo octavo ab ictu inflicto die, etſi duæ fracturæ inſignes adeſſent ſimul conjunctæ ; quarum vni figura erat literæ ɔ inverſæ, altera in longitudinem exporrigebatur ad bregma vſque, quæ ambæ ſimul junctæ hanc figuram referebant ɔ.——

Modiolum adhibui die viceſima ſecunda : dura mater ſat bene conſtituta mihi viſa, prodeunte ſanguine ſolum per factum à trypano foramen: Vulnus ad ſanationem vergere iam videtur, ac nihil inductioni cicatricis obſtare credo : Eventus eo magis admiratione dignus quod æger ab officiis ſolitis, iiſque vehementibus, toto curationis tempore nequaquam abſtinuerit.

Observatio VII.

Ejuſdem

Vulnus capitis exiguum lethale.

MAnifeſtum eſt ſimilibus in caſibus, non idem fatum omnes manere : Eodem enim tempore accerſitus ad alterum puerum curandum, cui leve in occipite excitatum eſt vulnus à caſu non ex ſublimi; Inſigni enim œdemate per totum caput oborto, & ſanguine exudante per poros occipitis, tertia die lethum obiit, etſi fracturæ nulla adeſſent indicia.

Observatio VIII.

Ejuſdem

Affectus quidam Vterinus.

IUvenis mulier in hac Vrbe, quæ extra tempus imprægnationis fluore albo copioſo laborabat, ac proinde gravitate cum intenſis doloribus

bus in regione hypogaſtrica, incidit poſtmodum in Hydropem vterinum, actandem poſt ingentes cruciatus quarta die Iunii præteriti obiit.

Cadaver illius diſſecui coram Dom. Perovio medico, & D. Cheronio, Collega meo, in quo ſequentia obſervare licuit.

I. Vteri corpus, cum contentis extraneis intra cavitatem illius, accedebat ad pondus centum librarum.

II. Aquæ quæ rufi coloris erant, & ſumma aciditate præditæ, viginti octo aut triginta pintas adimplebant.

III. Quatuor aderant falſi conceptus, vel molæ, quarum maxima accedebat ad magnitudinem capitis fœtus nonimeſtris, ſanguini coagulato ſimilior quam maſſæ carneæ.

IV. In cavitate vteri, parte dextra, reperta ſunt octo corpora, quaſi glandulofa, oppleta materia alba, viſcida, fœtoris experte; verbo, ſpermati omnino ſimili: Nonnulla illorum pugni erant magnitudine, alia pilæ palmariæ: quædam quoque reperta dictis ſimilia in parte ſiniſtra, ſed præcedentibus multo minora.

V. Teſticuli & Tubæ non adparebant.

VI. Meſenterium tam firmiter cohærebat membranæ exteriori vteri, vt mihi omnino non licuerit ab eo ſeorſim divellere, quamobrem cuncta graciliora inteſtina in hypochondrium ſiniſtrum ſeceſſerant.

VII. Iecur admodum aridum erat.

VIII. Veſica omnino vacua.

Cætera imo ventre contenta, ſicut & pectore, à conſtitutione naturali non multum recedebant.

OBSERVATIO IX.

Dom. COMIERS Ebrodunenſis, Mathematicarum Diſciplinarum Profeſſoris Pariſienſis.

Continens Colorum Philoſophiam, raris experimentis demonſtratam, Ex principiis Optices, Dioptrices & Artium maxime curioſarum.

POſtquam obſervare mihi licuit in camera atrata, vel in oculo artificiali, *Vide Figuras in Ephemeribus Iunii menſis præteriti*, pro ratione varietatis diſtantiæ objectorum, magis aut minus removendum eſſe vitrum convexum C C C C. quod humoris cryſtallini vicem tenet, à charta R R R R. quæ Retinam repræſentat, vſque ad jactum Foci objecti, ad excipiendam ejus imaginem diſtinctiſſimam, experimentum quo-

que ſequens tentandum, cujus ope facile colligere poteris cauſam diverſitatis viſionum, & cur viſus pro ætatum mutatione varius eſt, quandoquidem ſenes diſtincte vident obiecta mediocriter diſſita, admodum autem confuſe proxima.

In parato habeto plurima vitra plano convexa, aut parum vtrinque convexa, diverſæ potentiæ, jactus aut diſtantiæ Foci ſolaris, cuiuſmodi ſunt vitra obiectiva conſpicillorum tubulatorum, variæ longitudinis, imo vitra conſpicillorum ſenum, variæ ætatis: Admove ſucceſſive quodpiam dictorum vitrorum foramini facto in foricula feneſtellæ atratæ cameræ: remove paulatim ab hoc vitro CCCC. cancellum chartaceum RRRR. quo vſque ſpecies aut imago diſtinctiſſima cujuſpiam obiecti fixiſſimi, mediocriter remoti tibi adpareat: Deſignetur accurate diſtantia cancelli chartacei RRRR. ad vitrum CCCC.

Si huic vitro aliud ſubſtituas magis convexum aut gibboſum, cum iſtius vitri focus minorem longitudinem obtineat ideo propius, admovendus erit cancellus chartaceus RRRR. vt in eo excipiatur imago diſtincta ejuſdem obiecti, quæ minor quoque futura eſt, colores autem vividiores magiſque illuſtres adparebunt, eo quod ſpatio anguſtiori collecti ſint.

Sin contra apponas vitrum minus priori gibbum aut convexum; cum focus illius maioris longitudinis futurus ſit, ideo amplius removendus erit cancellus chartaceus RRRR. ad excipiendam diſtinctam imaginem eiuſdem obiecti, quæ quidem maior futura eſt, at minus vividis coloribus donata, eo quod vnuſquiſque color obſoletus fiat maiorem depingendo imaginem, aut ſpatioſiorem chartam.

Si duo vitra convexa æqualia ſuperimpoſueris, focus media parte ſit proximior, aut media parte minus diſtet à charta RR.

Obſervandum eodem tempore, quando imago obiectorum parum diſſitorum admodum diſtincta apparuerit in cancello chartaceo, aut retina RRRR. imaginem obiectorum remotiorum confuſam admodum ad parituram, Et vice verſa, ſi imago obiectorum multum diſſitorum fuerit diſtinctiſſima, imaginẽ obiectorum parum diſtantium confuſam admodum fore.

Ratio phænomenorum horum eſt quod obiecta, ratione diverſæ diſtantiæ, diverſam obtinent foci longitudinem, aut diſtantiam à vitro ad baſin diſtinctionis, prout radii cuiuſque puncti obiecti incidunt magis aut minus divergentes in vitrum.

Eadem res accidit in vniuſcujuſq; Oculis, nemo enim vno eodemq; tempore poteſt diſtincte videre duo objecta, quorum vnum admodum propinquum ſit, alterum multum diſtans; eo quod ad videndum primum objectum, cujus radii, qui ſenſibiliter incidunt divergentes in cryſtallinum procul deferunt focum ſuum, oporteret retinam multo plus diſtare ab humo-

humore cryſtallino quam ad videndum obiectum remotius, cuius radii paulatim dum incidunt divergentes, ac quaſi phyſice paralleli, reddunt focum ſuum minus remotum ab humore cryſtallino.

Cuncta hæc accidunt niſi adfuerit myopia unius oculi, in altero vitrum ſenile, ſicuti in Ianitore Ieſuitarũ Camberiacenſium, Imo ipſo Patre Chaſleo, qui idem aſſerit Tomo II. ſui *mundi mathematici*, editi anno 1674. pagina 382. Propoſit 39. *Axes optici concurrũt in vnum idemq; objectum:* Veriſſimũ quippe eſt pauciſſimos æqualiter & perfecte vtroq; ſimul oculo videre, ea quippe organa non vná eandẽq- ſortita ſunt conformationem.

Iam uero fingamus humorem cryſtallinum non vnius eiuſdemque eſſe formæ aut convexitatis in oculis omnium, imo hanc convexitatem in vnoquoq; homine cum ætate imminui, eo quod humor cryſtallinus ob exſiccationem deprimitur, ac decurſu temporis couvexitatẽ ſuam deponit.

Sicuti proba viſio pendet à diſtincta impreſſione imaginis, obiecti ſupra retinam, diſtincta autem imago ortum ducit ab æqua pupillæ dilatatione, ac præcipue à forma humoris cryſtallini, ejuſque flexibilitate, quo removeatur à retina pro ratione diverſitatis focorum, obiectorum diverſimode diſtantium, ſtatuo tres eſſe differentias præcipuas humoris cryſtallini, etenim vel mediocrẽ convexitatẽ obtinet, vel maiorem, vel minorẽ.

Si in tribus hominibus triplex illa occurrat differentia in humore cryſtallino, idem obiectum ab illis diſtincte percipi non poterit ſi æqualiter ab illo remoti ſint: Myops enim, hoc eſt, cui humor cryſtallinus multum convexus eſt, aut turgidus, obiectum admodum proximnm habere debet, vt recipiat in cryſtallino radios vniuſcuiuſque puncti valde divergentes, quo collectio illorum retardetur, aut focus, vtque ad retinam vſque deferatur: Ex oppoſito, Presbytes, hoc eſt is cuius humor cryſtallinus nimiopere depreſſus eſt, neque ſufficienter convexus eſt, aut gibboſus, magis ab obiecto recedere debet quam myopia laborans, ad excipiendos radios vniuſcuiuſque puncti obiecti mediocriter divergentes ac quaſi phyſice parallelos, pro acceleranda & contrahenda eorum collectione, aut foco, eoque præciſe in retina retinenda, vt ibi formetur baſis diſtinctiouis, aut diſtincta imago obiecti: Is vero cui humor cryſtallinus mediocriter convexus fuerit moderate ab obiecto recedet, ſi id diſtincte percepturus eſt.

Quibus viſus aces acutiſſima eſt, per preſſionem nervi à latere oculum comprimunt, & facile longiorem efficiunt, quamobrem humor cryſtallinus amplius intumeſcit, receditque retina, eoque pacto obiecta illis proxima adparent æque diſtincte ac ipſis myopibus: Sin compreſſerint oculum, axin illius contrahendo cryſtallinus humor deprimitur, eoque in ſtatu diſſita objecta æque diſtincte vident ac ii qui natura *prasbyta* ſunt.

id genus oculorum omnium præſtantiſſimum eſt; at vero perpauci ſunt qui humori cryſtallino debitam convexitatem conciliare valeant, quo præciſe ad retinam deferatur focus obiectorum juxta diverſas illorum diſtantias.

Ex ſuperflua ergo convexitate humoris cryſtallini aut ejuſdem defectu, deduci debent ambæ viſus læſiones, in *myope* & *presbyte*.

Viſiones propinquæ eorum quos Græci vocant μύωπας pendent ab humore cryſtallino nimiopere convexo, aut gibbo & tumido: Diſtinctiſſime i percipiunt obiecta oculo proxima, admodum autem confuſe vident obiecta ab illo paulo remotiora, Horum hæc eſt ratio.

Radii irradiationis vniuſcujuſque puncti obiecti proximi admodum divergentes incidunt in humorem cryſtallinum, quamobrem, juxta leges refractionis, eorum concurſus, aut focus, moram nanciſcitur, atque vlterius defertur advſque retinam, vt ibi diſtincte depingat effigiem obiecti: Ex oppoſito radii irradiationis uniuſcuiuſque puncti obiecti remoti incidunt in cryſtallinum parum admodum divergentes, ac, vti ajunt, phyſice paralleli; quapropter quaſi comminuti cum ſint per refractionem, minus illis deflectendum eſt quo vniantur vni puncto ſuper axe radiationis; Sin ſint divergentes, eorum concurſus, aut focus, nimis cito peragitur pone cryſtallinum in humore vitreo: quamobrem retina, quæ remotior eſt, non excipit radios uniuſcujuſque puncti objecti, niſi poſtquam decuſſatim permixti fuerint & confuſi in foco; Ac proinde neceſſe eſt myopes obiecto oculum admovere, vel obiectum oculo, quovſque radii irradiationis cuiuſque punct obiecti admodum ſenſibiliter incidant divergentes in humorem cryſtallinum, quo eorum concurſus, collectio, focus, aut penicillum opticum, moram trahat, ac ad retinam vſque deferatur, ibi depicturum imaginem obiecti.

Senes, & quorum viſio fit ad diſtans, quos Græci vocant πρεσβύτας, diſtincte vident obiecta diſſita, admodum autem confuſe proxima, Ratio eſt, In illis humor cryſtallinus cum exſiccatus ſit, parum convexitatis obtinet, ac pro proportione ſuæ convexitatis, aut actus foci, magis à retina diſſitus quam cum admodum tumebat & convexum erat in juventa, ideoque radii vniuſcujuſque puncti objecti remoti incidunt in cryſtallinum parum divergentes, ac quaſi, phyſice paralleli, eapropter eorum focus, cum remotior fiat, defertur ad retinam uſque, hinc diſtincte vident obiecta remota; Vice verſa radii cujuſque puncti obiecti admodum propinqui cum incidant ſenſibiliter divergentes in cryſtallinum, illorum concurſus, aut focus, tardior efficitur ac defertur ultra retinam, quæ proinde detruncat radiationes quæ nequeunt ibi depingere diſtincte obiecta, quandoquidem continent imagines uniuſcujuſque partis objecti confuſas

fuſas & indiſtinctas: Ideoque ſi legere velint, librum ab oculo removere neceſſe habent, aut ipſimet a re ſcripta recedere, quodũ vniuſcujuſq; puncti radii objecti ſic remoti incidunt minus divergendo in cryſtallinum, diſtantia illorum concurſus, aut foci, contrahatur & brevior fiat in anteriori parte retinæ, vt ibi depingatur diſtincte imago objecti.

Oſtendendum jam cur myopibus, hoc eſt iis qui propinqua tantum vident, diſtincte appareant objecta remota ſi utuntur conſpicillis quorum vitra ſint plano concava, vel utrinque concava, emendata ſic à concavitatis gradu vitri conſpicilli nimia convexitate humoris cryſtallini.

Quo rite percipiatur effectus horum conſpicillorum concavorum, duo eſſentialia obſervanda, primo, ſicuti à nobis jam ante domonſtratum, vt myopes poſſint diſtincte videre objectum quodpiam, neceſſe eſſe ipſos excipere in humore cryſtallino radios admodum divergentes radiationis cuiuſque puncti objecti.

Secundo, à concavitate vitri per refractionem diſpergi, aut dimoveri radios qui emiſſi ſunt divergentes ex eodem puncto obiecti, eoſque eo magis divergentes effici quod ejus cavitas ſit profundior, hoc eſt, quaſi calantica ſit minori ſphæræ aut globo.

Ejuſmodi vitrum concavum ſi admotum fuerit oculo myopicorum, radii radiationis cujuſque puncti obiecti remoti, exituri ſunt ſemper magis divergentes quam in ingreſſu, incidentque æque divergentes in humorem cryſtallinum ac ſi objectum oculo propinquius eſſet; ac proinde illorum collectio, aut focus, vlterius deferetur, imo ad retinam vſque, in qua omnes illi foci radiationum cujuſque puncti obiecti depingunt imaginem diſtinctam objecti, quod viceverſa minus apparet.

Oſtendamus etiam quare *Presbytæ*, aut videntes ad diſtans, diſtincte percipiant obiecta proxima uſi conſpicillis quorum vitra ſint plano convexa, aut utrinque convexa, emendata ope graduum convexitatis hujus vitri, convexitate deficiente in illorum humore cryſtallino, nimium depreſſo ab exſiccatione.

Vt rite percipiatur effectus conſpicillorum illorum convexorum, duo eſſentialia animadvertenda ſunt, Primo, ſicut ante à nobis demonſtratum, ut *Presbitæ* diſtincte videant, neceſſe eſſe ipſos excipere in humore cryſtallino radios parum divergentes irradiationis cujuſque puncti objecti: Alterum eſt, ſicuti convexitas vitri, juxta leges naturales Refractionis, contrahit, & efficit minus divergentes, ſæpe parallelos, imo convergentes, radios qui ſemper prodeunt divergentes ex eodem obiecti puncto, atque illos eo magis convergentes reddit quod illius convexitas in minorem contrahatur ſphæram, aut globum.

Ideoque, ſicuti ſenes, quia in illis cryſtallinus parum convexus eſt, egent

convergentia radiorum,ut diminuatur longitudo concurſus illorum , aut foci ſicubi legere velint, ſcribere, aut objecta proxima expendere, à quibus commode non licet illis recedere, in vſum ducunt conſpicilla vitro convexo donata: radii enim radiationis cujuſque objecti proximi cum incidant admodum divergentes in vitrum illud convexum ipſos|excipiens, ideo ex illo prodeunt parum admodum divergentes, hinc quaſi phyſice paralleli in humorem cryſtallinum incidentes, diſtantia illorum concurſus & foci brexior efficitur, ac preciſe in retina determinatur, in qua depingunt imagines diſtinctas obiectorum valde propinquorum.

Vt experimento extra nos deſumpto manifeſtum fiat, vitra ſphærice concava conſpicillorum Myopibus dicatorum, efficere radios divergentes, viceverſa vitra ſphærice concava conſpicillorum ſenum aut πρεσβύτων radios reddere convergentes.

Oppone vitrum conſpicilli Myopici, vel aliud vitrum concavum, directe Soli,excipe illius radiationem à tergo vitri in charta, comperies irradiationem iſtam augmentũ capturam prout charta à vitro removebitur.
Id ideo contingit quod radii radiationis vniuſcujuſque puncti Solis, qui eo phyſice paralleli illapſi ſunt, exinde juxta leges refractionis prodeant dive.gentes,hoc eſt magis ac magis à ſe invicem abſcedentes, ac proinde luminis conum truncatum efficiunt.

Oppone directe ad Solem vitrum conſpicilli in vſum ſenis facti, vel aliud planum convexum, aut utrinque convexum; excipe illius irradiationem pone vitrum in charta,continget radiationem illam minorem fieri,prout à vitro chartam removeris.

Res ideo accidit, quia radii cujuſque puncti radiationis ſiolis, qui eo inciderunt Phyſice paralleli,exinde prodeunt convergentes,hoc eſt,magis ac magis ſeſe invicem colligentes ac coadunantes, eoque pacto effingentes conum obtuſum, aut truncatum, cujus major baſis occupat ſuperficiem vitri; focus autem aut imago Solis excipitur à minore baſi detruncata, ultra quam incipit alter conus luminis detruncatus, cujus baſis eo major apparitura eſt quo plus removebitur charta irradiationem conver-
excipiens: Cauſa eſt quia radii ſe mutuo interſecant in foco, qui cum
gentes exierint è vitro,divergentes è foco elabuntur.

Si hæc myſteria cum jucunditate conſpicere libeat, erige vitrum utraque parte convexum (ut ejus focus ſit minoris diſtantiæ) inter duo chartacea,quibus inſculpta ſit Solis imago, foramine facto in utroque oculo, adeo tamen ut foramen oculi dextri majus ſit eo quod eſt in ſiniſtro appone retro hanc machinam chartam fere contiguam, ibi conſpecturus es duo loca diverſa rotunda illuminata, quorum majus è directo erit majoris foraminis; Remove pauliſper chartam, duo illa loca illuminata paula-

tim

tim quoque ad ſe invicem accedent, ac tandem ad certam diſtantiam in unicum luminis circulum ſeſe contrahent, aut focum ſolarem: Sin chartam dimoveas, obſervabis duos circulos illuminatos, ſed ex ordine, inverſos ob decuſſationem factam, tranſverſim incidendo in focum: quamobrem maior circulus luminis directe opponetur minori foramini, Quo magis charta removebitur eo magis ambo illi circuli illuminati a ſe invicem abſceſſuri ſunt futurique majores: Cuncta hæc experimenta commode per me procedunt vſu exiguæ machinæ, cujus ope dimetior quoq; longitudinem vitrorum circularium Teleſcopii aut conſpicilli tubulati: Machina hæc non multum ab ea abludit quæ Figura vi. exhibetur.

ZODIACI MEDICO GALLICI

SIVE

Recens in Re medica & Naturali Exploratorum November Anni M. DC. LXXXI.

OBSERVATIO I.

Dom. CONQVEDO Chirurgi in Portu Gratiæ.

Monſtri Humani deſcriptio.

DOM. Peléus junior, perſtiſſimus Chirurgus, Obſtetriciam in hac vrbe exercens artem, accerſitus fuit decima tertia die præſentis menſis Octobris, partum adjuturus mulieris quæ legitimum tempus attigerat, & doloribus premebatur: Obſtetricis inanis fuerat opera, ipſe vero admodum inſudavit, laborioſiſſimuſque fuit ſimul partus, quo excluſit mulier monſtrum.

Duas ſcilicet puellas ſat bene habitas, quoad exteriores partes rite conformatas: conjunctio illa erat in medio, ac fere ad latus pectoris vniuſque corporis vnico ſterno ambæ donatæ erant, vnicalque cartilagine xiphoide; adeo vt latus dextrum alterius, ſiniſtro lateri alterius puellæ connecteretur, etſi ſua cuique eſſet propria ſpine dorſi. Vtrique etiam ſuum aderat caput, duo brachia, duo crura, cæteræque omnes partes duplices, quaſi duo eſſent corpora; hoc excepto quod duæ ſolum ineſſent mammillæ, vnicus venter, vnicus pro ambabus vmbilicus, cujus tamen funis ex quatuor conſtabat arteriis, vnica tantum vena.

Anatome à me facta eſt coram Dom. Huſelio Medico, ac plurimis aliis non infimæ notæ viris.

In Abdomine vnicum Iecur inventum, cum ſua cyſti, ſed majus quam pro naturæ ratione: collocatum erat in parte ſuperiori & media ventris, ſiſſura deſtitutum, etſi levis illius ſpecies adpareret, è qua prodibat vena vmbilicalis, Admodum æquale erat in parte gibba, validiſſime ſepto tranſverſo ope duorum ligamentorum annexa.

Comperti à nobis ſunt duo Oeſophagi, duplex quippe aderat collum, quorum inferius extremum *ſuū quodq; obtinebat ventriculum:* Ventriculi dicti paulo ſupra Iecur conſtituti erant, ac vnuſquiſq; illorum in inferiore extremo ex ſe emittebat canalem inteſtinalem; qui canales poſtquam producti fuerant in longitudinem ordinariam inteſtini duodeni, ſub Iecore deliteſcebant, vbi conſtituebant cavitatem membraneam, quæ ſpecie tertij ventriculi fere imponebat; magnitudine ambos multum ſuperantis.

Ex vtroque latere fundi iſtius cavitatis prodibat inteſtinum, quod productum cætera inteſtina gracilia conſtituebat, ac deinceps craſſa, vnde duplex Rectum deſinebat, ac terminum obtinebat in vtroque ano; etiamſi ambo illa diverſa corpora inteſtinorum vnico meſenterio gauderent.

Cæteræ omnes partes præcipuæ duplices erant, tanquam duo eſſent corpora: quatuor enim inerant Renes, duo Lienes; duæ veſicæ bini vteri: Nullum vero adfuit Pancreas.

Medius venter ab imo vnius tantum diaphragmatis interventu dirimebatur: In illo obvia habuimus duo Corda, vtraque ex parte vnum, at vero ambo vnico concluſa Pericardio: hunc vero ſitum obtinentia vt illorum apices in ſe mutuo aliquantum vergerent; adeo vt inter vtrumque vix pollicis adeſſet diſtantia.

Ritam aſſequuta erant confirmationem, quamvis paulo juſto depreſſiora eſſent qua parte divergebant: quamobrem illorum ventriculi; vaſa, auriculæ nihil ſingulare exhibebant, neque quoad numerum neque quoad formam.

Deet at

Decrat vtrique mediaſtinum.

Pulmones cordibus multo elatiores erant & ab iiſdem diſſiti, etſi ex naturæ lege à lateribus illorum eſſent: Vnicuique aſſignata ſua trachęa arteria, ad laryngem tendens, ac ad linguæ radicem in vtroque capite &c.

Observatio II.

Domini COMIERS Ebrodunenſis, Mathematicarum diſciplinarum Profeſſoris Pariſiis.

Philoſophia Colorum, raris experimentis demonſtrata, Ex Optices fundamentis, Dioptrices, aliarumque Artium, maxime curioſarum.

VT clarius innoteſcat quomodo Conſpicillorum vſus emendet vitia triplicis viſus depravationis, de qua Oſervatione viii. actum eſt Ephemer. præced. ſciendum.

Primò, In ſenibus humorem cryſtallinum plus iuſto depreſſiorem eſſe, ac proinde illius focum à retina tunica remotiorem eſſe; quo fiat ut radii eiuſdem puncti obiecti, poſt eorum decuſſationem inibi imprimantur variis in locis; non ſecus ac duo illi circuli luminoſi ſeorſim depinguntur in charta quæ à vitro ſatis remota non eſt.

Secundo, In viſu ordinario humorem cryſtallinum mediocriter convexum eſſe; Retinam autem foci punctum præciſe obtinere: quamobrem retina excipiat imagines objectorum admodum diſtinctas: radii enim irradiationis vniuſcuiuſque puncti obiecti in retina colliguntur; ſicuti duo illi circuli luminoſi in charta coeunt quæ à vitro diſtat præciſe ſecundum longitudinem foci illius.

Tertio, Viſum proximorum tantum obiectorum pendere ab humore cryſtallino nimis convexo, cuius focus non adeo diſtat ac retina: quamobrem focus, aut pictura obiectorum, cum figuram obtineat in humore vitreo, ideo retina radios excipit tantummodo divergentes aut divulſos poſt decuſſationem, ſicuti duo illi circuli luminoſi ſeparati incidunt poſt decuſſationem in chartam à vitro diſſitam magis quam pro ratione longitudinis foci.

Iuxta tria propoſita modo experimenta, demonſtrandus eſt vſus conſpicillorum extra noſmet ipſos.

1. Si charta nimis proxima ſit vitro, opponitur ſuo foco ſolari, hoc eſt, minus remota evadit quam ſit iactus illius foci; Eodem modo retina in ſene non ſatis diſſita eſt ab humore cryſtallino: Si vis, charta à vitro non remota (non ſecus ac ſenex nequit movere retinam ab humore cry-

ſtallino) accelerare focum vitri, vt in vnum coeant duo illi circuli luminoſi in charta, oppone anteriori parti illius vitri convexi, quadrato incluſi, quod vices tenet humoris cryſtallini, aliud vitrum magis aut minus convexum, plus aut minus hoc removendo Inde prodituri ſunt radij ſemper æqualiter convergentes; ac ſemper accidet vt incidant convergentes in vitrum quadrato incluſum, ſed ratione illius convexitatis eo magis convergentes incident quo proximius erit vitrum: Sin iuxtaponatur vitro, quadrato incluſo, tunc illorum focus, aut diſtantia concurſus illorum, quantum poſſibile eſt contrahetur: Paulatim ergo dimove quovſque dum ambo illi luminis circuli valide ſe conſtringunt, focus, aut imago ſolis, quæ eo remotior futura eſt quo magis vitrum illud convexum dimoveris, donec vitrum illud à vitro quadrato incluſo diſſitum ſit ad longitudinem duorum focorum, radij convergentes recepti in vitro quadrato incluſo exituri ſunt paralleli inſtar columnæ luminis, quæ nunquam eo vſque contrahetur vt evadat in conum obtuſum, cuius parva baſis producit focum aut imaginem ſolis.

2. Si charta præciſe poſita ſit in foco ſolari vitri, ſicuti retina eſt in foco obiectorum humoris cryſtallini, ac objicias vitrum concavum vitro iſti concavo quadrato incluſo, quod refert cryſtallinum, remittendo radios magis divergentes, moram afferet illorum concurſui, ac proinde longiorem faciet diſtantiam foci ſolaris: quapropter ambo illi circuli luminis ab invicem ſecedent in charta, ac vnus quiſque circulus è regione futurus eſt ſui foraminis.

Si huic vitro quadrato incluſo oppoſueris vitrum convexum, radiorum concurſum celeriorem faciet, leviorem autem diſtantiam foci ſolaris: quapropter ambo illi circuli luminis, qui in foco ſolari cojerunt & collecti erant, abſcedent ab invicem, ac in charta diverſum ſitum exhibituri ſunt: maior enim luminis circulus ad lævam deflectet, qui vero à ſiniſtris erat ad dextram tranſiturus eſt.

Hæc vero ratio eſt admirandæ illius mutationis, Focus, aut collectio in vnum amborum illorum luminis circulorum, cum contingat inter vitrum & chartam, nunquam ad chartam vſque pertingunt quam decuſſatione eorum facta in foco, vel interſectione.

3. Si charta pone *focum ſolarem* vitri limbo circumdati poſita fuerit, hoc eſt, magis remoti quam iactus illius *foci*, non ſecus ac retina eorum qui myopes ſunt, aut luſcioſi, nimis diſtat à foco obiectorum tantiſper diſſitorum, Si obieceris vitrum coucavum vitro convexo limbo circumdato, celeriorem faciet concurſum radiorum, & breviorem efficiet diſtantiam *foci Solaris*: Quamobrem ambo illi luminis circuli, qui in charta disjuncti erant, retinæ vicem obtinente, colligentur & coibunt in vnico foco aut imagine Solis.

Tandem

Tandem jucundo ſpectaculo ſeſe tibi offerent cuncta viſionis myſteria, & conſpicillorum effecta in camera atrata, *Fig. III.* Crates enim feneſtralis R R R R, retinam repræſentans, exhibens tibi objectorum imagines diſtinctas, collocata ad diſtantiam objectorum vitri convexi C C. (quod admotum foramini facto in foricula feneſtræ, pupillam referente ibi vicem obtinet humoris cryſtallini) Si extra feneſtram obtuleris vitrum convexum ante illud quod vicem ſubit humoris cryſtallini, obſervaturus ei dictas imagines in confuſionem adduci in charta R R R R, hancque proxime admovendam eſſe vitro C C. quod vice cryſtallini eſt, eo quod huius focus contrahetur, eoque amplius quo magis vitrum quod ipſi offertur ab extra cubiculum erit convexum, aut ſegmentum minoris ſphæræ vel globi vitrei: Quod ſi ab anteriori parte vitrum concavum obieceris, revera in confuſionem adductum eſt imagines obiectorum charta R R R R. exceptas, eo quod moram injiciat concurſui, & productiorem faciat Focum; Neceſſe ergo erit vt amplius removeatur charta R R R R, quo diſtincte eædem imagines excipiantur.

Monitum hic ſalutare exhibeo Muſarum cultoribus, & iis quibus debilis oculorum acies læditur illico à lectione: vtantur hi conſpicillis ſimplici foramine donatis, à priſcis vocata *dioptra*, quæ vice vitri, quo carent, inſtructa ſunt laminis ex cupro, vel alio quopiam metallo nigrefacto, quarum vnicuique exiguum admodum foramen inſculptum ſit, æqualiter à ſe invicem remotum, ad diſtantiam centri pupillarum, quæ eſt circiter duorum pollicum & ſemis: (Vide trigeſimam quartam Ephemeridem Eruditorum 23. Auguſti anni *1666.*) Illorum ope characteres oculis ſe offerent & maiores & dilucidiores, eo quod pupilla amplior conſervatur ope vmbræ dictarum laminarum; porro excluſis radiis objectorum lateralium, ſpecies objectorum directe oculis oppoſitorum in confuſionem ideo non aguntur; Retina præterea cum minus laborat, efficacior ſenſatio in illa efficitur, ab impulſu ſpecierum rerum oculis obiectorum.

Adducendæ ſunt hoc loco animadverſiones quædam in gratiam eorum qui myopia laborant, aut luſcioſi ſunt.

1. Contingit non raro eos qui acie viſus alias valuerunt, Myopes evadere, immutatis eodem tempore cum barba videndi facultate & vocis tenore.

2. Myopes ſenes ſine conſpicillis legere valent, diſtincte percipientes objecta remota vſi vitro concavo, imo nonnunquam præsbitæ fiunt, eo quod illis humor cryſtallinus detumeſcit: Ex oppoſito Presbytæ Myopes evadunt ſi illorum temperies, humidior fiat: Sic ope ſuccorum chelidonij majoris & eufraſiæ illico humorum ex oculis fiſſis erumpentium effluxus cohibetur.

3. Quibus videndi acies obtuſa eſt, ij commodius legunt die vtcunque obſcura quam admodum illuſtri, eo quod, vt radios admodum divergentes habeant, neceſſe ſit librum oculis admodum propinquum eſſe: Sin dies nimium ſerena ſit, ab excellentia luminis, præ inſigni copia radiorum per reflexionem oculos ſubingredientium, nimis incaleſcit retina, ideoque offenduntur.

4. Myopes circa crepuſculum facilius legunt, quo tempore illi ipſi qui de viſus præſtantia gloriantur ne ſcripturæ quidem ſedem agnoſcunt: Hujus eventus duas aſſigno cauſas. 1. quia Myopes librum oculis proprius admovent, eo quod illis opus ſit radiis ſenſibiliter divergentibus. 2. In illis pupilla vtplurimum amplior eſt; ideoque ob vtramque cauſam maiorem copiam radiorum excipiunt vniuſcujuſque puncti obiecti quam Præsbytæ.

Hi vt diſtinctius cernant, cum opus habeant radiis parum divergentibus, librum ab oculo magis removent: Pupilla etiamnum cum minor ſit, vtraque de cauſa ſufficientem radiorum copiam non excipiunt quo inde contingat ſenſibilis impreſſio & compreſſio retinæ.

4. Myopes diſtincte vident obiecta per anguſtum foramen, at eadem illis offeruntur minora, non ſecus ac inſpiciendo per vitrum concavum, eius ope ſtellæ illis omnes eiuſdem magnitudinis apparent, ſoloque luminis gradu differre videntur.

6. Cum neceſſe ſemper illis ſit vt radij irradiationis vniuſcuiuſque puncti obiecti in humorem cryſtallinum admodum divergentes incidant, ſi conſpicillis tubulatis vtantur, hæc ſemper contractiora faciunt, ſecus ac præsbytæ, qui longiora efficiunt quam qui acute cernunt.

7. Myopes, aut propinquiora tantum videntes, arcanum hic loci ſibi comparabunt; ſi ſcilicet obiecta remota accurate videre cupiant ope longioris Teleſcopii, illi abſtrahere debent omnia vitra ocularia; relicto ſolum obiectivo, oculum enim ſi admoverint poſt focum illius, multo ampliorem planitiem conſpecturi ſunt, ac proinde vno intuitu obiectorum majorem numerum deprehenſuri, quæ & maiora ſe exhibebunt & melius determinata, Id quod primo experiri mihi licuit anno 1668. quo tempore animadverti mihi viſus aciem obtuſam fuiſſe à vehementibus in vomendo conatibus, ad expellenda è ventriculo periculoſa venena à celebri illo & improbo à S. cruce, eiuſque ſociis exhibita, hominum nequiſſimis.

Curioſus quoque docebo rationem à me vſitatam ante triginta annos ad conſtructionem microcoſpini præſtantiſſimi ex teleſcopio aut conſpicillo tubulato. Effectum illius conſpicuum feci anno 1655. Illuſtri Dom. Mariotte, in ædibus Eruditi Domini Lantini, Senatoris Divionenſis, cu-

jus poſtea memini pagina 53. libri mei cui titulus, Nova ſcientia naturæ Cometarum, editi Lugduni anno 1665. Hoc vnum artificium eſt, vt productiones fiant tubi conſpicilli pro ratione diſtantiæ obiecti ad vitrum obiectivum, En regulam aut analogiam.

Sicuti diſcrimen diſtantiæ obiecti ad vitrum obiectivum ſupra longitudinem illius foci eſt in eadem longitudine cum ſuo foco, Eodem modo diſtantia obiecti ad vitrum obiectivum

Reperitur in concurſus puncto iſtius objecti.

Ecce exemplum, iactus, aut diſtantia foci Solaris vitri, obiectivi ſi fuerit quatuor pedum; diſtantia vero obiecti ad vitrum obiectivum ſi ſit tredecim pedum, diſtantia vitri ad focum, qui eſt punctum concurſus, aut baſis diſtinctionis iſtius objecti, erit ſexaginta novem pollicum & quatuor linearum, quæ æquipollent quinque pedibus & quatuor lineis.

Observatio II.

Dom. BOYERI, Academici recens Exploratorum in re Medica ſocij, Chirurgi Iurati Pariſienſis.

De Carie oſſium.

IVnij 24. anni 1669. Dominus à Fonteville, Nobilitate generis & opibus inſignis, in memoranda obſidione Cretenſi læſus fuit cum Galli in Turcas impetum fecerunt, globulo ſclopeti os tibiæ, quatuor digitis prope genu confringente, quod extuberabat in media tibia ac parte maxime carnoſa muſculorum gemellorum & ſolei.

Curatio tentata fuit in Vrbe, in Inſula vicina, & in navi, quadrimeſtri ſpatio, ſed nullo fere ſucceſſu: Reduce exercitu ſpem fovebat à mutatione aëris, peritia Chirurgorum loci, ac rerum omnium neceſſariarum copia, ſanitatem ſe conſequuturum, ſed eventus ſpem fefellit, cum ægritudo in peius rueret, adeo vt tibiæ motu nullo gauderet, etiamſi epuloticorum importunus vſus inſigne illud vlcus ad cicatricem propemodum deduxiſſet.

Eo in rerum ſtatu Lugdunum ſe convehi curat, vbi moram traxit exiguam, & ſolum tamdiu vt conſilium medicum obtineret ad morbum extraordinarium, & deinceps ſe viæ commiſit Claromontium Patriam & domicilium repetiturus: Eo appulit viceſima ſecunda die Ianuarii anni ſequentis, ſeptem circiter ab inflicto miſerando ictu menſibus: Eadem ipſa die accerſitus fui, cura & regimine in valetudinis omnino mihi commiſſa,

In id i lico incubui vt mali indoles mihi innoteſceret, quo legitimas indicationes elicere valerem, atque ex methodi rite conſtitutæ legibus in curatione procederem: Id primo à me obſervatum ægrum cruris motu omnino deſtitui, gravitate inſigni illud premi, Ab vlcere, quod è regione ictus erat, puris inſignem copiam emitti, à legitimi conditionibus omnino alieni.

Ob ærumnas & moleſtias in itinere, & poſt diſceſſum Telone Martio, metaſtaſis facta fuerat materiei purulentæ, quæ occaſionem præbuerat plurimis abſceſſibus, quorum materia exitum molita totidem induxerat vlcera, è quibus vnum ab eo, cujus ſuperius memini, duobus digitis diſtabat; alterum tribus digitis inferius erat, è directo ſibi reſpondentia ſecundum longitudinem in Tibiæ facie interna: Quartum ſitum obtinebat in linea eminenti eiuſdem oſſis, iuxta tendinem tibiæi interioris, prope initium maximi tendinis exterioris pedis.

Ex accurata prædictarum omnium circumſtantiarum obſervatione, veriſimilitudini innixus intuli in partibus ſolidis, earumve ſubſtantia, vitium quodpiam occultum latere; atque alterationem, vel omnimodam oſſis corruptionem præcipuam eſſe cauſam quæ fomentum præberet prædictis vlceribus.

Ne vero quicquam dubii ſupereſſet, & quo, præter ſigna rationi congrua ſeſe mihi offerentia, diagnoſin perfectam conſequerer, ſenſum tactus præterea adhibui, oculis ſolis non confiſus, ac quæcunque in perfectam notitiam deducere me poterant; tandem nullo negotio cognovi os omnino carie infectum eſſe, ſaltem qua parte ictus inflictus fuerat; etiamſi ſigna à ratione ſuppeditata cariem multo diffuſiorem mihi ſubinnuerent.

His indiciis, quæ optime conſtituta credidi, innixus, obvium mihi fuit methodum certam determinare ad curationem inſignis iſtius morbi: Primus ergo ſcopus fuit os patefacere, quod quoad totam ſubſtantiam alteratum cenſui, hancque operationem accelerandam, ob imminentem metum ne oſſis corruptio ad articulum vſque pedis progrederetur, quem ſi forte attigiſſet, id quod exiguo temporis ſpatio contingere poterat, nullum amplius auxilium ab arte medica aut chirurgica expectandum erat, niſi à cruris amputatione, cuius eventus ſæpenumero dubius eſt.

Huic intentioni vt ſatisfacerem, præmiſſis præſidiis revellentibus & derivantibus, ſecundum longitudinem faciei internæ Tibiæ à me admota fuit ſeries lapidum cauſticorum, magnam carnoſæ ſubſtantiæ portionem depaſcentium, adeo vt plurimę exoſtoſes oſſis circumferentiam occupantes ſe proderent.

A cauteriis ſperatum effectum conſequutus ſum, excidenteque eſchara, os integrum & illæſum ſe mihi exhibuit quoad vniverſam ſuperficiem exteriorem, ſub obtutum meum venientem poſt deciduas eſcharas, præterquam qua parte ictus exceptus fuerat.

Exploratio hæc in pudorem levem me coniecit, nec abnuo me eo momento pernituiſſe, eo quod, nec immerito, exprobandi occaſionem præbuiſſam quod nulla vrgente neceſſitate pene totum Tibiæ os in propatulo poſuiſſem.

Interim propoſiti mei tenax fui, atque facta conſultatione eam in rem, aſſerui os revera in ſua interiori ſubſtantia alterationem ſubiiſſe; cariem à cavitate medullam continente initium duxiſſe; Eapropter, me judice, os pluribus in locis trypano perforandum, vt commode remedia illuc infundi poſſent, ac promoveretur exſquammatio eorum quæ corruptionem aut alterationem perpeſſa erant.

Etiamſi vero methodus hæc extraordinaria & inuſitata videretur, cæteri opinioni meæ aſſenſum præbuere, ex quorum nutu modiolus non procul à fractura admotus eſt: Dempta oſſis particula, ex cavitate illius teter adeo vapor exiliit, tamque abominandi fœtoris, vt prope in terram conciderim, æger vero ſyncopen fere incurreret.

Peracta hac operatione, quam ſperatus excepit eventus, nequaquam in dubium revocavi an caries ab interiori oſſe initium duxiſſet, ac num indicationibus ad amuſſim inſtitiſſem; nec dum tamen conſtabat quos progreſſus feciſſet, quamobrem in cavitatem oſſis immiſi turundam ex linteo confectam, quæ abſque obſtaculo ad articulum vſque perrexit, eo quod medulla ex toto fuiſſet conſumpta.

At vero cum ſedulo animum inflecterem ad putredinem & inſignem fœtorem ex oſſis cavitate exhalantem, quæ remediorum efficaciam reſpueret atque eluderet, modiolum iterum tribus diverſis oſſis locis admovi, vltimam perforationem inſtituens duobus digitis procul à malleolo, ad commoditatem adplicationis medicamentorum & progreſſum cariei inhibendum.

Felici exitu peractis his operationibus, id quod ſperaveram conſequutus ſum: adplicatione enim remediorum faciliore reddita, emendata tandem & ſuperata fuit putredo; natura autem corruptionis hujus præſentia minus obruta, efficacius vim ſuam, quæ expectabatur, exſeruit.

Putredine tandem omnino evicta (à qua vtplurimum morbi maligni fomentum ſuſcipiunt) plurimæ oſſium particulæ, eæque non exiguæ, à parte ſana abſcedebant, exeunteque menſe Aprili inſignis oſſis Tibiæ portio, cui modiolus inſtiterat, concutiebatur, & ſub finem menſis ſe-

quentis omnino excidit : Septem pollicum longitudinem aut circiter adæquabat, figura rotunda, vniverſam cavitatem medulloſam continens, eiuſque magnitudinis, vt inferre liceret ex Tibiæ circumferentia & craſſitie pauxillum quid ſupereſſe : Oſſis ſani parti ſuperſtiti inſerta erat tanquam vaginæ, adeo vt ad procurandum illius exitum variis in locis os ſanum exſcindere coactus fuerim.

Rebus ſic conſtitutis, nullum amplius mihi impedimentum occurrebat quominus inſignem curationem hanc ad exitum perducerem, præter exoſtoſes, à me ſupra-memoratas, rupium inſtar oſſi ſano infixas, illiuſque ſubſtantiæ immerſas : Singulari quoque providentia hic opus fuit; at cum maximam illarum partem fungoſa caro cooperiret, exedentibus abſumenda fuit ; quam indicationem ut adimplerem in uſum duxi pyroticum, cujus compoſitionem ingrediebatur hydrargyrum : illius admotionem levis ptyaliſmus conſequutus eſt, quæ, ſi bene ſentio, non parum inſignis iſtius morbi curationem acceleravit.

Cum porro vereretur Æger ne frequentior iſtius pyrotici uſus humoribus tumultum aliquem conciliaret & confuſionem, alteri methodo hac parte inſtiti, cathæreticum in vſum ducendo cui Mercurius immiſceretur : at vero ab ipſo primo uſu animadverti plus periculi ineſſe illi quam priori cathæretico : Revera in ſepticum evaſit, impuro ſuo contactu corruptionem inducens non modo partibus quibus ſuperinductum, ſed & circumſtantibus fere ad tranſverſi digiti craſſitiem, adeo tamen ut impreſſio ad hoc medicamento facta nihil ſiniſtri intulerit, quin potius excidente eſchara poſtmodum utcunque innotuerit amplitudo ſuperſtitis & emendandæ cariei, faciliorque facta ferri candentis admotio, quod diutiſſime à me vſurpatum, ſed inani ſucceſſu ; adeo vt impellente neceſſitate, prædictas exoſtoſes ablaturus, ſcalpro eaſdem exſcindere oportuerit ad partem vſque oſſis ſanam.

Rem eovſque poſtquam perduxiſſem, conſumptis & averruncatis dictis corporibus extraneis, non levi fundamento innixus credidi naturam onere levatam, ſuperioremque factam, ſine negotio ulcus carne & cicatrice obductam, eo quod hoc opus illi incumberet, nec chirurgus hac parte quicquam valeret.

Hos ſcopos cum attigiſſem, nihil mihi amplius peragendum fuit quam ut robur tibiæ conciliarem, illique temperiem priſtinam reſtituerem : in quam rem in tantum poſtmodum incubui, tamque felici exitu, ut viceſima ſeptima ſeptembris inſequentis Dom. à Fonteville firmo & recto ambularet & ſtaret talo, imo equo vectus villam ſuam adierit amœnitatis cauſa ; cum enormis iſtius vlceris & prægrandis vix ſemi digiti longitudo & latitudo conſolidationem expectaret, inſtar grandioris tubi pennæ ſcrip-
toriæ;

toriæ : quod ut cicatrice clauderetur nulla cauſa obſtabat.

Hiſtoriæ præſentis circumſtantiæ cum animadverſione dignæ mihi viſæ ſint, nullam harum prætermittendum cenſui : Si peritorum gratiam meruero, abunde mihi ſatisfactum credam, nec ſuſcepti laboris pœnitebit.

ZODIACI MEDICO-GALLICI

SIVE

Recens in Re Medica & Naturali Exploratorum December Anni M. DC. LXXXI.

OBSERVATIO I.

ANONYMI

De Geniis, quos vocant Galli.

Eſprits Follets.

PRISCI crediderunt Spiritus, quos vocant Dæmones, aut Genios, eſſe ſemi-Deos, Naturæ Deorum & Hominum æque participes; *Non ſecus ac Dii immortales ſunt* (inquit Apuleius) *in miſericordiam & iram proni uti nos, preces audiunt, munera accepiant, cultum admittunt, injuriarum, contemptus vindices, &c.* Toti ſunt in conciliandis Diis cum hominibus, ac curam perpetuam gerunt rerum humanarum : Vnicuique nationis familiæ ſuus aſſignatus eſt Genius aut Dæmonium, à quo regitur : unumquodque individuum ſuo privatim gaudet Genio, cujus curæ ſubeſt & qui illius actionibus præeſt.

Nulla non gens hos Dæmones ſumma veneratione proſequuta eſt, il-

lis tanquam Diis ſacra fecit, altaria erexit; Eorum imagines omni ſtudio & arte excoluit; imo ſi fuga ſaluti conſulendum, reliquis omnibus poſt habitis Patriæ, furente Marte, valedicendum fuit, hos vlnis excepere: Æneæ ſatius fuit quicquid maxime carum fuit & in pretio omittere, quam vt Dii, quos colebat in hoſtium poteſtatem devenirent permittere.

Romani non minori illos Spiritus quam cæteræ gentes honore proſequuti ſunt: Nullam vrbem obſidione cingebant quin prius ſacerdotes Genium precibus advocaſſent, aut nationis cui imminebant, Numen tutelare, quo favens obtinerent, eundem cultum Romæ illi ſpondentes eoſdemque honores quos in priori ſtatione obtinebant: Imo ab illis emiſſum Edictum, graviſſimas pœnas illis comminatum qui blaſphemiis Genia proſequerentur; quinimo Imperator Caligula publico ſupplicio nonullos qui male dictis illos laceſſiverant affecit.

Nulla non Gens adeo propriis indulſit Geniis, vt neqnicquam, vel leviſſimum, agendum ſuſceperit quin prius illa in conſilium adhibuerit: Si res ex voto ſuccederent; cauſam illis adcribebant: Athenienſes celebri Marathonenſi victoria potiti, Pana authorem crediderunt, qui Parthenio auxilium adverſus Perſas pollicitus erat: Romani Caſtori & Polluci gratias egerunt partę ab Aulo Poſthumo, prope lacum Regium, victoriæ contra Manlium Octavium: Gloriabantur Elæi de excidio populorum Arcadiæ favente Genio, Sozipolis, forma ſerpentis ante primum agmen ſe exhibentis: Bulgares quoque Romanorum cladem Geniis illius gentis adſcripſerunt, quos propitios in pugna experti fuerant.

Hodierna die Sarmatæ non minori cultu venerantur ſpiritus quam antiqui ſuos Penates: Cum opinio apud illos invaluerit hos incolere ædium partes maxime diſſitas, in iis recondunt quicquid maximo habent in pretio, rati quicquid proſperæ obtinent fortunæ ab illis ſe conſequi, ſi modo debito cultu proſeqnuti fuerint.

Nec defuere Philoſophi qui ſibi finxerunt nihil aliud eſſe Dæmones quam animas mortuorum, quæ à corpore divulſæ, errones terram indeſinenter perambulabant, alia atque alia forma hominibus ſe exhibentés: Herum animas conſanguineis opem ferre, amicis & probis: Sceleratorum contra animas hominibus non minus quam dum corpori conjunctæ eſſent infeſtas eſſe.

Neque hæc opinio omnino à veriſimilitudine abludit; Spectra circa monumenta oberrare non in frequens eſt; in ſepulchretis, vbi cadavera ſepulta, ubi cædes patratæ. Nemini opinor ignotum quid Athenis Philoſopho Athenodoro acciderit: Huic, vrbem cum appuliſſet, nuntiatum ædes quaſdam inquilinis carere, quod Spiritus illuc appellerent: deſiderium

animi ii ſatis fuit ibi pernoctandi, ſed poſt pauculam moram ingens ſonitus perceptus eſt catenarum & vinculorum ferreorum, quæ trahebat vir pallidus, omnino excarnis, indicio dato ſæpius illum compellans; Athenodorum ſpectrum non terruit, impavidus illud ad aream vſque conſequitur, in qua evanuit: Locum illico collectis aliquot obviis foliis ſignavit, poſtridie Magiſtratum rei geſtæ admonuit, indicans terram vbi ſpectrum evanuiſſet fodiendam: quare peracta reperta oſſa cadaveris, impenſis publicis ſepulta, ac deinceps tranquillæ ædes fuere.

Id ipſum ſæpius contingit in locis vbi cædes admiſſæ: Suetonius refert cæſo Imperatore Caligula adeo ingentem fremitum exauditum in loco in quo neci traditus fuerat, vt habitationi deinceps ineptæ ædes fuerint: Ingens fremitus armorum & belligerantium in campis Pharſalicis, deleta Pompeii acie & longo tempore animadverſus eſt: Neque minor in Marathonicis poſt fuſos Perſas.

Nec mihi ſilentio prætereunda hiſtoria tradita à Gulielmo Neubrigenſi: Quidam ruris incola, non multum diſſiti ab Aquis Vipſenſibus, cum nocte ſerena & tranquilla amicum adiret, prope ſepulchrum concentum variarum vocum obſervavit: ruſticus harmoniam miratus curioſis oculis introſpicit: Ingens aula illius oculis objicitur, quam plurimæ faces accenſę illuſtrabant, in media erat menſa epulis inſtrata, quam viri& mulieres hilariter ambiebant: miniſtrorum vnus deprehenſo ruſtico pateram liquore limpidiſſimo plenam obtulit, quam accipit effuſoque liquore cum patera in proximum pagum aufugit: Patera ex materia plane ignota conflata erat; figura omnino extraordinaria, nequaquam cum vſitatis noſtris conveniens colore: Oblata fuit Henrico veteri Angliæ Regi, qui illam Scotiæ Regi dono dedit, in cujus theſauro arcte cuſtodita eſt, donec dono venerit Henrico ij. à Gulielmo Scotiæ Rege.

Mons eſt in Irlandia, in cujus imo, referente Paulo Zelandio, ſæpe occurrunt homines mortui, qui accedentibus vivenium ſpecie veniunt: Imo hos alloquuntur, & multa de regionibus diſſitis ignota communicant: Si moneantur vt ad ſuos redeant, cum gemitu reſpondent id ſibi denegatum eſſe, ad montem Hecla properandum eſſe, atque protinus evaneſcunt.

Nonnulli authores tradunt quendam Stephanum Hubenerum, Travvtenavvienſem Bohemum, in multis vrbis locis ab obitu conſpicuum fuiſſe, imo amicos nonnullos obvios amplexatum fuiſſe; De Nerone ferunt illum tota vita ab Agrippina matre vexatum fuiſſe quam interfici juſſerat: Refert Sanctus Auguſtinus Felicem martyrem Nolæ incolis videndum ſe exhibuiſſe cum vrbs hæc à Barbaris obſidione cingeretur: Paucis, paſſim occurrunt hiſtoriarum monumenta, & exempla mortuorum, qui conſanguineis vel amicis ab obitu conſpicui fuere.

T.

Poſſet & hæc opinio authoritate quorundam Eccleſiæ Patrum confir-mari, ex quorum ſententia animabus mortuorum ad tempus liceat deſe-rere loca ipſis aſſignata, Damnatorum animæ ipſis in locis vbi ſcelera patraverint, pœnas luant; ibi illorum inferi ſunt, ac ſupplicii locus. Imo apud Manlium legere eſt, dum Concilium Baſileenſe haberetur, non-nullos Doctores, qui ad id advocati erant in ſylva Philomelam exaudiiſ-ſe cujus cantus mire ſuavis eſſet: vnum è dictis Doctoribus ſuavitate can-tus pellectum, in nomine Dei illam conjuraſſe vellet dicere quæ eſſet, reſpondiſſe avem animam ſe eſſe damnatam, ad diem vſque Iudicii ibi permanere juſſam.

Ex nonnullorum authorum ſententia Spiritus creaturæ ſunt materiæ non expertes, ex puriſſima elementorum ſubſtantia conflatæ; quo ſubtilior eadem eſt materia, eo majori efficacia & vi pollent: Iidem authores il-lorum duo genera conſtituunt, Superiorum & Inferiorum: Superiores ite-rum eſſe aiunt aut cœleſtes aut aëreos; Inferiores aut aquaticos aut terre-ſtres: ſpiritus cœleſtes, quos vocant Igneos aut ſalamandritas, ſpatium inter cœlum ſtellarum & concavum Lunæ in colere. Hos cum ex puriſ-ſima elementorum parte conſtituti ſint, majori quam cæteris cognitione pollere; nihil illos eorum quæ toto terrarum orbe geruntur latere, mini-mas etiam quæ accidunt mutationes obſervare: Spiritus aëreos ingens id ſpatium occupare quod à Lunæ concavo ad ſuperficiem vſque globi in-ferioris extenditur: Scientias & artes perfecte callere: Spiritus aquati-cos, quos vocant Féas, Nymphas, Sybillas albas, aquas inhabitare, pro-ſperam vel adverſam fortunam prædicere, dominari ajunt Pareis & Fato: Ex illorum ſpirituum numero is cenſendus qui, referente Plinio juniore, Curtio Rufo in Africa degenti prædixit citum in Romam reditum, maxi-mis ibi honoribus illum exceptum iri, Africæ Proregem deſignatum iri, atque ea dignitate ad mortem vſque potiturum: A Nymphis quoque dono accepit Hoterus Sueeorum Rex fatalem zonam, qua cinctus ho-ſtes ſemper debellaturus eſſet. Terreſtres ſpiritus ſylvarum perpetui ſunt incolæ, planitierum, vallium, montium, cryptarum, & cavernarum ſub-terranearum: Variis donantur nominibus, Farfadelli quidam dicuntur, aut ſpiritus familiares: Illi qui hominibus cohabitant Satyri aut Sylvani; Qui per valles oberrant, Sylvas & montes, Aliſtores; Qui campeſtria lo-ca & vias publicas, Gnomas, ſylphos; Qui terræ mineras incolunt, alia-que loca ſubterranea Nanos; Hi ſpiritus theſaurorum & divitiarum ſunt cuſtodes.

Spiritus cœleſtes & aërei hominibus rarius ſui copiam faciunt; aquati-cis autem & terrenis multum cum illis commercium eſt: Imo nonnullas in Gallia reperire eſt familias non ignobiles, quæ quod ſuam inde ducant origi-

originem gloriantur, ac in inſignibus Nympharum gerunt effigiem, exempli gratia Luſignanorum familia apud Pictavos; Argougiorum apud Normanos: Principes familiæ Iagellonſiorum in Polonia natales quoque ſuos ab vno quopiam illorum Spirituum ducere affirmant: Authores quidam Hunnos Satyrorum eſſe ſobolem aſſerunt, per quos impregnatæ meretrices exercitum Philimeri Regis Gothorum ſequutæ; à quo paulo ante in deſertum quempiam locum deductæ fuerant, à virorum conſortio ſecretum: Idem de Peguſianis & Scianitis ferunt, quorum matres cum quibuſdam Dæmonibus commercium habuerant.

Dictorum Spirituum & hominum eadem prope ratio eſt; ex illis quidam probi, vrbani, beneficii, amœni & hilares: alii mœſti, inamœni, agreſtes, improbi, crudeles &c.

Probi benevoli ſunt, hominibus benefici, in rebus dubiis opem illis ferunt, afflictos ſolantur, conſilio juvant, imminentia mala ab illis arcent &c. Ejus generis fuit Socratis genius, Aquila Pythagoræ, Nympha Aegeria Numæ Pompilii: Non abſimilis fuit Conſtantini magni Genius, quem hic Imperator ſalutis ſuæ authorem profeſſus eſt; cujus conſilio in rebus Imperii ſalutem ſpectantibus ſemper vſus fuerit: Govarus Norvvegiæ Rex per Genium ſuum compertam habuit conſpirationem contra ipſum in Caſſovia ſuſceptam: Apollonius manus evaſit copiæ militum, à quibus detentus fuerat ex mandato Imperatoris Domitiani: Ariſtides Smyrna in montem Atys traſlatus fuit cum vrbs terræ motu diruta fuit: Imperator Trajanus Antiochenæ vrbis ruinas non evaſiſſet, niſi impellente Genio evaſiſſet; Simonides autem Poëta nunquam effugiſſet; Simonides autem Poëta nunquam effugiſſet ruinam Scopaſii ædium, à quo ad cœnam vocatus erat, niſi duo adoleſcentes præmonuiſſent, exitum maturantes, evaneſcentes illico ac ædibus egreſſus eſt.

Olaus, Archiepiſcopus Vpſalenſis, in ſua hiſtoria Regionum ſeptentrionalium, refert ibi ſępe obvios occurrere ſpiritus hominum habitu; cum incolis conſuetudinem habentes, pacta mercede cum illis merentues, ac in mineris cooperantes, Addit plurimos ad eſſe Dæmones in Irlandia qui regionis incolarum formam induant, atque ſub ficta illa ſpecie conſanguineis & amicis imponant: Simile quidpiam apud Herodotum videre eſt de ejuſmodi Dæmonio, quod Proconeſii ad paruit ſub forma Poëtæ Ariſtei, & ingreſſum Fullonis officinam male ſe habere finxit ac animam efflare: Fullo protinus ad conſanguineus nuntius accurrit mortis Ariſtei, ſparſoque per vrbem rumore, Proconneſii illuc vndiq; concurrunt, ſed neque Dęmonium inventum neq; Ariſtéi cadaver: Forte quiſpiam Cyſico adveniens certos vrbis incolas fecit à ſe Poëtam derelictum ibi loci, atque adhuc in Propontide verſari: Idem Dæmonium eadem

figura pluribus in locis viſendum ſe exhibuit: Munſterus in Coſmographia ſua vniverſali refert in deſerto quodam prope Tangur, ab ejuſmodi ſpiritibus aërem variorum organorum muſicorum co centu perionare; iter agentes proprio nomine eoſdem compellare, à via aliquan lo deducere, ac poſtmodum ipſos cachinno excipere.

Improbi ſpiritus non minus hominibus infeſti ſunt, quam probi his ſunt benefici: In regionibus recens detectis, ipſa meridie & in campis & in vrbibus adparent, qui prætereuntes morantur, verberibus cædunt, atque vt hæc vel illa agant, vel abſtineant, imperant. Qui mare navigarunt de Cannibalorum regione idem referunt: In Ruſſia orientali iidem ſpiritus oberrant, qui in campeſtribus viduarum habitu deambulant, ac ruſticos ad pedes devolvi jubent, quibus, niſi illico pareant, brachia & tibias ſuccidunt; multa ſimilia exempla apud Diodorum Siculum, Munſterum & Agricolam proſtant.

Ii qui ſpiritus creaturas eſſe materiales crediderunt, non ſecus ac homines letho obnoxios eſſe rati ſunt: Opinionis fundamentum forte fuit hiſtoria quam affert Plutarchus de obitu magni Panis, Ait is navem, cum Græcia in Italiam ſolveret, ductore quodam cui nomen Tamus, veſperi hunc verſus inſulas Echinades flante vento direxiſſe, cujus impetu aliquantiſper remiſſo leniter Paxos vſque perrexiſſe, vnde vox Tamus ingeminata exaudita eſt, hinc Paxos Tamum acceſſiſſe, quo cum appuliſſet imperaſſe vocem vt notum faceret obitum magni Panis ſtatim ac Palodes appuliſſet: Tamum id quod imperatum eſt præſtitiſſe, atque ex alto puppi exclamaſſe Magnum Pana mortuum eſſe; Eo momento exauditos eſſe gemitus & vociferationes lugubres, non minus terrificas navigantibus ac voces antea auditas.

Legere quoque eſt in vita S. Pauli Heremitæ Satyrum aliquando S. Antonio obviam veniſſe, qui cum huic obtuliſſet ramum dactyliferum, in amicitiæ notam, Divum hunc ab illo petiiſſe quis eſſet, Satyrum reſpondiſſe mortalem ſe eſſe, atque ſylvarum incolam ex iis quos antiqui pro Diis venerati eſſent: Addidit ſe à ſociis miſſum exoraturum, vellet Dei omnium hominum implorare erga illos miſericordiam. Perſpectum ſibi & ſociis habere Deum in terras veniſſe ad ſalutem hominum.

Ait quoque Cardanus Dæmonia quæ parenti ſuo adparuere, ſibi manifeſtum feciſſe, hæc, ſicuti & homines naſci & denaſci, eorum autem vitam multo productiorem eſſe, ſimulque noſtra feliciorem.

Vulgatiſſima omnium opinio eſt Spiritus Dæmones eſſe aut Diabolos, qui à lapſu ſuperſtites fuere in aëre, in aquis & ſupra terram; Cum hæc fundamentum habeat S. Scripturam, ac Patres Eccleſiæ, magis illi quam cæteris fides adhibenda eſt; minus quoque difficultatibus eſt involuta ac menti facilius offertur.

Quas

Quas attuli hiſtorias nimis authenticæ ſunt vt dubium ſuperſit dentur Spiritus erronei necne: Imo confirmationem obtinuere ex pluribus Senatuſconſultis, in domuum conductorum quorundam gratiam emiſſis, qui in ædibus ab ejuſmodi ſpiritibus vexabantur.

Observatio II.

De Cometis.

QVicquid in admirationem non abs re nos pertrahit, ſi crebrius accidat, & nobis frequenter obverſetur, minus animum percellit: Vulgus hominum turmatim non confluit ſuperbam & magnificam Aſtrorum (noctium decus & ornamentum) pompam eorumque excurſus & vias ſpeculandi gratia, at vero ſi Planeta, antea obſcurus & oculorum aciem effigiens, (etſi cum cæteris antiquitate certet) emiſſis fumis & vaporibus prolixam exhibeat comam, interveniente ſolis lumine, quod reflectit, conſpicuam, nemo non mirabundus eſt, inquiritque an Aſtrum recens affulgens, à reliquis Planetis adeo diſcrepans atque terrificum ſit ac extraordinarium eſt; Non pauci, plebeculæ terrorem incuſſuri, Cometas infortunia inſignia portendere minitantur; Poetæ vero, penes quos fingendi poteſtas ſemper fuit, anſam præbuere vulgari illi errori, verbis phaleratis & ſeſquipedabibus Cometas tanquam malorum anteſignanos incuſantes: Ante Platonis tempora non cenſebant populi cauſæ naturali adſcribendum ortum cuiuſpiam rei extra naturæ ordinarium curſum contingentis: Anaxagoras carceribus adiudicatus eſt, eo quod Solis eclypſeos cauſam interpoſitioni Lunæ aſſignaret: Priſci Philoſophi eiuſmodi ſuperſtitioni favebant, vt populos intra cancellos officii continerent, quo tempore fidei lumen Gentilibus nondum affulſerat: *ſolus in orbe Deos fecit timor*, inquit Lucretius: Philoſophi autem Chriſtiani, & ii. queis *de meliore luto finxit præcordia Titan*, cenſent Cometas neque bonum neque malum portendere.

Futuri noſcendi mens auida, primos parentes noſtros in crimen adduxit: Serpenti aures illi præbuerunt: Nec hodierno ſeculo homines excuſationem magis merentur, cum boni & mali dignoſcendi gratia, ipſis imminentis, aures credulas præbent iis quæ futuri notitiam pollicentur; qui porro novarum rerum perpetuo animis avidis imponere ſatagunt, ii mortem aut ruinam viri probi prædicere non valent qui clam commercium illis intercedat cum veneficis aut ſicariis.

Eo quod Sacræ ſcripturæ nos edocent Mundi excidium prodomos habiturum ſigna in Sole, Luna, Cœlo, Stellis, augures eiuſmodi, & pſeu-

do prophetæ illico colligunt Cometas ſigna illa eſſe cœleſtia; à Deo nobis exhibita; iræ Illius teſtimonia: Sed iidem non animadvertunt prædicta indicia futura extraordinaria, nec illorum numero accenſendos eſſe Cometas; quandoquidem non vni ſolum loco imminent, crebro illi adparent, imo plures aliquando numero, eodemque tempore.

Signa cœleſtia, à Deo commonſtrata populis comminaturo, particularia ſemper ſunt: Cujuſmodi fuerunt armati milites, totis quadraginta diebus in cœlo conſpicui, Hieroſolimis imminentes ante illius a Rege Antiocho direptionem: Ejuſmodi fuit Cometa à Ioſepho viſus per anni integri decurſum, caunda enſiformi inſignitus, Hieroſolymis impendens, ante vltimum Templi & vrbis excidium.

Apocalypſis meminit caſus inſignis ſtellæ, facis ad inſtar ardentis, quam uocat *Abſinthium*, Cometæ vero nequaquam meminit: Iſaias Propheta aſſerit Lunæ lumen æque ſplendidum fore ac Solis, huius autem lumen ſeptuplo illuſtrius: In portenta cœleſtia, apparitura antequam Terra (quam Divus Petrus igni aſſervari aſſerit in die Iudicii, Apocalypſis ait à Sole comburendam) deſinat eſſe *Terra* viventium (quæ ſunt Prophetæ verba) atque ipſamet tanquam Cometa appareat cæteris Aſtris planetariis.

Cometæ ergo à numero ſignorum illorum minitantium eximendi ſunt, cœlitus exhibitorum in terrorem terræ incolarum, Ieremias Propheta verbo deſtruit funeſta præſagia à populo Cometis aſſignata: A timore nos liberat, vnico malo, metuendo animis nimiopere credulis, *Ne timete*, ait, *portenta cœli, quæ formido ſunt Gentilium*. Numini divino iniurius eſt qui bellorum cauſas in Cometis inquirit, cum Sacra Scriptura uos doceat *Cor Regis in manu Dei eſſe, illudque inclinare, & quocunque lubet inflectere.*

Propheta Regius revera canit *Cœlos nobis enarrare gloriam Dei*; at nullibi in vniverſa ſcriptura Sacra aut cometæ mentio ſit aut cujuſquam Aſtri quod iræ cæleſtis index ſit, ac præſagium imminentium humanis malorum: Revera quomodo ignei illi globi infortuniorum eſſent præſagia: Empyreum cœlum, beatorum ſedes, totum flammeum eſt: Seraphini ſpirituum omnium nobiliſſimi, nomen trahunt à voce Hebræa, quæ *incendium* ſignificat: Propheta Elias in cœlum evectus eſt currui igneo impoſitus: Deus thronum ſuum in Sole conſtituit; habitat lumen inacceſſum, ſed & ipſe eſt Lux mundi: Ipſe in columna ignea per noctem populi ſui ductor fuit, in exitu ex captivitate Ægyptiaca.

Neminem latet Aſtrologiam judiciariam neque artem eſſe neque ſcientiam, quandoquidem nullo nititur principio neque demonſtrativo neque dialectico; Ex conſenſu Chriſtianorum omnium Religioni illa adverſatur

verſatur & Libero arbitrio, eo quod actiones humanas adſtringat Fato ineluctabili, illaſque pendere jubeat à phantaſtica Aſtrorum influentia: Quamobrem Eccleſia Aſtrologiæ vſum tantummodo iis concedit in iis quæ arti medicæ ſunt vtilia, navigationi & agriculturæ: Ipſi Ethnici quam vana ſit aperte profeſſi ſunt: Horatius aſſerit errorem eſſe abſurdum Aſtrologos de fato in conſilium adhibere, quod Dei æterna providentia futurum occultum eſſe voluerit & atra nocte involutum. Cicero ait Chaldeos (tunc temporis Aſtronomis id nomen inditum fuit) Pompeio, Craſſo & Cæſari prædixiſſe extremam ſenectutem, ac vnamquemque in propriis laribus mortem obiturum, nihilominus obitus Illuſtrium trium illorum Virorum violentus fuit & præmaturus: Craſſus in expeditione contra Parthos in regno Ponti obiit, Pompeius tumulum habuit in arenis maris Ægyptij, Cæſar in ipſa vrbe Roma interfectus fuit: Quoties Aſtrologi vrbe Roma pulſi ſunt, vtpote peſtes publicæ veneficiis ſuis ingenia debilia inficientes falſa Aſtrorum interpretatione? Quamobrem pronunciavit Tacitus id genus hominum, quod ſemper credulis inepte imponit, perpetuo Roma expulſum iri, neque unquam ipſam iis carituram.

Vt experientia pateat quantum Aſtrologi damni inferant, audiatur iterum Tacitus, qui decimoquinto libro Annalium ait Neronem imminentij ſibi infortunia á capite declinare ſatagentem, cometis immolare ſolitum fuiſſe vivos ſummos imperii Viros; ex dictato, referente Suetonio, diabolicæ doctrinæ Babylonij cuiuſdam Aſtrologi: Scientia illa nihil fraudulentius; imo, ſi fides Cardano, Aſtrologiæ ſummo patrono, ex quadraginta prædictionibus vix decem eventum ſortiuntur. Eleganter Marcianus quis fructus ex prædictionibus præſtolandus eſſet adnotavit, dicens, Si vis prædictione vti, eſſerto omnino oppoſitum eorum quæ pollicentur Aſtrologis.

Ex demonſtrationibus Phyſicis oſtenſurus Cometas non ideo illuceſcere, quo nobis nuntii ſint Magnatum obitus; verba afferam Guiniſij, Libere, *inquit*, loquamur & citra adulationem, ipſa Imperatorum capita tanti non ſunt in cœlis vt neceſſe ſit illa à cœleſti gladio decuti, cuius formam referre videntur Cometæ; Effectus eſt vanitatis hominum, vt proxime imminente fato faſtui & pompæ adeo indulgeant, quaſi Proceres, qui morti obnoxij ſunt, lethum non prius obire poſſent quam in rerum natura inſignis aliqua immutatio accideret, ac cœlum eapropter corpus aliquod coeleſte accendiſſet, tanquam facem funebrem, in funerum illorum decus.

Cometarum color, qualiſcunque is fuerit, nullius mali prænuntius eſt, quandoquidem è coloribus quæſitæ differentiæ, id quod Philoſophis

non eſt ignotum non aliunde ortum ducunt quam à luminis modificatione: Sic paulo ante ortum Solis, vel eiuſdem occaſum, nubes pro ex varia radiorum illius exceptione, varios ſucceſſive inducunt calores: Sic decoctum ligni nephritici, vaſi vitreo immiſſum cæruleum apparet, ſi aſtergo lumen exceptum fuerit Idem colorem aureum exhibet, lumini & oculis obverſum.

Si Cometæ cauda minax eſſet, periculum tanti tantum immineret Aſtrorum incolis, eo ſuppoſito quod ſtatuit Cardinalis Cuſanus qui ſcripſit anno 1640. planetas incolas intra ſe habere, qui idem adſtruit Terram circa ſolem convolui.

Sennertus Medicus, qui hypotheſis loco poſuit libro ſuo de Scientia naturali Cometas cœli prodigioſos eſſe fœtus, in genere inſigne aliquid portendentes, ſincere addit nulli hominum quid peculiariter ſignificent perſpectum eſſe, aut quæ nominatim regio exceptura ſit imminentia ab illis mala: Cometæ enim circa terram quotidie circumvolvi videntur eorum cauda modo ad orientem modo ad occidentem vergente.

A veris Philoſophis Cometæ pro ſigna dubia iudicati ſunt: Tradit eruditus Scaliger a ſe plurimos viſos quos nihil in Europa ſiniſtri ſubſequutum ſit: Plurimas potentes Reſpublicas ſubverſas, ac plurimos Illuſtres viros miſerabile fatum expertos fuiſſe, etſi nullus Cometa illorum interitus prænuntius apparuerit.

Inepte ergo, ſi quid ſiniſtri contigerit poſt alicuius Cometæ apparitionem, incuſatur crinitus ille Planeta, quaſi mali author, aut ſaltem ſignum & præſagium: Idem olim de Solis Eclypſibus pronuntiatum: Qua de cauſa Claudius Imperator toto Imperio promulgari juſſit vnam apparituram quo die ſolennia diei illius natalitij, celebrarentur, factis ſacrificiis & exhibitis ludis publicis.

Cometæ curſu aguntur æque compoſito atque cæteri Planetæ, etſi de motu illorum hactenus non bene conſtet: vt enim eſt Seneca, *Recens eſt obſervatio corporum cæleſtium, ante aliquod tempus illata in Græciam,* demum addit, *cum tempore Aſtrologum quempiam demonſtraturum qua in cœli regione oberrent Cometæ, cur à cæteris Planetis diſtent, & quanam ſit illorum magnitudo.*

Aſtronomia ſcientia eſt admodum ſublimis divina magis quam humana, quandoquidem cum in ipſis adhuc incunabulis verſaretur, imo cum nec dum ſuppeterent magna noſtræ conſpici ideoque acies viſus non alte pervaderet, patefecit nihilominus Abrahamo magnitudinem Creatoris Aſtrorum, ac edocuit vnicum eſſe Deum, vniverſi Dominum, cui omnia ſubmitti debeant; referente Ioſepho.

Aſtrologia vero merum ludibrium eſt, vana obſervatio quæ virum probæ

mentis compotem dedecet, apud Chriſtianos non toleranda, qui dum futuri arcana rimantur; iuxta Tertullianum, Divinitati inſidiantur.

Sufficiat ad præſagia Aſtrologorum delenda quædam huc attuliſſe, *Si Cometæ, aiunt, occupent ſignum Arietis, infortunium Orienti impendet:* At quæcunque regio Orientalis eſt reſpectu alterius: *Si in ſigno Tauri conſpiciantur, væ occidenti & ſeptentrioni &c. Si alio & adverſo ordine quam Aſtra progrediantur, præſagia ſunt conſtitutionis novarum Legum. Sin medio in cœlo appareant, Regni incrementum nuntiant. Si Saturno proximi ſint, inducunt peſtem, ſterilitatem, proditiones, qui proximi ſunt Iovi, Legum mutationes indicant, mortemque Pontificum: Martis vicini, cruenta bella prænuntiant; Mercurij vero, qui caduco inſtructus & alatis pedibus Deorum erat tabellarius, arcana Dynaſturum revelant* En egregia ratiocinia & illuſtres Aſtrologorum ineptiæ, Niſi puderet tempus in illorum refutatione terere, rogandi eſſent num veriſimile ſit ineſſe Planetis vires quas illis aſſignant, eo quod Antiqui ad libitum illis indidere nomina Deorum fictorum, dotes, quibus inſigniebantur, tantum ex arbitrio adorantium poſſidentes: Mars planeta Dei bellorum nomen gerit, ac proinde facultas illi ineſt bello præſidendi; At illi Minervæ nomen poterat aſſignári, ideoque Pacis internuntia fuiſſet; vel ſaltem artibus liberalibus præeſſe debuit, quæ tempore pacis excoluntur.

Sed ponamus iam Cometas ſiniſtri quid portendere, quodnam vero prognoſticum eruendum ex inſigni Cometarum numero qui terræ incolarum viſum effugiunt; revera plurimi in conſpectum noſtrum non veniunt, quia nunquam effugiunt inſignem Solis ſplendorem illos obfuſcantem: Poſſidonius vero refert Cometam quendam tum demum apparuiſſe quamdiu Eclypſis Solaris viguit.

In fortunia vero, quorum ſunt præſaga, vbi & quibus nuntiant? Tot dominantur Reges, tot Principes, tot illuſtres viri. Sin neceſſe eſſet obitus vniuſcuiuſque illorum cauſa accendi Cometam, iam pridem cœlum foret exhauſtum.

Nec minus ridiculum ſe præbet qui cenſet Cometas cauſam eſſe, ſignum aut præſagium funeſtarum calamitatum mortalibus accidentium, ac ſi quis fingeret accenſos faſces theatrum, cui impoſiti ſunt, illuminantes, cauſam fuiſſe, indicium, aut prænuntios mortis illuſtrium virorum inibi exiſtentium.

Si dum per noctem, cum hilaria celebrantur, miſſilibus micat ignibus æther, aut ſtellis artificialibus è mari emiſſis, conquerentes audiremus Piſces (fingamus loquelam illis eſſe conceſſam *Quot infortunia, quot damna nobis imminent ab ignibus iſtis miſſilibus*, Nunquid merito illis

objiceremus, *Miſeri piſces, de vobis nulla cogitatio incidit, quieti degite, miſſiles noſtri ignes & ſtellæ micantes nihil ſiniſtri vobis portendunt:* In nos autem retorqueamus quæ illis obtruderemus.

Ex obſervationibus meis conſtat omnes illos qui ex Cometarum adparitionibus, novorumve Aſtrorum, prædixere Rerum publicarum everſionem, immutationes in Religione, pſeudoprophetas fuiſſe: Sufficiat exemplum illuſtris Tyco Brahei: Eo audaciæ devenerat vt prædixerit omnimodam orbis terrarum everſionem ex apparitione novæ ſtellæ anni 1572. Nemini autem non notum quis fuerit exitus prædictionis Aſtrologorum Principis.

Kepplerus inter Aſtronomos Copernicenſes celeberrimus, eodem mendacio cum Tycobrahe involutus fuit, cum de Cometa anni 1607. verba faciens, iurejurando affirmaret illum præ cæteris Aſtris accenſum fuiſſe, vt nuntius eſſet hominibus Deum maximam generis humani partem intra breve tempus delere decreviſſe.

Ii qui in ea verſantur opinione ejuſmodi ſtellas crinitas, cum adparuerint, infortunia inſignia nunquam non ſubſequi, inductionibus ſolum quibuſdam innituntur: ſed vſus eadem ratiocinandi via inferre poſſum à Cometis fortunatum ſemper quid mortalibus denuntiari.

Ante mille & quingentos annos, referente Origene, Charemon Philoſophus librum de Cometis edidit, obſervationes continentem de crinitis Pellis, illas ſemper futuri alicujus boni præſagas fuiſſe oſtendens.

Mortalium omnium maxima felicitas Nativitas, Salvatoris, an non anteſignanum habuit Aſtrum illud extraordinarium, quod tribus Regibus, peritiſſimis Mathematicis, in itinere prævivit.

Seneca ait Cometam à ſe obſervatum per ſemeſtre, ex ſeptentrionali plaga exortum, ad orientalem vergentem, infamia cæteros Cometas libaſſe, ac priſtinæ celebritati nominis reſtituiſſe.

Plinius propoſitionem meam vberius adhuc & auſpicatius explicat, cum verba faciens de Cometa qui Romæ viſendum ſe exhibuit, dum Auguſtus ludos in Veneris honorem inſtitueret, ait crinitam illam ſtellam beneficum terris Aſtrum fuiſſe.

Iuſtinus refert ſub Cæſare Auguſto inſignem Cometam accendiſſe Cœlum, in quo ſybillina Tiburtina conſpiciens infantem Inis Virginis geſtatum, ad Imperatorem converſa ait, *Pronus adora hunc infantem, Te enim major eſt.*

Anchiſes vota ſolvens in gratiam ſuperſtitum ab excidio Trojano, vidit Cometam cui eoſdem honores aſſignavit quos Diis quorum cultor erat, ab illo crinito Aſtro auguratus felicitatem & magnitudinem progeniei ſuæ in Latio.

Alexan,

Alexandri Magni diem natalem illuſtrarunt Cometæ, Mithridatis, Iulii Cæſaris, Franciſci primi, Solimanni, Caroli quinti, ac denique multorum illuſtrium virorum.

Qui Romæ illuxit auſpiciis Imperii Claudii, nunquid felix præſagium fuit vrbium reginæ, adventus Divi Petri, in ea conſtituturi ſummum jus in ſpiritualibus,& catholicum, cum mundo tandem deſiturum.

Ambo Cometæ qui illuſtres fuere anno 726. quorum alter paucis horis ortum ſolis præcedebat; alter illius occaſum proxime conſequebatur, prænuntii fuere victorię à Carolo Martellio parvo poſt temporis intervallo in Saracenos reportatæ, cæſo Rege Abderamo, prope Vrbem Turonenſem,cæſis tercentum ſeptuaginta quinque millibus Ethnicis, deſideratia tantum è ſuorum numero mille & quingentis.

Cometa anni 800. Carolo magno prædixit imperium Occidentale, à Papa Leone illi conceſſum.

Splendente cometa anni 1585 Legati Iaponenſes Romam ingreſſi ſunt, ſummo Pontifici obedientiæ ſacramento ſe adſtricturi.

Tres Cometæ qui apparuere anno 1618. totidem fuere faces in cœlo accenſæ, Benearnenſibus Evangelii veritatem denuntiantes, quam Ludovicus xiii. h. m. ipſemet in locis illis infortunatis ſtabilivit, unde à quinquaginta annis exul fuerat.

Denique, cum animus mihi non ſit Cometarum hiſtoriam generalem tradere, inferre liceat illos præſagia eſſe fauſti potius quam ſiniſtri iudicii: Vel potius concludamus,cum eorum exortum aliquando fauſti eventus, aliquando infauſti conſequantur,futuri illos nequaquam eſſe indicia, ac omnino neutro inclinare.

FINIS.

INDEX OBSERVATIONUM
In Zodiaco Medico Gallico
Anno M.DCLXXX. Contentarum

IANVARIVS.

OBSERVATIO I.

DE cauſis & effectibus Extaſis. pag. 1
II. Febrifugum certum in Febribus intermittentibus. 2
III. De veſicæ paracenteſi. 3
Appendix De Febribus & Febrifugis
Quæſtio 1. Quæ cauſa horroris febrilis, Et cur in Quartana rigor ſit gravior. 15
Qu. 2. Quæ cauſa caloris, frigoris, ſitis, lumborum doloris & capitis. 16
Qu. 3. Cur melancholici, in quibus redundat humor acidus, cæteris minus febribus ſunt obnoxii. 16
Qu. 4. Cur febres autumno frequentius invadunt, & pertinatiores ſunt quam aliis anni temporibus. 17
Qu. 5. Quomodo Tertianæ ſimplices in duplices & quartanas transſmutantur, Quartanæ autem in Tertianas. 17
Qu. 6. Quæ cauſa periodici febrium reditus. 17
Qu. 7. Cur in intermittentibus non illico à paſta invadit febris. 18
Qu. 8. Cur febricitantibus pedes & manus, imo & vultus quandoque tumeat. 19
Qu. 9. Cur febres Quartanæ pertinaces ad hydropem deducunt, Iecoris, Lienis duritiem aut Icterum. 19
Qu. 10. An longa abſtinentia febri medeatur. 20
Qu. 11. An ſanguinis miſſio febrifugis anumeranda. 21
Qu. 12. An Priſanæ laxativæ, aliave Purgantia febrifuga cenſenda ſint. 21
Qu. 13. An Emetica ſint febrifuga. 22

Qu. 14.

Qu. 14. An inebriatio ex vino aut ſpiritu vini febris medela eſſe queat. 22
Qu. 15. An Aquæ minerales ſint febrifugæ. 23
Qu. 16. An Theriaca, antidotus Orvietana &c. febres profligate valeant. 24
Qu. 17. Quomodo terror Quartanam ſanat. 24
Qu. 18. Cur loca paludoſa & humida febrium ſint feracia. 25
Qu. 19. An pellicula ex teſta ovi detracta, extremitati digiti obvoluta, *vel* Tinca piſcis, ſpinæ dorſi admota aut plantis pedum febris remedium eſſe queat. 26
Qu. 20. Qua ratione Veſicatoria in febribus juvent, præſertim malignis. 27
Qu. 21. An remedia carpis admota, Epicarpia dicta, febrē profligare valeant. 27
Qu. 22. An centaurium minus, & chamædrys Febrifugis accenſenda. 28
Qu. 23. Cur labiorum tumores & puſtulæ febris declinationem indicent. 29
Qu. 24. Quæ cauſa faſtidii ciborum, & oris amaroris, etiam febre extincta ſuperſtitum. 29
Qu. 25. Cur lacticinia, fructus crudi & muſtum ſæpe febrē extinctam revocent. 29
Qu. 26. An detur remedium quodpiam febrifugum ſpecificum, febribus qualitate occulta adverſum, idemque vniverſale. 30

FEBRVARIVS.

Obſ. I De Gravitate & Levitate. 33
II. Teſticuli duplices. 38
III. Vulnus capitis inſigne non lethale. 39
IV. Epiploon totum in hypochondrio dextro collocatum. 39
V. Vrinarum per corpus commeatus. 39
VI. Menſes per oculos excreti. 42
VII. Febris Quartana ſingularis, Et. 42
Fruſtulum carnis vomitu ejectum.
VIII. Remedia adverſus hydropem vterinum. 44
IX. Vulnus capitis inſigne lethale. 45
X. De Natura corporum mixtorum. 46
XI. Bronchoceles fortuita curatio. 47
XII. Hydrops Tubæ vterinæ. 48
XIII. Spina dorſi poſt obitum diſrupta. 48
XIV. De Natura Dentium, Illorum affectibus, & remediis conferentibus. 50
Quæſtio 1. Cur dentes cæteris oſſibus duriores, cariei tamen magis obnoxii. 50
Qu. 2. Cur à thure induci-

tur diſſolutio Dentium, citra gingivarum corroſionem, illis molliorum. 51
Qu. 1 Cur qui frequenter allia comedunt cariei dentium obnoxii. 52
Qu. 4. Cur ſaccharata dentibus infeſta, nec tamen gingivas erodunt. 52
Qu. 5. Qua de cauſa caro inter dentes hærens, ibique corrupta, cariem parit. 52
Qu. 6. Cur dentes magis afficiuntur à colore & frigore quam cæteræ partes corporis. 53
Qu. 7. Cur Dentes interna parte molliores quam in ſuperficie. 53
Qu. 8. Cur homo ſicut cætera animalia dentibus armatus non naſcitur. 53
Qu. 9. Cur opium denti carie eroſo immiſſum dolores illius non ſedat. 53
Qu. 10. Cur zinziber tritum, ſpirituique vini inditum, ac per nares attractum dolores dentium mulcet. 54
Qu. 11. Cur valida corrodentia dolorem dentium non ſedant, quandoquidem valent deſtruere nervum, quo deſtituti ſenſu carent. 54
Qu. 12. Cur lac tithimali, fel vrſi, elleborus niger melli commiſtus, ac plura ejuſmodi, minori vi quam ſuperius dicta prædita, dolorem tumen citius ſedant: ac cariem dentium melius ſiſtunt. 54
Qu. 13. Cur neceſſaria non eſt Dentium extractio poſtquam eorum vaſa vi remediorum ſuperius notatorū conſumpta fuere, cum nullus deinceps illis adveniat alimentum. 55
Qu. 14. Cur plurimi dolore dentium divexati, tandem citra vllum auxilium, citra illorum evulſionem, omnino doloris facti ſunt expertes. 55
Qu. 15. Cur Dentes aliquando præter naturæ ordinem numero excedunt, deformes fiunt, vitioſum ſitum habent, cum in generatione animalium natura tantum erret conformationis tempore, at dentes homine demum nato emergant. 55
XV. De Cervi-tauro.

MARTIVS.

Obſ. I. Diſſertatio de Generatione hominis, in qua validis rationum momentis & demonſtrationibus palam fit erroneam eſſe de conceptione per Ova doctrinā. 57
II. Hiſtoria Balænæ ad Rupellæ littora propulſæ. 63
III. Diſſertatio de ſtructura & uſibus partium genitalium in utroque ſexu. 67
IV. De ſeminis petrificatione. 74

Naſi

V. Naſi omnino præciſi conjunctio. 75
VI. Remedium ad colicam pituitoſam & flatulentam. 75.
VII. Ratio ptyaliſmum interceptum revocandi. 75
VIII. Vermis è vena ſecta egreſſus. 76
IX. De motibus vterinis. 76
X. Stoicheiologiæ Sive Diſceptationum novarum Phyſicarum cap. 2. 77
XI. Suſpenſa in vitam rediens. 79.
XII. Monſtroſus infans. 79

APRILIS.

Obſ. I. Arcanum febrifugum. 80
II. Oratio habita à D. Ceſvin Curſum anatomicum, ainchoante. 83
III. De Natura corporum mixtorum Diſquiſitio. 86
IV. Naſcale diu & innoxie in vagina vterina geſtatum. 87.
V. Ariculæ per podicem emiſſæ. 88
VI. De Oleo Talci. 88
VII. Obitus & Anatome Illuſtr. Ducis Rupefoucaultij. 90. 91. 92. 93.
VIII. Abſceſſus ſupra genu genitus feliciter Chirurgia curatus. 95
IX. Bronchocele rara ſectione curata. 96
X. Vulnus cordis. 97
XI. Abſceſſus ſingularis. 98
XII. Stoicheologiæ cap. 3. De Numero Elementorum. 99

MAIVS.

Obſ. I. In qua Quæſtiones Chirurgicæ.
Quo 1. An in primo vulnerum apparatu ſemper neceſſaria ſit turundarum, Pulvillorum, Spleniorum ſiccorum impoſitio, h. e. non illitorum balſamo quopiam vel vnguento digeſtivo. 101.
Quo 2. An Potiones vulnerariæ alicuius momenti. 101.
Qu. 3. Cur non ſemper adeſt pus in vulneribus dempto primo apparatu, ſiquidem cum id ſemel genitum eſt, quantumvis accurate detergatur ſem per notabili copia id reperitur duabus vel trib. poſt horis ſi fortuito vel conſulto diſcoperiatur. 102
Qu. 4. Vtrum in vulneribus capitis ſatius ſit cerebrum nudatum eſſe ab inſtrumento vulnus infligente, vel à modiolo. 103
Obſ. II. Pus è bubone peſtilenti.

eductum, deſtillationi chimicæ commiſſum. 103

Sudorificum divitibus dicatum
Sudorificum in gratiam pauperum.
Potiones cordiales divitibus idoneæ.
Portiones cardiacæ pro pauperibus.
Præſervativum contra peſtem novum } 105

III. Anatome Puellæ Iſchuria mortuæ. 106
Appendix. De origine, progreſſu & conſtitutione præſenti Artis Medicæ. 107

IVNIVS.

Obſ. I. Lapides in ipſa cordis ſubreperti, In muſculo deltoide & Teſticulo. 122
II. Polipus in ſinu longitudinali cerebri. 122
III. Anatome Erinacei fœminæ. 123.
IV. Obſervatio de vulneribus inteſtinorum. 123
V. Demonſtratio motus periſtaltici inteſtinorum. 125
VI. De vulneribus cordis. 126
VII. Remedium contra colicam nephriticam. 127
VIII. Extractio calculorum in vretrha genitorum, quam cœcitas fugax ſequuta. 127
IX. Singularia quædam reperta in anatome pueri cachectici, In quo tranſpoſitio partium. 129
X. Remedia quædam ad Dentium Dolorem, Combuſtiones, & Inteſtinorum prolapſum. 130
XI. De natura Dentium. 130
XII. Vulnus cordis tardius lethale. 131
XIII. Abceſſus inſignis lumborum, ilium & hypochondriorum. 132
XIV. Lacerta per venam ſectam egreſſa. 132
XV. Extraordinaria Gemellorum generatio. 133
XVI. Polypus in vena cava repertus. 133
XXVI. Puellæ arenas & calculos cum lotio emittentes. 140
XVII. Remedia quædam adverſus Rheumatiſmi dolores. 134
XVIII. Aphonia ſequuta vulnus Pectoris. 134
XIX. Varii Mercurij in corpore humano motus. 134
XX. Vermes in corpore humano geniti. 136
XXI. Quid aqua Mercurij vi imbuta adverſus Lumbricos valeat. 137
XXII. Symptomata mira caſum ab alto ſequuta. 138
XXIII. De vulnere cordis. 139
XXIV. De Aphonia vulneri pectoris ſuccedente. 139

XXV. De Peſte Viennenſi. 140
XXVI. Puellæ arenas & calculos cum lotio emittentes. 140

IVLIVS.

Obſ. I. Fluxus Sanguinis vterinus in gravida. 141
II. De Puero poſt lapſum Srabiſmo affecto. 142
III. Qua arte innoteſcat num poſſibilis ſit curatio beneficio artis Cheirurgicæ, eorum quibus corpus inteſtinorum tranſverſim ac plane fuit diſſectum. 143
IV. Vaſorum Emulgentium rara conformatio 144
V. Vterus in puella mire expanſus. 144
VI. Vitulus monſtroſus vivens. 144
VII. Vir ſeipſum caſtrans. 145
VIII. Forfex deglutitus. 147
IX. Hirudo hauſta. 147
X. Rara ratio præcavendi animi deliquium quod invehit metus miſſionis ſanguinis. 148
XI. Vnguentum mirabile Hæmorrhoides ſanans. 151
XII. Anatome viri febre continua cum aſthmate extincti.
XIII. Explicatio dubij circa forficem (obſ. 8.) deglutitum propoſiti. 152
XIV. Phthiſici anatome. 152
XV. Abſceſſus mediaſtini. 153
XVI. Abſceſſus ſupra apophyſin maſtoideam, à pulmonibus vlcere affectis ortum ducens. 154
XVII. Uulnus capitis cum deperditione particulæ ſubſtantiæ cerebri non lethale. 154.
XVIII. Corroſivum præſtantiſſimum abſumens glandulas ſcrofuloſas. 155
XIX. De totali Inteſtinorum ſectione (obſ. 3. ſupra.) 156
XX. Vulnus cordis lethale, 156
XXI. De Virginitate. 157
XXII. De Generatione hominis ex ovo. 158
XXIII. Symptomata varia ex Mercurio in corpore retento exorta; præter ſpem ſanata. 159

AVGVSTVS.

Tractatus
De Febrium curatione per vſum Quinquinæ. 161

SEPTEMBER.

Obſ. I. Singularia quædam obſervata in Thermis Borbon' Anſelmenſibus. 186
II. Ratio in lapidem converten-

X

di quodcunque corpus ſiccum & poris præditum. 188.
III. Papilionis quædam ſpecies circa fluvium Moſam quotannis produci ſoliti. 188
IV. Penis cancer venereus fiſtuloſus. 189
V. Partium interiorum tranſpoſitio in infante. 190
VI. De natura Polyporum. 590
VII. Diſſertatio de vtilitate vel noxa ex frequentiore ſanguinis miſſione expectanda. 191

OCTOBER.

Obſ. De vulneribus Inteſtinorum omnino diſſectorum. 205
II. Vulnus ventriculi. 206
III. Mercurij motus in corpore. 206
IV. De ſectione cæſarea. 207
V. Remedium fluorem vterinum ſiſtens. 207
VI. De inciſione muſculi crotaphitæ. 207
VII. Dolores vagi. 208
VIII. Brachij tumor. 209
IX. Puer barbatus viriliſque habitus. 209
X. *Tractatus* de effectibus Aquarum mineralium. 210
XI. Num Aquæ minerales, quomodocunque in v ſum ductæ vtiles ſint an noxię. 213

NOVEMBER.

Diſſertatio. De Alvi fluore in genere *cap.* I. 217
Cap. 2. De Alvi fluxu leienterico. 219
Cap. 3. De Alvi fluxu chyloſo. 224
Cap. 4. De Diarrhoea bilioſa & melancholica. 230
Cap. 5. De Diarrhoea pituitoſa & ſeroſa. 235
Cap. 6. De Dyſenteria. 241
Cap. 7. De Teneſmo. 249
Cap. 8. De Alvi fluxu pingui. 252

DECEMBER.

Quæſtio. An Porus glacie refrigeratus ſit noxius; vel, Num eo ipſo momento quo hauritur noxam inferre queat, aut deinceps tantum, vel nulla omnino metuenda ſit. 256
Obſ. I. Mortuus reviviſcens. 264
II. Mors ſequuta remedium febri fugum aſſumptum. 264

FINIS Zodiaci Anno 1680.

INDEX OBSERVATIONVM

ZODIACI MEDICO-GALLICI

Anni 1681.

IANVARIVS.

Obſ. I. PRÆPARATIO ſalis ſulphuris ſingularis, ad quoſvis Pulmonum affectus vtilis. p. 1.

II. Cutis Anatome. 4

Animadverſiones circa varium Cutis partium vſum. 5

III. Deſcriptio Anatomica ſingularium in cadavere quodam repertorum. 6

IV. Quæ reperta in cadavere pueri variis affectibus tentati. 7

V. Grave capitis vulnus feliciter curatum. 8

VI. Num ab animi pathematis imminent valetudini detrimentum. 8

FEBRVARIVS.

Obſ. I. Rariora quædam obſervata in genitalibus mulierum. 20.

I. De vſu catheteris in vrinæ ſuppreſſione. 22

Hiſtoria per quam oſtenditur ratio facilior & tutior, cujus ope ægri breviori tempore evadunt, prætermiſſa inciſione.

Animadverſiones in præcedentem hiſtoriam. 24

III. Animadverſiones circa curam Aneuriſmatis. 25

IV. De morte ſuccedente pectoris vulneri, intra tertiam & quartam coſtam inflicto, etſi cavitatem illius non attingeret. 26

Solutio. 27

V. De Infante monſtroſo. 28
VI. Anatome mulieris Diarrhoea extinctæ. 29
VII. De Cometa ſub finem anni præteriti conſpicuo. 30
VIII. Ovum Cometæ figuram intus exhibens. 30
Tractatus de origine Medicinæ. 31

MARTIUS.

Obſ. I. De Natura liquorum corpore humano contentorum. 37
II. Num Cometæ propria natura morborum authores eſſe queant. 39
III. Obſervationes circa curam Aneuriſmatis (vide Febr. 3.) 41.
Aliæ obſeruationes circa Aneuriſma. 43

APRILIS.

Obſ. I. De Natura Liquorum in corpore humano contentorum. *Diſſertatio ij.* 49
II. Hernia vterina gravitatis tantum tempore manifeſta, tandem lethalis. 52
III. Puella ſine Cerebro nata. 54
Diſſertatio in dictam hiſtoriam. *ibid.*
IV. Ilei Inteſtini inſignes portiones ablatæ mulieri ſuperſtiti. 57
Obſervationes in hanc hiſtoriam. 58
V. De Balneis mineralibus Borbon' Anſelmienſibus, & Admirandis facultatibus prędictarum Thermarum. 59

MAIUS.

Obſ. I. Circa Aneuriſma conſiderationes. 62
II. Manus inſigne vulnus curatum. 66
III. Hæmorrhagia vterina vehemens cohibita. 66
IV. Emplaſtrum miræ efficaciæ, breviſſimo tempore Fiſtulas & Vlcera calloſa cicatrice obducens. 67
V. De Natura Liquorum in corpore humano contentorum *Diſſertatio. iij.*
VI. Modus recens excogitatus cibos coquendi in gratiam bene & male valentium. 70

VII. Continens remedia
Contra colicam nephriticam
Contra Dentium dolorem
Vt decidat eſchara à combuſtionibus inducta.
adeo vt cicatrix vix conſpicua ſit.
Ad cohibendum deſcenſum inteſtinorum. } 71.
VIII. Ratio educandi infantes recens natos ſine nutrice. 71

IVNIVS.

Obſ. I. De generatione & expulſione molæ, ſeu falſi conceptus, ſingularia quædam. 73
II. Singulare vulnus capitis. 77
III. Remedium contra Hydropem expertum. 79
IV. Confirmatio experimenti de modo oſſa in alimentum convertendi. 79
De Tinctura coralli. 80
Philoſophia colorum, confirmata raris & curioſis experimentis. 83
De Elementorum numero. 81

IVLIVS.

Obſ. I. Colorum natura raris experimentis confirmata. 85
II. Planta famem & ſitim ſedans. 95
III. Mulier cornuta. 96

AVGVSTVS.

Obſ. I. Femoris Fractura cum vulnere. 98
II. Fungorum rara ſpecies ſuperficiei vaſis Faventini innaſcentium. 99
III. Animalcula rara ex Africa recens allata. 100
IV. Surditas curata. 101
V. Emplaſtrum efficaciſſimum ad Hernias. 101
VI. Diabetes rarus. 102
VII. Diſſertatio de Speculis ardentibus. 103
VIII. Partium genitalium muliebrium diſpoſitio. 105
IX. Extractio infantis monſtroſi. 106

SEPTEMBER.

Obſ. I. Figura humana reperta in ovo gallinaceo. 107
II. Vomitus atrabilarius periodicus lethalis. 110
III. Phthiſis vſu lactis muliebris curata. 111
VI. Organa Ocularia, Illorum conſtructio, vſus, vtilita-

tes &c. 112
V. Colorum Philoſophia, raris experimentis demonſtrata, ex optices principiis, Dioptrices, aliarumque artium. 113

OCTOBER.

Obſ. I. Electio venarum in ſanguinis emiſſione juxta circulationis leges. 120
II. Calculus monſtroſus è veſica vrinaria per chirurgiam eductus. 124
III. Infans monſtroſus. 124
IV. Vlcus in inguine, alvi fæcibus tranſitum concedens, ſanatum. 125
V. Vlcus in inguine Enterocelen ſequutum. 125
VI. Vulnus capitis contuſum. 126
VII. Vulnus capitis exiguum lethale. 126
VIII. Affectus Vterinus ſingularis. 126
VIII. Continens Colorum philoſophiam, raris experimentis demonſtratam, Ex principiis Optices, Dioptrices & Artium maxime curioſarum. 127

NOVEMBER.

Obſ. I. Monſtri humani Deſcriptio. 133.
II. Philoſophia colorum, raris experimentis demonſtrata, ex optices fundamentis, Dioptrices, aliarumque artium maxime curioſarum 135.
III. De Carie Oſſium. 139

DECEMBER.

Obſ. I. De Geniis, quos Galli vocant, *Eſprits Follets.* 145
II. De Cometis. 149

FINIS.